S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN VI

QUADRAGESIMALE TERTIUM

PATAVII

EX OFFICINA TIPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXLI

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

Prodierunt:

Vol. I.	*Mariale*	L.	90
» II.	*Lutheranismi Hypotyposis:*		
» »	Pars I. *Hypotyposis Martini Lutheri* .	»	90
» »	» II. *Hypotyposis Ecclesiae et Doctrinae Lutheranae* . . .	»	90
» »	» III. *Hypotyposis Polycarpi Laiseri*	»	70
» III.	*Explanatio in Genesim*	»	90
» IV.	*Quadragesimale Primum*	»	80
» V.	*Quadragesimale Secundum* - Pars I. .	»	95
» »	*Quadragesimale Secundum* - » II. .	»	85
» »	*Quadragesimale Secundum* - » III. .	»	90

NB. - Pro subscriptoribus et Ecclesiasticis pretium minuitur ad 20 %

IN PRAEPARATIONE:

A D V E N T U S

OPERUM OMNIUM VOL. VII

Pretium huius voluminis L. 130

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



Auctor Ignotus In Conv. Cap. Veronae

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROVINCIAE VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

SUMMO PONTIFICI PIO XII DICATA

VOLUMEN VI

QUADRAGESIMALE TERTIUM

PATAVII

EX OFFICINA TIPOGRAPHICA SEMINARII

MCMXLI

FR. DONATUS A WELLE

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTER GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio Operum Omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetiarum iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, iam sub Praedecessore nostro incoepta, servatis de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 28 Iulii 1941

FR. DONATUS A WELLE
Min. Gen.lis Cap.

(L. S.)

Attente perlegimus volumen sextum Operum Omnium Sancti Laurentii Brundusini, quo continetur eiusdem « Quadragesimale Tertium ». Nihil in eo invenimus a mente Ecclesiae alienum, at omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Friburgi Helvetiorum, die 25 Iulii 1941

† FR. HILARINUS FELDER O. F. M. Cap.
Episc. Tit. Ger.

FR. CRISPINUS AB APPENZELL O. F. M. Cap.
Lect. Theol. emeritus

Nihil obstat quominus imprimatur
Patavii, die 1 Augusti 1941
Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Ecc.

Imprimatur
Patavii, die 2 Augusti 1941
† CAROLUS AGOSTINI - Episcopus

Ad uso di F. Simon da Trento P. Capuccino.

Si conservi nella Libraria di Trento p. ordine del M. R. P. Prouinc.le, ne si possi alienare, senza licenza dello stesso M. R. P.

Io F. Bon.ra da Venetia Prou.le nella Prouincia di S. Ant.o concedo facoltà al P. Eug.o da [illegible] Guard.o di Trento di poter donare questo quinterno del Venerabile P. e gran Servo di Dio P. Lorenzo da Brindisi all'Ill.mo Sig.r Giulio Francesco [illegible] Capit.o [illegible], [illegible] di d.o fatto religioso, e d.o [illegible] [illegible] [illegible]

Dat. in Trento li 25 maggio 1682.

F. Bon.ra da Venet.a Prou.le sud.o

Ed era proprietà legittima di Alessandro Rossi da Trento

in Agosto 1820 e salvato dalla distruzione de' Barbari.

PRAEFATIO

IN QUADRAGESIMALE TERTIUM

Quadragesimale hoc, quod nos *Tertium* inscripsimus, in codice una cum Adventu, qui Quadragesimale praecedit, continetur. Ne tomus autem nimis voluminosus prodiret, Quadragesimale tantum hoc volumine edidimus; Adventum pro volumine proxime edendo reservavimus.

Codex consueta membrana, qua ceteri, religatus, Brundusii in bibliotheca archiepiscopali De Leo asservatur. Constat foliis 221, idest 442 paginis, quarum septuaginta circiter hinc inde albae relinquuntur; magnitudine externa cm. 31 ½ × 21, interna autem descripta 27 × 15. In elencho operum S. Laurentii in *Praefatione Generali* exhibito, sub n. 16 recensetur. [1]

Codicem hunc vere S. Laurentii a Brundusio authographum esse identitas absoluta stili, breviationum, modus ac formae orationis, quae in aliis authographis S. Auctoris observatur, necnon adnotationes quae in primo codicis folio alia manu posterius adiectae fuerunt, [2] invictissime probant.

1) Cf. *Mariale*, *Praefat. Gen.*, pag. XI, not. 13.

2) Specimen photographicum primae paginae huius folii hic exhibemus. In parte exteriore cooperimenti, quo codex religatur, haec leguntur: « Questo libro è di Fr. Simon da Trento P. Capuccino »; postea alia manu et quidem, ut videtur, recentiori: « Quadragesimale del nostro Padre Brindisi Capuccino ». In prima parte autem folii hic exhibita: « Ad uso di f. Simon da Trento P. Capuccino »; et inferius: « Si conservi nella Libraria di Trento per ordine del M. R. P. Provinciale, nè si possi alienare, senza licenza dello stesso M. R. Padre ». Codex tamen alienatus fuit, sed licentia debita obtenta, ut ibidem dicitur: « Io f. Gio. Battista da Venezia Provinciale nella Provincia di S. Antonio concedo facoltà al P. Gregorio da Roveredo Guardiano di Trento di poter donnare isto quaresimale del Venerabile P. e gran Servo di Dio P. Lorenzo da Brindisi all'Ill.mo Sig. Giulio Francisco Dissultaut Capict.° di Kinichsperch, divotissimo

Ex iis quae in hoc folio adnotantur constat ipsum codicem per varias manus transisse; sed quomodo cursu sospite Brundusium tandem pervenerit et in dicta bibliotheca firmam mansionem invenerit, non indicatur, nec nobis ullo modo compertum est.

Satis autem mirandum est hunc codicem scriptoribus rerum franciscalium usque ad saec. vigesimum prorsus ignotum fuisse;[3] imo nec inter opera quidem S. Laurentii a S. Rituum Congregatione examinata recensetur, non enim exhibet in parte externa involucri sigillum rubri coloris, quod in ceteris codicibus cernitur, positum ab eadem S. Congregatione.

Tempus quo codex hic conscriptus fuerit pariter ignoramus; ex forma tamen orationis vivaciori inter prima Auctoris opera reponendus nobis videtur.

In editione huius Quadragesimalis eandem methodum secuti sumus quam in praecedentibus voluminibus observavimus.[4] Sermones duos pro die Annunciationis B. M. V., qui in codice post Feriam Secundam Dominicae Quartae inveniuntur, in hoc volumine omisimus, cum iam in *Mariali*, editi fuerint.[5]

Codex anno 1919 a Patre Provinciae Venetae primum transcriptus fuit; deinde transcriptio ipsa a duobus Patribus nostri Collegii cum textu originali semel iterumque collata est. Optabamus tamen, sicut in aliis

di detto santo religioso e di tutta (?) la religione medesima (?) Serafica Capuccina. In fede di che etc. Data in Trento li 25 Maggio 1682. Fr. Giov. Battista da Venezia Provinciale soddetto ». Deinde alia manu: « Ed ora proprietà legittima di Alessandro Volpi da Trento ». Postea vero haec nota adiecta fuit: « In Agosto 1826 - salvato dalla distruzzione de' Borboni ». quod non recte legit P. Sderci in opuscolo infra citato: « Salvato dalla ditruzione de' Barbari ».

In secunda vero parte folii aliud testimonium de authenticitate authographi adiicitur: Quisti sono Avinto e Quarisimali del R. P. Lorenzo da Brindisi P. Capuccino, quali Io Fr. Simon da Trento l' ebbi da un P. Però si conservi come cosa dignissima di un tanto gran servo di Dio (deinde eadem manu, sed alio atramento) quale sarà col timpo cannonizzato, a gloria di Dio, del Seraffico P. S. Francesco e dell'istisso ».

3) Siquidem anno tantum 1909 Can. Pasqualis Camassa in opuscolo: *Brindisini Illustri*, huius codicis brevem mentionem facit. Qui primus omnium codicem hunc diligenti studio perpendit fuit cl. P. Bernardinus Sderci a Gaiole O. F. M., qui anno 1913 aliud opusculum edidit: *Intorno ad un autografo di Sermoni di S. Lorenzo da Brindisi*, Arezzo, Cooperativa Tipografica, 1913, ubi invicte probat authenticitatem authographi et excerptum Homiliae Feriae Secundae Post Dominicam Secundam Quadragesimae latine et italice versae exhibet.

4) Cf. *Quadragesimale Primum*, *Praefat.*, pag. XIX; *Quadragesimale Secundum*, *Praefat.*, pag. VI-VII.

5) Pag. 117-129.

editis voluminibus semper factum est, ipsum codicem in perficienda editione prae manibus habere; hoc vero ob temporis circumstantias rationesque a nobis independentes obtinere non potuimus.

Ex.mo DD. Vigilio Friderico Dalla Zuanna, Praedicatori Apostolico et ex-Ministro Generali O. F. M. Cap., huius nostri Collegii fundatori ac praesidi, qui nuper a Pio PP. XII episcopalis consecrationis munere decoratus et Ecclesiae Carpensi praefectus fuit, sensus nostri gratulantis animi humiliter exprimimus et optimis prosequimur votis ut, ipso Ex.mo semper advigilante, editio Operum S. Laurentii ad exitum usque quam citissime perveniat, et qui magno animo arduoque conamine opus incepit, sapienter et sollicite direxit, eiusdem quoque finem felicem videat omniumque nostrum desideria coronata concelebret.

Ex.mo DD. Hilarino Felder, Episc. Tit. Ger., ac R. P. Crispino ab Appenzell, iam ab initio editionis Operum Omnium revisoribus ac censoribus, consiliariis et conlaboratoribus,

« Grates persolvere dignas
Non opis est nostrae » [6]

pro illorum sapienti ac patientissima cooperatione; sed eas S. Laurentius illis pro meritis referet, quoniam non possumus ipsi.

Omnibus tandem subscriptoribus, qui ad huius editionis laborem suscipiendum animos nobis addiderunt et ad sumptus sustinendos valide hactenus nos adiuvarunt, grato animo pariter gratias expendimus, eos simul exorantes, ut inter difficultates ob iniuriam temporum iugiter ingravescentes, usque ad finem, ad quem, Deo dante, properamus, adiuvare nos pergant.

Patavii, in Festo S. Laurentii a Brundusio
Compatroni Principalis Provinciae Venetae Capuccinorum.

PP. Editores

6) Virg. *Aeneid.*, lib. 1, vrr. 604-605.

ELENCHUS AUCTORUM

QUI A S. LAURENTIO ET A NOBIS CITANTUR[1]

AELIANUS *Historia de Vi et Natura Animalium*, Lugduni, apud Sebast. Gryphium 1535.

ALDOVRANDUS ULYSSES *De Quadrupedibus Solipedibus*, Bononiae, apud Victorium Benatium 1616.

ALEXANDER APHRODISIUS * *De Anima*, interprete Hermolao Barbaro patricio Veneto, Venetiis 1502.

ANGIOLINI FRANCESCO *Delle Antichità Giudaiche di Giuseppe Flavio*, Firenze, Paolo Fumagalli 1842.

ANTONINUS S. *Summa Theologica*, Veronae 1740, Ex Tipografia Seminarii apud Aug. Carattonium.

ARISTOTELES STAGIRITA * Opera Omnia, Isacii Casauboni, Lugduni apud Guillelmum Laemarium 1590.

ATHENAEUS *Diphnosophistarum* sive *Coenae Sapientum*, Natale de Comitibus Veneto vertente, Venetiis, apud Andream Arrivabenum 1556.

AULUS GELLIUS *Noctes Atticae*, opera Io. Soteris, Coloniae 1533.

BELLARMINUS ROB. S. *Controversiae Christianae Fidei*, Venetiis 1721, apud Malachinum.

BELLOVACENSIS VINCENTIUS *Speculum Naturale*, Argentorati, Io. Mentelin 1473.

BERNARDINUS SENENSIS S. *Quadragesimale*, Venetiis, ex aedibus And. Poletti 1745.

BEYERLINCK LAURENTIUS *Theatrum Vitae Humanae*, Coloniae Agrippinae, sumptibus Ant. et Arnoldi Hieratorum 1631.

BONAVENTURA S. Opera Omnia, Editio Vaticana, Romae 1596; apud Aquas Claras, ex Typographia Collegii S. Bonaventurae 1898.

BOTERO GIOVANNI *Della Ragion di Stato*, a cura di Carlo Morandi, Bologna, L. Cappelli 1930.

BRISSONIUS BARNABAS I. C. *Antiquitates Selectae ex Iure Civili*, Lugduni Bat., apud Phil. Bonk et Cor. de Pecher 1749.

1) Signum * denotat Auctores a S. Laurentio citatos.

Budaeus Gulielmus *De Asse et Partibus*, Basileae, apud Nic. Episcopium 1556.
Caelius Ludovicus *Lectionum Antiquarum Libri*, Francofurti et Lipsiae, Dan. Fievetti 1666.
Calmet Augustinus *Commentarium Litterale in omnes et singulos tum Veteris tum Novi Testamenti Libros*, Venetiis, apud Sebast. Colletti 1730 sqq.; *Dictionarium Historicum Sacrae Scripturae*, Lucae 1725, Typis Sebast. Dom. Cappuri.
Catechismus Romanus, Typis Seminarii Patavii 1930.
Cato Dionysius vide Dionysius.
Cicero M. Tullius * Opera Omnia, Lugduni, Sybilla a Porta 1588.
Claudianus Claudius * *De Quarto Consulatu Honorii Augusti ; De Raptu Proserpinae*, Amstelodami, ex officina Elzeviriana 1665.
Conimbricenses *Commentarii* Collegii Conimbricensis *in Libros Aristotelis*, Venetiis. Iac. Vincentium et Ricciardum Amadiscum 1602.
Cornelius a Lapide *Commentaria in Sacram Scripturam*, Venetiis, apud Hier. Albrici 1700.
Denzinger - Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, Friburgi Brisgoviae 1928.
Dictionarium Historicum, Geographicum ac Poeticum, Lugduni, apud Io. Pillehotte 1603.
Dionysius Cato * *Carmen De Moribus*, Mediolani, Petr. Mart. de Montegatiis 1506.
Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, Antuerpiae, ex officina Christophori Plantini 1566.
Dionysius Halicarnassus *Antiquitatum Romanarum Libri XI*, ex officina Ant. de Harsy 1590.
Du Cange C. Dufresne *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis*, Parisiis, Firmin-Didot 1846.
Fabulae Aesopianae, * apud Hervieux.
Ferretti d' Ancona Franc. M. *La Verità della Fede cristiana svelata alla Sinagoga*, Venezia, appresso Carlo Pecora 1741.
Forcellini Aegidius *Lexicon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii.
Galenus *Galeni Omnia quae extant*, studio Io. Bapt. Rosarii emendata, Venetiis, Vincent. Valgrisius 1562.
Gassendus Petrus Diniensis *Animadversiones in Decimum Librum Diogenis Laertii*, Lugduni, per Fran. Barbier 1675.
Gesnerus Conradus *Historia Animalium*, Tiguri 1551.
Hergenröther Card. Ios. *Storia Universale della Chiesa*, Firenze, Libreria Ed. Fiorentina 1908.
Hervieux Leopold *Les Fabulistes Latins depuis le siécle d' Auguste*, Paris, Librairie De Firmin-Didot 1894.
Homerus * *Poemata*, cum interpretatione Henrici Stephani, sine loco, 1588.
Horatius Q. Flaccus * *Carmina*, Veronae, apud Hier. Discipulum 1585.
Hyginus *Fabulae*, per Io. Hervagium 1549.
Iamblicus *De Mysteriis Aegyptiorum*, Romae, apud Ant. Bladium 1556.
Iosephus Flavius * vide Angiolini.

IUVENALIS *Satyrae*, cum annotationibus Th. Farnabi, Patavii, typis Seminarii 1705.

LABANCA BALDASSARE *Marsilio da Padova*, Fratelli Salmin 1882.

LABBEUS PHILIPPUS *Sacrosancta Concilia*, Lutetiae Parisiorum 1671-1672.

LANGIUS IOSEPH *Polyanthea*, Venetiis, apud Io. Guerilium 1622.

LAURENTIUS S. A BRUNDUSIO Opera Omnia, Patavii, typis Seminarii 1928 sqq.

LAURENTIUS LUCENSIS Ios. *Amalthea Onomastica*.

LUCANUS M. N. * *Pharsalia*, sive *De Bello Civili*, Lugduni Batavorum, apud Franc. Hackium 1658.

MACROBIUS *Somnium Scipionis*, Patavii, Io. Cominus 1736.

MANNUCCIUS PAULUS *Adagia*, Venetiis, apud Dominicum de Farris 1591.

MARTIALIS *Epigrammata*, Bassani, Io. Ant. Remondinus, sine data.

MERCURIUS TRISMEGISTUS * *Asclepius*, Lugduni, apud Io. Tornaesium 1577; *Pimander*, cum Commento F. Hannibalis Rosselli, Cracoviae, Lazari 1584.

Midrash Siphra. *

Midrash Tellin. *

NATALIS COMES *Mytologiae*, Gabriel Carterius, sine loco 1596.

NIEUPOORT G. H. *Rituum*, qui olim apud Romanos obtinuerunt, *Succincta Explicatio*, Venetiis, apud Io. Tyberninum, sub Signo Providentiae 1746.

OVIDIUS NASO * Opera Omnia, Lipsiae, C. Tauchnitii 1828.

PAGNINI SANCTES O. P. *Thesaurus Linguae Sanctae* sive *Lexicon Hebraicum*, Lugduni, apud Antonium Gryphium 1577.

PASTOR LUDOVICO *Storia dei Papi*, Trento, tip. ed. 1890 sqq.

PERIN IOSEPH *Onomasticon Totius Latinitatis*, Patavii, typis Seminarii 1913-1920.

PHILO IUDAEUS * Opera, Lugduni, Antonius Vincentius 1561.

PIERIUS VALERIANUS *Hieroglyphica*, seu *De Sacris Aegyptiorum*, Venetiis, apud Io. Ant. et Iac De Francisci 1604.

PINDARUS * *Olympiae*, Basileae, apud Andr. Crat 1528.

PLATO * Opera Omnia, Traslatione Marsilii Ficini, Venetiis, apud Hier. Scotum 1571.

PLINIUS C. SECUNDUS * *Historia Naturalis*, Venetiis, Hier. Scotus 1571.

PLUTARCHUS CHAERONEUS * *Graecorum Romanorumque Illustrium Vitae*, Venetiis 1538; *Ethica* sive *Moralia*, Basileae, apud Th. Guarinum 1573.

REEB GEORGIUS *Thesaurus Philosophorum*, Brixinae, typis Wegerianis 1871.

RIGUTTINI e FANFANI *Vocabolario Italiano della Lingua parlata*, Firenze, Successori Le Monnier 1892.

Rituale Romanum, Romae, typis Polyglottis 1925.

SALUSTIUS CRISPUS * *De Bello Iugurthino*, per Ignazio Rossi, Paravia 1904.

SCOTUS Io. DUNS *In quattuor Libros Sententiarum*, apud Io. Bapt. et Io. Bern. Sessam, Venetiis 1597.

SENECA L. A. *Naturalium Quaestionum*, Parisiis, apud Hadrianum Perier 1613.

STATIUS *Tebais*, excudebat Horatius Hart, Oxonii, e typographeo Clarendoniano, sine data.

TERENTIUS * *Comoediae*, Brixiae, apud Lud. Britannicum 1536.

THOMAS S. AQUINAS Opera Omnia, Ios. Bettinelli, Venetiis 1748.

VALERIUS MAXIMUS *Exemplorum Memorabilium* libri, Lugduni Batavorum, apud Franc. Hackium 1651; *Dictorum Factorumque* libri, Venetiis 1645.

VANNUCCI ATTO *Proverbi Latini*, Milano, Tipografia Editrice Lombarda 1880.

VIRGILIUS MARO * Opera Omnia, Bassani, ex typographia Remondiniana 1804.

VOLATERRANUS R. *Commentariorum Urbanorum* libri, Romae, per Io. Bescken Alemanium 1506.

XENOPHON * *Memorabilia*, ex *Bibliotheca Scriptorum Graecorum*, Parisiis, Firmin-Didot 1878.

ZANOLINI ANTONIUS *Lexicon Hebraicum*, Patavii, typis Seminarii 1732, apud Io. Manfré.

QUADRAGESIMALE
TERTIUM

FERIA QUARTA CINERUM

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes...
Tu autem... unge caput tuum et faciem tuam lava. [1]

I. Ieiunium sanctum requirit a nobis Dominus, sed cum laetitia, sicut Paulus ait: *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* [2] Populus Dei ex Aegypto a Moyse divinitus eductus, magna cum laetitia ingressus fuit in desertum, demerso Pharaone cum universo Aegyptiorum exercitu in mari Rubro; [3] cecinit enim Moyses canticum Domino cum universo Israele: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* [4] Maria similiter prophetes, soror Moysi et Aaron, sumpto tympano, cum universis mulieribus cantabat dicens: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* [5] Nunquam talem laetitiam sensit populus in Aegypto qualem sensit in ingressu sacri deserti, transmisso mari Rubro ibique Pharaone demerso, per spiritualem poenitentiam, per contritionem cordis, fusis amaris lacrimis ob delicta patrata peccataque commissa. Hi sunt veri electi Dei, fratres, qui laetitiam in corde sentiunt, quod pertransiit tempus carnis et bacchanalis insaniae venitque tempus poenitentiae et sanctae vitae.

Requirit a nobis Dominus sanctum ieiunium cum laetitia,

Ieiunium cum laetitia requirit, quoniam sicut lux, ita et virtus laetitiam secum affert. Hinc Regius Vates cum dixisset: *Sacrificate sacrificium iustitiae et sperate in Domino,* idest bene agite; *multi,* ait, *dicunt: Quis ostendit nobis bona ?* [6] quis videre nos faciat bona quae agenda sunt nobis ut in Domino sperare possimus? Respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* Deus

laetitia enim comes virtutis est,

1) Pericope huius diei Mt 6, 16-21. Cf. Missale Rom. 2) 2 Cor 9, 7. 3) Cf. Ex 13, 17-14, 1 sqq. 4) Ibid. 15, 1. 5) Ibid. vrr. 20-21. 6) Ps 4, 6.

quod innuunt etiam Regius Vates et Isaias;

ipse nos internosque mentium nostrarum oculos illustrat: *Dedisti laetitiam in corde meo.*[7] Nam cum virtus sit digna honore, laude et praemio, magnam affert laetitiam, quam declarat dicens: *A fructu frumenti et vini et olei sui multiplicati sunt,*[8] hebraice: *Prae tempore frumenti et musti eorum cum multiplicata sunt.* Tempus, inquit, messis et vindemiae tempus laetitiae est; unde Isaias ait: *Laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe, sicut laetantur victores capta praeda.*[9] Eo autem maior est laetitia quo messis et vindemia copiosior: *Dedisti,* inquit, *laetitiam in corde meo,* multo maiorem laetitiam temporis messis et vindemiae uberis et copiosae.

nam ieiunium spiritualis victoria est multa secum bona afferens.

Laetatur spiritus ieiuniis et maceratione carnis, sicut laetatur homo vindictam sumens de mortali inimico, sicut laetatur miles victor in proelio, sicut laetatus fuit populus in ingressu deserti videns Pharaonem et omnes Aegyptios extinctos in mari Rubro. *Fructus... spiritus,* inquit Paulus, *est caritas, gaudium, pax, patientia.*[10] Notate verba quomodo patientiam et tolerantiam malorum cum gaudio et pace coniungit. Et forte idem significat quod sequitur: *Bonitas,*[11] nam saepe in Sacris Litteris bonitas laetitiam significat: *Dicite iusto quoniam bene;*[12] *Diligit dies videre bonos;*[13] *Ad videndum in bonitate electorum tuorum;*[14] *Ut videas bona Ierusalem omnibus diebus vitae tuae;*[15] *Quam bonus Israel Deus,*[16] idest dulcis, suavis.

Christus princeps est iustissimus, qui odit hypocrisin; gratiosissimus, cuius mandata suavia;

II. Regius Vates Christum describit principem summum, sed iustissimum: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga aequitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.*[17] Sic ostenditur hodie diligens iustitiam ieiunii et odio habens iniquitatem hypocrisis. Principem pulcherrimum et gratiosissimum: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum;*[18] ipsius verba, eloquia, mandata gratissima ac suavissima sunt, melle dulciora: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!*[19] *Dulciora super mel et favum.*[20]

7) Ibid. vr. 7. 8) Ibid. vr. 8. 9) 9, 3. Vulg.: *Sicut exultant victores.*
10) Gal 5, 22. 11) Ibid. 12) Is 3, 10. 13) Ps 33, 13. 14) Ps 105, 5.
15) Ps 127, 5. 16) Ps 72, 1. 17) Ps 44, 7-8. Ex hebraico. 18) Ibid. vr. 3.
19) Ps 118, 103. 20) Ps 18, 11.

Sic mandata Christi gratissima sunt animabus vere fidelibus; quidquid praecipit, dulce, suave, gratum est. Principem appellat summi valoris: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime . . . Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.* [21] Efficacissima sunt verba ipsius sicut gladius et sicut sagittae acutissimae, quae hominum corda feriunt, penetrant, transfigunt, sicut aureae sagittae amoris. Cum sagittis hisce transfixi fuerint homines, tunc cadent ad pedes Christi, tunc ei plene subicientur. Hinc dignoscuntur veri electi a reprobis: *Qui ex Deo est, verba Dei audit . . . vos non auditis quia ex Deo non estis.* [22]

potentissimus, qui, suo amore electos ad se trahit,

Vidit Daniel Deum sedentem super thronum, imo currum igneum: *Thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus,* sed *vestimentum eius candidum sicut nix.* [23] Significat Deum puritate et candore innocentiae summopere delectari. *Vestimenta* Christi *facta sunt alba sicut nix.* [24] In *Apocalypsi* Ioannes vidit Christum sedentem super thronum candidum, vidit etiam eum equitantem super equum album procedentem ad bellum, arcu et sagittis armatum. [25] Idem autem est thronus igneus, currus igneus, thronus candidus, equus albus: Evangelium Christi summae puritatis, doctrinae purissimae: *Inequitat super verbum veritatis et mansuetudinis et iustitiae,* [26] nam et capilli capitis Christi dicuntur *tanquam lana munda et sicut nix,* [27] capilli autem nonnisi cogitationes et conceptus mentis significant.

et delectatur summopere puritate et candore innocentiae;

Sacerdotes Deo ministraturi lineis vestibus indui Lege iubebantur. [28] Linum multa maceratione fit candidum, sic homo in Dei ministerio multa maceratione – *Carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis,* [29] – fit coram Deo purus et candidus. Ioannes in *Apocalypsi* vidit omnes electos Dei indutos stolis albis, byssino candido, [30] idest iustitia et sanctitate, sed carnis maceratione: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* [31] Cum Moyses quadraginta diebus ieiunasset in monte, descendit splendida facie; [32] sic ieiunio et oratione apud Deum mentis nostrae facies divinitus mirabiliter illustratur, fit sicut columba deargentata. Spiritus Sanctus in specie

ieiunio autem et oratione purificatur anima.

21) Ps 44, 4-6. 22) Io 8, 47. 23) 7, 9. Vulg.: *Quasi nix.* Ordine inverso affert has pericopas. 24) Mt 17, 2. 25) Cf. 6, 1-2. 26) Ps 44 (hebr. 45), 5. 27) Cf. Dn 7, 9; Apc 1, 14. 28) Cf. Ex 28, 4 40-41; Lv 16, 4. 29) Gal 5, 24. 30) Cf. 19, 14. 31) 1 Cor 9, 27. 32) Cf. Ex 34, 28 sqq. ; 2 Cor 3, 7.

columbae descendit, [33] quoniam puritate mentis summopere delectatur; descendit etiam in igne, [34] qui puritatis hieroglyphicum est, nullam secum patitur impuritatem, impura metalla miro modo purificat. Requirit a nobis hodie Christus cor, sed purum, longe a terra, in coelo positum, nam terra locus impuritatis est; luna ex terrae propinquitate maculas contrahit. [35]

Ieiunium vere est sanctum, si cum perfecta iustitia coniungitur,

III. Verbum Dei, Evangelium sacrum, currus est Ezechielis [36] et currus Eliae; [37] Deum ad nos vehit et mentes nostras ad Deum, sicut ille ait:

« Mente deos adit et quae natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit ». [38]

Sed cavendum est ne currus, quo ad Deum vehi volumus, sit sicut currus Plutonis tractus ab equis nigris, ignem spirantibus, sed tribus tantum cum rotis, [39] quo hieroglyphico designare voluerunt sapientes difficultates et pericula eorum qui divites fieri volunt; ne desit currui virtutis rota iustitiae, nam homines defraudare atque decipere ficta specie sanctitatis iniustitia est. Requirit iustitia ut unicuique tribuatur quod suum est; requirit iustitia ut delinquens puniatur: deliquit homo sensu carnis, puniatur ieiunio macerante carnem. Debetur Deo auctori omnium bonorum gloria, sicut Paulus ait: *Soli Deo honor et gloria :* [40] demus Deo honorem virtutis, hypocritae nanque fures sunt divinae gloriae. Requirit iustitia ut rebus iusta pretia imponantur: vilibus vilia, pretiosis magna, ne faciamus terrena pretiosiora coelestibus. Requirit iustitia ne adulterina pecunia solvantur bonae merces: virtutes et opera bona sunt merces bona, vana autem mundi gloria adulterina pecunia. Sic cavendum ne qua alia desit rota huic coelestis gratiae quadrigae.

quia sine hac nemo salvari potest.

Elias sanctus dixit regi Achab: *Iunge currum . . . ne pluvia te occupet ;* [41] magna, inquit, futura est pluvia : ad eam fugiendam

33) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22; Io 1, 22. 34) Cf. Act 2, 3-4. 35) Talis erat veterum opinio, lunae « maculas non aliud esse quam terrae raptas cum humore sordes ». Plinius *Hist. Nat.*, lib. 1, cp. 9, pag. 3. Cf. etiam Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 1, cp. 143, col. 33. 36) Cf. Ez 10, 9 sqq. 37) Cf. 4 Rg 2, 11. 38) Ovid. *Metamorph.*, lib. 15, vrr. 63-64. Ms.: *Negarat.* 39) Cf. S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 18, cp. 36, (P. L. 82, 656); Ovid. *Metamorph.*, lib. 5, vrr. 390-392; Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 2, cp. 9, pag. 149-152. 40) 1 Tim 1, 17. 41) 3 Rg 18, 44. Vulg.: *Ne occupet te pluvia.*

currus necessarius est et velox cursus. Quis nescit quoniam diluvium symbolum fuit universalis iudicii? *In diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* [42] Ad fugiendum diluvium necessaria est arca Noe, [43] ne pluvia magna divini iudicii nos occupet; curru Eliae opus est: *Iunge currum... ne pluvia te occupet.*

IV. Ieiunium sanctum appellat Dominus hodie *coelestem thesaurum ;* imo coeleste vehiculum est, nam ait: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* [44] mercedem. Sed ubi? Utique in coelo. Ieiunium ergo nos ducit in coelum, nam et Elias ieiunio pervenit ad montem sanctum Dei Horeb, ubi divina visione dignatus fuit, [45] et Dominus manifeste ostendit cum ait: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [46] Poenitentiam dicit coelestem scalam, coelestem currum; ieiunium autem tunc sanctum est cum Dei causa suscipitur, nam et poenitentia ac humiliatio Achab Deo placuit: *Quia,* inquit, *mei causa humiliatus est.* [47] Multi ieiunant, sed non Dei causa, sicut Dominus per Z a c h a r i a m ait: *Cum ieiunaretis... nunquid ieiunium ieiunastis mihi,* [48] dicit Dominus?

Ieiunium sanctum est si Dei causa suscipitur

Ieiunium tunc sanctum est, cum Domino tanquam sacrificium offertur, cum id quod subtrahitur ventri datur pauperi propter Deum. Hinc I s a i a s ait quod ieiunium cum eleemosyna gratum Deo est, [49] et Dominus utrunque hodie coniungit; nam dum ait: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo,* [50] de eleemosyna proprie intelligit, sicut alibi ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* [51] *thesaurum non deficientem in coelo.* [52]

et cum eleemosyna coniungitur,

Tunc sanctum ieiunium est, cum ex caritate ieiunatur, ex qua veluti ex una radice duo rami oriuntur: amor Dei propter seipsum et amor proximi propter Deum; ex qua etiam veluti ex uno fonte duo rivuli: amor virtutis et odium vitii, eo quod displicet Deo, sicut ex nostris praecordiis concupiscentia erga bonum et ira contra malum; aequa enim lance et bona diligimus et opposita mala odio habemus: amor vitae et odium mortis, sanitas et infirmitas, lux oculorum et caecitas, honor et ignominia, voluptas et dolor aequalium ponderum sunt.

tunc enim ex vera caritate est.

42) Ps 31, 6. 43) Cf. Gn 6, 14 sqq. 44) Mt 6, 4. 45) Cf. 3 Rg 19, 4-18. 46) Mt 4, 17. 47) 3 Rg 21, 29. Vulg.: *Humiliatus est mei causa.* 48) 7, 5. 49) Cf. 58, 3 sqq. 50) Mt 6, 20. 51) Lc 16, 9. 52) Ibid. 12, 33. Vulg.: *In coelis.*

Ieiunium est honorabile et utile animae et corpori.

Ieiunium honorabile est, quia opus virtutis est cui debetur honor, nam virtutis praemium honor est; [53] hinc honoris et gloriae causa ieiunabant hypocritae. Utile etiam non solum spiritui et magni meriti apud Deum ad vitam aeternam consequendam, sed utile etiam corpori: confert sanitati et longiori vitae ieiunium, a multis infirmitatibus curat, a multis praeservat.

iucundum et delectabile.

Sed et iucundum est: dulciores post ieiunium cibi sunt. Si sanitas iucunda est, sanius ieiunio vivitur, suavius etiam dormitur, somnus quietior et suavior est; si quies suavis, ieiunium a multis nos laboribus curisque subducit, nam, ut Salomon ait: *Omnis labor hominis in ore ipsius,* [54] idest propter victum; ieiunans paucioribus eget, minus ei laborandum est. Delectabile ieiunium ob divinas consolationes, nam cum defecit farina Hebraeis, tunc illis Deus pluit manna de coelo. [55]

Ieiunium sanctum est si cum quattuor virtutibus cardinalibus coniungitur;

V. Est ieiunium currus coelestis quo Adam sublevandus in paradisum erat, de quo hodie ait Ecclesia: « Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia ». [56] Currus coelestis est, modo non desit ei rota interioris temperantiae a vitiis et concupiscentiis, rota fortitudinis in mortificatione et victoria suiipsius, nam: *Melior est vir patiens viro forti et qui dominatur animo suo expugnatore urbium;* [57] *Abneget semetipsum... tollat crucem suam et sequatur me;* [58] rota prudentiae et iustitiae, ne desit ei caritas: *Ubi... est thesaurus... ibi est et cor.* [59] O felices qui coelestem hunc currum ascendunt! Nam super hunc currum ascendere voluit Christus in coelum: *Oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam.* [60]

hoc Deus ipse ab initio ostendit cum vetuit homini esum de ligno scientiae boni et mali.

Et Deus ab initio ostendit homini dicens: *De ligno.... scientiae boni et mali ne comedas, in quocunque... die comederis ex eo morte morieris.* [61] Videtis quomodo praeceptum obedientiae currum fecit coelestem, ducentem in vitam immortalem et aeternam in coelis, transferentem hominem a terrestri in coelestem paradisum. Coniungit Dominus ieiunium cum thesauris et mox a terrenis thesauris tanquam

53) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 2ª 2ªᵉ, q. 129, a. 4, ad 1. 54) Eccle 6, 7. Vulg.: *In ore eius.* 55) Cf. Ex 16, 4-15. 56) Missale Rom. *Praefat.* Quadragesimae; S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 55). 57) Prv 16, 32. 58) Mt 16, 24; Mc 8, 34; Lc 9, 23. 59) Mt 6, 21. 60) Lc 24, 26. Vulg.: *Pati Christum*, etc. 61) Gn 2, 17.

aquila ad coelestes ascendit. Sed iubet ne cor nostrum sepultum in terra sit, sed in coelo collocatum, quoniam humanum cor lapis pretiosissimus est, in quo naturalis cernitur Dei summi imperatoris imago. Dignus est lapis ut in auro ligatus in coelestibus Dei thesauris reponatur, non sepeliatur in terra, cum terrena ac mundana bona, ut Paulus ait, vilissima stercora sint.[62] Indignum reputares si quis gemmam talem haberet, in qua naturalis cerneretur principis imago: si eam princeps ab eo postularet multo maiora daturus, negaret ille et postea in terra inter stercora sepeliret. Demus, fratres, cor nostrum Deo, sit repositum in thesauris coelestibus et beati erimus.

II. ALIA HOMILIA[1]

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes ; exterminant enim facies suas ut pareant, etc.[2]

I. Agit nobiscum hodie Deus, fratres carissimi, sicut cum Hebraeis egit olim. Cum enim illi in Aegypto non Deo sed Pharaoni servirent, vilissimis operibus occupati, misit Deus Moysen ut de Aegypto eos educeret, de Pharaonis servitute liberaret eosque per desertum in terram promissionis adduceret.[3] Primum autem quod ab eis petiit sacrificium fuit, sed extra terram Aegypti: *Ibimus viam trium dierum in solitudinem ut immolemus,* ut sacrificemus *Domino Deo nostro.*[4] Deus requirit a nobis sacrificium ieiunii,

Quattuor praedicavit Moyses Hebraeis: exitum de Aegypto, sacrificium Domini, peregrinationem in deserto et terram promissionis lacte et melle fluentem. Sic, inquam, agit nunc Dominus nobiscum mittens servos suos ad praedicandum Evangelium, ut cum Paulo praedicent: *Hora est iam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquavit ; abiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus.*[5] *Eratis . . . aliquando tenebrae,* ideo ministros suos hodie mittit ut hoc fidelibus praedicent.

62) Cf. Phil 3, 8.

1) In codice repetitur inscriptio: « Feria quarta Cinerum ». 2) Mt 6, 16. Vulg.: *Ut appareant,* etc. 3) Cf. Ex 3, 7-10. 4) Ibid. vr. 18. 5) Rom 13, 11-13.

nunc autem lux in Domino ; ut filii lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo. [6]

Quattuor praecipue inculcanda sunt a ministris divini verbi:

Quattuor haec a ministris divini verbi praedicanda sunt : exitus de Aegypto, dimittendam esse peccati et satanae servitutem, nam: *Qui facit peccatum servus est peccati,* [7] satanas autem princeps est mundi huius, [8] qui *totus in maligno positus est;* [9] sacrificium ieiunii et mortificationis carnis; peregrinatio vitae praesentis, quoniam *non . . . habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus;* [10] et terra promissionis patriae coelestis.

vitia comprimere, ieiunare ex caritate erga Deum, et bonis operibus incumbere.

Haec omnia in sacrosancto hodierno Evangelio habemus. Primum, cum iubet Dominus ne hypocritis satanae servis similes simus, nam sunt hi *quidem speciem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes,* [11] martyres sunt satanae, sacerdotes Baal, servi Pharaonis; secundum, ut ieiunemus ita ut Deo gratum sit ieiunium nostrum ut sacrificium in odorem suavissimum Domini; tertium, ne thesaurizemus in terra, in qua peregrini sumus; quartum, ut thesaurizemus in coelo, ubi perpetuo mansuri sumus, si in terra coelestem vitam duxerimus: *Ubi . . . est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* [12]

Haec mystice significavit Deus quattuor potioribus festis Antiquae Legis.

II. In huius rei [13] mysterium iussit Deus ut mense septimo, qui mensis omnium erat sacratissimus atque sanctissimus, [14] sicut sabbatum septimus hebdomadis dies, celebrarentur quattuor festa solemnia: festum tubarum primo die mensis, festum expiationis, festum tabernaculorum sive scenopegiae et festum collectarum sive congregationis universi populi in templum Domini, coram Domino, in civitate Ierusalem. [15] Hoc postremo procul dubio significat congregationem omnium electorum in coelestem Ierusalem, sicut Regius Vates ait: *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis, Ierusalem. Ierusalem quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium,*

6) Eph 5, 8-10. 7) Io 8, 34. 8) Cf. ibid. 12, 31; 14, 30; 16, 11. 9) 1 Io 5, 19. 10) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem*, etc. 11) 2 Tim 3, 5. Vulg.: *Habentes speciem quidem pietatis*, etc. 12) Mt 6, 21. 13) Ms.: *Re.* 14) Cf. Ex 12, 1-27. 15) Cf. Lv 22, 27-28; 23, 24-25; Nm 29, 1-12.

idest congregatio *Israel ad confitendum nomini Domini.* [16] Festum tabernaculorum peregrinationem nostram in hoc mundo designabat, nam celebrabatur in memoriam peregrinationis in deserto annis quadraginta; festum autem expiationis, in qua tenebantur omnes ieiunare seipsosque affligere et humiliare coram Domino, ieiunium et fructus dignos poenitentiae praemonstrabat; festum autem tubarum in primo die septimi mensis, in prima luna autumni frugiferi, praedicationem designabat.

quae designant renovationem vitae et destructionem peccati per poenitentiam.

Hoc enim in primis praedicandum est: renovatio vitae et copiosus fructus bonorum operum. Festum tubarum celebratur dum praedicatur Evangelium, ut sonitu harum tubarum lex Dei percipiatur corde, nam cum tubarum sonitu lex data fuit, [17] ut sacrarum tubarum forti ac vehementi clangore funditus corruant muri Iericho, [18] ut destruatur regnum peccati. Hinc ait: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuncia populo meo scelera eorum et domui Iacob peccata eorum.* [19] Sic hodie Ioel: *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate coetum, congregate populum, sanctificate ecclesiam;* [20] praedicate, inquit, sanctum ieiunium ad sanctificandum omnem populum. Sed quomodo sanctum erit ieiunium? *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et . . . fletu et . . . planctu.* [21] Egredi prius necesse est de Aegypto, de regno peccati et satanae.

Corpus nostrum Deo sacrificandum est per ieiunium;

III. Sed age, iam egressi sumus de Aegypto ingressique sacrum desertum, quid agendum nobis est? *Sacrificemus Domino Deo nostro.* Sed quid sacrificandum, quid immolandum Deo est? *Abominationes,* inquit, idola *Aegypti immolabimus.* [22] Offerre iubebantur et sacrificare Deo oves et boves, aliaque huiuscemodi animalia et cicures, quae ab Aegyptiis tanquam divina numina colebantur per summam stultitiam. Sed adhuc multi sunt *quorum deus venter est.* [23] Quid est autem venter nisi brutum animal? Non requirit a nobis Deus nunc carnalia illa sacrificia, nam ait: *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem aptasti,* sive *perforasti mihi,* [24] in signum perpetuae servitutis. Et alibi: *Non accipiam de domo tua vitulos neque de gregibus*

16) Ps 121, 1-4. 17) Cf. Ex 19, 19; 20, 18. 18) Cf. Ios 6, 20. 19) Is 58, 1. 20) 2, 15-16. 21) Ibid. vr. 12. 22) Ex 8, 26. Vulg.: *Aegyptiorum immolabimus.* 23) Phil 3, 19. 24) Ps 39, 7. Ex hebraico.

hoc significat etiam Regius Vates;

tuis hircos . . . Nunquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua . . . Sacrificium laudis honorificabit me; [25] *Sacrificate sacrificium iustitiae;* [26] *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies . . . Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.* [27] Interpretatur Paulus dicens: *Obsecro . . . vos . . . per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* [28] Hoc igitur agendum primo nobis est, sacrificandum corpus nostrum Deo per ieiunium: *Mortificate . . . membra vestra quae sunt super terram.* [29]

sensus enim carnis contrarius est spiritui,

Hoc est quod Dominus praecepit Abrahamo, ut domo eiceret ancillam et filium eius, quoniam ancilla contraria erat dominae ipsi Sarae, filius autem Ismael persequebatur Isaac: [30] *Caro . . . concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, haec enim sibi invicem adversantur.* [31] Filius carnis est sensus carnis, sensualis amor, φιλαυτία, [32] amor proprius; filius autem spiritus est divinus amor: *Fructus autem spiritus*, idest gratiae Spiritus Sancti, *est caritas,* [33] idest divinus amor: *Eice ancillam et filium eius;* [34] *Carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* [35] eius. Sic ait: *Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes.* Carnem cum omnibus vitiis abicite, nolite sacrificare in Aegypto, sicut Pharao dixit Hebraeis: *Sacrificate . . . in terra hac:* [36] cur, inquit, in desertum, extra terram Aegypti ire vultis ad sacrificandum Deo? An non in terra Aegypti sacrificare potestis? Quis vobis impedimento est ne hic sacrificetis?

ideo omnia vitia prius abicienda sunt,

ut a servitute satanae omnino liberi simus.

Permittit saepe multis satanas multa bona opera facere, modo tamen ne extra regnum suum pedem ponant. Permittebat impio Herodi ut, audito Ioanne, multa bona opera faceret, sed tamen in adulterio detinebat. [37] Sed Moyses inquit: *Ibimus viam trium dierum ut sacrificemus Deo nostro in solitudine.* Non erit, inquit, sacrificium nostrum gratum Deo, nisi offeramus illud itinere trium dierum distantes ab Aegypto. Designat nanque Aegyptus mundum hunc sa-

25) Ps 49, 9-23. 26) Ps 4, 6. 27) Ps 50, 19-21. 28) Rom 12, 1. 29) Col 3, 5. 30) Cf. Gn 16, 4-5; 21, 9-10; Gal 4, 29. 31) Gal 5, 17. 32) Ms.: *Philautia.* 33) Gal 5, 22. 34) Gn 21, 10; Gal 4, 30. 35) Gal 5, 24. 36) Ex 8, 26. 37) Cf. Mt 14, 3-9; Mc 6, 16-20.

tanae regnum: *Venit princeps mundi huius,* [38] mundum hunc, qui *totus in maligno positus est,* nam *omne quod est in mundo est concupiscentia carnis . . . concupiscentia oculorum et superbia vitae.* [39]

Vult Dominus ut ieiunium nostrum sanctum sit, purum, separatum ab omni vitio, sicut Abraham offerens sacrificium Deo abigebat nocturnas aves, quae veniebant ad devorandas carnes sacrificii. [40] Aves quae comedunt sementem patrisfamilias [41] comedunt etiam, nisi abigantur, carnes sacrificii nostri, ut nullius meriti sit apud Deum ieiunium nostrum. sicut ieiunium hypocritarum de quibus ait: *Receperunt mercedem suam.* [42] Vult enim Deus ut ieiunium nostrum purum, et sanctum sit

Vult Dominus ut ieiunemus, ut carnem mortificemus, ut carnis nostrae praeputium circumcidamus, sicut Iosue, post transitum Iordanis, universum populum circumcidit, [43] alioquin non potuisset hereditate possidere terram promissionis; sed vult ut ieiunium nostrum sit coniunctum cum humilitate cordis. Hoc est: *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum... ne videaris ab hominibus ieiunans, sed Patri tuo... qui videt in abscondito;* [44] ut faciamus sicut Moyses qui occidit aegyptium persequentem ac percutientem hebraeum, sed statim occisum abscondit, sepelivit sub sabulo; [45] sicut Gedeon qui evertit aram Baal nemusque, quod circa aram erat, succidit, sed nocte, in abscondito; [46] sicut Samson qui leonem in silva interfecit, sed secreto, ita ut nec parentibus quidem indicaverit, quare invenit postea in ore leonis favum mellis. [47] coniunctum cum carnis mortificatione et cum humilitate cordis,

Vult ut ieiunium nostrum purum sit ab avaritia: *Nolite thesaurizare vobis thesaurum in terra;* coniunctum cum liberalitate, cum pietate et eleemosyna: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo;* [48] ut sit purum et segregatum opus ieiunii suapte natura bonum ab omni malo, sicut Deus divisit lucem a tenebris, et firmamenti interstitio separavit aquas superiores, coelestes, ab inferioribus, terrenis. [49] purum ab avaritia

Ieiunium a nobis Christus requirit, sed non hypocritarum, qui larvas personasque iustorum induunt, qui vespes sunt apibus similes, sed non mellificant, opera faciunt similia iustis, sicut magi Pha- et a quacunque hypocrisi.

38) Io 12, 31. 39) 1 Io 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est,* etc. 40) Cf. Gn 15, 11. 41) Cf. Mt 13, 4; 4, 4; Lc 8, 5. 42) Mt 6, 16. 43) Cf. Ios 5, 2-8. 44) Mt 6, 17-18. 45) Cf. Ex 2, 11-12. 46) Cf. Idc 6, 25-27. 47) Cf. ibid. 14, 6-14. 48) Mt 6, 19-20. Vulg.: *Thesauros in terra,* etc. 49) Cf. Gn 1, 3-6.

raonis multa fecerunt opera similia operibus Moysi; [50] similibus thuribulis Core, Dathan et Abiron una cum pontifice Aarone obtulerunt incensum Domino, sed illi ambitione moti, [51] hic autem pietate ac religione divina. Sunt hypocritae sicut Nadab et Abiu, qui super ignem alienum atque profanum obtulerunt incensum. [52]

Ut ieiunium Deo gratum sit, coniunctum esse debet virtutibus;

IV. Ieiunium a nobis requirit Dominus, sed virtutibus ornatum: fide: *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum... ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo ... qui videt in abscondito ;* spe: nam: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi;* caritate: *Thesaurizate... vobis thesauros in coelo ... ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;* iustitia, nam praecipit ut ab omni declinemus malo licet minimo secundum speciem, qualis videtur hypocrisis, et ex animo incumbamus omni bono thesaurizantes in coelo; prudentia; qua vult ut praeferamus coelestes thesauros terrenis, aeterna bona temporalibus, divina mundanis; fortitudine ad multas acquirendas coelestes aeternasque divitias, patienter perferendo mala, labores, aerumnas et forti animo aggrediendo ardua virtutum facinora; tandem temperantia: iubet ut abstineamus non tantum a cupiditatibus cibi et potus per ieiunium, sed etiam a cupiditate honoris per humilitatem contra hypocrisin et a cupiditate divitiarum per contemptum temporalium bonorum contra avaritiam.

tale enim ieiunium purgat a vitiis et virtutes largitur,

Tale est ieiunium, fratres, quod a nobis requirit Dominus, sanctum et purum; hoc est quod ait: *Sanctificate ieiunium.* Tale fuit ieiunium Ninivitarum quod divinam placavit iram; [53] hoc ieiunium vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia; [54] fugat daemones et homines Angelis perquam similes facit, cui Dominus beatitudinem aeternam promittit: *Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini ;* [55] cuius merito orationes nostrae apud Deum exaudiuntur:

reddit orationem nostram Deo acceptam et nobis utilem,

Humiliabam in ieiunio animam meam et oratio mea in sinu meo convertetur ; [56] *humiliabam,* inquit, *animam meam* cum ieiunarem, sciens quod sacrificia, quae Deo in excelsis offerebantur, non erant accepta. Uno tantum in loco offerenda erant sacrificia, super altari

50) Cf. Ex 7, 10-12. 20-22; 8, 6-7. 51) Cf. Nm 16, 1-14. 52) Cf. Lv 10, 1-2; Nm 3, 4; 26, 61. 53) Cf. Ion 3, 1 sqq. 54) Cf. not. 56 praec. hom., pag. 6. 55) Lc 6, 21. Vulg.: *Quia saturabimini.* 56) Ps 34, 13.

Domini in templo; [57] extra Ecclesiam, extra caritatem ieiunia nil prosunt. Post altare autem sacrificiorum erat altare incensi: [58] efficit ieiunium orationem Deo gratam et nobis utilem; sacrificium est Deo acceptissimum, si rite fiat, sicut sacrificium Abraham quo dilectissimum filium suum Isaac Deo obtulit, ut ei morem gereret. [59]

mentem elevat ad contemplationem coelestium

Ieiunium cibus est et panis Angelorum, nutrimentum spiritus et animae nostrae. Consumpta farina Aegypti, Hebraeis in deserto pluit Deus coeleste manna, panem Angelorum. [60] Ieiunium dat menti et spiritui nostro plumas alasque illas quas Regius Vates desiderabat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae et volarem et requiescerem ? Ecce elongarem fugiens et manerem in solitudine ; expectarem eum qui salvum me facit a pusillanimitate spiritus et tempestate ;* [61] nam a ieiunio oriuntur sanctae cogitationes, sic enim ieiunium mentem elevat ad contemplationem coelestium. Ieiunans Moyses ascendit ad cacumen montis ubi Deus erat, ieiunans suscepit legem ; [62] ieiunans Elias pervenit ad montem Dei Horeb divinaque visione consolatus fuit; [63] ieiunans Christus diabolum vicit partaque victoria *accesserunt Angeli et ministrabant ei.* [64] Ieiunium effecit Samsonem fortissimum; [65] ieiunium Danielem spiritu Dei replevit ; [66] Apostoli etiam ieiunantes et orantes Spiritum Sanctum receperunt. [67] Ieiunium homini datum in paradiso fuit ut esset virtutis arx munitissima et inexpugnabilis, ut esset ei via salutis et scala coeli. Nos felices, fratres, si rite sanctum ieiunium susceperimus et ad finem usque prosecuti fuerimus!

estque via salutis et scala coeli.

Tale solum ieiunium vere Deo placet,

Sanctum, inquam, ieiunium, nam non erat acceptum Deo nisi sacrificium ex mundis animalibus et illis quidem integris et immaculatis. [68] Non omne ieiunium placet Deo, sed sanctum, sicut apud Isaiam legimus. [69] Necesse etiam erat ut a sacerdote sancto sacrificium offerretur. [70] Venit Christus in mundum ut omnes spiritu sacerdotes Dei constitueret, hinc ait: *Redemisti nos,* Domine Deus, *in sanguine tuo . . . et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* [71] Ait autem: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis . . . ipse enim quasi ignis conflans*

57) Cf. Dt 12, 5-13; 16, 2-7; 2 Par 7, 12. 58) Cf. Ex 37, 25-38, 1-7; 40, 6-28.
59) Cf. Gn 22, 1-14. 60) Cf. Ex 16, 4-15; Sap 16, 20. 61) Ps 54 (hebr. 55), 7-9.
62) Cf. Ex 24, 18; 34, 28; Dt 9, 25. 63) Cf. 3 Rg 19, 4-18. 64) Mt 4, 11.
65) Cf. Idc 13, 7-14. 66) Cf. Dn 1, 12-17. 67) Cf. Act 1, 13-2, 1-4.
68) Cf. Lv 22, 18-24. 69) Cf. 58, 3 sqq. 70) Cf. Ex 29, 1 sqq. 71) Apc 5, 9-10.

et mundans argentum, et colabit eos sicut aurum et sicut argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda et Ierusalem sicut dies saeculi et sicut anni antiqui, [72] idest sicut placuit Domino sacrificium Abel, [73] sacrificium Noe, [74] sacrificium Abrahami. [75] Sic hodie puros sanctosque requirit sacerdotes qui ieiunandi sacrificium Deo offerant: *Nolite fieri, sicut hypocritae, tristes,* qui sunt sacerdotes Baal, sacerdotes idolorum, ministri satanae.

quia vere sanctum et purum est.

Regius Vates *Psalmo 14* inter multas viri iusti notas: *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum et opprobrium non accepit adversus proximum suum,* sive sustinuit, passus fuit contra proximum suum, *ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus,* reprobus, displicent ei vitia, odio habet iniquitatem, *timentes autem Dominum glorificat,* addidit quoque: *Qui iurat proximo suo et non decipit,* [76] ubi Chaldaeus Paraphrastes: *Qui iurat ut se affligat et non mutat.* Erant nanque in lege Nazaraeorum vota et iuramenta, quae necesse est ut firma sanctaque sint; voti enim et iuramenti religio nullatenus violanda, fides Deo data nullatenus fallenda, [77] sed summa Numinis reverentia servanda. Sic, inquit, iustus ieiuniis et maceratione carnis multaque corporis afflictatione seipsum male tractat, sicut Paulus aiebat: Affligo, *castigo corpus meum et in servitutem redigo.* [78]

In ieiunio Deus in primis cor requirit,

V. Ostendit Dominus hodie quod Deus a nobis cor in primis requirit, hinc ait: *Nolite fieri sicut hypocritae,* quorum cor longe est a Deo, [78a] et ne thesaurizetis in terra, sed in coelo, quia *ubi ... est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Cor nostrum Deus vult apud se ut mente et corde conversemur in coelo: *Fili mi, praebe mihi cor tuum;* [79] *Misericordiam,* idest animi pietatem *volo et non sacrificium, et scientiam Dei magis quam holocausta;* [80] et totum cor requirit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* [81] *Convertimini ad me in toto corde vestro.* [82]

72) Mal 3, 1-4. Vulg.: *Quasi aurum et quasi argentum*, etc. Ordine inverso affert has pericopas. 73) Cf. Gn 4, 4. 74) Cf. ibid. 8, 20-21. 75) Cf. ibid. 22, 1-18. 76) Vrr. 2-4. Vulg.: *Adversus proximos suos*, etc. 77) Cf. Nm 6, 1-21. 78) 1 Cor 9, 27. 78a) Cf. Is 29, 13; Mt 15, 8. 79) Prv 23, 26. Vulg.: *Praebe, fili mi*, etc. 80) Os 6, 6. Ex hebraico. 81) Dt 6, 5; Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 82) Ioel 2, 12.

Sunt autem cordis nostri quattuor praecipuae passiones: spes, timor, gaudium, dolor. Spes et timor futura concernunt bona et mala, gaudium et dolor praesentia. Ieiunio ait Christus, quatenus virtutis est opus, non esse adhibendam tristitiam, moestitiam animi atque dolorem, nisi ieiunandum sit in poenitentiam peccatorum, nam tunc ait: *In ieiunio et . . . fletu et . . . planctu;*[83] sed cum ieiunatur in exercitium virtutis, sicut ieiunabat Ioannes Baptista[84] et Sancti Patres in eremis, laetitia adhibenda est, nam: *Hilarem . . . datorem diligit Deus.*[85] Hoc est quod ait: *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum et faciem . . . lava;*[86] haec nanque in Palaestina tunc temporis signa erant laetitiae.[87] Sic duas Christus coniungit passiones: laetitiam et dolorem, coniungens cum virtute laetitiam, quoniam magnum bonum virtus; ergo cum ieiunio coniungenda tristitia est et afflictio animi, quoniam magnum malum est vitium.

ideo ieiunandum est cum laetitia, quia opus virtutis est, et cum afflictione spiritus, quia fit in poenitentiam peccatorum.

Deinde monet fugiendam timendamque esse perpetuam paupertatem, si thesaurizaverimus in terra, *ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur;*[88] unde *dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis;*[89] sperandas vero aeternas, immarcescibiles et inamissibiles in coelo divitias, si thesaurizaverimus in coelo. Hi sunt equi currus Eliae, quo raptus in coelum fuit: *Currus igneus et equi ignei . . . pater mi.*[90]

sed etiam cum spe aeterni praemii.

VI. Monet saepe R e g i u s V a t e s ut Deum laudemus non tantum in psalterio, decachordo et cithara[91] aliisque musicis instrumentis,[92] quae divinam virtutum harmoniam in animo et corde nostro designant dum divina praecepta servamus, dum pia mente divinum Numen colimus et orationi ac contemplationi divinae operam damus, sed ut etiam *in tympano*[93] laudemus rerum omnium Conditorem et moderatorem. Quid autem tympano hoc sacro designari potest nisi corpus et caro nostra, cum nimia poenitentia et macera-

Corporis maceratione Deum laudare debemus.

83) Ibid. 84) Cf. Mt 3, 4; 11, 18; Mc 1, 6; Lc 7, 33. 85) 2 Cor 9, 7.
86) Mt 6, 17. 87) Theophylactus: « Prisci in gaudii signum habebant, oleo ungi post lotionem: et tu quoque sic laetus appare ». *Enarr. in Evang. Matth.*, (P. G. 123, 206); S. Hieronymus: « Iuxta ritum Palaestinae loquitur, ubi diebus festis solent ungere capita ». *Comment. in Matth.*, lib. 1, (P. L. 26, 44). 88) Mt 6, 19. 89) Ps 75, 6.
90) 4 Rg 2, 11-12. 91) Cf. Ps 91, 4. 92) Ps 80, 4; 150, 3. 93) Ps 80, 3; 149, 3; 150, 4.

tione virtutis causa fuerit ab omni humoris noxii succo exiccata et extenuata, ut sit veluti pellis super ossa extensa? Tunc enim corpus nostrum vere templum est Spiritus Sancti.

maceratio enim corporis aptiores nos reddit divinae contemplationi.

Nec tantum in tympano laudandum monet Dominum, verum etiam *in choro*, musico instrumento, in *chordis*, fidibus, *cithara et organo*, [94] quae quidem non plena sed vacua sunt instrumenta, quibus ad laudandum Dominum utebantur psalmos hymnosque canentes. Non corpora plena crapula et ebrietate, sed vacua ieiunio apta sunt ad laudandum Dominum in sanctis orationibus, sacrisque et divinis meditationibus, in contemplatione coelestium et divinorum: *Omnis spiritus laudet Dominum*, [95] spiritus, inquit, non caro, nam: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.* [96] Adorandus est Dominus in spiritu et veritate, quoniam *spiritus est Deus et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare;* [97] *Si . . . spiritu facta carnis mortificaveritis . . . nam qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt ;* [98] qui autem sensu carnis ducuntur homines animales sunt: *Animalis . . . homo non percipit*, non sapit *ea quae sunt spiritus Dei ;* [99] *Cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.* [100] O hominum indignitatem! *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* [101]

Quattuor sunt hominum genera in mundo,

VII. Quattuor sunt hominum genera in mundo: quidam spiritu satanae ducuntur, daemonum mores imitantur: *Vos ex patre diabolo estis ;* [102] *Unus vestrum diabolus est ;* [103] alii spiritu carnis pecudum more aguntur: *Animalis homo*, similis *iumentis insipientibus*, Nabuchodonosor in bestiam transformatus; [104] alii spiritu humano, naturali tantum ratione: *Nonne . . . secundum hominem ambulatis?... Nonne homines estis?* [105] sic Paulus *Corinthiis* dixit; alii tantum fide viva et spiritu Dei ducuntur.

excellentissimum autem est eorum qui vitam instituunt secundum virtutem.

Vitam secundum virtutem instituere honoris causa et ad laudem assequendam ab hominibus, humanum est. Christus autem vult nos divinos, coelestes homines esse, ut nostra habitatio in coelis sit: *Thesaurizate . . . vobis . . . in coelo . . . ubi enim thesaurus . . . est, ibi*

94) Ps 150, 4. 95) Ibid. vr. 6. 96) Io 6, 64. 97) Ibid. 4, 24. 98) Rom 8, 13-14. Vulg.: *Quicunque enim spiritu Dei*, etc. 99) 1 Cor 2, 14. 100) Ps 48, 13. 21. 101) Ps 31, 9. 102) Io 8, 44. 103) Ibid. 6, 70. Vulg.: *Ex vobis unus diabolus est.* 104) Cf. Dn 4, 28-30. 105) 1 Cor 3, 3-4.

et cor . . . erit. [106] Adam tanquam homo gloriam in hoc mundo appetiit; Christus tanquam Filius Dei non in hoc mundo, sed in coelo, hinc homo *coelestis.* [107] Haec quattuor hominum genera sunt quattuor quadrigae quas in spiritu vidit Z a c h a r i a s : una trahebatur equis nigris, altera rufis, alia variis et alia tandem albis. [108] Licet enim illae quattuor mundi imperia designent, mystice tamen quattuor haec hominum genera.

Sicut Christus ieiunium commendat, sic satanas gulae indulgere suadet.

VIII. *Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes ; exterminant enim facies suas ut pareant hominibus ieiunantes.* [109] Sicut Dominus praecepit primis humani generis parentibus ieiunium et abstinentiam, [110] satanas vero antiquus serpens suasit contrarium, [111] sic nunc quoque commendat Christus ieiunium sacramque et sanctam abstinentiam, diabolus vero more suo gulae vitium, sub specie tamen boni, sub necessitatis praetextu et conservandae sanitatis ac bonae valetudinis ratione. Sicut autem tunc perniciosissimum fuit satanae consilium, mortifera persuasio veneni mortalis instar, [112] ita prorsus et nunc.

Christus abstinentiam hodie commendans medicum agit,

Caveamus, fratres, ne nobis sicut parentibus nostris contingat, ne potentior sit in nobis satanae persuasio quam divinum Christi praeceptum. Cibus ille, ac si pessimum venenum fuisset, totum corpus humanae naturae multis malis infecit, cacochymia [113] replevit. Quare agit Christus sicut prudens medicus, qui infirmum curaturus videns eum repletionis morbo laborare multa inedia extenuat, sic hodie dat praecepta ieiunii, poenitentiam, ieiunium praedicat; nisi enim inedia curetur qui multis noxiis humoribus oppletus est, procul dubio incurabilis fiet morbus et mortalis. Sic ait: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum;* [114] *Nisi poenitentiam egeritis, omnes . . . peribitis.* [115]

et etiam agricolam et aedificatorem;

Agit autem Dominus hodie non solum medicum, sed etiam agricolam et domificatorem, nam tale oportet esse divini verbi ministerium. Hinc nanque mittens Deus Ieremiam ad praedicandum

106) Lc 12, 34. 107) 1 Cor 15, 47-49. 108) Cf. 1, 8; 6, 1 sqq. 109) Mt 6, 16. Vulg.: *Ut appareant,* etc. 110) Cf. Gn 2, 16-17. 111) Cf. ibid. 3, 1-5. 112) Cf. ibid. vrr. 6 sqq. 113) De hac voce cf. Ios. Laurentius Lucensis *Amalthea Onomastica,* sub voce: *Cacochymia ; Novus Linguae et Eruditionis Thesaurus,* sub eadem voce. 114) Mt 4, 17. 115) Lc 13, 5. Vulg.: *Si poenitentiam non egeritis,* etc.

dixit ei: Dedi te universo populo *ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes.*[116] Sic Paulus seipsum nunc *agricolam* dicit et *hortulanum: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit;*[117] nunc *architectum* se appellat, unde subiungit: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis. Secundum gratiam . . . quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat quomodo superaedificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superaedificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit.*[118] Ubi Apostolus per aurum, argentum et lapides pretiosos intelligit doctrinam veram, utilem ad aedificationem et salutem animarum; per ligna vero, foenum et stipulam doctrinam vanam, ad ostentationem floribus abundantem, non fructibus; vel per illam intelligit thesauros coelestes, per haec autem terrenos, perituros, quorum post diem iudicii nihil penitus remanebit.

docet enim vitia eradicare et virtutes plantare

Sic, inquam, Christus hodie tanquam agricola evellit, eradicat e terra cordis nostri malas ac noxias vitiorum herbas, plantat autem divinas coelestesque virtutes, destruit mundi aedificia machinasque: *Nolite thesaurizare vobis . . . in terra.*[119] Construit et aedificat coeleste templum, ponens fidei et spei fundamentum: *Cum ieiunas, unge caput tuum . . . ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui videt in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*[120] *Fides enim est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.*[121]

et super eas coelo aedificare et thesaurizare.

Super hoc fundamentum vult ut aedificemus aurum, argentum, lapides pretiosos, quae ignis non potest consumere, sed perpetuae videntur esse divitiae. Sic monet ut thesaurizemus in coelo divitias aeternas perpetuo duraturas, nunquam interituras. Cupit Dominus ut simus agricultura Domini, sed sicut paradisus deliciarum,[122] sicut terra bona quae facit fructum centuplum;[123] aedificatio Domini, sed templum sanctum Dei vivi *in perpetuas aeternitates.*[124]

116) Ier 1, 10. 117) 1 Cor 3, 6. Vulg.: *Sed Deus,* etc. 118) Ibid. vrr. 9-13. 119) Mt 6, 19. 120) Ibid. vrr. 17-18. Vulg.: *Sed Patri tuo qui est in abscondito,* etc. 121) Hebr 11, 1. Vulg.: *Est autem fides sperandarum substantia rerum,* etc. 122) Cf. Gn 2, 8-14. 123) Cf. Lc 8, 8. 124) Dn 12, 3.

IX. Sed, bone Deus, quisnam est hodie qui sanctissima haec Christi monita amplectatur? qui veram sanctitatem, quam Christus docet, colat ex animo? Si nunc Ieremias viveret, quam vere dicere posset quod de hominibus sui saeculi dicebat: *Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est loquitur, nemo est qui agat poenitentiam super peccato suo dicens: Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum quasi equus impetu vadens ad proelium. Milvus in coelo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* [125] Fratres mei, *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* [126] *Dum tempus habemus operemur bonum,* [127] *ait enim: Tempore accepto exaudivi te et in die salutis adiuvi te.* [128] Scimus quod mors *prope est in ianuis:* [129] Memento, homo, *quia cinis es et in cinerem reverteris.* [130] Morti sumus obnoxii, nec tempus novimus, diem aut horam mortis. Vigilemus ne nos imparatos inveniat.

Sed valde pauci sunt qui haec Christi monita amplectuntur,

Sancta Mater Ecclesia hodie, ut nos ad ieiunium et poenitentiam excitet, mortis inculcat memoriam. Quid epuloni profuerunt in morte quotidianae epulae, splendida convivia? [131] *Vae vobis qui saturati estis, quoniam esurietis!* [132] Facile amplectitur ieiunia qui moriturum se cogitat.

ideo S. Ecclesia mortis memoriam hodie inculcat, ut nos ad poenitentiam excitet

Sicut homini post peccatum Deus, ut eum ad poenitentiam promoveret, dixit: *Pulvis es et in pulverem reverteris,* sic hodie Ecclesia, imo Christus, cuius spiritu regitur Ecclesia. Agit enim nobiscum hisce cineribus sicut hortulanus qui in horto mittit stercora ad eum impinguandum ut uberes fructus reddat, sicut fabricator qui in primis, cum aedificium aliquod constructurus est, fodit fundamentum eo profundius quo celsius maiusque facturus est aedificium. Sic Christus in primis una cum carnis afflictione mentis humilitatem requirit cupiens videre Achab humiliatum; [133] *Deus* enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* [134]

et ad humilitatem.

Fratres mei, *omnia tempus habent et suis spatiis transeunt universa sub sole;* [135] post hiemem venit ver et aestas. Sponsus ait:

Hoc ergo tempus est poenitentiae

125) 8, 6-7. Vulg.: *Nullus est qui agat,* etc. 126) 2 Cor 6, 2. 127) Gal 6, 10. 128) 2 Cor 6, 2. 129) Mt 24, 33. 130) Liturgia Ecclesiae ex Gn 3, 19. Vulg.: *Quia pulvis es et in pulverem reverteris.* 131) Cf. Lc 16, 19-30. 132) Ibid. 6, 25. Vulg.: *Quia esurietis.* 133) Cf. 3 Rg 21, 27-29. 134) Iac 4. 6. 135) Eccle 3, 1. Vulg.: *Universo sub coelo.*

et saluti animae incumbendi.

Iam . . . hiems transiit, imber abiit et recessit . . . tempus putationis advenit, [136] tempus colendi vineam patrisfamilias ad recipiendum denarium diurnum. [137] *Nox praecessit, dies autem appropinquavit; abiciamus . . . opera tenebrarum et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus.* [138] *Eratis . . . aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni iustitia et bonitate et veritate.* [139] Venit tempus veris quo universa natura renovatur: coelum, terra, prata, segetes, arbores; *ita et nos in novitate vitae ambulemus.* [140] Si cum Petro *per totam noctem laborantes* in mari mundi huius *nihil cepimus,* [141] mittamus *in dexteram navigii rete* ad imperium Christi et comprehendemus *piscium multitudinem copiosam.* [142] Si ad sinistram laboravimus in vanum, laboremus ad dexteram cum utilitate magna, thesaurizemus in coelo. Tempus veris tempus est quo medici curare corpora solent.

Vae autem eis qui patientiam Dei contemnunt!

Fratres mei, *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: Quaerite Dominum dum inveniri potest.* [143] Dedit Deus Ninivitis quadraginta dies ad poenitentiam; [144] Paulus ait quod Deus peccatorem hominem expectat ad poenitentiam; [145] ne ergo divitias bonitatis et patientiae et longanimitas Dei contemnamus, ne secundum duritiam nostram et impoenitens cor thesaurizemus nobis *iram in die irae et revelationis,* etc. [146]

Praecipue a vitiis ieiunandum est.

X. *Cum ieiunatis.* Vult Deus ut sit ieiunium nostrum sicut immolatio agni paschalis. Immolabatur agnus immaculatus et cum amaritudinibus comedebatur, cum azymis panibus absque fermento, [147] quod Paulus interpretatur malitiam et nequitiam, azyma vero sinceritatem et veritatem. [148] *Aversatur* Dominus *omnem iniquitatem.* [149]

Non praecipit Christus ieiunium, nam Iudaei frequenter ieiunabant,

Cum ieiunatis. Non praecipit ieiunandum, nam Iudaeis loquebatur qui ex praescripto Legis [150] et patrum traditionibus multa servabant ieiunia, [151] sicut apud Zachariam legimus: *Ieiunium quarti et ieiunium quinti et ieiunium septimi et ieiunium decimi erunt domui Iuda in gaudium et laetitiam et . . . solemnitates praeclaras,* [152]

136) Ct 2, 11-12. 137) Cf. Mt 20, 1-16. 138) Rom 13, 12-13. 139) Eph 5, 8. Vulg.: *In omni bonitate et iustitia,* etc. 140) Rom 6, 4. 141) Lc 5, 5. 142) Io 21, 6. 143) Is 55, 6. 144) Cf. Ion 3, 4. 145) Cf. Rom 2, 4. 146) Ibid. vr. 5. 147) Cf. Ex 12, 5-8. 148) Cf. 1 Cor 5, 8. 149) Dt 25, 16. Vulg.: *Omnem iniustitiam.* 150) Cf. Lv 23, 1 sqq. 151) Cf. Aug. Calmet *Dictionarium S. Scripturae,* sub voce: *Ieiunium.* 152) 8, 19. Vulg.: *Erit domui,* etc.

hebraice: *In solemnitates bonas,* idest hilares, sicut legimus: *Dicite iusto quoniam bonum ;* [153] *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* [154] idest laetos; *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad laetandum in laetitia gentis tuae.* [155]

sicut legimus in S. Scriptura.

Sic in libro *Esther* legimus *diem solemnem:* יום טוב, [156] *diem bonum,* diem laetitiae; quoniam multa servabant ieiunia, multam promisit laetitiam. De fidelibus suis agens Christus ait: *Auferetur ab illis sponsus et tunc ieiunabunt,* [157] idest ieiunia frequentabunt, sicut discipuli Ioannis et Pharisaeorum, qui frequenter ieiunabant, [158] unde pharisaeus ille: *Ieiuno bis in sabbato.* [159] Ex praescripto Legis Iudaei in die expiationis, quando omnia condonabantur peccata, ieiunare tenebantur. Sic enim ait: *Dies expiationum erit celeberrimus et vocabitur sanctus, affligetisque,* sive humiliabitis, *animas vestras in eo . . . Omnis anima, quae afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.* [160] Ieiunium praecipitur: *Humiliabam in ieiunio animam meam,* [161] et apud Isaiam: *Quare ieiunavimus et non aspexisti, humiliavimus animas nostras et nescisti?* [162]

sed docet ut ieiunemus in expiationem peccatorum,

Ieiunandum docuit Dominus ad percipiendam veniam peccatorum, sicut ieiunaverunt Ninivitae, [163] sicut David ieiunabat: *Genua mea infirmata sunt a ieiunio ;* [164] *Humiliabam in ieiunio animam meam ; Operui in ieiunio animam meam,* [165] hebraice: *Flevi in ieiunio animam meam;* quoniam peccaverat, flebat et ieiunabat. Ieiunandum ad divinam iram effugiendam, sicut ait Ioel: *Quia magnus dies Domini et terribilis valde, quis sustinebit eum? Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et . . . fletu et . . . planctu . . . Sanctificate ieiunium.* [166]

et ex devotione, ad divinas gratias promerendas.

Et praeter legis necessitatem ieiunandum est ex devotione, in memoriam passionis Christi, ad obtinendam gratiam aliquam a Deo, sicut ieiunavit Moyses ad legem accipiendam; ieiunandum ob meritum vitae aeternae, sicut ieiunavit Elias ut Deum videre mereretur in monte sancto; ieiunandum ut ab imminentibus malis liberemur, sicut ieiunavit Esther, Mardochaeus et omnes Iudaei; [167] ut a tribu-

153) Is 3, 10. Ex hebraico. 154) Ps 33, 13. 155) Ps 105, 5. 156) 9, 19. Ms.: *Iom thob.* 157) Mt 9, 15. Vulg.: *Ab eis*, etc. 158) Cf. Mt 9, 14; Mc 2, 18; Lc 5, 34. 159) Lc 18, 12. 160) Lv 23, 27-29. 161) Ps 34, 13. 162) 58, 3. 163) Cf. Ion 3, 5-8. 164) Ps 108, 24. 165) Ps 68 (hebr. 69), 11. 166) 2, 11-15. Vulg.: *Magnus enim dies*, etc. 167) Cf. Est 4, 8-12.

lationibus liberemur, sicut ieiunavit Daniel ferventissimas preces Deo fundens,[168] sicut ieiunavit Nehemias;[169] ieiunandum ut liberemur a tentationibus satanae: *Hoc . . . genus* daemoniorum *non eicitur nisi in oratione et ieiunio;*[170] *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.*[171] Armis ieiunii pugnandum contra carnem, contra sensum carnis nostrae,[172] sicut David contra Goliath pugnavit et, Deo opitulante, vicit.[173]

III. ALIA HOMILIA

Cum ieiunatis.[1]

Christus hodie praecipit macerationem carnis, abstinentiam a vitiis et iustitiam bonorum operum,

I. Primis parentibus nostri generis Deus Optimus Maximus unum tantum dedit praeceptum, abstinentiae ab esu arboris scientiae.[2] Nobis hodie Christus Dominus, idem ipse verus Deus humani generis conditor et reparator, praeceptum dat ieiunii; sed duplex ieiunium mandat, praecipit nanque abstinendum et ab escis corporalibus et a vitiis spiritualibus: *Nolite fieri sicut hypocritae,*[3] propter inanem gloriam et humanas laudes ne ieiunetis, et: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra . . . sed thesaurizate vobis thesauros in coelo.*[4] Tria praecipit: poenitentiam, idest afflictionem, macerationem carnis propter Deum, abstinentiam a vitiis et iustitiam bonorum operum.

nam ad tria haec reducitur universa philosophia christiana.

Tria enim haec praedicavit Christus, nam ad tria capita reducitur universa christiana philosophia: *Ostendam tibi, homo,* ait Michaeas, *quid bonum sit et quid Dominus requirat a te . . . facere iudicium et . . . misericordiam et sollicite ambulare cum Deo tuo;*[5] et Paulus: *Sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo.*[6] Regius Vates in persona Christi dicebat: *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi . . . tunc dixi : Ecce venio. In capite libri*

168) Cf. Dn 9, 3. 169) Cf. 2 Esr 8, 21-23. 170) Mt 17, 20; Mc 9, 28. 171) 1 Petr 5, 8. 172) Cf. Col 2, 18. 173) Cf. 1 Rg 17, 41-51.

1) Mt 6, 16. 2) Cf. Gn 2, 16. 3) Mt 6, 16. 4) Ibid. vrr. 19-20. Vulg.: *Thesaurizate autem vobis,* etc. 5) 6, 8 Vulg.: *Indicabo tibi, o homo... et sollicitum ambulare,* etc. 6) Tit 2, 12.

scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam . . . et legem tuam in medio cordis mei. Annunciavi iustitiam tuam in ecclesia magna . . . veritatem tuam et salutare tuum dixi. [7]

II. Personam praedicatoris induit Christus ostenditque qualem esse oporteat praedicatorem et quid praedicare: *Aures perfecisti,* sive aperuisti *mihi,* idest praecepisti mihi, sicut Isaias ait: *Dominus . . . aperuit mihi aurem, ego autem non contradico,* [8] idest ipse praecepit mihi, ego autem obedio. Paulus ait: *Quomodo . . . praedicabunt nisi mittantur?* [9] Prophetae veri nonnisi missi a Deo praedicabant; Moyses, [10] Samuel, [11] Elias, [12] Isaias, [13] Ezechiel, [14] Ieremias, [15] Ionas, [16] Ioannes Baptista, [17] Apostoli, [18] Paulus *vas electionis ;* [19] sic Christus missus a Patre ex obedientia venit ad praedicandum: [20] *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.*

Ostendit hodie. Christus qualem oporteat esse verum praedicatorem.

Praedicator mitti a Deo debet

Haec vita est praedicatoris, ne dicatur ei: *Quare tu enarras iustitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam et proiecisti sermones meos retrorsum;* [21] ne sit praedicator vocem habens Iacob et manus Esau. [22]

Sed quid tandem praedicare debet? *Annunciavi iustitiam tuam* et *veritatem,* idest fidem *tuam et salutem tuam,* idest modum quo homines salvas viam salutis *dixi.* Tria dicit se praedicasse: iustitiam, veritatem et salutem. Alibi etiam ait: *Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam,* [23] ubi hebraice est: *Inequitat currum super verbum veritatis,* sive fidei, *et mansuetudinis,* sive afflictionis, *et iustitiae,* ubi Evangelium Dei currum dicit.

ad praedicandam iustitiam, veritatem et salutem aeternam.

Nam et Ezechiel Deum vidit coelesti curru [24] et quadriga vectum, qui quidem currus igneus erat, rotae mirabiles animatae. Quis vidit unquam animatas rotas? Animalia vero currum trahentia ignea erant, habebantque quattuor facies singulas et quattuor alas manusque

Hoc mystice significat coelestis currus Ezechielis,

7) Ps 39 (hebr. 40), 7-11. 8) 50, 5. 9) Rom 10, 15. 10) Cf. Ex 3, 1 sqq.; Eccli 45, 1-6. 11) Cf. 1 Rg 3, 1 sqq.; Eccli 46, 16 sqq. 12) Cf. 3 Rg 17, 1-5; 18, 1 sqq.; Eccli 48, 1-13. 13) Cf. Is 6, 1 sqq. 14) Cf. Ez 1, 1-3. 15) Cf. Ier 1, 1 sqq. 16) Cf. Ion 1, 1-3; 3, 1-2. 17) Cf. Mt 3, 1-3; Mc 1, 1-3; Lc 3, 1-6. 18) Cf. Mt 28, 18 sqq.; Mc 16, 15 sqq. 19) Act 9, 15. 20) Cf. Mc 1, 38; Lc 4, 43. 21) Ps 49, 16-17. 22) Cf. Gn 27, 22. 23) Ps 44 (hebr. 45), 5. 24) In margine haec adiecta fuerunt: « Non curru coelesti ex septem stellis septentrionalibus, non curru argenteo lunae, nec aureo solis, sed multo mirabiliori. Legimus etiam in Scripturis Sacris igneos Angelorum currus in defensionem Elisei, 4 Rg 6, et igneum Eliae currum ».

humanas et pedes vitulinos totaque ex omni parte plena erant oculis ipsa et rotae, ut capite 10 ait,[25] imo totum opus, sicut 1 capite legimus.[26]

qui figurat divinam legem, quae vere coelestis currus est, quia de coelo venit;

Hebraeorum doctores dicunt divinum illum currum significare legem utique igneam,[27] nam Moyses ait: *In dextera eius ignea lex,*[28] hoc nanque igneo curru Elias in coelum raptus fuit.[29] Nec immerito divina lex currus Dei dicitur, nam quis nescit quod vox et verbum sensibile veluti currus et vehiculum est deferens mentis conceptum in aures et mentes audientium? Lex autem Dei ipsum Deum vehit atque ad mentes nostras adducit. Arca testamenti, quae ad hoc facta fuit ut in ea tabulae divinae legis conderentur et perpetuo servarentur[30] tanquam thesaurus, erat veluti currus triumphalis Dei. Verbum igitur Dei, lex divina, currus coelestis est, quoniam de coelo data fuit; currus igneus lex ignea, quia tota caritas est.

plenus oculis, quia divina lex clare manifestat divinas veritates,

Dicitur autem *verbum veritatis*, sive fidei; hoc est quod currus plenus oculis erat, rotae plenae oculis, animalia plena oculis sicut coelum astris. Quod oculis videmus verissimum existimamus; sic vera sunt quaecunque in Sacris Litteris scripta sunt de Deo, de mundi creatione et providentia, de paradiso, de iudicio, de mysteriis denique nostrae fidei, ac si mille et mille oculis visa essent.

docet soli Deo in humiliate et mortificatione servire

Sed non tantum *verbum veritatis*, quia non sufficit sola fides ad salutem, verbum etiam *mansuetudinis*, humilitatis erat currus Dei. Solum Deum vidit Ezechiel supra currum illum: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*[31] Non igitur carni, non mundo, non satanae, non vitiis et peccatis, soli Deo servies: *Soli Deo honor et gloria;*[32] *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*[33]

et prompto animo mandata eius servare.

Tandem verbum *iustitiae*, utique legalis, verbum sanctitatis. Currus illius auriga erat Spiritus Sanctus, nam ait quod *ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent,* discurrebant ad nutum spiritus *in similitudinem fulguris coruscantis.*[34] Haec est iustitia quam a nobis requirit Deus: promptissima obedientia ad exequenda divina mandata. Non currebant animalia illa, sed volabant, et ita volabat bos sicut aquila per motionem Spiritus

25) Cf. vrr. 8-16. 26) Cf. vrr. 4-18. 27) Cf. Corn. a Lapide *Prolegomena in Ezechielem Proph.*, pag. 931. 28) Dt 33, 2. 29) Cf. 4 Rg 2, 11. 30) Cf. Ex 25, 10-16. 31) Dt 6, 13; Mt 4, 70; Lc 4, 8. 32) 1 Tim 1, 17. 33) Ps 113, 1. 34) Ez 1, 12. 14.

Sancti. Habebat currus rotas vivas, quae sunt virtutes animi, quibus facillime dispositus est ad operandum bene, sicut currus rotis ad currendum.

Haec a nobis requiruntur: veritas fidei, iustitia bonorum operum, humilitas spiritus et carnis mortificatio.

Sic Evangelium *verbum* est *veritatis, mansuetudinis et iustitiae.* Haec tria a nobis requirit: veritatem fidei, dum vult ut credamus in Deum quem non videmus, et ab eo speremus mercedem: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi,* [35] ut credamus coelestes thesauros gloriae paradisi, ut agnoscamus nos filios Dei; requirit iustitiam bonorum operum: *Thesaurizate . . . vobis thesauros in coelo;* [36] *Bonis operibus divites fieri,* inquit Paulus; [37] et etiam mansuetudinem, quae consistit in humilitate mentis et afflictione carnis: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* [38]

Dat etiam Christus regulam ieiunandi,

III. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae.* Dat regulam ieiunandi, quoniam non omne ieiunium gratum Deo est. Gratum fuit ieiunium Ninivitarum, [39] non autem Pharisaeorum hypocritarum. Requirit ergo ieiunium sed sanctum, poenitentiam sed Deo gratam, non enim grata fuit poenitentia Saulis ficta, [40] sed Davidis vera. [41] Ieiunium requirit a nobis tanquam sacrificium et holocaustum: *Obsecro . . . vos. . . ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* [42] Requirit ieiunium, quoniam summopere displicet Deo carnalis concupiscentia, sicut in *Numeris* legimus, nam ob carnium desiderium multi perierunt in deserto, [43] et Paulus ait: *Si . . . secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* [44]

praecipiens ieiunium corporale simul et spirituale;

Hoc est quod Abrahae mandavit Deus circumcisionem carnis. [45] Ieiunium requirit corporale et spirituale simul, sicut homo anima et corpore constat; sed prius de corporali loquitur, nam prius est quod animale. [46] Prius opus quod de Moyse legimus est quod occidit aegyptium, sed sepelivit sub sabulo; [47] primum quod ab Hebraeis requisivit Deus in Aegypto fuit ut sacrificarent Deo, sed extra Aegyptum, in deserto, in tabernaculo Domini [48] et templo. [49] In ipso

35) Mt 6, 18. 36) Ibid. vr. 20. 37) 1 Tim 6, 18. Vulg.: *Divites fieri in bonis operibus.* 38) Mt 11, 29. 39) Cf. Ion 3, 5 sqq. 40) Cf. 1 Rg 15, 24 sqq. 41) Cf. 2 Rg 12, 13. 42) Rom 12, 1. 43) Cf. 11, 1 sqq. 44) Rom 8, 13. 45) Cf. Gn 17, 10-13. 46) Cf. 1 Cor 15, 46. 47) Cf. Ex 2, 12. 48) Cf. ibid. 3, 18. 49) Cf. Dt 12, 5-14; 16, 2-7; 2 Par 7, 12.

atrio erat altare sacrificiorum, sed iuxta luteres et mare aeneum ad lavandas carnes sacrificiorum, quibus etiam sacerdotes lavarentur. [50] Primum opus Iosue in terra promissionis fuit circumcisio populi; [51] primum opus Gedeonis destructio altaris Baal et sacrificium Deo, sed nocte in abscondito; [52] primum opus Samsonis occisio leonis in silva, sed in abscondito, ideo postea in ore ipsius favum mellis invenit; [53] primum opus Davidis occisio Goliath gigantis, [54] qui sensum carnis designat.

vita enim spiritualis incipit a carnis mortificatione.

A carnis mortificatione vult Deus ut spiritualem vitam incipiamus, nam *caro . . . concupiscit adversus spiritum;* [55] Dalila est quae blanditiis prodit Samsonem, [56] Iezabel quae Eliam persequitur; [57] Herodias, quae Ioannis Baptistae mortem machinatur. [58] Ieiunium praedicat: *Labia eius* labia *stillantia myrrham primam,* [59] nam Christus operibus et doctrina ieiunium praedicavit: egressus a deserto sicut et Ioannes praedicare coepit: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [60] Saepe in *Canticis* fit mentio myrrhae: *Fasciculus myrrhae dilectus meus . . . inter ubera mea commorabitur,* [61] quoniam Christi vita tota poenitentia fuit. [62]

Tunc summopere ieiunium Deo placet quando cum oratione et eleemosyna coniunctum est.

IV. *Quae est ista quae ascendit per desertum quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris?* [63] Merita ieiunii sancti cum oratione coniuncti: *Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris.* [64] Sic dicitur de Ecclesia: *Digiti mei pleni myrrha probatissima,* et *manus meae distillaverunt myrrham;* [65] *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis,* [66] quoniam myrrha amara quidem, sed odoratissima et quae a corruptione praeservat, mortificationem carnis significat. Sed myrrham cum aromatibus requirit; Magi enim non solam myrrham obtulerunt, sed cum in-

50) Cf. 3 Rg 7, 23-26. 51) Cf. Ios 5, 2-8. 52) Cf. Idc 6, 25-28. 53) Cf. ibid. 14, 5-9. 54) Cf. 1 Rg 17, 41-51. 55) Gal 5, 17. 56) Cf. Idc 14, 15-18. 57) Cf. 3 Rg 19, 1-2. 58) Cf. Mt 14, 3-6; Mc 6, 17-22. 59) Ct 5, 13. Vulg.: *Distillantia*, etc. 60) Mt 3, 2; 4, 17. 61) 1, 12. 62) In margine haec adiecta fuerunt: « Regius Vates ait quod Christi vestimenta spirabant odorem myrrhae: *Myrrha et gutta*, hebraice *aloe, et casia, a vestimentis tuis a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt, laetificaverunt te filiae regum in honore tuo.* Significat quod vita Christi spirabat odorem poenitentiae, quae carni amara est, sicut myrrha et aloes, unde adagium:

« Plus aloes quam mellis habet ».

63) Ct 3, 6. Vulg.: *Sicut virgula*, etc. 64) Ibid. 4, 6. 65) Ibid. 5, 5. Vulg.: *Stillaverunt myrrham.* Ordine inverso affert has pericopas. 66) Ibid. vr .1.

censo et auro.[67] Tunc summopere placet Deo ieiunium quando cum oratione et eleemosyna coniunctum est, nam quod sunt avibus alae, homini brachia, triremibus remi, faciei oculi, hoc sunt ieiunio eleemosyna et oratio; quod coelo est sol et luna, mundo lux solis et lunae, corpori anima et spiritus, lucernae oleum et elychnium, hoc ieiunio oratio et eleemosyna. Sic ieiunium est myrrha prima et myrrha optima et probatissima: *Labia eius* labia *stillantia myrrham primam.* Sic erit ieiunium sanctum, *sacrificium Deo in odorem suavitatis.*[68]

Non praecipit Christus ieiunium hodie, quoniam antiquum ieiunium est, a sanctis patribus ab initio servatum ex divinae legis praescripto, sed dat ieiunii normam ut gratum sit Deo, ut dignum sit aeterna mercede. Ieiunium sacrificium Deo est, sed non poterat fieri sacrificium nisi de animalibus mundis,[69] nec nisi a sacerdotibus et in loco a Deo destinato secundum legem;[70] sacrificia immunda displicebant Deo. Ieiunia hypocritarum sunt sacrificia sacerdotum Baal.[71] Non placebant Deo sacrificia quae offerebantur in excelsis,[72] quoniam *Deus humilia respicit.*[73]

Non praecipit Christus ieiunium, sed dat normam ut Deo gratum sit,

Altare sacrificiorum voluit Deus esse ex lapidibus impolitis, ferro minime tactis,[74] quod mysterium est; nam non poliuntur lapides nisi ad pompam, ut splendidum et spectabile sit aedificium. Sic a nobis Dominus in ieiunio requirit bonam, rectam, sanctam intentionem, ut non simus sicut hypocritae quos Dominus dixit *sepulcra dealbata;*[75] requirit interiorem sanctitatem una cum exteriore. Iussit arcam Noe interius et exterius bituminari,[76] arcam testamenti interius et exterius deaurari.[77] Sancta illa animalia apud Ezechielem habebant capita et alas extentas, desuper coelum aspiciebant, manus vero sub alis habebant apertas.[78] Opera bona tanquam thesauri sunt in secreto ac tuto loco servandi, nam daemones fures sunt avidissimi et furandi peritissimi. Mulier illa, cui miraculo Eliseus oleum multiplicavit, ut vasa multa oleo impleret clausit ostium super se et super filios suos.[79] Arca Domini, in qua erant

idest recte faciendum est et sancta intentione soli Deo placendi.

67) Cf. Mt 2, 11. 68) Eph 5, 2. Vulg.: *Hostiam Deo,* etc. 69) Cf. Lv 11, 1 sqq.; 22, 18 sqq. 70) Cf. Ex 29, 1 sqq. 71) Cf. 3 Rg 16, 32; 22, 54; Ier 32, 29 sqq. 72) Cf. 3 Rg 13, 32 sqq.; 14, 22-24. 73) Ps 137, 6. 74) Cf. Ex 20, 25. 75) Cf. Mt 23, 27. 76) Cf. Gn 6, 14. 77) Cf. Ex 25, 11. 78) Cf. 1, 5-11. 79) Cf. 4 Rg 4, 2-7.

tabulae legis, intra sacratissimum et secretissimum locum seponi voluit Deus. [80]

Tale ieiunium vere est thesaurus in coelo reconditus.

V. Ieiunium recte factum *thesaurum* hodie Christus appellavit, dum iussit ut non thesaurizaremus in terra sed in coelo, non ad mundi gloriam sed ad gloriam Dei benefaciendum docens; ubi ostendit quale sit pretium et meritum ieiunii apud Deum: *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* [81] mercedem, thesaurum magnum in coelo, nam thesauri in terra asservati a furibus diripiuntur et aerugine consumuntur, nam et manna computrescebat, excepta illa quae pro die sabbati asservabatur et illa quae in sanctuario Domini fuit reposita. [82]

In principio vitae spiritualis amovendae sunt a mente omnes carnales cogitationes,

Numeris 6 praecipitur ut nazaraei in die qua incipiebant se Domino consecrari, post aliquam pollutionem raderent omnes pilos carnis suae et loti aqua lustrationis sacrificium Deo offerrent; [83] deinde omnibus diebus nazaraeatus nunquam crines attonderent aut raderent. Idem praecipitur capite 8, ut levitae ac sacerdotes die qua Domino consecrabantur et dedicabantur, raderent omnes pilos carnis suae et aqua lustrationis aspergerentur, postea vero crines nunquam amplius attonderent. [84]

nam in sanctis cogitationibus et affectibus consistit vera sanctitas

Quidnam caeremoniae istae designabant nisi quod in principio sacri temporis et sanctae vitae a capite mentis nostrae amovendae sunt omnes carnales et mundanae cogitationes et omnes mentis purificatae cogitationes Deo sunt consecrandae? Nam in sanctis cogitationibus et affectibus consistit vera sanctitas, imo et fortitudo spiritus, sicut fortitudo Samsonis in capillis consistebat. [85]

per nazaraeatum figurata.

Nazaraei iubebantur abstinere a vino et omnibus quae ex vite oriuntur, radere capita, lavare corpora et vestes et in loco sancto consistere. [86] Haec a nobis Dominus hodie requirit, unde ait: *Cum ieiunas :* ecce abstinentia, *lava faciem tuam*, ut sis mundus coram Domino; *unge caput tuum* oleo et unctione Sancti Spiritus, reple mentem sanctis cogitationibus et coelestibus desideriis, nam coeleste desiderium oleum esse necesse est, quod omnibus liquoribus supernatat.

80) Cf. Ex 25, 10-22. 81) Mt 6, 18. 82) Cf. Ex 16, 19-24. 33-34. 83) Cf. vrr. 9-20. 84) Cf. vrr. 7-15. 85) Cf. Idc 16, 17-30. 86) Cf. Nm 6, 2-8.

FERIA QUINTA POST CINERES

Cum introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum centurio rogans eum et dicens: Domine, puer meus, etc. [1]

Nobilitas centurionis contemplanda et admiranda nobis hodie proponitur.

I. Proponitur nobis in hodierno Evangelio nobilis homo, dignitate conspicuus, potestate magnus, virtute mirabilis, quem Christus tanquam divinum quoddam miraculum contemplatus admiratusque est: *Audiens . . . Iesus miratus est,* [2] sicut Regius Vates hominem a Deo conditum et in paradiso constitutum mundique principem suffectum, non poterat non mirari dicens: *Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.* [3]

Magna est dignitas naturae humanae in mundo.

Tria in eo *Psalmo* Regius Vates contemplatur: Deum, mundum et hominem: Deum mundum ter maximum: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super coelos;* [4] mundum hunc magnum, magnam Dei imaginem ac veluti Dei mappam: *Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti;* [5] ac tertio hominem parvum mundum, [6] parvam Dei imaginem, et de hoc ait quod Deo paulo minor est. O utinam, fratres, agnosceremus

1) Pericope huius diei Mt 8, 5-13. Cf. Missale Rom. 2) Mt 8, 10. 3) Ps 8, 5-8. 4) Ibid. vr. 2. 5) Ibid. vr. 4. 6) Philo Iudaeus: « Hoc est quod quidam ausi sunt universo mundo aequare hominem, cum viderent utrunque constare ex corpore et rationali anima, ut permutatis nominibus hominem quidem mundum parvum, mundum vero magnum hominem dicerent ». *Quis rerum divinarum heres,* t. 1, pag. 433; Macrobius: « Physici mundum magnum hominem et hominem brevem mundum esse dixerunt ». *Comment. in Somnium Scipionis,* lib. 2, cp. 12, pag. 145.

naturae nostrae dignitatem, nostri generis divinam nobilitatem! Nam, ut ille ait: *Dei... genus sumus,*[7] a Deo habemus originem, Dei filii sumus.

sed maior erit in coelo.

In hodierno Evangelio duplex proponitur status dignitatis humanae: in terra et in coelo, in mundo et in paradiso. In coelo quidem, nam ait: *Multi venient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraham... Isaac et Iacob in regno coelorum.*[8] Rex David volens ostendere signum aliquod veri amoris quo dilexerat Ionatham, vocavit Miphiboseth filium illius et multis divitiis cumulatum, voluit esse perpetuum commensalem suum: *Miphiboseth,* inquit, *comedet super mensam meam quasi unus de filiis regis.*[9] Signum maioris caritatis ostendere non potuit quam illum filiis suis aequalem facere in domo et mensa sua. Sic Deus: *Recumbent... in regno coelorum;* sedebitis *super mensam meam in regno meo.*[10]

Centurio vere nobilis ostenditur nobilitate naturae et virtutis.

II. In hoc autem mundo proponitur centurio vir nobilis, multiplici nobilitate insignis, praeter quam quod ei et sui similibus proponitur a Christo hodie coelestis divinaque in paradiso nobilitas sempiterna; proponitur nobilis nobilitate naturali, nobilitate generis, nobilitate personae et officii, ac tandem mirabili nobilitate virtutis: *Audiens... Iesus miratus est et sequentibus se dixit... Non inveni tantam fidem in Israel.*[11] Naturali nobilitate, nam ait: *Ego homo sum;* nobilitate generis, quia civis romanus erat, romana nobilitate insignitus; nobilitate personae et officii, quia erat centurio, imperatoris vices gerebat, imperatorem repraesentabat: *Homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.*[12]

Multiplex est nobilitas in mundo.

Nam praeter naturalem et generis nobilitatem, est adhuc acquisita nobilitas, vel gratia et favore principum, vel ob facinora virtutis heroicae, vel ob summam doctrinam et disciplinam, alicuius nobilisque artis excellentiam summamque peritiam, quae virtutis dicitur nobilitas. Licet autem in mundo plures sint nobilitatis gradus in utraque republica civili et ecclesiastica, tamen apud Deum duplex tantum videtur esse nobilitas: naturae et virtutis supernaturalis, quod quidem

7) Act 17, 28. Vulg.: *Ipsius... genus sumus.* 8) Mt 8, 11. Vulg.: *Multi ab oriente et occidente venient,* etc. 9) 2 Rg 9, 11. 10) Lc 22, 30. 11) Mt 8, 10. 12) Ibid. vr. 9.

M o y s e s duobus verbis expressit dicens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,*[13] sed ita tamen ut naturae nobilitas a virtutis nobilitate dependeat, quod tum M o y s e s ostendit cum hominem adducit pulsum a paradiso propter amissam virtutis nobilitatem,[14] tum hodie Christus dum ait: *Filii autem regni eicientur in tenebras exteriores*[15] tanquam vilissimum lutum et stercus. Sed enim virtutis nobilitatem sequitur nobilitas gloriae: *Recumbent cum Abraham ... Isaac et Iacob in regno coelorum,* ubi declarat Dominus quod nonnisi nobiles consecuturi sunt coelestem gloriam nobili centurioni similes.

sed apud Deum duplex tantum: naturae et virtutis.

III. Age, videamus quaenam sit hominis tum ex natura tum ex virtute nobilitas: *Ego homo sum; Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.*[16] Absoluto iam maioris mundi aedificio, conditus fuit homo, ut quemadmodum constructo divino sanctuario inunctus fuit Aaron sacerdos Dei Altissimi,[17] ita homo, nam mundus hic Dei templum domusque est; et sicut constructo magnificentissimo templo ad Salvatoris honorem, tandem ponitur super altare maius imago Salvatoris, optima arte ab artifice peritissimo et excellentissimo facta, una cum tabernaculo Sanctissimi Sacramenti, sic utique tunc egit Deus.

Nobilitas naturae humanae ostenditur ab origine.

Nam homo conditus fuit ut esset veluti tabernaculum divinitatis: *Habitare Deum per fidem in cordibus vestris.*[18] Egit Deus sicut rex maximus, constructa ad aeternam nominis sui celebritatem magnificentissima civitate, sicut Alexandria ab Alexandro,[19] Roma a Romulo,[20] absoluta civitate, suam imaginem omnibus spectandam in platea civitatis constituat. Ait autem: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Potest enim esse statua imago regis, sed non valde similis, quae regem non admodum refert. Deus autem imaginem sui simillimam, qualem speculum optimum reddit, efficere

Homo conditus fuit ut esset veluti tabernaculum divinitatis.

13) Gn 1, 26. 14) Cf. ibid. 3, 6 sqq. . 15) Mt 8, 12. 16) Gn 1, 27.
17) Cf. Ex 29, 1-44; 40, 12-13. 18) Eph 3, 17. Vulg.: *Christum habitare per fidem*, etc.
19) Cf. Curtius Rufus *Historiae*, lib. 4, n. 8, pag. 78-79; Plinius *Hist. Nat.*, lib. 5, cp. 10, pag. 44; Plutarchus *Illustrium Vitae*, f. 236ᵇ. 20) Cf. Sallustius *Porcius Latro contra Catilinam*, f. 116; Dionysius Halicarnassus *Antiquitatum Rom.*, lib. 1, n. 9-11, pag. 89-117; Plutarchus *Illustrium Vitae*, f. 6-7.

voluit, ideo haec duo coniunxit: *imaginem et similitudinem: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

Multa philosophari possumus de hominis nobilitate tum quoad corpus et animam,

Licet autem multa possemus super haec verba de humanae naturae nobilitate philosophari, de nobilitate tum corporis, tum animae, tum compositi, nam in tres has partes distinxit M o y s e s naturae humanae primaevam conditionem dicens: *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem* [21] – Deus nanque corpus nobilitavit mirabili artificio et immortalitate etiam donavit animam divina mente ac virtute mirabili quam e divino suo pectore eduxit, non ex sinu materiei alicuius, terrenae vel coelestis, quam spiritu sibi similem produxit, quam *spiritum vitarum* [22] appellavit, nam principium est vitae simul animalis et angelicae divinaeque; totum etiam hominem nobilitavit dominio universi: *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae,* [23] in paradiso etiam perpetua felicitate donavit; – philosophari etiam naturae humanae excellentiam, quia nonnisi homini tribuit divinam similitudinem, non coelo, non astris, non soli, et quia unus tantum homo creatus proponitur, sicut unicus in coelo sol, tanquam unicus rex in regno, unus Deus in mundo; philosophari quod homo est instar mirabilis illius statuae Nabuchodonosor, quae ex metallorum genere constabat: ferro, aere, argento et auro, [24] nam homo vere μικρόκοσμος [25] est, omnium rerum naturas atque substantias, totius universi plenitudinem revera in seipso complectitur, [26] sicut Deus in seipso omnium rerum perfectiones gradusque perfectionis; quod est sicut arbor illa eximia regi Chaldaeorum in somnis visa, quae amplitudine sua totum occupat mundum et altitudine coelum, sidera contingebat, quae imperii amplitudinem et universalem monarchiam designabat; [27] homo autem gloria et honore coronatus fuit et totius universi princeps constitutus; multaque alia philosophari possemus, nam conditus ultimo loco est tanquam finis universae creationis: sed tantum dicam hanc phrasim esse Divinae Scripturae et filium designare. Nam legimus

tum quoad compositum;

sed potissima nobilitas eius est esse filium Dei.

21) Gn 2, 7. 22) Ibid. hebraice: נִשְׁמַת חַיִּים. 23) Ibid. 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus*, etc. 24) Cf. Dn 2, 31-35. 25) Ms.: *Microcosmos.* 26) S. Basilius: « Plane homo minor mundus ac ornatus est, rectaque ducti coniectura sunt qui hoc ipsum nomine honestarunt », *De Hominis Structura*, orat. 2, (P. G. 30, 58); Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 2, cp. 18, col. 83. 27) Cf. Dn 4, 7-19.

quod genuit Adam, cum centum triginta annorum esset, *ad imaginem et similitudinem suam;* [28] quare idem est: *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam*, ac hominem procreavit tanquam unicum filium suum. Quid altius? quid sublimius? quid nobilius et illustrius excogitari potest quam filium esse Dei?

Homo est totius Trinitatis opus mirabile,

IV. Hinc singulari modo conditus fuit non per verbum *fiat*, sicut lux, firmamentum, astra, [29] nec per verbum *germinet* aut *producat*, sicut de plantis et animalibus legimus, [30] sed Deus ipse per seipsum, propriis manibus et cum consilio congregato totius Trinitatis consistorio hominem formavit: *Faciamus hominem*, totius Trinitatis opus mirabile, singulare simulacrum ac veluti hieroglyphicum, in quo mirandum in modum divina tum potentia tum sapientia tum bonitas eluceret. Cum consultatione Divinarum Personarum creatus dicitur.

in ipsius enim creatione elucent potentia Patris, sapientia Filii, bonitas Spiritus Sancti;

Nam noverat Deus hominem satanae opera peccaturum, sed tamen conclusum fuit ut crearetur et in ipsius creatione Patris tum potentia tum sapientia et bonitas demonstraretur. Quod si peccaret, Filius eum divina virtute sua repararet. Hinc tam promptus est hodie Christus ad amandum puerum centurionis: *Puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur ... Ego*, inquit, *veniam et curabo eum.* [31] Spiritus autem Sanctus tunc se obtulit ad eum virtute sua sanctificandum.

donatus etiam fuit spiritu prophetico et divina sanctitate.

Sic conditus fuit homo perfectissimum opus manuum Dei, fortior Samsone, [32] sapientior Salomone, [33] pulcrior Absalomo, [34] sanctior Abrahamo ceterisque Patriarchis et Prophetis, nam prophetico etiam spiritu illustratus fuit: *Hoc nunc os de ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quia de viro sumpta est ... Relinquet homo patrem suum et matrem* suam *et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.* [35] In quibus verbis elucet triplex vaticinii genus: de praeteritis, de praesentibus et de futuris; nam spiritu novit sumptam de se uxorem, sibi similem novit, et de futuro matrimonio etiam inter Christum et Ecclesiam vaticinatus fuit; [36] divina etiam praeditus sanctitate

28) Gn 5, 3. 29) Cf. ibid. 1, 4. 6. 14. 30) Cf. ibid. vrr. 11. 20. 31) Mt 8, 6-7. 32) Cf. Idc 14. 5 sqq. 33) Cf. 3 Rg 3, 12; 2 Par 1, 12. 34) Cf. 2 Rg 14, 25. 35) Gn 2, 23-24. 36) Cf. Eph 5, 30-32.

mentisque puritate fuit, hinc nudus cum esset una cum uxore, non erubescebat.[37] Sic conditus fuit natura et virtute nobilissimus, tanquam unicus et carissimus filius omnipotentis Dei, summi regis.

Hanc autem summam nobilitatem per peccatum amissam, Christi gratia recuperavit.

V. Haec summa est et divina generis humani nobilitas, quam per peccatum amisimus et ad quam per Christi gratiam reparati sumus, ait enim: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui . . . ex Deo nati sunt.*[38] Hinc sacramentum Baptismi dicitur *lavacrum regenerationis,*[39] quia in eo renascimur, regeneramur filii Dei, dicente Deo in Baptismo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[40] O admirabilem ac divinam virtutis alchymiam, quae lutum vilissimum in aurum optimum gemmasque convertit, quae hominem terrenum in coelestem transfert! *Multi . . . venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno coelorum.* Muta animalia mirabili metamorphosi in Angelos transmutat, sicut, contra, vitium hominem in brutum convertit, ut forte in hoc sensu non male Pythagoras sensit,[41] sicut Regius Vates ait: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis,*[42] sicut Nabuchodonosor accidit.[43]

Vitium hominem rursus in brutum convertit,

Adeo perniciosum est vitium, ut ex Angelis daemones efficiat: *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes ; vos autem sicut homines et sicut unus de principibus cadetis,*[44] sicut hodie Christus ait: *Filii autem regni,* filii Dei, *eicientur in tenebras exteriores.*[45] Filios regni Iudaeos dicit, quos Deus ad tantam nobilitatem evexerat ut filios suos carissimos diceret: *Filius meus primogenitus Israel;*[46] e contra virtus e daemonibus satanae filiis efficit Angelos filios Dei: *Multi venient ab oriente et occidente.* De Gentilibus loquitur idolorum cultoribus ad Christi fidem convertendis: *Et recumbent cum Abraham . . . in regno coelorum,* habitabunt in domo Dei, sedebunt super mensam Dei cum ipso Deo tanquam filii carissimi.

Virtus convertit tenebras in lucem, sicut ait Apostolus Gentilibus ad fidem conversis: *Eratis . . . aliquando tenebrae, nunc*

37) Cf. Gn 2, 25. 38) Io 1, 12-13. 39) Tit 3, 5. 40) Mt 17, 5. 41) Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 8, cp. 5. col. 405. 42) Ps 48, 13. 21. 43) Cf. Dn 4, 30. 44) Ps 81, 6-7. 45) Mt 8, 12. 46) Ex 4, 22.

autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate.[47] Hinc non immerito Christus hodie virtutem miratur: *Audiens ... Iesus miratus est*; nam si magnum miraculum visum est sapientibus natura humana,[48] unde Trismegistus: «Magnum, o Asclepi, miraculum est homo»,[49] multo maius miraculum est virtus divina, quae hominem quodammodo deificat, in Deum transmutat atque convertit.

virtus vero hominem deificat.

Magnum miraculum in homine natura, horizon coeli et terrae, nexus aeternitatis et temporis, vinculum carnis et spiritus; mirabilis centaurus[50] ex terreno animali et coelesti Angelo, sensu animali et angelica mente constans; mirabile paradoxum et aenigma insolubile instar gordiani nodi,[51] summa et compendium totius universi. Sicut in libris rationum fit a mercatoribus, multi enim numeri tota pagina exarati in fine paginae brevi summa collecti describuntur, sic Deus egit hominem post coeli terraeque creationem formans et principem mundi constituens, sicut ultimum filium Isai, qui ens interpretatur, regem Israelis creavit.[52] Sed multo maius multoque augustius miraculum virtus in homine, sine qua tanquam lutum vilissimum ac stercus in locum immundissimum proicitur: *Filii ... regni eicientur in tenebras exteriores*, in barathrum infernale.

Magnum miraculum homo natura est, sed multo maius virtute.

Hinc non miratur hodie Christus in centurione naturam, sed virtutem, quae animam mentemque hominis spectaculum efficit supramodum mirabile, sicut mulier illa coelestis sole amicta, supra lunam posita, stellis coronata in *Apocalypsi*, quae *signum magnum*, idest miraculum, dicta a Ioanne fuit.[53] Talis est enim anima sancta, sicut in *Canticis* legimus: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?*[54] Haec animam christiani hominis Dei filiam efficit, Christi dilectissimam sponsam, novam Spiritus Sancti creaturam. O beatum virum tali nobilitate donatum! Nam beatum Christus hodie centurionem praedicat omnesque ei similes: *Multi ... venient et recumbent cum Abraham ... in regno coelorum.*

quam solam Christus ipse in centurione miratur.

Regius Vates etiam nobilem virum praedicat beatum

47) Eph 4, 8. 48) Cf. Plato *De Legibus*, dial. 1, pag. 429, *Comment.* Marsilii Ficini. 49) *Asclepius*, cp. 3, pag. 482. 50) Alludit ad fabulam Centaurorum, de qua cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 6, cp. 16, pag. 527; lib. 7, cp. 4, pag. 608-611. 51) Proverbium, de quo cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 549. 52) Cf. 1 Rg 16, 11-12. 53) 12, 1. 54) 6, 9.

Talem hominem etiam Sancti Vates beatum praedicant.

dicens: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,* [55] hebraice: אַשְׁרֵי הָאִישׁ, [56] *beatus ille nobilis,* nam apud Hebraeos vir nobilis appellatur אִישׁ, [57] ignobilis autem אָדָם; sed nonnisi virtutis praedicat laudatque nobilitatem: Qui nullis, inquit, vitiorum maculis aut notis est contaminatus, *sed in lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte;* hic, inquit, semper felix ac beatus *erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; et folium eius non defluet et omnia quaecunque faciet prosperabuntur.* [58] Sic etiam Ieremias praedicat: *Benedictus vir qui confidit in Domino et erit Dominus fiducia eius ... Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ... non timebit cum venerit aestus ... nec aliquando desinet facere fructum.* [59]

sola enim virtus hominem ad coelum exaltat.

Virtus est, fratres, quae hominem ad sidera, imo super astra extollit atque exaltat. Per hanc coelestem scalam Abraham, Isaac et Iacob ascenderunt in coelum facti Patriarchae sanctorum, principes paradisi. Sed *non sic impii,* inquit, prosperabuntur, *sed* erunt *tamquam pulvis quem proicit ventus,* sunt sicut vilissima gluma, minutissima ac levissima palea, quae dum granum in area ventilatur, a vento raptatur atque dispergitur: *Ideo non resurgent impii, improbi non consistent in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum,* [60] non statuentur a Christo in die iudicii a dextris, neque vocabuntur ad gloriam: *Venite, benedicti Patris mei,* [61] sed cum satana mittentur in ignem aeternum. [62]

Iusti in Divinis Litteris *dii* appellantur, quia fratres sunt Christi.

VI. Sic virtus hominem quodammodo deificat, unde in Sacris Litteris iusti appellati sunt *dii: Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes.* Hanc ab causam ait Regius Vates quod homo paulo minoratus a Deo est. Et quidem Christus homo procul dubio paulo minor Deo est, cum in eo omnis plenitudo divinitatis inhabitet. [63] Sed enim de quolibet etiam viro iusto intelligitur, quoniam iustus quilibet filius Dei est et frater Christi, heres Dei et coheres Christi. [64]

55) Ps 1, 1. 56) Ms.: *Hascre haisc.* 57) Ms.: *Isc,* et immediate postea: *Adam* 58) Ps 1, 2-3. 59) 17, 7-8. 60) Ps 1, 4-5. 61) Mt 25, 34. 62) Cf. ibid. vr. 41. 63) Cf. Col 2, 9. 64) Cf. Rom 8, 17.

Filius principis adoptivus an non paulo minor est honore et dignitate filio legitimo et naturali? Proximum nanque ei obtinet locum. Hoc forte est quod ait: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Christus homo imago totius Trinitatis est, exemplar humanae naturae etiam in praedestinatione, sicut Paulus ait: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus ; qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.* [65] Hominem ergo creavit ad imaginem Christi, similem Christo, [66] ut similis esset Christo homini natura, gratia et gloria. Christus Filius est primogenitus Dei, non tantum ratione divinitatis sed etiam humanitatis, nam בְּכוֹר [67] Hebraeis saepe idem est ac primum et praecipuum, optimum et excellentissimum. Sic ait: *Filius meus primogenitus Israel;* sic Iacob primogenitus constitutus fuit, [68] [sic] et Ephraim, [69] nam primogenitura importabat primatum; sic ait: *Ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae.* [70]

qui exemplar est humanae naturae etiam in praedestinatione;

Hac ratione Paulus Christum appellat *primogenitum omnis creaturae, primogenitum ex mortuis, primogenitum in multis fratribus,* idest *ut sit ipse in omnibus primatum tenens,* [71] nam antiquitus primogenito debebatur primatus inter fratres ipseque succedebat patri in dignitate et honore, [72] uti nunc inter principes consuevit. Sic Christus primogenitus est Filius Dei: *Quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula.* [73]

ideo appellatur *primogenitus omnis creaturae,*

Sciendum autem adhuc, quod ubi dicitur: *Ad imaginem Dei creavit illum,* hebraice esse אֱלֹהִים, [74] plurali numero, significans Deos, potentes, principes, iudices, coelestes Angelos, quia quicquid virtutis, dignitatis, honoris, potestatis reperitur in Deo, in Angelis, in hominibus cuiusvis gradus et ordinis, totum reperitur in Christo; et in hoc sensu dixit Apostolus inhabitare in Christo omnem plenitudinem divinitatis. [75]

quia in eo reperitur quicquid virtutis, honoris, potestatis est in creaturis et in Deo.

Homo autem paulo minus minoratus dicitur a Christo, cum con-

65) Ibid. vr. 29. 66) Haec est opinio plurimorum SS. Patrum Ecclesiae. Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 198-199. 67) Ms.: *Becor.* 68) Cf. Gn 27, 18-33. 69) Cf. ibid. 48, 12-21. 70) Ps 88, 28. 71) Col 1, 18. Vulg.: *Ut sit in omnibus pse*, etc. 72) Cf. Dt 21, 15-17; Aug. Calmet *Dictionarium S. Scripturae*, sub voce: *Primogenitus.* 73) Hebr 1, 2. 74) Ms.: *Elohim.* 75) Cf. Col 1, 19; 2, 9.

Talem Christi dignitatem quivis iustus participat.

stitutus sit frater Christi, coheres Christi, consors gloriae et dignitatis Christi, membrum Christi, cum Ecclesia sit corpus Christi,[76] sponsa Christi summi regis, Esther regina Assueri sponsa.[77]

Homo nobilissima est creatura Dei, princeps mundi,

VII. Ex eo vel maxime patet naturae humanae excellentia, quod Deus, rerum omnium sapientissimus et aequissimus aestimator, hanc rebus omnibus praetulit, sicut aurum ceteris metallis, adamantem aliis gemmis. *Nusquam . . . Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.*[78] Hinc habemus Christum verum Deum verumque hominem Angelorum Dominum constitutum, qui verbo omnia potest: *Tantum dic verbo et sanabitur puer meus.*[79] Praeterea, quia ab initio Deus non tantum constituit hominem veluti unicum filium suum, sed etiam talem declaravit dum mundi principem eum constituit: Dominetur coelo, terrae, mari: *Omnia subiecisti sub pedibus eius ;*[80] filium declaravit cum veluti heredem dominumque mundi constituit, posuit in statu filiorum. Nam in mundo multi sunt filii principum, sed non sunt in statu filiorum, occulti sunt, non sunt declarati; postea magna cum pompa et solemnitate declarantur filii.

finis creationis, redemptionis, gratiae et gloriae.

Ex Dei etiam aestimatione, nam videtur natura humana aurea illa lamina Dei nomine insignita, quam summus pontifex, qui Dei personam vicesque gerebat, supra sacratissimum caput perpetuo gestabat,[81] quod enim maximi facimus, supra caput gestare dicimus. Propter hominem Deus mundum creavit, propter hominem conservat atque gubernat, propter hominem Ecclesiam aedificavit in terra, propter hominem paradisum in coelo, propter hominem leges de coelo tulit, propter hominem Filium suum in mundum misit mortique destinavit, propter hominem Spiritum Sanctum dedit.

Huius excellentiae exemplar admirabile ostenditur hodie in centurione.

Mirabile spectaculum fuit statua illa mirabilis, quam in somnis vidit rex Chaldaeorum, quae mundi imperium ac monarchiam designabat; sed multo mirabilius hodiernum, quod Christus miratur, si consideremus praeter naturam humanam: *Nam et ego homo sum*, locum in quo reperitur: Capharnaum, paradisus terrestris, mundus; quid persona centurionis et professio militaris: *Colluctatio adversus*

76) Cf. 1 Cor 12, 27; Eph 1, 22; Col 1, 19. 77) Cf. Est, 2, 16-17. 78) Hebr 7, 16.
79) Mt 8, 8. 80) Ps 8, 8. 81) Cf. Ex 28, 36-38.

principes et potestates . . . mundi rectores, [82] David contra Goliath, [83] Christus in deserto cum satana manus conserens; [84] quid officium: rector civitatis, caput militum: Dominamini universae terrae; *Omnia subiecisti ;* quid virtus animi quam miratur Christus: gratia quae hominem deificat, sicut calor ferrum ignificat, nam Spiritus Sancti plenitudine homo deificatur; quid ista praelatio: *Non inveni tantam fidem in Israel,* [85] quod homo virtute potest Angelos superare, Seraphim caritate; quid locus qui praeparatus est ei: *Recumbent in regno coelorum ;* quid quod dignatur Deus in domum ipsius venire: *Ego veniam et curabo eum,* [86] Deus factus homo.

II. ALIA HOMILIA

Accessit ad eum centurio rogans eum et dicens : Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male, etc. [1]

I. Describitur nobis ac veluti diligentissimo penicillo vivisque coloribus a Spiritu Sancto depingitur imago vitae nobilium equitum, qui vere sunt nobiles apud Deum et homines, in vita nobilissimi huius centurionis. Profitebatur militiam, nobilem quidem professionem et artem, reipublicae in primis utilem et [2] necessariam, sed tamen absque militari fastu; gloriosus miles absque militari insolentia, unde illud:

« Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur,
Venalesque manus, ibi fas ubi maxima merces »; [3]

nullum opprimebat, nemini vim inferebat, modestissimus erat. Nec tantum exercebat militiam, sed armis togam coniunxerat, militari disciplinae eloquentiam studiumque bonarum litterarum. Eloquentiam suam ac sapientiam hodie ostendit: loquitur sapienter, argumentatur a simili, a minori ad maius. [4]

Centurio homo vere nobilis ostenditur arte militari et disciplina litterarum.

Utinam non spernerent ac contemnerent hodie nobiles studia bonarum litterarum, sed lectioni operam darent! Nam scientiae sunt

scientia enim animum hominis maxime nobilitat,

82) Eph 6, 12. 83) Cf. 1 Rg 17, 40-51. 84) Cf. Mt 4, 1-10; Lc 4, 1-10.
85) Mt 8, 10. 86) Ibid. vr. 7.

1) Mt 8, 5-6. 2) Ms.: *Sed* loco: *Et.* 3) Lucanus *Pharsalia*, lib. 10, vrr. 407-408.
4) Cf. Mt 8, 8-9.

quae animum hominis quam maxime nobilem reddunt, et in causa sunt ut multa fiant bona, ut multa vitentur mala, ut tempus cum iucunditate, non in ludis, venationibus, dissensionibus otiosis, sed in lectionibus studiisque transigatur, in quibus animus mirum in modum pascitur et delectatur.

nobilis etiam quia generis et sanguinis nobilitatem cumulabat virtutibus,

Non contentus fuit centurio sola generis et sanguinis nobilitate, quod civis esset romanus, sed nobilitatem generis virtutibus suis propriis cumularet, augeret, ditaret, ne in eo domus ac familiae gentisque haec nobilitas finiretur, sed potius talis esset ut multo illustriorem nobilitatem gentibus suis afferret. Nam quid prodest fontis claritas sordido rivo? Quid pauperi natum esse ex parentibus divitibus, aut pulcherrima matre, si turpis ipse sit atque deformis? Quid ex sapientibus, si ignorantissimus ipse sit, homo stupidus et alienatae mentis?

nam non datur vera nobilitas absque virtute.

Nobilitas absque virtute homini speculum est in quo videre potest faciei suae deformitatem. Nobilitas virtutis germen est, a virtute originem trahit, virtutis praemium est; per templum virtutis patebat aditus ad templum honoris. [5] Satagendum igitur est nobilibus ut filii nobiliter educentur, nobilibus disciplinis instructi, nam sine virtute nobilitas non vera nobilitas est, sed umbra larvaque nobilitatis.

Centurio multis virtutibus fulgere ostenditur, maxime pietate, modestia et benignitate;

II. Nobilissimus centurio supra omnia virtutem coluit, maxime vero fidei pietatem divinamque religionem, similis alteri centurioni Cornelio: *Vir religiosus ac timens Deum, faciens multas eleemosynas plebi et deprecans Deum semper.* [6] Homo erat in seipso quidem modestissimus, in Deum devotissimus, in familiam suam humanissimus, erga servos paternum gerebat affectum et viscera, erga populum erat benignissimus. Modestissimus in seipso: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum ;* [7] devotissimus erga Deum: *Non inveni tantam fidem in Israel ;* [8] humanissimus erga familiam suam: *Puer meus iacet in domo :* non servum appellat, sed puerum, tanquam

5) Cf. Cicero *De Natura Deorum*, lib. 2, vol. 4, col. 268; C. H. Nieupoort *De Ritibus Romanorum*, sect. 4, cp. 1, § 25, pag. 242. Virtus ab antiquis Dea putabatur, cui templum dedicatum erat cum templo Honoris coniunctum, ita ut in hoc nonnisi per illud pateret aditus. Quo significare voluerunt veram et unicam parandi honoris viam esse virtutem. Forcellini *Lexicon Tot. Lat.*, sub voce: *Virtus.* 6) Act 10, 2. Vulg.: *Eleemosynas multas,* etc. 7) Mt 8, 8. 8) Ibid. vr. 10.

filium eum diligebat: *Erat illi pretiosus;* [9] benignissimus in populum: *Diligit enim gentem nostram et synagogam ipse aedificavit nobis.* [10]

nam facultates suas erogaverat in pauperum eleemosynas et in Dei cultum.

O veram animi nobilitatem, non fictam, quae hypocrisis est et simia nobilitatis! Facultates suas in tres partes diviserat nobilissimus centurio: partem expendebat in usus necessarios domus et familiae, partem in pauperum eleemosynas erogabat, partem in Dei cultum: *Synagogam... aedificavit nobis*, aedificavit ecclesiam ad honorem Dei, ad utilitatem populi, ut in eam convenientes Deum laudarent verbumque divinum audirent.

Hae virtutes hodie desiderantur in principibus populi.

Sed quam longe, fratres, quam longe ab isto scopo aberrat hodie, infelicissima hac nostra tempestate, quae nonnisi sordium videtur esse sentina, quam longe, inquam, a scopo isto aberrat et distat vita nobilium! Ubi in nobilibus studia litterarum artiumque nobilium exercitia? Ubi modestia christiana? Ubi devotio in Deum? Dum caput dolet, omnia membra languent; [11] hinc Isaias ait: *Omne caput languidum et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.* [12] Caput et cor nobiles dicit populi, nam haec sunt nobilissima corporis membra, hinc seipsum declarans, appellat principes populi principes Sodomae et populum populum Gomorrhae, [13] dicere volens omnia esse libidinibus plena. Hinc etiam ait: *Principes tui infideles, socii furum.* [14] O mundum felicem, fratres, si nobiles vere nobiles essent animo!

Multi hodie dicuntur nobiles, sed vera nobilitas e sola virtute oritur.

III. Sed magnum video in mundo miraculum, quod an Deus ipse facere possit ignoro, sed credo quod non possit: album facere sine albedine, calidum sine calore, ut in scholis dicitur, concretum sine abstracto. Credo, inquam, quod non potest, nam contradictionem implicaret; abstractum sine concreto potest, ut in supersanctissimo Altaris Sacramento sunt panis accidentia sine pane; [15] sed concretum sine abstracto quomodo potest esse? Mundus aliquando haec facit miracula. In mundo enim nobilis quis dicitur, sed sine vera nobilitate, sicut aliquando quis doctor efficitur, doctoratus insignia suscipit, sed sine doctrina, ignorans est, crassae Minervae, [16] nil fere studuit,

9) Lc 7, 2, Vulg.: *Illi erat pretiosus.* 10) Ibid. vr. 5. 11) Proverbium familiare S. Auctori cf. *Quadragesimale Secundum*, part. 3, pag. 51-53. 12) 1, 5-6. 13) Cf. ibid. vr. 10. 14) Ibid. vr. 23. 15) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 75, a. 5. 16) Modus proverbialis, de quo cf. P. Mannucius *Adagia*, col. 63.

sed mendicatis suffragiis doctor constituitur. Sic, inquam, multi nobiles sunt sine nobilitate, nam vera nobilitas in virtute consistit: ubi virtus vera non est, non potest esse vera nobilitas.

quae cum vitiis convenire nequit.

Virtus autem animi, unde vera nobilitas, cum vitiis haberi non potest, lux una cum tenebris non moratur. Est aliquando nobilis quis sicut liber foris quidem ornatus, deauratus, pulcher, intus autem scriptum nil habet, vel pessimis characteribus conscriptus vel potius conspurcatus est; intus nil pulcri, nil boni habet ut foris paret.

Vere nobilis enim est qui vivit secundum rectam rationem;

sed omne vitium contra rationem est, ergo est summa ignobilitas.

Peccat quis et peccatum suum excusat dicens: Homo sum. Sed etiam centurio homo erat et Sancti omnes homines extitere. Si homo est quis, necesse est ut secundum rationem vivat, nam homo animal est rationale; omne autem vitium et peccatum contra rationem est. Sicut enim non decet viro nobili et patritio civitatis mechanicam sordidamque artem exercere, quoniam contra nobilitatem est omne ignobile ac sordidum in civitate exercitium, sic contra rationem naturalem est omne vitium et peccatum, sicut ipsi etiam philosophi et naturalis philosophia docent, idest naturalis rationis rectum dictamen, a qua moralis philosophia ortum habuit. Nobilis, quia nobilis est, non debet artem exercere ignobilem, sutorem vel baiulum agere; sic nec homo vitiis servire, nam *qui agit peccatum servus est peccati.* [17] Ratio haec: Homo sum, non pro te, sed contra te est, sicut contra patritium esset, si sordidam volens exercere artem, diceret: Nobilis sum vir.

Verus homo non est nisi qui secundum rationem et virtutem vitam moderatur;

IV. *Nam et ego homo sum.* Rara utique res homo. Diogenes ille Cynicus accensa lucerna in meridie quaerebat per plateam civitatis hominem frequentissimo populo, [18] quia non est verus homo nisi qui secundum rationem et virtutem vitam moderatur. Ieremias ait: *Aspexi terram et ecce vacua erat et nihili; et coelos et non erat lux in eis. Vidi montes et ecce movebantur, et omnes colles conturbati sunt. Intuitus sum et non erat homo.* [19] Sic etiam in suis *Lamentationibus* civitatem plangit dicens: *Quomodo sedet sola civitas plena populo?* [20] Quomodo sola est si plena est populo? Quia *non erat homo.*

17) Io 8, 34. Vulg.: *Qui facit peccatum,* etc. 18) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum,* lib. 6, pag. 230. 19) 4, 23-25. 20) 1, 1.

Deus volens mundum diluvio disperdere ait: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* [21] Desiit, inquit, esse homo cum nonnisi secundum carnem vivat. Hinc ait: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* [22] *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.* [23]

nam qui secundum carnem vivit, iumentis comparatur.

Ne existimemus, fratres, per solam fidem nos posse salvari: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei;* [24] *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est; quoniam si bene direxeritis vias vestras et studia vestra;* [25] *Fides sine operibus mortua est;* [26] *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* [27]

Per solam fidem nemo salvatur.

Homo in semetipso est veluti quaedam respublica; cor est veluti aula magni consilii; ad hoc concilium concurrunt potentiae animae et sensus cum exteriores tum interiores, concurrunt cogitationes et desideria, concurrunt etiam vitia et virtutes. Sed in conciliis saepe accidit ut maior pars superet vincatque meliorem, spernuntur meliora optimaque seniorum et sapientum consilia, sicut fecit Roboam: sequi voluit consilium iuvenum, non senum prudentum et sapientum. [28] Dat fides in hoc concilio optima consilia, sed non placent carni ac sensui, non carnalibus affectibus, desideriis, appetitibus. Quid prodest reipublicae optimum consilium si spernatur? Si maior pars semper deteriora amplectitur? Sic fides sine operibus prodest nihil ad salutem: *Fides sine operibus mortua est.*

nihil enim prodest homini fides, si secundum fidem nolit vivere.

O utinam, fratres, non sit vere mortua fides nostra; fides nanque suapte natura certior est ac multo firmior cognitione sensibili, visu, auditu, sicut P e t r u s ait agens de Christi transfiguratione, quam oculis vidit auribusque audivit vocem Dei de coelo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui . . . Et* tamen *habemus,* inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco, donec . . . lucifer oriatur in cordibus vestris.* [29] Videtis fidei certitudinem: *Habemus firmiorem propheticum sermonem,* certiorem auditu, certiorem visu ipso oculorum.

Fides certissima est vivendi norma.

21) Gn 6, 3. 22) Ps 31, 9. 23) Ps 48, 13. 21. 24) Mt 7, 21. 25) Ier 7, 4-5. 26) Iac 2, 26. 27) 1 Cor 13, 2. 28) Cf. 3 Rg 12, 6-15. 29) 2 Petr 1, 17-19. Vulg.: *Quasi lucernae,* etc.

ergo secundum hanc nobis vivendum est,

Sed ubi nunc haec fidei certitudo? Si Deum praesentem videremus, Angelos, daemones, paradisum, infernum, pulcritudinem virtutis, turpitudinem vitii, quis tam facile peccaret? Et tamen *habemus . . . propheticum sermonem* Christi in hodierno Evengelio: *Multi venient ab oriente et occidente:* ecce vocatio Gentium ad fidem Christi iam completa, ecce veritas vaticinii; *et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno coelorum:* ecce vaticinium gloriae paradisi, quam Gentilium multi consecuti sunt*; filii autem regni*, idest Iudaei, qui tunc fidelis populus erant, *eicientur* a regno: ecce Hebraeorum reprobatio, synagogae eversio; sed *eicientur in tenebras exteriores,*[30] in tenebras externas, profundissimas culpae et poenae in inferno.

secus e regno Dei eiciemur.

Nos nunc sumus filii regni per fidem; nisi fuerimus centurioni similes, eiciemur *in tenebras exteriores*, paradisi gloriam minime consequemur. Qui fidem sine operibus habet est sicut Balaam, qui cadebat apertis oculis[31] et mortem cupiebat iustorum;[32] est sicut aegyptius ille blasphemus in deserto lapidibus obrutus, natus ex matre hebraea et patre aegyptio.[33] Talis est cui sensus carnis magis dominatur quam virtus fidei; samaritanus Deum simul et idola colens,[34] templum vult esse Dei et idolorum,[35] lucis et tenebrarum, servire Deo et Baal.[36]

III. ALIA HOMILIA

Cum introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum centurio rogans eum et dicens: Domine, puer meus, etc.[1]

Christus hodie in centurione miratur non naturam sed virtutem.

I. Tria nobis proponuntur contemplanda: maiestas Christi Dei humanati, civitas Capharnaum et persona centurionis.[2] Quae quidem in mysterio tria illa sunt de quibus Moyses in sua cosmopoeia[3] et de quibus Regius Vates *Psalmo 8* canit.[4] Nam Christus Deus est verus; Capharnaum mundum designat,

30) Mt 8, 11-12. 31) Cf. Nm 24, 16. 32) Cf. ibid. 23, 10. 33) Cf. Lv 24, 10 sqq. 34) Cf. 4 Rg 17, 32 sqq. 35) Cf. 2 Cor 6, 16. 36) Cf. 3 Rg 18, 21.

1) Mt 8, 5-6. 2) In margine haec adiecta fuerunt: « Arca Domini, tabernaculum sanctum Domini, sacerdos ad ministrandum Domino in sanctuario illo, haec eadem mystice designant ». 3) Cf. Gn 1, 26-30. 4) Cf. vrr. 5-9.

et centurio verus homo. Sed quoniam Christus hodie hominem contemplatur atque miratur non secundum naturam, sed secundum virtutem, nos quoque idipsum faciamus. Egit M o y s e s de homine quoad naturam: *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae,* etc.[5] Ubi insinuavit animae immortalitatem, eo quod non sit educta de potentia materiae.

Depingitur in S. Scriptura nobilitas hominis quoad animam

Et quidem M o y s e s vivis coloribus depinxit nobilitatem et dignitatem humanae naturae ab efficiente, a materia, a forma, a fine, ab exemplari, a loco, a tempore, ab operatione, a virtute: *Inspiravit... spiritum vitarum*[6] ob vitam animalem et intellectualem et multiplices operationes ac potentias et facultates operandi; a consilio: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;*[7] et tandem a donis supernaturalibus.

et quoad corpus;

Formatio etiam corporis humani mirabilis proponitur in Sacris Litteris. Unde R e g i u s V a t e s : *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua et anima mea cognoscit nimis. Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto, et substantia mea in inferioribus terrae,*[8] hebraice: *Compactus sum in inferioribus terrae.*[9] Mirabilis est structura ossium et nervorum, mirabile artificium venarum et tum internarum tum externarum partium totius corporis.

sed in Evangelio proponitur nobilitas humanae naturae quoad gratiam et virtutes.

Sed in Evangelio proponitur mirabilis imago et effigies hominis vere christiani; dignitas et nobilitas humanae naturae quoad gratiam, miratur enim Christus non naturam, sed virtutem supernaturalem. Virtutis et verae sanctitatis imago depingitur hodie in tabula humanae naturae: *Nam et ego homo sum;*[10] non in homine iudaeo, sacerdote et levita, pharisaeo, in viro aliquo religioso, quales apud

5) Gn 2, 7. 6) Ibid. Ex hebraico: נִשְׁמַת חַיִּים. 7) Ibid. 1, 26. 8) Ps 138 (hebr. 139), 14-15. 9) In margine haec adiecta fuerunt: « Loquitur Divina Scriptura de homine, ante creationem, in creatione et post: *Faciamus hominem; formavit; tulit* Deus *et posuit eum* etc.; *inspiravit... spiraculum vitarum*, quia anima spiritus est non corpus, quia simul creatur et infunditur organizato corpore; *spiritum vitarum*, quia dat homini vitam vegetativam, sensitivam, et rationalem; *spiritum vitarum*, quia vitam habet in seipsa et vitam corpori tribuit tum in praesenti saeculo tum in futuro; *spiritum vitarum*, quia aeterno vivit, quia immortalis est suapte natura. *Faciamus hominem ad imaginem*, ut sit umbra divinitatis, sed umbra colorata sicut umbra in speculo; sic homo dependet a Deo in mundo, sicut in speculo imago ab archetypo; *ad imaginem et similitudinem nostram*, quia homo capax est divinae sanctitatis et perfectionis: *Sancti eritis quoniam ego sanctus sum; Estote... perfecti sicut Pater vester; Estote misericordes sicut*, etc. Ad hoc factus est homo, ut in eo tanquam in tabula depingeretur imago divinae sanctitatis ». 10) Mt 8, 9.

Iudaeos erant Pharisaei, Hessaei, Sadducaei,[11] et ante captivitatem babylonicam Rechabitae[12] et filii Prophetarum,[13] sed in homine gentili, in viro saeculari militiae dedito; ut sciamus quod omnis homo natura capax virtutis est, aptus ad recipiendam gratiam a Deo, ad vivendum secundum normam et regulam virtutis. Tabula huius imaginis et effigies, ergo, humana natura est, pictor Spiritus Sanctus, exemplar Christus: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui ;*[14] colores sunt virtutes sanctae, finis ut ornetur regia aula paradisi: *Multi . . . venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno coelorum*[15]

Praecipue Christus centurionis fidem commendat, quia fides est fundamentum vitae christianae;

II. Praecipue autem Christus fidem commendat: *Non inveni tantam fidem in Israel,*[16] quoniam *fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium ;*[17] *Ut sapiens architectus fundamentum posui,*[18] idest fidem praedicavi. Hanc Christus *mysterium regni Dei* appellavit: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei ;*[19] et alibi thesauro abscondito in agro comparavit,[20] quoniam thesaurus est scientiae Dei, sed absconditus; *mysterium regni Dei*, liber signatus

11) Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum*. sub his vocibus. Pharisaei, a פָּרוּשׁ, quod est separatus, continens, temperans, ita dicti quia vitae sanctitate et moribus ab aliis hominibus separati erant. Aliqui volunt eos ita dictos ab expansione phylacteriorum; alii ab operibus in conspectu omnium factis; alii ab interpretatione Legis, quam explanabant; alii tandem, et forte rationabilius et verius, a separatione a reliquis hominibus. Qui plura de Pharisaeis desiderat, adeat *Lexicon Hebraicum* clarissimi A. Zanolini editum typis Seminarii Patavini anno 1732, pag. 394-395.

Sadducaei, qui et Karraei, quasi Textuales dicti, quia nullas traditiones vel glossas admittebant. Fuit prima omnium secta inter Iudaeos, reiciens omnes traditiones et constitutiones maiorum et seniorum in Synagoga, soli Sacrae Scripturae textui adhaerens. Cf. A. Zanolini *Lexicon Chaldaicum*, sub voce: קָרָא.

Hessaei, ex verbo: חָשָׁה, facere, uti multi volunt, nomen traxerunt. Constituerant unam ex tribus praecipuis Iudaeorum sectis. Sic denominati sunt quia longe ab hominum strepitu tranquillitate animi et quiete gaudebant. Cum enim temporibus afflictissimis Machabaeorum se in speluncis multi abdidissent, ex iis nonnulli, ceteris in patriam regressis, in montanis sedem fixerunt et sub Hessaeorum nomine instar Monachorum propriam sibi vivendi rationem instituerunt. Ideo autem in Evangelio de Hessaeis mentio non fit, sicut de Pharisaeis et Sadducaeis, quia longe a civium dissidiis et contentionibus sibi viventes, ceteris non adversabantur. Qui plura de Hessaeis desiderat adeat quartam ex *Dissertationibus* quas clarissimus A. Zanolini *Lexicon Chal. Hebr.*, sub voce: חָשָׁה. 12) Cf. Ier 35, 2 sqq. 13) Cf. 4 Rg 2, 1 sqq. 14) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.* 15) Mt 8, 11. 16) Ibid. vr. 10. 17) Hebr 11, 1. Vulg.: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, etc. 18) 1 Cor 3, 10. 19) Mc 4, 11; Lc 8, 10. 20) Cf. Mt 13, 44.

apud Isaiam,[21] et in *Apocalypsi.*[22] Paulus appellavit fidem *aenigma et speculum: Videmus nunc per speculum in aenigmate.*[23] Aenigma est sermo obscurus, veluti gordianus nodus;[24] multa mysteria fidei sunt intellectu difficilia.

Sed non tantum aenigma, speculum etiam est in aula regis, in quo cernuntur omnia quae in aula sunt. Elucent in speculo bono et claro imagines rerum uti sunt, ita in hoc speculo imago Dei, imago paradisi, imago inferni, imago Ecclesiae, imago mundi huius, imago virtutis, imago vitii, imagines omnium bonorum atque malorum.

fides enim illuminat mysteria omnia

Hanc ob causam a Petro appellatur fides *admirabile lumen Dei: De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*[25] Hanc ob causam Paulus *argumentum* dixit; nam sicut in argumento continetur breviter totius libri tractatus, sic fides argumentum est omnium Sacrarum Scripturarum, aureum candelabrum est septem luminibus illustrans sanctuarium Domini.[26] Commendat Christus fidem, quia fides dat homini cognitionem Dei et cognitionem suiipsius; sic centurio cognoscit Christum et cognoscit seipsum. Quisquis aliquid in speculo contemplatur, non potest non videre seipsum in speculo; sic fides dat homini cognitionem suiipsius: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus,*[27] et Deum ostendit omnipotentem, auctorem, thesaurum, fontem omnium bonorum.

et dat homini claram cognitionem Dei et sui ipsius.

III. Sed tamen non sola in centurione laudatur fides; multis est comitata virtutibus. Caritate: *Diligit enim gentem nostram;*[28] religione: *Synagogam ipse aedificavit nobis;*[29] modestia et humilitate cordis: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum;*[30] innocentia, quia vitam ducebat irreprehensibilem: *Dignus est ut hoc illi praestes.*[31] Sed fidem Christus laudavit, quoniam fides viva radix est omnium virtutum. Hanc ob causam saepe Christus fidei tribuit salutem: *Fides tua te salvum fecit,* dixit Bartimaeo illuminato;[32] *Fides tua te salvum fecit,* leproso samaritano mundato;[33] *Fides tua te salvam fecit,* Magdalenae peccatrici poenitenti,[34] quoniam fides mater omnium virtutum, arbor vitae est, *afferens fructus duo-*

Fides est radix et mater omnium virtutum.

21) Cf. 29, 11-12. 22) Cf. 5, 1. 23) 1 Cor 13, 12. 24) Cf. supra, hom. 1 huius feriae, pag. 35, not. 51. 25) 1 Petr 2, 9. 26) Cf. Ex 37, 23-24; Lv 24, 2-4. 27) Mt 8, 9. 28) Lc 7, 5. 29) Ibid. 30) Mt 8, 8. 31) Mc 7, 5. 32) Mc 10, 52. 33) Lc 17, 19. 34) Ibid. 7, 50.

decim per singulos menses, [35] in causa est observantiae mandatorum Dei, legis Decalogi et legis evangelicae. [Sex] operatur in intellectu: cognitionem Dei et cognitionem sui, cognitionem virtutum et cognitionem vitiorum, cognitionem gloriae et cognitionem poenae; sex in voluntate: dilectionem Dei et contemptum suiipsius: *Non sum dignus ;* desiderium virtutum et fugam vitiorum, spem gloriae et timorem poenae.

norma et regula actionum erga Deum et proximum, sicut ostenditur in centurione.

Virtus norma et regula actionum nostrarum est erga Deum, erga proximum et erga nos ipsos: *Sobrie et iuste et pie vivamus.* [36] Centurio virtute praeditus erat: erga Deum externa religione et interna pietate, colebat Deum in spiritu et ad honorem Dei synagogam aedificavit, credidit corde in Christum et ore confessus fuit: *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem ;* [37] quoad proximum diligebat omnes: *Diligit . . . gentem nostram.* Legimus autem habuisse superiores, aequales et inferiores; superiores: *Homo . . . sub potestate constitutus ;* inferiores: *Habens sub me milites;* [38] aequales: amicos habebat quos ad Christum misit. [39] Superioribus praestabat obedientiam, aequalibus benevolentiam, inferioribus curam regiminis et diligentiam tanquam pater.

Centurio est imago pulcherrima et omnium perfectissima hominis iusti,

IV. Saepe in Divinis Litteris Spiritus Sanctus per omnes fere aetates depinxit nobis aliquam verae virtutis iusti hominis imaginem exemplarem: in Abel iusto, [40] in Enoch sancto, [41] in Noe perfecto: *Noe vir iustus atque perfectus,* [42] in sanctis Patriarchis Abraham, Isaac et Iacob, in patientissimo Iob, de quo Deus ait: Servus meus Iob, *vir simplex et rectus et timens Deum et recedens a malo.* [43] Sed hodie pulcherrima imago et numeris omnibus absoluta virtutis in nobilissimo centurione [exhibetur], pulcra adeo ut eam Christus cum voluptate contempletur et admiretur.

ita ut Christus ipse eam miretur.

Imago quam summus pictor non solum laudat sed etiam admiratur, pulcherrimam necesse est esse, omnibus numeris absolutam. Christus summus est pictor coeli et sculptor terrae, miratur tamen opus hoc Spiritus Sancti, ipse enim est qui sanctificat animam et

35) Apc 22, 2. Vulg.: *Per menses singulos.* 36) Tit 2, 12. 37) Rom 10, 10. 38) Mt 8, 9. 39) Cf. Lc 7, 3. 40) Cf. Gn 4, 4; Mt 23, 35; Hebr 11, 4; 12, 24. 41) Cf. Gn 5, 21-24. 42) Ibid. 6, 9. 43) Iob 1, 8; 2, 3. Vulg.: *Ac timens,* etc.

divinitatis imaginem imprimit in ea sicut sigillum in cera, sicut sol in speculo.

Multae exhibentur in S. Scriptura imagines et figurae hominis iusti;

Iustorum imagines erant cherubim aurei in sanctuario Domini extensis alis divino propitiatorio assistentes illudque contemplantes et seinvicem intuentes;[44] sanctarum animarum imagines Seraphim illi apud I s a i a m sex alas habentes, volitantes coram Domino Deumque laudantes;[45] animae sanctae imago mulier illa coelestis sole amicta in *Apocalypsi* I o a n n i s ;[46] Cherubim etiam positi *ad custodiendam viam ligni vitae*, tenentes gladium in manu et ignem versatilem;[47] Abraham pergens ad immolandum filium suum Isaac ipse quoque gladium et ignem portans in manibus:[48] gladium ad mortificandum sensum, ad occidendum Isaac, ignem ad comburendum in holocaustum; ignis est ardens caritas in Deum. In Abel tria considerantur: humilitas in nomine,[49] seipsum nihili pendebat, innocentia in arte pastorali, magna in Deum devotio in sacrificio et oblatione,[50] hinc a Christo dictus fuit iustus: *A sanguine Abel iusti.*[51]

Regius Vates et Ieremias iustum depingunt sub imagine arboris,

R e g i u s V a t e s depingit iusti hominis imaginem dicens: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum ;*[52] similiter I e r e m i a s: *Benedictus vir qui confidit in Domino et erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, nec timebit cum venerit aestus et in tempore siccitatis non erit sollicitum, et erit folium eius viride, nec aliquando desinet facere fructum.*[53]

sanctitas enim consistit in corde, ore et opere.

Uterque V a t e s tria commemorat in arbore benedicta: radicem ad humorem aquarum, folia in ramis, et fructus in tempore suo. Sanctitas nanque in tribus consistit: in puritate cordis, in veritate oris et in innocentia manuum. Centurio sanctus erat corde per fidem, nam ait: *Fide purificans corda eorum ;*[54] *Non inveni tantam fidem ;* sanctus ore: Christum laudat, seipsum humiliat; sancte orat: *Domine, puer meus*, etc.; *Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo . . . nam et ego homo sum ;* sanctus opere: *Syn-*

44) Cf. Ex 37, 7-9. 45) Cf. 6, 2-3. 46) Cf. 12, 1. 47) Gn 3, 24. 48) Cf. ibid. 22, 6. 49) *Abel* enim latine interpretatur v a n i t a s. 50) Cf. Gn 4, 2-4. 51) Mt 23, 35. 52) Ps 1, 3. 53) 17, 7-8. Vulg.: *Et non timebit*, etc. Ordine inverso affert hunc vr. 54) Act 15, 9.

agogam . . . aedificavit, civitatem optime gubernabat, milites suos in officio continebat.

Sicut centurio imago est hominis iusti, ita illius servus imago est peccatoris.

V. Sicut autem rectum omne, ut dicitur, obliquum habet oppositum, sunt contra lucem tenebrae, contra diem nox, contra aestatem hiems, contra vitam mors, contra sanitatem infirmitas, contra coelum terra, contra paradisum infernus, contra Deum satanas, sic contra virtutem vitium. In hodierno Evangelio non habemus solam imaginem iusti hominis, sed etiam peccatoris in servo centurionis: *Puer meus*, servus meus, *iacet in domo paralyticus et male torquetur*,[55] *erat moriturus*.[56] Regius Vates, posita imagine hominis iusti, posuit peccatoris imaginem: *Non sic impii . . . sed tanquam pulvis quem proicit ventus;*[57] sic etiam Ieremias: *Maledictus homo qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius ; erit enim quasi myricae in deserto.*[58] Divus Paulus coniungit simul imaginem hominis coelestis et imaginem hominis terreni.[59]

quia omnis homo vel iustus est vel peccator.

Omnis homo vel habet imaginem virtutis et gratiae vel imaginem vitii et peccatì, vel centurio est sanus vel servus infirmus. Sed adhuc ostendit Dominus in hodierno Evangelio locum ubi reponenda sit imago virtutis: *Venient et recumbent . . . in regno coelorum*, et ubi collocanda sit imago vitii et peccati: *Filii autem regni eicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.*[60]

Servus sanatus figura est hominis iustificati.

Curemus, fratres, ut si quis nostrum servus centurionis infirmus est et morti propinquus, sit curatus: *Ego veniam et curabo eum . . . Et sanatus est puer in illa hora.*[61] Homo sanatus symbolum est hominis iustificati, sanctificati in spiritu, nam sanitas in corpore symbolum est sanctitatis in anima.

55) Mt 8, 6. 56) Lc 7, 2. 57) Ps 1, 4. 58) 17, 5-6. 59) Cf. 1 Cor 15, 47-49. 60) Mt 8, 12. 61) Ibid. vrr. 7-13.

FERIA SEXTA POST CINERES

Audistis quia dictum est antiquis: *Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite.* [1]

Summopere Deus igne delectari videtur, in igne enim pluries apparuit

I. Vidit sanctissimus vates Ezechiel Deum in igneo curru igneis etiam animalibus raptum; [2] similiter Daniel: *Antiquus dierum sedit... Thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus ; fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius.* [3] sicut a facie solis magnum luminis flumen. Mirum est quantopere Deus igne delectatur. Apparuit Abrahamo in flamma ignis, [4] Moysi in flamma rubi ardentis, [5] universo populo, dum legem dedit in deserto, veluti in fornace ignis; [6] in templo voluit semper ardere super sacrum altare ignem illum, quem de coelo ipse demisit; [7] tandem Spiritum Sanctum misit in flammis ignis. [8]

et ignis etiam appellari voluit, ad insinuandam divinae naturae excellentiam, sapientiam, et bonitatem,

Appellari etiam voluit *ignis : Deus noster ignis consumens est,* [9] profecto ad insinuandam primo quidem naturae divinae summam excellentiam, potentiam, sapientiam, bonitatem; nihil enim est in mundo hoc corporeo nobilius igne. Lux enim qualitas et effectus est ignis: si ex calibe et silice scintillam ignis excutias, licet minima sit, lumen tamen in tenebris emittit. Antiqui omnes philosophi naturalium rerum peritissimi stellas et solem nihil aliud esse docuerunt quam flammas ignis. [10] Hinc radius solis in concavo speculo refractus ac

1) Pericope huius diei Mt 5, 43-6, 1-4. Cf. Missale Rom. 2) *Cf.* 1, 4 sqq.; 10, 1 sqq. 3) 7, 9-10. 4) Cf. Gn 15, 17-18. 5) Cf. Ex 3, 2-6. 6) Cf. ibid. 19, 16 sqq. 7) Cf. Lv 6, 12-13; 9, 23-10, 1. 8) Cf. Act 2, 3-4. 9) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 10) Cf. Plato *Timaeus*, *Comment.* Marsilii Ficini, cp. 25, pag. 393; Plutarchus *De Placitis Philosophorum*. lib. 2. cp. 20, pag. 384-385; Plinius *Hist. Nat.*, lib. 2 cp. 5, pag. 1: Conimbricenses *De Coelo*, lib. 2, cp. 7, t. 1, pag. 284; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 24, cp. 15, col. 1348-1349.

repercussus ignem accendit; hinc etiam per phialam gelidae aquae radius solaris pertransiens, si fomitem adhibeas, ignem in eo gignit; hinc maximos excitat calores.

quia ignis summa est potentia, pulcritudo et utilitas;

Hinc summa est elementi huius potentia, vis et efficacia, non enim nisi calor naturalia quaeque gignit; maxima eius claritas, splendor, pulcritudo, mundi unicum ornamentum; summa utilitas summa bonitas; sua enim omnia ac seipsum facillime rebus quibuscunque impertit, communicat, prodigit; adeo liberalis est.

sed praecipue quia ignis hieroglyphicum est caritatis.

Non solum autem hanc ob causam Deus tantopere igne delectatus est, quod sit veluti divinae naturae imago sicut et lux et sol, verum etiam quia ignis hieroglyphicum est amoris et caritatis. Deus ignis est, *Deus caritas est.* [11] Hanc ob causam etiam Angeli in Sacris Litteris dicti sunt *ignis : Qui facis Angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem ardentem ;* [12] et supremi illi spiritus, qui apud Isaiam throno divinitatis assistunt, *Seraphim* dicuntur, idest ardentes, quorum unus, ut labia Isaiae purgaret eumque sanctificaret, prunam ignis accepit de altari, quod erat coram Domino, ignitis carbonibus pleno. [13]

Hanc ob causam Christus etiam *ignis* dictus est.

Christus Dominus noster ipse quoque dictus est *ignis*, ut apud Malachiam legimus: *Veniet ad templum suum Dominator quem vos quaeritis et Angelus testamenti quem vos vultis . . . ipse enim quasi ignis conflans.* [14] Nec ad aliud venisse se in mundum ait nisi ad accendendum ignem, dicens: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* [15] ut ardeat? veluti Cherub ille ad paradisi custodiam deputatus flammam ignis manu tenens. [16] Nam apud Ezechielem homo visus fuit qui totus instar ignis splendebat. [17] Totus ignis Christus, quoniam verus Deus, Patri simillimus, totus caritas.

Conditus fuit homo ut esset veluti ignitus carbo divina caritate;

II. Sciendum autem quod cum homo, *ad imaginem et similitudinem Dei* conditus, dicatur hebraice duobus nominibus, specialiter a Moyse appellatur אָדָם, [18] quod est humus: *Faciamus* אָדָם *ad imaginem et similitudinem nostram,* [19] et אִישׁ, quod est ignis,

11) 1 Io 4, 8. 16. 12) Ps 103, 4. Vulg.: *Urentem.* 13) Cf. 6, 2-7. 14) 3, 1-2. 15) Lc 12, 49. 16) Cf. Gn 3, 24. 17) Cf. 1, 26; 8. 2. 18) Ms.: *Adam* et infra: *Isc.* 19) Gn 1, 26-27.

quoniam ad hoc conditus est homo ut esset veluti terra ignita, ignitus carbo, homo divino igne accensus, totus divina caritate praeditus.

Quoniam vero satanae opera extinctus fuit in homine divinus ille ignis, propterea inquit Christus: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo*, quid desidero, quid cupio, *nisi ut accendatur?* Nam homo non dicitur אֶרֶץ,[20] sed אָדָם, ab אֲדָמָה, quod non qualemcunque terram significat, sed r u b r a m, quae ignis quandam speciem refert; hinc Esau dictus fuit אֱדוֹם, r u f u s.[21] Spiritus Sanctus missus fuit in flammis ignis, quoniam ad ignem hunc accendendum venit: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*[22]

sed quia per peccatum ignis hic extinctus fuit, venit Christus ad illum rursus accendendum.

Hanc ob causam lex evangelica lex *ignea* dicitur, sicut M o y s e s ait: *In dextera eius ignea lex,*[23] non lapidea sicut antiqua, sed *ignea*, nam tota caritas est: *In his duobus mandatis*, dilectionis Dei et proximi, *universa lex pendet.*[24] Quis autem nesciat quod lex in Sacris Litteris *via Domini* dicitur,[25] quoniam via salutis est et scala coeli, per quam angelici spiritus in coelum ascendunt? In libro *Iudicum* legimus quod Angelus Domini in flamma ignis ascendit in coelum;[26] Elias igneo curru;[27] D i v u s P a u l u s ait caritatem esse unicam viam salutis: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam . . . et si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum . . . et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*[28]

et ideo evangelica lex etiam ignea dicitur, quia tota caritas est.

Caritas autem gemina opus nobis est, in Deum et proximum; haec enim sunt duae tabulae legis simul reponendae et conservandae in arca cordis nostri;[29] integrae etiam sunt conservandae, non fractae, nam qui unam frangit ambas frangit, sicut Moyses ambas fregit tabulas ad radicem montis Sinai, videns quod populus in Deum peccaverat.[30]

Gemina autem caritas in Deum et proximum inseparabilis est,

Caritas non potest esse diminuta aut divisa. Scribae et Pharisaei dividere voluerunt has tabulas suis traditionibus, prohibentes

propterea Christus hodie

20) Ms.: *Arez* et infra: *Adam, Adamah.* 21) Cf. Gn 25, 30. Ms.: *Edom.* 22) Rom 5, 5. 23) Dt 33, 2. 24) Mt 22, 40. 25) Cf. Ps 118, 1. 14. 32. 26) Cf. 13, 20. 27) Cf. 4 Rg 2, 11. 28) 1 Cor 13, 2-3. Vulg.: *In cibos pauperum omnes facultates*, etc. 29) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 30) Cf. Ex 32, 19.

contra Pharisaeos odium docentes

pietatem et caritatem erga parentes sub specie pietatis et religionis in Deum: *Nam Deus dixit : Honora patrem* tuum *et matrem* tuam; *vos autem dicitis . . . Munus quodcunque est ex me tibi proderit, et non honorificabit patrem suum aut matrem . . . et irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* [31] Similiter hodie ait quod fregerant secundam tabulam dicentes impia δευτέρωσι: [32] *Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum*, cum tamen Deus in lege iusserit: *Non occides, non falsum testimonium dices*, [33] qui effectus sunt odii et malevolentiae; cum mandaverit etiam: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, [34] et ut etiam iumentum inimici in periculis iuvaretur. [35] Sic ait Christus hodie: *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros*, etc. [36]

Lex evangelica mons altissimus est, qui magno labore conscenditur,

III. Durum videtur mandatum ac prope impossibile, sed sciendum quod *regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud*, [37] quod via paradisi flumen est, contra aquarum impetum rapidumque cursum navigandum est. Flumen est igneum a facie Domini [38] lex evangelica, altus, imo altissimus mons est: *Duxit eos in montem excelsum ;* [39] *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.* [40] Quis nesciat quod domus Domini, templum Domini fides viva est? quod caritas est? *Si quis diligit me, mandata mea servabit et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* [41]

sic etiam omnis virtus ardua est, maxime vero caritas,

Sed domus haec *in vertice montium* collocata est. Omnis virtus mons altus est, sed caritas mons est *in vertice montium*, nam ait: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec, maior autem horum est caritas.* [42] Virtutes cardinales sunt veluti colles, theologicae autem montes multo editiores, hinc utrunque dicitur: *Erit . . . in vertice montium et elevabitur super colles.* [43] Labore autem opus est ad montem excelsum conscendendum, hinc supra montem voluit Dominus ut Abraham unicum et dilectissimum filium Isaac immolaret. [44]

Dicitur autem mons ille hebraice Moria: [45] a m a r i t u d o Do-

31) Mt 15, 3-6. Vulg.: *Traditionem vestram.* 32) Ms.: *Deuterosi.* 33) Ex 20, 13-15; Dt 5, 17-19; Mt 19, 18. 34) Lv 19, 17. 35) Cf. Ex 23, 5. 36) Mt 5, 44. 37) Ibid. 11, 12. 38) Cf. Dn 7, 10. 39) Mt 17, 1. Vulg.: *Ducit illos*, etc. 40) Is 2, 2. 41) Io 14, 23. Vulg.: *Sermonem meum servabit*, etc. 42) 1 Cor 13, 13. 43) Is 2, 2. 44) Cf. Gn 22, 1-2. 45) An mons ille, ubi Abraham Isaac duxit immolandum, Moria fuerit, opinio est quae difficultate non caret. Cf. Aug. Calmet *Dictionarium Historicum*, sub voce: *Moria.*

figurata per montes Moria et Thabor.

m i n i , mons amarissimus, sed tamen ibi invenit Abraham dulcedinem divinae benedictionis, [46] sicut Apostoli assumpti a Christo in montem excelsum, ibi paradisum invenerunt gloriamque Christi et Sanctorum viderunt. [47]

Isaias etiam legem evangelicam monti comparavit;

Sed, quaeso, audite quid I s a i a s dicat: *Fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi et dicent : Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem.* [48] Loquitur de lege evangelica et de perfectione christianae religionis. Sed mirabile dictu est quod ait: *Fluent:* וְנָהֲרוּ, [49] fluminis instar current, sed non sicut flumina quae a montibus locisque editioribus in valles planasque defluunt curruntque ad mare; flumina haec mirabili quadam ratione contra naturalem cursum fluunt sursum, cursum dirigunt ad altissimos montes. Quo verbo docuit Spiritus Sanctus quod, licet virtutis iter asperum ac perdifficile videatur, sicut ascensus in excelsum ac editissimum montem, tamen ita nos Deus spiritu suo ad se trahit ac spiritum nostrum rapit, ut motus minime violentus videatur, sed spontaneus, qualis est fluminum cursus ad loca decliviora.

sed licet difficilia valde haec lex proponat, tamen multi populi eam susceperunt;

Sic videmus quod, licet christiana fides difficillima proponat ad credendum, spes ardua ad expectandum post mortem, caritas difficillima ad diligendum et odio habendum, ut carnem nostram carnisque sensum tanquam inimicum persequamur: *Qui . . . sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis,* [50] ut inimicos tanquam fratres diligamus; tamen multi populi hanc fidem, hanc religionem, hanc legem promptissimis animis suscepere. Sic inquit: *De Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem ;* ibi Apostoli et fideles Christi Spiritu Sancto repleti fuerunt, [51] inde per universum orbem evangelicam legem disseminavere.

Lex Christi lex caritatis, pacis et amoris est,

IV. Sed quidnam aget *lex* ista, hoc *verbum Domini? Iudicabit,* inquit, *gentes,* sive *inter gentes,* componet eorum lites et controversias, quarum causa belligerabant; *arguet,* argumentis convincet et suadebit ut ad pacem redeant, ut amicitiae et pacis foedera colant, ut

46) Cf. Gn 22, 16-18. 47) Cf. Mt 17, 2-6. 48) 2, 2-3. 49) Ms.: *Venaharu.*
50) Gal 5, 24. 51) Cf. Act 2, 1-4.

conflent *gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces*, ut non levet *gens contra gentem gladium*, [52] nec ultra bella exerceant. Haec est lex evangelica, lex caritatis, lex pacis, lex concordiae, lex amoris: *Diligite inimicos et benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* [53]

et si gravis videtur spiritui carnis praeceptum diligendi inimicos, spiritui Christi levissimum est.

Gravis videtur admodum et difficilis lex ista sensui carnis, spiritui mundi huius, sed spiritui Christi, qui carni contrarius est, dulcissima est, manna de coelo est. Avibus carnosis et pinguibus gallinis, anseribus, gallis indicis grave admodum est sursum volare, non sic autem generosis avibus, aquilis, falconibus, accipitribus, quae carnis molem non sentiunt. Sic inquam, fratres, praeceptum hoc hodiernum carnalibus et iis qui mundi, imo satanae spiritu ducuntur, grave nimis est, viris autem divina gratia praeditis, qui spiritum Christi habent et tanquam filii Dei ipsius spiritu ducuntur, leve et suave est.

Dilectio haec signum est quo distinguuntur filii Dei a filiis satanae,

Nam in hoc distinguuntur veri electi a reprobis, filii Dei a filiis satanae, nam *in hoc*, inquit Ioannes, *manifesti sunt filii Dei a filiis diaboli*, [54] si diligimus fratres. Et Paulus *ad Colossenses: Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis, et pax Christi exultet in cordibus vestris.* [55] *Sicut electi*, inquit, nam caritas signum est electorum Dei. Sic sponsa in *Canticis: Introduxit me* rex *in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem*, [56] hebraice: *Vexillum super me caritas.* Hoc stigma est character ovium Christi: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*, [57] sicut eiusdem corporis membra. Haec est signum *thau* super frontes electorum, [58] nam ת [59] ultima littera est hebraici alphabeti; Paulus autem ait quod *finis... praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* [60] Hoc item est quod ait hodie Dominus: *Diligite inimicos vestros... ut sitis filii Patris vestri qui in*

nam caritas signum est electorum Dei.

52) Is 2, 4. Ex hebraico. 53) Mt 5, 44. 54) 1 Io 3, 10. Vulg.: *Et filii diaboli.*
55) 3, 12-15. 56) 2, 4. 57) Io 13, 35. Vulg.: *Discipuli mei estis*, etc.
58) Cf. Ez 9, 4-6. 59) Ms.: *Thau.* 60) 1 Tim 1, 5.

coelis est, [61] nam qui inimicos odio prosequuntur filii sunt satanae, qui *homicida* fuit *ab initio.* [62]

V. Multis rationibus hodie Christus persuadere satagit divinum hoc opus, quoniam infinitam nobis utilitatem et iucunditatem affert, sicut Regius Vates ait: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum,* idest in pace, concordia, caritate, animorum unione; *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron ; quod descendit in oram vestimenti eius ; sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion ; quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum.* [63]

Observantia huius praecepti maximam affert utilitatem et iucunditatem

Caritas, inquit, hominibus utilitatem simul et iucunditatem affert, nam quaedam quidem homini utilitatem afferunt sed non iucunditatem, ut salutaria medicamenta, ut prima artium et disciplinarum rudimenta; quaedam iucunditatem sed non utilitatem, ut oblectamenta sensuum; haec autem utrunque affert. Hinc comparatur unguento pretiosissimo et odoratissimo, ex multis pretiosissimorum aromatum generibus confectum, suave, olentissimum et quovis pretiosissimo balsamo pretiosius, sicut unguentum illud pretiosum quod Magdalena supra caput Domini effudit, *et domus repleta est ex odore unguenti.* [64] Illo autem nonnisi summus pontifex poterat inungi [65] et ex privilegio reges, [66] ut David [67] et Salomon: [68] *Elegi David servum meum, oleo sancto meo unxi eum,* [69] tam erat pretiosum! Huic autem unguento comparatur copiose diffuso, ita ut magnam valde diffundat odoris fragrantiam: *Quod descendit,* inquit, *in barbam Aaron* et *in oram vestimenti eius.*

hinc comparatur caritas unguento pretiosissimo et odoratissimo;

Sic etiam igni comparatur, non qualicunque sed magno: *Fortis est,* ait Salomon in *Canticis, ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio,* idest zelus, ardens amor, *lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae ... non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae ... quasi nihil despiciet eam.* [70]

comparatur etiam magno igni

61) Mt 5, 44-45. 62) Io 8, 44. 63) Ps 132, 1 sqq. 64) Io 12, 3. Vulg.: *Impleta est,* etc. 65) Cf. Ex 29, 7-29; Lv 8, 10-12; Nm 35, 25. 66) Cf. 1 Rg 9, 16; 3 Rg 19, 15-16. 67) Cf. 1 Rg 16, 1. 13. 68) Cf. 3 Rg 1, 39. 69) Ps 88, 21. Vulg.: *Inveni David,* etc. 70) 8, 6-7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Non potuerunt.*

et rori fecundissimo et copiosissimo, quia caritas excellentissima est omnium virtutum,

Sic etiam comparatur rori super montem descendenti, fecundissimo et copiosissimo, quoniam caritas a Deo obtinet benedictionem, idest bonorum omnium abundantiam, et tandem vitam aeternam. Hinc sponsa aiebat se super omnia caritatem aestimare, ita ut si quis obtulisset ei universum mundum, sicut satanas obtulit Christo *omnia regna mundi et gloriam eorum,* [71] ad eripiendam ei caritatem, *quasi nihil,* inquit, *despiciet* omnem substantiam. Sic: *Aquae multae non poterunt extinguere caritatem, neque flumina obruent eam,* nam: *Quis . . . separabit nos a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? . . . Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu . . . In omnibus superamus propter eum qui dilexit nos;* [72] nam ait: *Lampades eius,* sive *prunae eius prunae ignis flammae Dei,* idest ignis maximi, phrasi consueta Sacrae Scripturae. [73]

ideo iucundissima et utilissima,

Sic cum virtus sit magna, imo maxima totaque coelestis et divina, maximam necesse est ut afferat tum iucunditatem tum utilitatem. Manna coeli est caritas, quae in maxima copia de coelo descendebat, quae comedentibus et vitam ac sanitatem diutissime ac felicissime conservabat et gustui magnam afferebat suavitatem et delectationem, [74] sicut in paradiso arbor vitae, [75] nam ait: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam,* [76] divinam utique sapientiam, quae etiam de seipsa ait: *Qui me invenerit inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.* [77] Suavitatem affert, quoniam nil dulcius amore, quovis melle et manna dulcior ac suavior est; ubi, e contra, odium fel est et amarissimum absynthium, quo nil potest esse amarius, nihil insuavius, nihil perniciosius, venenum est homini: *Qui odit fratrem suum homicida est* [78] suiipsius, sicut Samson, ut de inimicis suis vindictam sumeret, prius seipsum occidit quam inimicos suos. [79] Sic omnis inimicus.

nil enim dulcius et utilius amore, nil perniciosius odio.

71) Mt 4, 8. 72) Rom 8, 35 sqq. Vulg.: *Nos separabit,* etc. Ordine inverso affert vrr. 37-38. 73) Cf. Ex 3, 1; 4, 27; Nm 11, 1. 3; 3 Rg 19, 8; Iob 1, 16; Ps 23, 3; 79, 11; Ct 8, 6 ex hebraico; Ez 28, 14. 16; Ion 3, 3 ex hebraico. 74) Cf. Ex 16, 13 sqq.; Sap 16, 20. 75) Cf. Gn 2, 17. 76) Prv 3, 18. 77) Ibid. 8, 35. 78) 1 Io 3, 15. 79) Cf. Idc 16, 29-30.

VI. Christus autem paucissimis verbis multa complexus est dicens: *Ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est ;* nam *si . . . filii, et heredes.* Quid maius, quid sublimius, quid divinius excogitari potest? Haec merces, hoc praemium est caritatis: *Ut sitis filii Patris vestri; Si autem filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* [80] Praemium caritatis regnum coelorum, vita aeterna, gloria paradisi; sed adhuc in hoc saeculo paterna caritas Dei, particularis providentia, singularis protectio: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* [81] *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me proelium, in hoc ego sperabo,* [82] aiebat Divus Psaltes. Et alibi: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo ; Dominus mihi adiutor, et ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine ; bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Circumdederunt me sicut apes et exarserunt,* sive *extinctae sunt, sicut ignis in spinis, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* [83]

Praemium caritatis non est sola paradisi gloria,

sed etiam in hoc saeculo paterna Dei caritas, particularis providentia et protectio.

Expertus hoc canebat David, quia acerrimos fortissimosque habuit persecutores, sed, protegente Deo, semper evasit incolumis; declinabat quidem prudenter persecutiones, dabat locum irae, fugit saepe a facie Saul [84] et a facie Absalomi, cum proprius filius gravissimam ei movit persecutionem, magno Israelitarum exercitu comparato, ut eum vita simul et regno spoliaret. [85] Sed quomodo rex sanctissimus in acerrima illa persecutione se gessit? Fugit a facie persequentis filii, sed ad Deum confugit, ut ipse testatur: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Multi insurgunt adversum me . . . Sed tu, Domine, susceptor meus es, scutum pro me, gloria mea et exaltans caput meum. Voce mea ad Dominum clamabo*

Hoc expertus est Regius Vates, qui in acerrimis persecutionibus ad Deum confugiebat

80) Rom 8, 17. 81) Ibid. vr. 31. 82) Ps 26, 1-3. 83) Ps 117 (hebr. 118), 6-14.
84) Cf. 1 Rg 18, 10-11; 19, 9-10; 20, 1 sqq.; 23, 9 sqq. 85) Cf. 2 Rg 15, 13 sqq.

et exaudiet me de monte sancto suo; ideo, inquit, cum sub Dei tutela et protectione sim, *ego dormivi, dormitum accubui et soporatus sum, et exsurrexi, evigilavi, quoniam Dominus suscepit me,* fulcivit, *sustentavit me; non timebo millia myriades populi circumdantis me,* Deo pro me pugnante. *Exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi, omnes inimicos meos, sine causa, dentes peccatorum contrivisti,* nam *Domini est salus et super populum tuum,* idest super fideles et electos, *benedictio tua.*[86]

et Deum semper habuit protectorem et defensorem, quia inimicos odio non habebat.

Sub umbra alarum Dei tutissimus erat; Deum habuit semper protectorem ac defensorem, quoniam inimicos non persequebatur, non odio habebat, sed diligebat Dei causa, ut legem Dei servaret: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis;*[87] et alibi: *Retribuebant mihi mala pro bonis ... ego autem cum mihi molesti essent,* sive cum *ipsi infirmarentur, induebar cilicio; humiliabam in ieiunio animam meam et oratio mea in sinu meo revertebatur,* saepius orabam; *quasi proximum et quasi fratrem ... sic complacebam,* quasi amicus et frater cum eis agebam, *quasi lugens matrem contristatus incurvabar.*[88]

hinc enim amarissime flevit mortem Saulis et Absalomi.

O insignem caritatem erga inimicos! Non amicum tantum ac fraternum erga eos gerebat animum, sed maternum affectum, sicut mater lugens defunctum filium pullata incedit nigra veste induta, tanquam tota moesta et inconsolabilis, sic, inquit, de calamitate inimicorum meorum dolebam. Sic enim amarissimis lacrimis flevit mortem Saulis[89] et Absalomi.[90]

E contra odientibus proximum acerba nimis S. Litterae comminantur.

VII. Sciendum, fratres, quod odientibus fratres suos, proximos suos, acerba nimis Divinae Litterae comminantur. Legimus enim Amos 1: *Super tribus sceleribus Edom et super quattuor non convertam eum, eo quod persecutus sit ... gladio fratrem suum et violaverit misericordiam eius et tenuerit ultra furorem ... et servaverit indignationem ... usque in finem. Mittam ignem in Theman.*[91] Sic et Ezechiel.: *Ecce ego ad te, mons Seir, et extendam manum meam super te et dabo te desolatum atque desertum. Urbes tuas demoliar, et*

86) Ps 3, 2 sqq. Ex hebraico. 87) Ps 7, 5. 88) Ps 34 (hebr. 35), 12-14.
89) Cf. 2 Rg 1, 11 sqq. 90) Cf. ibid. 18, 33; 19, 4. 91) Vrr. 11-12. Vulg.: *Indignationem ... servaverit,* etc.

tu desertus eris, et scies quia ego Dominus; eo quod fueris inimicus sempiternus et concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum. [92] Nunquam enim pepercit ex animo Esau Iacob fratri suo, nunquam vere deposuit odium contra eum conceptum, sed in posteros suos transfudit.

II. ALIA HOMILIA

> *Diligite inimicos vestros . . . ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* [1]

Perfecta est caritas quae inimicum diligit.

I. Voluit Dominus ut ambae tabulae legis simul integrae et intactae reponerentur intra sacratissimam arcam, [2] symbolum cordis nostri. Duabus in tabulis dedit Deus legem, quoniam in duobus praeceptis caritatis *universa lex pendet et Prophetae.* [3] Scribae autem et Pharisaei impia δευτέρωσι [4] fregerant secundam tabulam: *Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum.* [5] Christus autem declarat hodie quod necesse est ut secunda quoque tabula integra sit, quod omnis homo, etiam inimicus, diligendus est, quia omnis homo Dei imago est. Cum autem sit inimicus tuus, non desinit esse homo.

Difficile videtur hoc praeceptum, sed gratia Dei facile redditur.

Et quidem difficile admodum ac prope impossibile videtur hodierni Evangelii praeceptum; sed sciendum quod una cum tabulis legis in sanctuario Domini asservabantur vas plenum manna [6] et virga mirabilis virtutis Dei. [7] Nam Deus cum praecipit aliquid faciendum, dat etiam virtutem ad illud exequendum, sicut dominus praecipit servo ut magnum quid emat et simul nummos dat ad emendum.

Huius caritatis figurae liber Ezechielis

Apud Ezechielem legimus iussum fuisse Divum Vatem a Deo ut staret supra pedes suos, et statim, inquit, *ingressus est intra me spiritus . . . et statuit me supra pedes meos ;* [8] iussus tunc fuit Vates coelestem librum intus et foris scriptum comedere et illum quidem

92) 35, 3-5.

1) Mt 5, 44-45. 2) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 3) Mt 22, 40. 4) Ms.: *Deutherosi.* 5) Mt 5, 43. 6) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 7) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 8) 2, 2. Vulg.: *Ingressus est in me, etc.*

totum, et cum aperto ore gustasset Vates de illo volumine, sensit dulcius esse omni melle. [9] Divina lex liber est coelestis scriptus intus propter caritatem in Deum et foris propter caritatem in proximum; ad eum autem comedendum Vates virtutem suscipit de coelo: *Ingressus est in me spiritus*, et comedens sentit dulcedinem: ecce virga et manna. Praeceptum istud impossibile videtur et amarum valde, sed Deus facile reddit atque suave. Caritate opus est ad servandum praeceptum hoc, sed *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis :* [10] en virga virtutis Dei.

et virga Moysi.

Praeceptum hoc, fratres, videtur esse simul virga Moysi, quae proiecta in terram, in terribilem serpentem commutata fuit mirabili metamorphosi, sed per caudam accepta, in virgam iterum reversa fuit; [11] sicut cum iussit Moysi Dominus ut de petra educeret aquam, flumen aquarum, quod impossibile videbatur, sed mox ut virga Dei petram tetigit, fluxerunt aquae copiosissimae, [12] et sicut aquae Mara amarissimae, quas populus gustare non potuit, sed tactu ligni, tactu virgae, dulces factae fuerunt et suaves. [13]

Caritas unica via est ad aeternam beatitudinem.

II. Sed age, videamus haec, accipiamus serpentem hunc a cauda, videamus praecepti huius finem. Quis hominum ad assequendam optatissimam sanitatem non suscipit potiones licet insuavissimas et amarissimas? Creavit Deus hominem ad aeternam beatitudinem, sed ad eam consequendam instituit media necessaria, unicum tantum medium, unicam scalam ad ascendendum in coelum, [14] unicum Eliae igneum currum, [15] caritatem, sine qua, inquit Apostolus, nec ceterae omnes virtutes simul, nec opera bona quamvis magna, nec ipsa etiam martyria aliquid prosunt ad vitam aeternam. [16] Hoc unico pretio, hoc aureo nummo emi potest regnum paradisi.

sed vera caritas probatur dilectione inimicorum.

Aurum autem an verum sit an alchymicum quis nesciat quod fornace probatur? sub incude et malleo? ad lydium lapidem? Probare voluit Dominus caritatem Abrahae an vera, solida et constans esset instar optimi auri; [17] sic probare vult Dominus caritatem nostram in fornace persecutionum, ad lapidem lydium inimici. Qui

9) Cf. ibid. 3, 1-3. 10) Rom 5, 5. 11) Cf. Ex 4, 2-4. 12) Cf. ibid. 17, 5-6; Nm 20, 9-11. 13) Cf. Ex 15, 23-24. 14) Cf. Gn 28, 12. 15) Cf. 4 Rg 2, 11. 16) Cf. 1 Cor 13, 1-3. 17) Cf. Gn 22, 1-18.

propter Deum vere ex animo diligit inimicum, hic utique divina praeditus caritate est, vere Dei electus est, hic Deum vere super omnia diligit, in via salutis est.

Praeceptum hoc servare debemus a) quia Christus virtutem dat ut servetur,

III. Sed ut Domini rationes paulo diligentius enucleemus, ait: *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros.* [18] Ex lapide succum, aquam educere quis potest? Sed apud Deum nihil est impossibile: *Ipse dixit et facta sunt ;* [19] *Qui dixit de tenebris lucem splendescere ;* [20] iussit terrae inani et vacuae ut germinaret, et statim perfectas produxit herbas cum pulcherrimis et suaveolentissimis floribus, arbores frondibus ornatas fructibusque suavissimis onustas, coniungens ver cum autumno. [21] Sic Dominus dixit caeco: *Respice,* et statim vidit; [22] dixit leproso: *Mundare,* statim mundatus fuit; [23] dixit languido in piscina: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula,* statim factum fuit; [24] dixit adolescenti defuncto: *Surge,* statim surrexit; [25] dixit Lazaro quatriduano fetenti in monumento: *Veni foras . . . Statim prodiit.* [26] Operatorius est sermo Domini. [27]

In nos effundens caritatem illam quae omnia vincit;

Ego autem dico, ego virtutem ut hoc faciatis tribuo, caritatem coelitus diffundo per Spiritum Sanctum: *Quis autem nos separabit a caritate Christi?* [28] Caritas insuperabilis est: *Aquae multae non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent eam.* [29] Ignis est omnia consumens, etiam aquas et lapides, sicut ignis qui de coelo descendit super sacrificium Eliae. [30] Est caritas sicut calor naturalis in stomacho viri fortissimi optimaeque complexionis, qui stomachum habet struthiocameli, aptum ad digerendum ferrum, nedum panem durum, crudas carnes, ossaque. [31] Sic omnia vincit caritas. Hanc ipse Christus de coelo dat, ipse hunc ignem accendit, sicut Angelus virga sua ignem accendit ad comburendum sacrificium Gedeonis [32] et alius etiam Angelus ad comburendum holocaustum Manuel, patris fortissimi Samsonis. [33] Ignis comburit omnia et *nunquam dicit: Sufficit.* [34]

18) Mt 5, 44. 19) Ps 32, 9. 20) 2 Cor 4, 6. 21) Cf. Gn 1, 11-12. 22) Lc 18, 42. 23) Mt 8, 3. 24) Io 5, 8. 25) Lc 7, 14. 26) Io 11, 43-44. 27) Cf. S. Ambrosius *De Sacramentis,* lib. 4, cp. 4, (P. L. 16, 440-441). 28) Rom 8, 35. 29) Ct 8, 7. Cf. not. 70 praec. hom., pag. 57. 30) Cf. 3 Rg 18, 3. 31) Cf. Conradus Gesnerus *Historia Animalium,* lib. 3, *De Avibus,* pag. 710; Lud. Caelius *Lect. Antiq.,* lib. 16, cp. 11, col. 857. 32) Cf. Idc 6, 20-21. 33) Cf. ibid. 13, 19-20. 34) Prv 30, 16.

Diligite inimicos vestros. Suavius est etiam diligere quam odisse, nam odium suapte natura amarum est, fel amarissimum omnium, nimia amaritudine replet, instar teredinis vermis est ipsum cor rodens, vultur est et aquila lacerans et abrodens corpora Promethei infelicissimi hominis. [35] Amor autem suapte natura dulcissimus ac suavissimus est.

b) quia nil suavius amore, sicut nil acerbius odio;

Docet autem Christus mirabilem alchymiam hodie ad commutandum lutum in aurum, hominem inimicum in amicum fidelissimum fratremque carissimum. Quis autem nesciat quod fidelis amicus thesaurus est incomparabilis? [36] Artem docet ad capiendas cicurandasque ferocissimas ac truculentissimas bestias, leones, tigrides, dracones; ferae enim beneficiis cicurantur. Docet medicinam ad sanandos morbos animorum incurabiles, nam « contraria contrariis curantur », [37] « calida frigidis, frigida calidis ». [38] *Diligite*, inquit, *inimicos vestros*, satagite ut caritate et beneficiis eos vobis amicissimos efficiatis.

c) quia amore inimicus in amicum convertitur;

Et si minime res vobis pro voto succedat, operam minime amiseritis: *Ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est:* apud Deum heroica virtute vestra summum nobilitatis gradum assequemini. Sublimius quid Deus ipse aut maius offerre aut promittere non potest: *Ut sitis filii* Dei, nobilissimi principes paradisi. Summus Pontifex maiorem non potest conferre dignitatem cardinalatu, nec Deus maius quid quam hominem in filium adoptare.

d) quia maxima gratia acquiritur apud Deum,

Mirabile dictu! Agit nobiscum Deus sicut cum Abrahamo egit. Nil carius habebat Abraham Isaaco, unico ac dilectissimo filio; Deus autem iubet ut supra montem illum sacrificet, propriis manibus iugulatum offerat in holocaustum, igne comburat, in cinerem redigat. Sed cum Abraham animo promptissimo Dei iussa fuisset executus iamque filium ligasset supra struem lignorum, iam accendisset ignem, iam gladium evaginasset ad illum iugulandum, tunc Deus remisit in domum Abrahamum una cum filio et cum infinito thesauro coelestium benedictionum. [39]

qui nobiscum agit sicut egit cum Abraham,

Sic, inquam, nobiscum agit. Nihil carius, nil antiquius nobis honore. Hunc vult Deus ut propter ipsum contemnamus, ut ei offe-

35) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 6, pag. 267. 36) Cf. Eccli 6, 14.
37) Aphorismus Hippocratis, de quo cf. Galenus *De Sanitate Tuenda*, lib. 1, cp. 7, f. 65v; lib. 5, cp. 1, f. 93v; cp. 12, f. 94v. 38) S. Gregorius M. *In Evang.*, hom. 32, (P. L. 76, 1232). 39) Cf. Gn 22, 1-11.

ramus ac sacrificemus diligentes inimicos post multas gravesque acceptas iniurias, quas si quis remittat absque vindicta, vilis habetur in mundo ac inhonoratus, infamis apud nobiles. Sed tamen Deus non sine honore et quidem summo nos relinquit: *Ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est.* Infinitam gloriam paradisi, regni coelestis hereditatem promittit caritati simulque innuit quod qui caritate destitutus est, qui odium gestat in pectore, Dei inimicus est, satanae filius, heres ignis aeterni.

vult enim ut ei sacrificemus honorem nostrum ut ipse nobis det gloriam infinitam;

IV. Scio quod multi dicunt: Si scirem me damnandum cum diabolo in inferno esse,[40] volo iniurias mihi illatas ulcisci. Sed nondum experti sunt quidnam sit infernus. Experire prius, o homo, an ferre possis ignis ardorem, non dico in fornace accensa instar babylonicae fornacis,[41] sed modicam flammulam accensae lucernae aut faculae, adhibe manum, vide an per horam valeas ardorem sustinere et ferre combustionis dolorem, deinde loquere, nam forte ad meliorem mentem reversus, non amplius tam insane aut vesane loqueris.

e) quia odium ad aeterna tormenta perducit;

Vide, homo, quid magis eligas, filium Dei esse an satanae, et si tibi Deus appareret, sicut olim apparuit Labano persequenti Iacobum,[42] tibique diceret ut inimico parceres, appareret etiam satanas suaderetque ne parceres, cui potius morem gerere velles? Nunc autem cum idipsum satanas in cor tuum occulte immittat, sicut olim in cor Iudae ut Christum inimicis proderet,[43] imo in te ingressus, occulte, inquam, animo tuo persuadeat et cor tuum durum efficiat sicut Pharaonis cor,[44] an Deum praecipientem non audis: *Diligite inimicos vestros?* Cur potius vis satanae morem gerere quam Deo obedire? Cur Dei iussa contemnis?

f) quia Deo amorem praecipienti parendum est, non satanae odium suggerenti;

Sed audi adhuc: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.*[45] His verbis Dominus declarat mundum universum divina providentia regi et gubernari, manus Dei omnia operatur. Credis divinam providentiam? Credo, ais. Credis quod sine Dei providentia nihil in mundo fit? Credas ergo quod Deus persecutionem hanc tibi permittit, imo immittit. An ignoras te multa in Deum peccasse, et quod iustissime Deus punire et castigare te potest

g) tandem quia Deus est qui permittit inimicorum persecutiones contra nos.

40) Ms.: *In infernum esse.* 41) Cf. Dn 3, 19-22. 42) Cf. Gn 31, 21-24.
43) Cf. Io 13, 2. 44) Cf. Ex 4, 21; 7, 3. 13. 22; 8, 19; 9, 11. 15; 10, 1. 20. 27.
45) Mt 5, 45.

multis plagis, multis flagellis? Si punire te vellet igne vel aqua, quid ageres? Si te gravissima infirmitate et diuturno languore magnisque laboribus? Quid si te per satanam aut daemonem flagellare, sicut olim Iob,[46] sicut Paulum?[47] Flagellare autem te vult virga inimici tui: *Vae Assur, virga furoris mei!*[48] in ipsa percutiam gentem. Inimicus tuus virga dura in manu Dei est. Noverat Iob Sabaeos atque Chaldaeos bona sua diripuisse et ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit,*[49] et Christus: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam?*[50] David existimavit hoc ipsum, cum Semei ipsum iniuria afficeret.[51]

Promiserat Deus novam legem se daturum,

V. Vidit Moyses in dextera Dei igneam legem,[52] non lapideam illam quam in monte Sinai dederat.[53] Novam legem se daturum per Ieremiam promiserat: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam;*[54] de qua Isaias: *De Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem.*[55]

est autem evangelica, lex pacis et caritatis, vere ignea,

Sed quaenam lex erit ista? Lex pacis et caritatis: *Iudicabit* inter *gentes et arguet populos multos; et conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad proelium.*[56] *Mandatum novum,* inquit, *do vobis ut diligatis invicem,*[57] nam: *Plenitudo... legis est dilectio.*[58] *Ignea lex,* quia ignis caritatis hieroglyphicum est: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio; lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Comparatur caritas igni, sed magno et inextinguibili: *Aquae multae non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Quis... nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?... Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque*

quia caritas ignis magnus, inextinguibilis est, omnem timorem vincens.

46) Cf. Iob 1, 6-2, 1 sqq. 47) Cf. 2 Cor 12, 7. 48) Is 10, 5. 49) Iob 1, 21. 50) Io 18, 11. *Vis ut* lect. cod. 51) Cf. 2 Rg 16, 5-12. 52) Cf. Dt 33, 2. 53) Cf. Ex 24, 12; 33, 1. 54) 31, 31-33. 55) 2, 3. 56) Ibid. vr. 4. 57) Io 13, 34. 58) Rom 13, 10.

Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei. [59] Vincit, [60] inquit, caritas omnem timorem mortis et aliorum quorumvis malorum sive in praesenti saeculo sive in futuro; vincit amorem omnem vitae, omne desiderium, spem omnem sive visibilium sive invisibilium bonorum; vincit potestatem omnis creaturae; sicut aurum est quod nulla vis ignis potest exurere atque consumere.

Hanc caritatem Christus a nobis perfectam requirit erga Deum, quae probatur dilectione inimicorum.

Hanc caritatem a nobis Christus requirit, vult enim ut non solum Deum, nos ipsos, proximos nostros amicitia nobis coniunctos, verum etiam ut inimicos diligamus; ut sit caritas sicut fluvius paradisi in quattuor capita divisus. [61] Vult ut inimicos diligamus propter Deum, ut hinc cognoscamus an Deum vera caritate diligamus – possumus nanque diligere Deum naturali quodam amore – quia caritas supernaturalis est, videtur aurum verum, sed non est; verum aurum in fornace probatur, verus adamas malleo et incude ne sit adulterinus. *Caritas*, inquit Paulus, *patiens est, benigna est . . . omnia suffert;* [62] sic *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem* [63] virtutis caritatis.

Qui ergo inimicum non diligit, vera caritate erga Deum destituitur.

Caritas est sicut ignis ille, qui ad preces Eliae descendit de coelo, qui non tantum carnes holocausti et ligna consumpsit, sed ipsos etiam lapides altaris omnemque aquam quae ad iussum Eliae effusa fuerat super ligna et super altare in magna copia, imo inquit Sacer Textus, quod ignis lambuit aquam, [64] licet aqua sit igni contraria. Caritas tamen delectatur dilectione inimicorum, lambit hanc aquam. Homo ergo cui impossibile videtur inimicos diligere, divina caritate praeditus non est, verus christianus minime censendus est: *In hoc*

59) Ibid. 8, 35-39. 60) In margine haec adiecta fuerunt: « Non vult dicere Paulus quod Angeli vellent nos separare a caritate Dei, sed quod, si per impossibile vellent, non possent. Si homo esset lapis, non viveret, non sentiret; si volaret, haberet alas. Sic alibi loquitur: Si *Angelus de coelo evangelizaret vobis praeterquam quod* evangelizatum est, *anathema sit*. Per fortitudinem Paulus intelligit omnem mundi potentiam, per altitudinem omnem mundi gloriam et paradisi, per profundum ipsum infernum cum omnibus daemonibus. Hinc prima sumitur ratio ad diligendos inimicos urgens a caritate potentissima. Si quis caritatem non habet, iudicat praeceptum impossibile, sicut infirmo impossibile est onus portare; sed: *Si quis . . . indiget* caritate, *postulet a Deo qui dat omnibus affluenter*, sicut Salomoni sapientiam dedit libentissime. Totus mundus efficere non potest ut mater unicum filium non diligat, modo bonus sit carusque ». 61) Cf. Gn 2, 10. 62) 1 Cor 13, 4-7. 63) Rom 5, 3. 64) Cf. 3 Rg 18, 30-38.

cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem [65]

Dilectio haec signum est quo veri christiani dignoscuntur.

Est Christus imperator exercitus fidelium Dei, electorum Dei: *Dilectus meus candidus et rubicundus, vexillifer in decem millibus.* [66] Imperator dat militibus suis militaria signa, militarem tesseram, vestes tessellatas, insignia et signa certa quibus dignoscantur et secernantur ab hostibus. Signum Christi caritas est: *Ordinavit in me caritatem, vexillum eius super me caritas.* [67]

Vera caritate praeditus est qui Deum super omnia diligit.

VI. Hodiernum Evangelium lapis lydius est quo verum dignoscitur aurum, quisnam sit verus christianus, quis ovis de grege Iacob aut Laban. [68] Ille veram habet caritatem qui Deum super omnia diligit, hoc enim requirit a nobis Deus, sicut in Abrahamo elucet iusso ut dilectissimum filium sacrificaret Deo. [69] Ille vere Deum diligit qui super omnia diligit, supra divitias, supra voluptates, supra honores, supra seipsum. Hinc nonnisi in magna tribulatione dignoscitur an homo vere Deum diligat, sicut patet in Iob, si propter Deum patienter ferat adversa, si cum gaudio, ut Apostoli, praeditus caritate est.

Viri sancti etiam in tribulationibus gaudent,

Hinc veri sancti gaudent in tribulationibus et persecutionibus quas Dei et virtutis causa perferunt, quoniam tolerantia malorum Dei amicitia et vera caritas comprobatur. Sicut mulier avidissima prolis, instante hora partus, sentit quidem acerbos dolores et cruciatus, aliquando etiam mortales, sicut de Rebecca [70] et de Rachele [71] legimus, sed tamen gaudet etiam propter desideratam prolem, sic viri sancti: *Gloriamur*, ait, *in tribulationibus;* [72] *Ibant* Apostoli *gaudentes . . . quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati ;* [73] *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis ;* [74] *Exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione Iesu Christi ; quem cum non videritis, diligitis ; in quem nunc quoque non videntes, creditis ; credentes autem exultabitis laetitia*

quia tolerantia malorum vera caritas comprobatur.

65) Io 13, 35. Vulg.: *Cognoscent omnes quia discipuli mei estis*, etc. 66) Ct 5, 10. Ex hebraico. 67) Ibid. 2, 4. 68) Cf. Gn 30, 38-42. 69) Cf. ibid. 22, 1-18. 70) Cf. ibid. 25, 22. 71) Cf. ibid. 35, 16-19. 72) Rom 5, 3. 73) Act 5, 41. 74) Iac 1, 2.

inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestrae salutem animarum vestrarum.[75]

Multas adducit causas laetitiae his verbis Petrus. Fides, inquit, et vera virtus probatur in tribulationibus, sicut aurum in igne. Hinc legimus: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum* et *probatum ut locuples fias et vestimentis albis induaris.*[76] Verum ipsa quoque caritas *ignis*[77] dicitur tum ratione excellentiae, nam ignis elementorum excellentissimum est ac nobilissimum: *Maior... horum est caritas,*[78] tum ratione virtutis, efficaciae et operationum: purgat ignis metalla eaque illustria reddit, splendida et perfecta; purgat, illuminat et perficit aerem; fugat ignis contrarias qualitates: frigiditatem, humiditatem, hinc oritur fumus dum ligna non bene sicca exuruntur.

Hinc caritas ignis dicitur ratione excellentiae et virtutis,

Cum Deus in igne descendit super montem Sinai, totus mons fumabat;[79] ignis ille expellebat a monte contrarias qualitates. Caritas fugat ex anima repugnantes sibi affectiones. Difficultas diligendi inimicos oritur vel maxime ex inordinato mundi amore, quia mundus multo magis quam Deus diligitur, honor mundi multo magis quam gloria Dei aestimatur; caritas autem sicut lux tenebras, sicut sol noctem, expellit ex anima omnes pravos affectus; oritur ex superbia et elatione animi: *Caritas... non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt,*[80] contemnit omnia.

nam purificat animum ab amore honoris mundani,

Christus mundi honorem contempsit, sicut sapiens gemmarius adulterinas gemmas imperitorum oculos decipientes in auro adulterino ligatas. Quis vile et indignum existimet indumentum quo princeps induitur? *Formam servi accipiens... habitu inventus ut homo.*[81] Quis dedignatur facere quod principem ac dominum suum facere conspicit?

quem Christus suo exemplo docuit contemnendum;

Purgat caritas mentem eamque illuminat ut cognoscat insidias diaboli; ostendit quod odisse hominem *ad imaginem et similitudinem Dei*[82] conditum diaboli proprium est non Dei, non Angelorum, non sanctorum Dei, sed satanae et ministrorum eius; quod *qui odit fratrem suum homicida est,*[83] utique suiipsius; quod odium letale venenum est animae; quod si homo vult odio habere veros inimicos,

illuminat mentem ostendens quales sint veri inimici odio habendi,

75) 1 Petr 1, 6-9. *Vestrarum* lec. cod. 76) Apc 3, 18. 77) Cf. Ct 8, 6-7; Lc 12, 49. 78) 1 Cor 13, 13. 79) Cf. Ex 19, 16-18. 80) 1 Cor 13, 5-6. 81) Phil 2, 7. 82) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 83) 1 Io 3, 15.

satanam odio habeat, mundum, carnem suam, seipsum, nam hi sunt acerrimi hostes, crudelissimi inimici salutis nostrae.

idest satanas, mundus et sensus carnis propriae.

Si inimicus tuus aliquid contra te machinatur, non ipse est sed satanas, qui eo utitur tanquam instrumento, tanquam gladio, tanquam equo contra te. Insanus esset miles in bello aut eques qui, cum posset inimicum perdere, non satageret nisi ensem et equum ipsius perdere, quae, victo inimico, utilia ei forent ut trophaea victoriae, sicut fuit Davidi gladius gigantis Goliae.[84] Odio habeas sensum carnis tuae, perversum animum voluntatis tuae, qui tibi saepe venenum peccati propinavit, sicut serpens homini in paradiso,[85] qui te peccati veneno infecit, nam quisquis damnatur cum diabolo et angelis eius ad ignem aeternum,[86] non damnatur nisi ob peccatum; non est autem peccatum nisi voluntarium.

Qui inimico non dimittit, iussa Christi detrectat, morem satanae gerit, damnationem sibi acquirit

VII. *Diligite inimicos vestros.* Sit consilium. Dicas mihi quidnam melius sequi: optimum consilium prudentis amici, imo amantissimi patris, an consilium pessimi inimici? Christus consulit ut diligas, satanas ut odio habeas. Quisnam tibi videtur melior consiliarius? Num putas quod Christus velit te decipere aut perdere, satanas autem salvare? *Diligite inimicos vestros... ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est;* ne sitis filii et imitatores satanae. Nam, o homo, si ferre non potes iniurias ab inimico tibi illatas, quomodo ferre poteris eas quas tibi in inferno daemones inferent, hostes inimicissimi et crudelissimi? Certissimum autem est quod qui inimicis non parcit ex corde, non potest a Deo consequi remissionem peccatorum suorum.

divinae providentiae se non fidere ostendit,

Quod si inimicum odio prosequeris quia vel bona tibi abstulit, vel contra vitam tuam machinatur, dicas mihi: nonne Deus aliquando vitam tibi erepturus est? Num etiam Deum vis odio habere? An putas quod, Deo minime permittente, inimicus tuus potest vitam tibi eripere? Si ita sentis, ubi est divinae providentiae fides? Sed si credis Deo, o homo, dicas: cur sub asseveratione promissionis divinae non fidis teipsum Deo,[87] qui promittit quod si parcas inimicis eosque ipsius causa diligas, tanquam filium te proteget securumque ab inimico reddet servabitque perpetuo? Si credis Deo, cur non fidis? Credis

84) Cf. 1 Rg 17, 54. 85) Cf. Gn 3, 1-6. 86) Cf. Mt 25, 41. 87) Ms.: *Dei.*

ne quod non possit Deus? An quod nolit quod promittit tibi ut decipiat? Absit, absit talis tantaque blasphemia!

Denique, vide si Deus cupidus est etiam honoris tui. Si ad pacem aliquam componendam inter privatos cives princeps intercedat et omnia in se assumat aequissimus et prudentissimus, componitur pax illa multo cum honore partium propter principis auctoritatem et maiestatem. Deus autem summus est princeps, summus mundi moderator et rector, interponit suam auctoritatem ad componendam pacem cum inimicis tuis. Petit a te ut ipsi omnia remittas, et ipse faciet [ut] tu sub ipsius tutela et protectione securus in pace vivas. Quid amplius vis a Deo? Credis Deo? credis Deo? Ostende opera.

et specialem Dei tutelam contemnere.

Si Christus tibi appareret, sicut Paulo apparuit cum persequeretur Ecclesiam, [88] iuberetque ut inimicis parceres, quid ageres? Nonne cum Paulo diceres: *Domine, quid me vis facere?* [89] Apparuit autem Christus Paulo, quoniam non credebat in Christum, sed persequebatur. Si tu credis, quomodo non audis vocem Christi? Ubi est fides tua? An non ipsemet Christus est qui ait: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros ?*

Non est vera fides quae Christo praecipienti non obedit.

Cedat cupiditas caritati, amor proprius divino amori, haec enim duo in mundo sunt nox et dies. Cum in nostro hemisphaerio dies est, lux regnat, in inferiore nox est, et e contra. Caritas et cupiditas sunt duae lances in bilance, quantum una elevatur tantum altera deprimitur. Quo Dei caritas superior fuerit eo cupiditas inferior. Si durum cor nostrum est, Moyses virga de petra aquas eduxit, [90] Christus de cordibus Ioseph, [91] Davidis, [92] Stephani, [93] Pauli [94] aquas amoris erga inimicos. O utinam auferat a nobis Deus cor lapideum et det nobis cor carneum, [95] cor tenerum, cor praeditum divina caritate et christiana pietate, cor filiorum Dei!

Cupiditas et amor proprius inimici sunt caritatis.

VIII. *Diligite inimicos vestros.* Veluti in gratiam petit a nobis Christus humanissimus princeps: *Legatione fungimur pro Christo tanquam Deo per nos exhortante: Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* [96] Hortatur Deus, obsecrat Christus ut inimicos diligas:

Difficiles sumus ad inimicos diligendos

88) Cf. Act 9, 3-5. 89) Ibid. vr. 6. 90) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 9-11.
91) Cf. Gn 42, 1-45, 1 sqq. 92) Cf. 2 Rg 1, 11 sqq.; 18, 33; 19, 4; Ps 7, 5; 34, 12-14.
93) Cf. Act 7, 59. 94) Cf. Rom 9, 3. 95) Cf. Ez 11, 19; 36, 26. 96) 2 Cor 5, 20. Vulg.: *Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*, etc.

quia nec Deum, nec amicos, nec nos ipsos vere diligimus.

quid facies? An non vis tu diligi ab omnibus? non laedi sed beneficiis affici etiam ab inimicis? Difficiles sumus ad inimicos diligendos, quia cupiditate pleni sumus, non caritate, quia nec amicos vere diligimus nisi utilitatis aut voluptatis intuitu, imo nec Deum nec nos ipsos vere diligimus: Nam *qui ... diligit iniquitatem, odit animam suam*;[97] *qui* carnali amore *diligit animam suam, perdet eam; qui* autem spirituali odio *odit animam suam*, perpetuo, *in vitam aeternam custodit eam.*[98] Videmur diligere nos ipsos, cum vere odio nos ipsos habeamus, sicut infirmus dum noxia appetit et appetitui indulgere vult, odit seipsum, nam seipsum interficit. Si vere diligeret vitam, patienter ferret molestias gratia consequendae sanitatis.

Qui inimicum non diligit, salutem sperare nequit.

Fratres mei, probet seipsum homo, et videat an sit in caritate, nam sine caritate, ut Paulus docet, nemo salvari potest: Si *caritatem ... non habeam, nihil sum ... nihil mihi prodest.*[99] Qui autem non est paratus diligere inimicos, caritatem vere non habet; ergo non est in statu salutis. Ad hunc ergo lapidem probare opus est aurum nostri amoris, an vera caritas in nobis sit necne.[100]

97) Ps 10, 6. 98) Io 12, 25. Vulg.: *Qui amat animam.* 99) 1 Cor 13, 2-3. Vulg.: *Caritatem... non habuero*, etc. 100) Pro Sabbato post Cineres tantummodo inscriptio ponitur; tribus autem foliis albis relictis, transitur ad Dominicam.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta, etc.

I. Proponitur nobis hodie Christus tanquam archetypum divinumque christiani hominis exemplar; ipse nanque est exemplar totius generis humani: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... Creavit Deus hominem ad imaginem suam.* [2] Sed Christus est imago Dei, ut Paulus ait: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.* [3] Ad Christi imaginem factus est homo, nam, ut ipse Paulus ait: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* [4] Sic ad similitudinem illius humanae formae, quam Dei Filius assumpturus erat, factus fuit homo. [5] Sic Christus exemplar extitit totius humani generis quoad naturam, quoad gratiam, quoad gloriam.

Christus exemplar nostrum est quoad naturam, gratiam et gloriam,

Sed hodie exemplar proponitur hominis christiani quoad initium, medium et finem christianae vitae. Quoad initium in baptismo, quoad medium in deserto et quoad finem in corona victoriae, nam: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei.* [6] Quoad principium ostenditur summa dignitas et nobilitas christiani hominis in baptismo Christi; non enim baptizatus fuit Christus nisi quatenus homo et exemplar hominis fidelis Dei electi. Christus in baptismo declaratus fuit Filius Dei, heres coeli et Spiritus Sancti templum, nam super eum aperti sunt coeli et descendit Spiritus Sanctus et vox Patris intonuit: *Hic est Filius meus dilectus.* [7]

sed hodie exemplar proponitur vitae christianae quoad initium, medium et finem.

1) Pericope huius diei Mt 4, 1-11. Cf. Missale Rom. 2) Gn 1, 26-27. 3) Col 1, 15. 4) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.* 5) Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim,* pag. 198-199. 6) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt,* etc. 7) Ibid. 3, 16 sq.

Per Baptismum homo renascitur filius Dei.

II. Baptismus *sacramentum* a Paulo dicitur *regenerationis et renovationis Spiritus Sancti,* [8] quia natus homo in mundo filius hominis, in Baptismo in Ecclesia renascitur filius Dei: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* [9] O summam christiani hominis dignitatem, ineffabilem nobilitatem, ut Baptismi gratia filius sit Dei! *Videte,* fratres, *qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus;* [10] *Dedit eis potestatem filios Dei fieri . . . qui . . . ex Deo nati sunt.* [11] Paulus autem argumentatur: Quod *si . . . filii, et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* [12]

quod innuit etiam Moyses,

Innuit hoc Moyses quod homo conditus fuit filius Dei; hoc nanque videtur esse id quod ait quod homo factus sit *ad imaginem et similitudinem Dei,* nam ait quod Adam *genuit ad imaginem et similitudinem suam.* [13] Cum enim dicere vellet quod genuit filium Seth, ait: וַיּוֹלֶד בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ, [14] *genuit in similitudine sua,* quasi imaginem suam, periphrasis est: Genuit filium.

iustos Antiquae Legis filios Dei vocans, quamvis tales non essent ut christiani,

Etiam sancti Veteris Testamenti dicti sunt *filii Dei : Filius meus primogenitus Israel;* [15] *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes.* [16] Sed singulariter filii Dei dicuntur christiani, nam licet illi quatenus sancti in gratia constituti filii Dei essent, non tamen in statu [erant] filiorum Dei; sicut principis filius occultus, ignotus, ipsi tantum principi notus, est quidem verus principis filius, sed tamen non est in statu filii, non habetur, non honoratur tanquam filius, quia non est declaratus filius. Hoc est quod Paulus ait: *Filius quanto tempore parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad tempus praefinitum a patre. Ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii* Dei, *misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater. Itaque iam non est servus sed filius, quod si filius, et heres per Deum.* [17]

Ostenditur autem triplici ex capite dignitas et nobilitas christiani hominis: a principio, a fine et a medio. A principio, quia filius dicitur

8) Tit 3, 5. 9) Io 3, 5. 10) 1 Io 3, 1. 11) Io 1, 12-13. 12) Rom 8, 17. 13) Gn 5, 3. 14) Ms.: *Vaioled bidmutho chezalmo.* 15) Ex 4, 22. 16) Ps 81, 6. 17) Gal 4, 1-7. Vulg.: *Quanto tempore heres . . . usque ad praefinitum tempus,* etc.

Dei. Quid altius, quid sublimius excogitari potest? In regali palatio post regem quis honoratior gradus filii naturalis et post naturalem adoptivi? [18] A fine, quia heres Dei, quia princeps futurus est paradisi, princeps regni coelestis. A medio, quia templum Spiritus Sancti constituitur.

qui vere constituti sunt filii et heredes Dei, templa Spiritus S.

Sicut autem homo per animam rationalem differt a brutis vitamque ducit multo nobiliorem, licet sensum habeat communem cum brutis, ita homo christianus per Spiritum Sanctum vitam ducit ceteris hominibus multo nobiliorem, vitam angelicam, coelestem: *Nostra ... conversatio in coelis est;* [19] nam Spiritus Sanctus dat homini animum erga Deum optimi filii erga optimum et amantissimum patrem. Regitur vita hominis christiani a Spiritu Sancto, sicut corpus ab anima regitur; est nanque Spiritus Sanctus veluti anima animae nostrae, est spiritus nostri spiritus, animus cordis nostri.

Spiritus S. regit vitam hominis christiani et est veluti anima spiritus nostri.

III. Sed adhuc videte christiani hominis dignitatem. Prudens princeps, quandiu filius parvulus est, providet ei optimum magistrum morum et litterarum. Sic Deus dat christiano homini Spiritum Sanctum tanquam magistrum morum: *Ductus est in desertum a Spiritu ;* assignat ei custodes fideles, dat ei de custodia sua lancearios suos; ecce: *Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis ; in manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* [20]

Spiritus S. magister et paedagogus, est.

Et quoniam quandiu parvulus homo est delectatur potius puerilibus ludis quam studio litterarum atque virtutum, blanditiis allicere eum oportet, ut ad ludum litterarium pergat. Allicitur puer nobilis blandimentis verborum, ostenduntur ei pulcra, datur ei aliqua avicula, mittitur ad gymnasium cum bono paedagogo et magistro morum. Sic fecisse hodie visus est Deus. En blandimenta verborum: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.* [21] Ostendit ei pulcra apertis coelis; dat ei aviculam columbam de coelo; dat ei paedagogum ductorem: *Ductus est in desertum a Spiritu.* Sic allicitur puer ac veluti decipitur, sed optima fallacia, optima deceptione pellicitur.

qui christianum dulciter allicit ad virtutem.

Per Oseam Dominus ait: *Ecce ego lactabo eam et ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius ... et canet ibi iuxta dies iu-*

Hoc innuit etiam Oseas

18) Ms.: *Adoptivum.* 19) Phil 3, 20. 20) Ps 90, 11-12. 21) Mt 3, 17.

ventutis suae et iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti. [22] Hebraice est: *Ego decipiam* eam, nam פְּתִי [23] dicitur hebraice p u e r p a r v u l u s, quia facile decipitur. Agam, inquit, sicut agere solent parentes cum parvulis filiis, agunt enim quandoque ut in gymnasio dentur eis bellaria ad alliciendos eos, ut libenter ad ludum litterarium pergant. Gymnasium Dei desertum est: ibi Hebraeos legem docuit, [24] sanctas litteras, optimos mores, disciplinam etiam militarem in pugna contra Amalec regesque chananaeos; [25] sed pluit eis manna de coelo [26] tanquam bellaria ex mensa paradisi.

et ostendit hodie Christus, qui a diabolo impetitus diabolum vicit.

Sic *ductus est* Christus *in desertum a Spiritu* ad ludum litterarium, in quo quadraginta dierum spatio multa didicit, ita ut doctoratus honorem et insignia meruerit. Cum enim venisset ad disputandum et arguendum contra eum satanas, optime respondit, sophistica ipsius argumenta optime solvit, vicit, confusum dimisit sophistam. Ecce doctrina quam a Spiritu Sancto Christus didicerat: *Scriptum est: Non in solo pane vivit homo;* [27] *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum;* [28] *Scriptum est . . . Dominum Deum tuum adorabis.* [29] Litteras didicit Christus, nec tantum litteras, sed etiam bonos mores: *Non tentabis Dominum, adorabis Dominum et illi soli servies.* Gladiaturam etiam didicit, et cum satana in agone contendens, optimum gladiatorem se ostendit: *Qui docet manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum.* [30]

In christiano. Deus requirit animum nobilem, fortem et verae gloriae cupidum.

In christiano Deus animum requirit nobilem contemptorem saecularium vanitatum, pomparum mundi, contemptorem carnis suae; animum requirit virilem fortissimi militis, non femineum animum; requirit nobilem professionem, qualis est professio litterarum, professio sanctioris vitae, morum optimorum, professio militaris disciplinae; animum requirit veri honoris et verae gloriae cupidum, qualis necesse est ut sit in bono et honorato milite.

Christus ostendit hodie animum vere nobilem

IV. Vita Christi in deserto, relicto saeculo, fuit ieiunium et oratio: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Talis est vita veri christiani. Ostendit Christus hodie animum vere nobilem et gene-

22) 2, 14-15. 23) Ms.: *Pethi.* 24) Cf. Ex 20, 1 sqq. 25) Cf. ibid. 17, 8 sqq. 26) Cf. ibid. 16, 13 sqq. 27) Mt 4, 4. 28) Ibid. vr. 7. 29) Ibid. vr. 10. 30) Ps 17, 35.

rosum, qui pluris aestimat honorem quam totum mundum. Ait satanas: *Haec omnia tibi dabo – omnia regna mundi et gloriam eorum, – si cadens adoraveris me.* Cui Christus: *Vade, satana, scriptum est... Dominum Deum tuum adorabis.*[31] Vis ut sim Dei et Domini mei desertor? proditor? ut fiam ei rebellis tibique ipsius inimico serviam? Pluris, inquit, aestimanda est gratia Dei quam omnis mundi gloria.

Pertrahere voluit Christum ad peccatum sub spe divinae bonitatis et sub spe magnae utilitatis. Sed non est bona mulier, quae viro frangit fidem sub spe veniae a viro consequendae, etiam magnae utilitatis intuitu; non bonus et fidelis servus, qui domino proditionem parat promissis magnis corruptus, licet certus quodammodo esse possit veniae, sciens quod ipsius dominus optimus sit et clementissimus, nam licet veniam consequatur, qua fronte poterit illius se praesentare conspectui? Gratia Dei est sicut libertas, de qua ille ait: docens nunquam et nulla utilitate servitium Dei deserendum esse,

« Non bene pro toto libertas venditur auro »;[32]

est sicut honor, maxime mulieris. Vult Dominus ut servus illius sit sicut decantatus ille bucephalus qui, praeter Alexandrum, neminem admittebat sessorem:[33] *Illi soli servies.*

Christiani hominis anima adeo cara et pretiosa res est, ut pro ea satanas totum offerat mundum: *Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum... Haec omnia tibi dabo.* Nos infelices, quam minimi facimus pretiosissimam margaritam, ad quam emendam Christus pretium sanguinis sui solvit: *Inventa... una pretiosa margarita,* dedit omnia sua et comparavit eam[34] mercator prudentissimus! nil enim pretiosius est in mundo quam anima.

V. Tandem ibi clauditur christiani hominis dignitas: *Superata omni tentatione,*[35] *accesserunt Angeli et ministrabant ei.* O summum honorem! o gloriam hominis infinitam! Lazarus ille mendicus ab Angelis portatus fuit in sinum Abrahae;[36] Elias igneo curru, idest angelico ministerio, raptus fuit in coelum;[37] scalam legimus per quam Angeli ascendebant et descendebant[38] in ministerium hominis: *Accesserunt* Dignitas christiana ostenditur etiam ex fine

31) Mt 4, 8-10. Ordine inverso affert hos vrr. 32) *Fabulae Aesopianae*, fab. 54, *De Cane et Lupo*, interprete Gualtero Anglico. Hervieux *Les Fabulistes Latins*, vol. 2, pag. 344. 33) Cf. Plutarchus *Ethica*, *De Animantium Comparatione*, pag. 458; *Illustrium Vitae*, Alexander Magnus, f. 233ᵃ. 34) Mt 13, 46. 35) Lc 4, 13. Vulg.: *Consummata omni tentatione.* 36) Cf. ibid. 16, 22. 37) Cf. 4 Rg 2, 11-12. 38) Cf. Gn 28, 12.

Angeli et ministrabant ei ; Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi his qui hereditatem capient. [39]

Sed si adeo nobilis homo christianus est, cur ducitur in desertum et non in paradisum? Adam in paradisum ductus fuit; [40] sed nobilissimos principis filios cibis oportet delicatissimis ac pretiosissimis nobilissimisque enutriri. Quicquid sub Deo est, vile admodum est Dei comparatione. Cibi paradisi tanquam terreni et viles Adamum malis humoribus repleverunt, reddiderunt corpus cacochymum; [41] in deserto autem pavit Deus filios suos pane Angelorum. Quis autem panis Angelorum nisi Deus? *Ego*, ait Raphael, *cibo invisibili ... utor.* [42] Quo cibo alebatur Moyses in monte? Divino. Quo Christus in deserto? *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* [43] Desertum hebraice dicitur מִדְבָּר, [44] idest a b s q u e v e r b o, idest ubi nihil boni est. Sed ubi nihil est, ibi Deus est, qui solus vult esse cum anima sola tanquam sponsus cum sponsa.

qui est gloria paradisi et fruitio Dei.


VI. Sic proponitur nobis hodie Christus tanquam exemplar: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi ... monstratum est;* [45] *Exemplum ... dedi vobis ut quemadmodum ego feci ... ita et vos faciatis;* [46] *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.* [47] Fratres mei, si, ut ille [ait]:

Christum in deserto christiani sequi debent.

« Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent ut vita regentum;
Mobile mutatur semper cum principe vulgus », [48]

si rex pergat ad bellum, quotnam sunt qui eum sequuntur? Hebraei in deserto ductum columnae nubis et ignis, in qua erat Angelus Domini, sequebantur; [49] Elias suo exemplo multos traxit in desertum, multos Eliseus vitam ducens eremiticam in montem Carmeli; [50] nos non pertrahet Christus? Si ducem Christum non sequimur, quomodo ipsius milites sumus? Quomodo ipsius spiritu ducimur?

39) Hebr 1, 14. Vulg.: *Missi propter eos qui*, etc. 40) Cf. Gn 2, 15. 41) De hac voce cf. Forcellini *Appendix Novissima.* 42) Tob 12, 19. 43) Mt 4, 4. 44) Ms.: *Midbar.* 45) Ex 25, 40. 46) Io 13, 15. 47) 1 Petr 2, 21. 48) Claudianus *De IV Consulatu Honorii Augusti*, vrr. 299-302. 49) Cf. Ex 13, 21; Nm 9, 15 sqq. 50) Cf. Corn. a Lapide *Comment. in lib. 3 Regum.* cp. 18, pag. 198.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

Ductus est in desertum a Spiritu. Mirum in modum Spiritus Sanctus, Deus ipse deserto delectatur. In deserto apparuit Iacob,[51] in deserto Moysi,[52] in deserto dare voluit legem multaque et magna miracula operari,[53] per desertum ducere populum suum in terram promissionis.[54] Magnum divinae virtutis miraculum est ut in deserto, ubi nihil boni reperitur, hominem avidissimum boni, cuius est insatiabilis cupiditas, ut patet in desideriis divitiarum, honorum et voluptatum, in deserto, inquam, hominem teneat saturum, contentum, absque fame et siti; nam ait quod: *Cum ieiunasset quadraginta diebus... postea esuriit;*[55] ergo quadraginta dierum spatio absque fame et siti in deserto mansit, quoniam divinitus alebatur sicut Moyses in monte.[56] Qui Deum habet, contentus est multo magis quam si mille mundos possideret.

Deus valde delectari videtur deserto.

Ductus est... ut tentaretur a diabolo. Sicut probatur aurum in fornace, adamas ad incudem; non probatur aes aut cuprum in fornace, sed aurum, quia nobilissimum metallum, sic tentantur electi Dei *sicut aurum in fornace.*[57]

In tentatione probantur electi.

II. ALIA HOMILIA

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset.[1]

I. Sicut Adam pater noster, postquam *ad imaginem et similitudinem Dei*[2] formatus fuit virili perfectaque aetate, ductus in paradisum fuit: *Tulit... Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum*[3] ibique a diabolo tentatus fuit,[4] sic hodie Christus, cum ad perfectam aetatem triginta annorum devenisset, in Iordane verus Dei Filius, Dei perfecta imago et similitudo declaratus,[5] in desertum ductus fuit *ut tentaretur a diabolo,* a serpente antiquo,[6] a satana humani generis hoste crudelissimo.

Sicut diabolus tentavit Adam in paradiso et Christum in deserto.

51) Cf. Gn 28, 10 sqq. 52) Cf. Ex 3, 1-6. 53) Cf. ibid. 20, 1 sqq.; Ps 77, 13-55. 54) Cf. Ex 13, 17-18. 55) Mt 4, 2. 56) Cf. Ex 24, 18; 34, 28; Dt 9, 9. 18. 57) Sap 3, 6. Vulg.: *Tanquam aurum,* etc.

1) Mt 4, 1-2. 2) Gn 1, 26-27. 3) Ibid. 2, 15. 4) Cf. ibid. 3, 1-5. 5) Cf. Mt 3, 13 sqq.; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-23. 6) Cf. Apc 12, 9; 20, 2.

sic tentat fideles quosque,

Sicut autem Adamum in paradiso tentavit et Christum in deserto, sic tentat fideles quosque. Haec enim eius est ars, haec professio, hoc studium ipsius et perpetuum exercitium: tentare, instigare, inducere pravis persuasionibus homines Dei fideles ad peccandum. Hinc dicitur *tentator.* [7]

et sicut invidia motus tentavit Adam et Christum, sic eadem causa tentat etiam fideles,

Invidia motus tentavit Adamum videns eius gloriam in terrestri paradiso et praevidens multo maiorem in coelesti: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum,* [8] ita ut videretur veluti alter Deus, Dei vices gerens in hoc mundo. Ob eandem causam tentavit Christum videns quod in Iordane super eum aperti sunt coeli descenditque Spiritus Sanctus super eum et vox Dei intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* bene *complacui.* [9] Sic tentat quemlibet Christi fidelem – nam quilibet frater Christi est, Dei filius et heres, – propter invidiam et odium in humanum genus: *Adversarius vester,* idest inimicus, *diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* [10] Hoc est quo satanas maxime cruciatur, quod homo in Baptismo constitutus est filius Dei, heres paradisi, factus templum Spiritus Sancti.

multis modis et sub variis formis.

Simili modo tentavit Adamum et Christum, illum forma corporea serpentis assumpta, Christum assumpta forma hominis, forte eremitae. Varias assumpsit formas quoniam multis modis tentat, hinc nunc dicitur *leo rugiens*, nunc *lupus rapax,* [11] nunc *serpens antiquus*, nunc *draco magnus;* [12] semper tamen ad peccandum invitat, hoc est enim tentare, instigare ad peccandum.

Tentavit primo Christum de incredulitate et diffidentia;

II. Sed ad quodnam peccatum pertrahere voluit hodie Christum? Ad peccatum utique incredulitatis, infidelitatis, diffidentiae et desperationis. Christum nanque tentavit ut hominem sanctum, Deo carissimum, sicut in Iordane dictum ei fuit coelesti oraculo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Haec divina est veri-

7) Mt 4, 3. 8) Gn 1, 26-27. Vulg.: *E praesit piscibus*, etc. 9) Mt 3, 17.
10) 1 Petr 5, 8-9. 11) Cf. Io 10, 12. 12) Cf. Apc 12, 3 sqq.; 13, 2-11; 16, 13; 20, 2.

tas, certa, infallibilis, hanc tamen revocare quaerit in dubium: *Si Filius Dei es :* [13] vox, inquit, quam de coelo audisti, forte illusio quaedam fuit, nam *si Filius Dei es*, ubinam est paterna caritas, cura et providentia erga te? Quadraginta diebus ieiunasti, nunc autem esuris, famem pateris, nec habes quod manduces: ubi est necessarius cibus quem tibi Deus providit? Num dedit tibi potestatem ut possis lapides in panes convertere?

Tali argumento impugnat et expugnare quaerit fidem et veritatem coelestis oraculi. Sic etiam tentavit primos homines: *Cur praecepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi?* [14] Qua de causa nisi quia pravo in vos animo affectus est? Alioquin non prohibuisset vobis talem tantumque bonum; sed scit quia *quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis tanquam dii scientes bonum et malum.* [15] Quare tunc quoque fallaci sophismate impugnavit et expugnavit fidem divinae erga hominem caritatis utique paternae, nam hoc est esse ad imaginem Dei, filium esse Dei, sicut de Adam legimus: *Genuit ad imaginem... suam.* [16] Quare sic tunc quoque argumentatus fuit: Si Deus pater vester esset amantissimus, ut par est, non interdixisset vobis esum cibi optimi et suavissimi divinaeque virtutis.

sic et primos homines tentavit ut de paterna providentia Dei et amore dubitarent;

Tentans hominem in paradiso multa magnaque ei promisit: *Nequaquam... moriemini :* vitae perpetuam immortalitatem; *Eritis tanquam dii :* divinos honores, et divinam scientiam: *Scientes bonum et malum.* Sic et hodie Christum tentat: *Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum et dixit... Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* [17] Sed haec Christus nec aspicere quidem voluit.

sed tum istis tum Christo multa et magna promittens;

Sicut autem tentavit Christum, ita nos quoque tentat ut in peccatum pertrahat et in perditionis barathrum impellat. Christum tentavit satanas post baptismum, post fugam mundi, post ieiunium et perpetuam orationem. Non tentat satanas nisi eos qui sanctam vitam ducunt, vitam utique filiorum Dei et quos per fidei Sacramentum filios Dei novit; nam qui in peccatis vivunt et mundo serviunt, omnes ipsius sunt, servi Pharaonis, [18] sub potestate tenebrarum [18a]

sic tentat etiam fideles, maxime qui vitam sanctam ducunt.

13) Mt 4, 3. 14) Gn 3, 1. Vulg.: *Ut non comederetis*, etc. 15) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Sicut dii*, etc. 16) Ibid. 5, 3. 17) Mt 4, 8-9. 18) Cf. Ex 1, 8 sqq. 18a) Cf. Col 1, 13.

in captivitate babylonica constituti;[19] sed qui *spiritu Dei aguntur,*[20] cum sint filii Dei, hi sunt qui a satana tentantur ut pereant.

Tractat hoc mysterium Regius Vates docens quis tentetur,

III. Regius Vates pertractat mysteria hodierni Evangelii, docet enim quisnam est qui tentatur, a quo tentatur, et quam ob causam tentatur, qua ratione etiam sese a tentationibus insultibusque tueri possit. Quis est qui tentatur? *Qui habitat in adiutorio,* in secreto latibulo *Altissimi, in protectione, in umbra omnipotentis Dei commorabitur,* ita ut dicat Domino: *Susceptor meus es tu et refugium meum, Deus meus sperabo in eum.* Quicunque, inquit, sub umbra et tutela Dei vivit tanquam filius Dei, hic a Deo protectus a daemonio tentatur.

quidnam sit tentatio, quare quis tentetur

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium et a verbo aspero.[21] His verbis declarat quidnam sit tentatio, sicut et Paulus: *Ut non in tentationem incidat et in laqueum diaboli.*[22] Satanas nanque venator est peritissimus sicut Nemrod,[23] piscator et auceps omni arte instructus ad capiendas animas. Hinc hebraice est: מִפַּח יָקוּשׁ,[24] *de laqueo aucupis irretitoris,* illaqueatoris, *et a verbo aspero,* a periculo infortuniorum, minarum, a peste exitiali; dum enim satanas tentat, perdere nos quaerit, peste inficere, interitui dare. Quare designat quod verbum tentatoris est tanquam aer pestifer, sicut flatus draconis aut reguli aspectus, qui hominem interimit.[25]

et quomodo tentetur.

Appellat etiam tentationem *timorem nocturnum* dicens: *Non timebis a timore nocturno,*[26] ubi furem ostendit esse satanam, qui nocte domum perfodit ad virtutum et meritorum spolia diripienda et ad nos perdendos; nocturnum periculum est bonorum nostrorum vitae et salutis.

Satanas tentat occulte et manifeste,

Adhuc autem: *A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano.*[27] Est, inquit, satanas peritissimus sagittarius, sicut Ismael in deserto;[28] tentatio autem sagitta est ab eo immissa ad perdendam animam. Cum manifeste nos tentat, *ostendit . . . omnia regna mundi et gloriam eorum . . . Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me ; Eritis sicut dii.* Occultam

19) Cf. 4 Rg 24, 14-16. 20) Rom 8, 14. 21) Ps 90 (hebr. 91), 1-3. 22) 1 Tim 3, 7. Vulg.: *In opprobrium incidat,* etc. 23) Cf. Gn 10, 9. 24) Ms.: *Mipach iakusc.* 25) Cf. S. Hieronymus *Comment. in Isaiam,* lib. 6, (P. L. 24, 166); Plinius *Hist. Nat.,* lib. 8, cp. 21, pag. 84. 26) Ps 90 (hebr. 91), 5. 27) Ibid. vr. 6. 28) Cf. Gn 21, 20.

autem tentationem appellat *negotium perambulans in tenebris*. Quattuor docet tentationum genera et salutis nostrae pericula, duo nocturna et duo diurna: *Non timebis a timore nocturno*, nec *a sagitta volante* per diem, non *a negotio perambulante in tenebris*, neque *ab incursu et daemonio meridiano*. Nam tentationes hae quidem occultae sunt, illae autem manifestae; haec parvae, subitae, cito transeuntes, illae magnae, diuturnae, importunae.

utitur etiam stratagemate;

Utitur aliquando militari stratagemate, quo usus fuit Gedeon in Madianitas; parva enim militum manu nocte in tenebris adorsus fuit innumeras Madianitarum copias potentissimumque exercitum irruitque in eos et fudit atque fugavit. [29] *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die.*

sic subdole prius Christum tentat de diffidentia,

Prima tentatio qua Christum petiit timor fuit nocturnus et sagitta volans, tentatio partim spiritualis, ut dubium aut scrupulum ei immitteret de fide coelestis oraculi paternaque Dei caritate et providentia; partim corporalis, nam famem et corporis necessitatem panisque et cibi defectum ei ob oculos posuit. Tentatio carnalis et superflua sollicitudo rerum corporalium sagitta est volans per diem.

deinde de praesumptione

Altera autem tentatio: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, [30] negotium ambulans in tenebris, occulta tentatio; *Transfigurat se in angelum lucis:* [31] utitur testimonio Scripturae ad decipiendum; proponit ob oculos magnam Dei misericordiam divinamque erga nos caritatem, merita Christi, promissiones Dei, ut faciles simus ad peccandum nosque ex alto praecipitandum. Haec pestis occulta est, sed perniciosissima.

et tandem de idololatria;

Tandem ultima tentatio: incursus et daemonium meridianum: *Haec omnia tibi dabo*. Hic omnes vires suas collegit satanas ad impugnandam et expugnandam et capiendam inexpugnabilem arcem insuperabilis virtutis Christi. Sed repulsus fuit: *Vade, Satana*. [32] Hinc vere ait: *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo :* [33] nulla, inquit, poteris tentatione vinci et superari; non continget tibi ut in peccatum incidas, et satanae flagellum, quo flagellavit Iob, [34] non te laedet, nil tibi nocebit, *quoniam tu, Domine, spem meam, ipsum altissimum posuisti refugium tuum*, habitaculum

29) Cf. Idc 7, 15 sqq. 30) Mt 4, 6. 31) 2 Cor 11, 14. 32) Mt 4, 10. 33) Ps 90 (hebr. 91), 10. 34) Cf. Iob 1, 13-2, 1 sqq.

sed sicut Christus quilibet fidelis de satana triumphabit fretus divino adiutorio,

tuum.[35] Cum habites *in habitaculo secreto Altissimi, sub umbra et protectione omnipotentis Dei*, tanquam filius unice dilectus, vinces, inquit, et superabis omnes tentationes, sicut vicit Christus, triplici de causa: primo quidem, propter divinum adiutorium, nam *ipse*, inquit, *liberabit te de laqueo venantium et a verbo aspero, scapulis suis obumbrabit tibi et sub pennis eius sperabis :* securi sunt pulli a milvis aliisque rapacibus avibus quandiu sunt sub alis gallinae amantissimae matris; secundo, propter virtutis fideique praesidium, nam ait: *Scuto circumdabit te veritas eius*,[36] fides eius; sic Paulus ait: *Accipite armaturam Dei . . . sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*[37] Sic Christus egit hodie: *Non in solo pane, scriptum est*, ait, *vivet homo . . . Non tentabis Dominum Deum tuum . . . Dominum Deum tuum adorabis*, etc.;[38] sacra nanque Scriptura turris est David, *quae aedificata est cum propugnaculis ; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*,[39] nam gladius spiritus est verbum Dei;[40] tertio, propter angelicam custodiam, siquidem: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;*[41] *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel ; omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi; uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*,[42] idest propter satanicas tentationes, ad salvandam sponsam a nocturnis inimicorum periculis. Sic legimus coelestium Angelorum exercitum paratum et instructum in aciem terribilem ac formidabilem contra Syros in salutem Elisei prophetae.[43]

fidei praesidio et angelica custodia.

His de causis, inquit, diabolum semper vinces: *Super aspidem et basiliscum ambulabis . . . conculcabis leonem et draconem.*[44] His nominibus tentator designatur. *Super aspidem*, sive *pardum*, contra pardum ibis, qui tribus saltibus feram nisi capiat, confusus et veluti rubore suffusus eam dimittit.[45] Contra pardum et basiliscum ibis vincesque, prosternes, *conculcabis leonem et draconem*. Quattuor nominibus tentatorem appellat, sicut quattuor tentationes dixerat. Pardus et leo viribus potentes terrent feras, potentia agunt; aspis vero et serpens dolis venenisque inficiunt et perdunt quos aggrediuntur; aspis et ser-

Quattuor nominibus tentator appellatur pro quattuor tentationum generibus.

35) Ps 90 (hebr. 91), 9. 36) Ibid. vrr. 4-5. 37) Eph 6, 13-16. 38) Mt 4, 4-10. Ordine inverso affert vr. 4. 39) Ct 4, 4. 40) Cf. Eph 6, 17. 41) Ps 90 (hebr. 91), 11. 42) Ct 3, 7-8. 43) Cf. 4 Rg 6, 17-20. 44) Ps 90 (hebr. 91), 13. 45) Cf. Conradus Gesnerus *Historia Animalium*, lib. 1, pag. 825. 831.

pens occulte nocent, pardus autem et leo manifeste. Leo potentior maiorque pardo est, draco autem aspide multo potentior et nocentior.

IV. Sed tandem quis apud Deum tentationis finis? Corona salutis: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum; longitudine dierum replebo eum et ostendam illi salutare meum;* [46] *Superata omni tentatione,* [47] *accesserunt Angeli et ministrabant ei;* [48] *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit;* [49] *Bonum certamen,* etc.; *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi ... iustus iudex.* [50] Hanc ob causam tentat nos satanas, ne ad coronam coelestis gloriae in empyreo, unde pulsus ipse fuit, [51] nos perducamur. Ismael invidia stimulatus persequebatur Isaac ne heres esset paternae hereditatis; [52] Esau persequebatur Iacob ne paternam hereditaret benedictionem; [53] Saul persequebatur David ne ad coronam regni deveniret. [54]

Finis cuiusque tentationis diaboli est ne consequamur coronam gloriae;

Non potest pati satanas videre terrenum hominem supra coelum sublimatum, cum ipse coelestis angelus in infernum infra terram sit destinatus. Hinc etsi novit quod tentando et pertrahendo homines ad peccata multo maiores daturus sit poenas, nanque maledictus fuit a Deo multisque poenis affectus eo quod primos homines in peccatum pertraxit, [55] tentare tamen non desinit; non curat unum sibi oculum erui, modo nobis ambo eruantur. Et quidem multos perdit, nam ait: *Cadent a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis.* [56] Pestis dicitur tentatio satanae, innumeros perimit. Bellum est contra nos: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,* non est nobis bellum cum hominibus, *sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.* [57] In hoc autem bello, inquit, cadunt vulnerati multi: *A latere tuo mille et decem millia a dextris tuis.*

non potest enim pati videre hominem supra coelum sublimatum, unde ipse eiectus fuit,

V. Tentando nos satanas taliter quaerit et satagit in peccatum trahere ut, si possibile est, excusationem non habeamus de peccato. Hinc taliter suadet transgressionem divinae legis, ut tamen legem

Tentans satanas divina iussa ad mentem revocat,

46) Ps 90, 15 sq. 47) Lc 4, 13. Vulg.: *Consummata omni tentatione.* 48) Mt 4, 11. Vulg.: *Angeli accesserunt,* etc. 49) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur,* etc. *Non coronabitur* lect. cod. 50) Ibid. 4, 7-8. 51) Cf. Is 14, 12-15; Lc 10, 18; 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 52) Cf. Gn 21, 9; Gal 4, 29. 53) Cf. Gn 27, 41. 54) Cf. 1 Rg 18, 9 sqq. 55) Cf. Gn 3, 14-15. 56) Ps 90 (hebr. 91), 7. 57) Eph 6, 12.

ut nulla excusatio habeatur de peccato,

ipsam ob oculos ponat: *Cur praecepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi?* Reduxit eis in mentem divinum praeceptum et sic ad illius transgressionem induxit, ut scirent se divinam legem violare. Sic hodie: *Si Filius Dei es:* repetit coeleste oraculum ut in dubium illud vertat aut minime verum persuadeat. Non vult iniquus ut peccans possit ignorantiam aut oblivionem praetexere. Sciens quod *servus qui cognovit voluntatem domini sui . . . faciens digna plagis, vapulabit multis,* [58] ita tamen divina iussa ad mentem reducit tentans, ut calumnietur vel ipsam legem vel animum Dei legislatoris: *Cur praecepit vobis . . . ne comederetis de omni ligno?* Cur vos naturali vestra libertate privavit? Cur esum melioris, pulcrioris et suavioris arboris interdixit? Non est aequa, non est bona lex ista, non bono animo erga vos istud praecepit.

Deum tamen calumniando;

Sic etiam hodie calumniatur divinam providentiam et veritatem coelestis oraculi: *Si Filius Dei es:* vult, inquit, ut credas ipsum erga te paterna caritate esse affectum? Hoc tibi verbis dixit, sed non respondent opera verbis. En in necessitate minime tibi succurrit. Sic Deum facit crudelem, inhumanum, mendacem, fallacem, aut certe obliviosum et negligentem. Dei legem graviorem facit: *Cur praecepit . . . ne comederetis ex omni ligno?* Unum tantum lignum prohibuit, sed praeceptum gravius facit: *Ne comederetis de omni ligno.* Sic maiorem facere voluit corporalem necessitatem Christi quam esset, non herbas aut herbarum radices, quibus forte vesci potuisset, sed lapides apponens.

sic tentavit hodie Christum, sicut tentaverat primos parentes.

Si quem autem videt non virtutis amore sed formidine poenae [59] divina praecepta servare, sicut in Eva perspexit: *Ne forte moriamur,* [60] statim satagit nititurque pro viribus auferre ex animo timorem: *Nequaquam moriemini.* Sic hodie: *Mitte te deorsum,* ne timeas praecipitium aut confractionem ossium, nam *Angelis suis mandavit de te,* etc. Si quis a furtis aliisque malefactis abstineret timore tantum iustitiae temporalis, suadet ut faciat secreto, in occulto, in abscondito, quia minime scientur; sic mulieribus adulteria suadet in secreto, in abscon-

Sed magis tentat quos videt non amore sed formidine poenae divina praecepta servare,

58) Lc 12, 47-48. Vulg.: *Et fecit digna,* etc. Ordine inverso affert hos vrr.

59) Ex Horat.:

« Oderunt peccare boni virtutis amore,
Tu nihil admittes in te formidine poenae ».

Epist., lib. 1, epist. 16, vrr. 52-53.

60) Gn 3, 3.

dito, ne ob infamiam abstineant, quam maxime timent. Non sic Susanna, quae virtutis amore castitatem colebat, adduci potuit ut adulterium committeret;[61] non sic sanctus castissimus Ioseph ab impudica femina saepe saepius ad adulterium sollicitatus, ait enim se peccare non posse in Deum et in dominum suum,[62] a quo tot tantaque beneficia acceperat. Sic Dominus respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum:* abstinendum, inquit, a peccato est, non tantum formidine poenae, sed virtutis amore.

Omnes qui spe divinae misericordiae peccant, ideo peccant quia satanas divinum eis abstulit timorem in hora mortis redditurus, sicut peccantibus, maxime mulieribus, verecundiam aufert, sed restituit verecundiam in confessione et sacramento Poenitentiae, ne ob verecundiam confiteantur turpia peccata sacerdotibus sanctis.

illis auferendo timorem et verecundiam.

VI. Tandem sciendum quod debilis valde hostis est satanas, Deo vires ipsius cohibente; non vincit nisi volentem: persuadere potest, cogere non potest. Hinc ad persuadendum utitur externis rebus, sicut cum Eva ut eam in peccatum pertraheret usus fuit pomi pulcritudine ac suavitate, et hodie cum Christo, nam: *Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum*, quoniam, ut dixi, cogere non potest, sed tantum suadere; dum tentat suadet, non cogit; suasit Christo ut seipsum a templi pinnaculo in terram deiceret, sed non praecipitem dedit.[63]

Satanas suadere potest tentando, sed non cogere,

Hanc ob causam, fratres, peccatorum excusationes nihil valent apud Deum. Excusavit Adam peccatum suum, excusavit Eva, sed nihil valuere excusationes, iuverunt nihil, nam post excusationes multas graves poenas dederunt,[64] quoniam voluntate peccat homo quoties peccat, non necessitate, sicut non suscipit vir ab uxore adulterii excusationem, si sponte sua adultero assensit, non autem vi allata violata fuit, invita atque coacta.

ideo qui tentationi cedunt, excusationem non habent,

Ne dicas, homo, peccatum tuum excusans: Diabolus tentavit me, nam si tentavit, non tamen coegit, sed scito quod apud Deum nil tibi proderit huiuscemodi excusatio; scito etiam quod, licet modo satanas tentator timorem divinae iustitiae abstulerit ab animo tuo,

ut evenit primis parentibus.

61) Cf. Dn 13, 2-24. 62) Cf. Gn 39, 11-18. 63) Cf. Mt 4, 6. 64) Cf. Gn 3, 12 sqq.

tempus veniet quando tibi male ablatum timorem pessime restituet, sicut ablatum timorem restituit primis parentibus: *Cum* enim *audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram post meridiem in paradiso,* abierunt et absconderunt se prae timore: *Vocem tuam,* Domine, *audivi . . . et timui.* [65]

Deus tentationem permittit ad probandam virtutem electorum

VII. Sciendum adhuc nobis quod postquam exaltavit Deus hominem in paradiso mundique principem constituit ac declaravit, tunc eum a satana tentari voluit, sicut etiam postquam exaltavit Abraham magnumque principem effecit, tunc eum tentavit, et postquam exaltavit [66] sanctitatem et innocentiam Iob, tunc satanae tradidit ut eum tentaret et tanquam aurum in fornace et incude probaret. [67] Sic hodie, postquam Christum in Iordane glorificavit, satanae tentandum tradit. Unde Iob aiebat: *Quid est homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo et subito probas illum.* [68] Non enim vult Deus ut satanas calumniari possit electos suos, sicut Iobum calumniatus fuit, quod nequaquam solida constantique virtute praeditus erat, quod gemma esset adulterina, non adamas sed vitrum referens adamantis speciem. [69] Hinc ad incudem vult probari an verus sit adamas an adulterinus.

ut eos ad magnas victorias praeparet.

Docemur hic etiam quod cum Deus specialem aliquam magnamque consolationem dat cuipiam servorum suorum, tunc eum praeparat atque disponit ad magnam tentationem, ad magnum certamen, sicut Saul Davidem armis regalibus induit, sed ut in certamen descenderet contra Goliath. [70] Deus Moysi apparens virgam divinae virtutis contulit, sed in Aegyptum contra Pharaonem misit. [71]

65) Ibid. vrr. 8-10. Vulg.: *Deambulantis in paradiso ad auram,* etc. 66) Cf. ibid. 15, 1 sqq.; 22, 1-18. 67) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq. 68) Ibid. 7, 17-18. 69) Cf. ibid. 1, 8-10; 2, 3-5. 70) Cf. 1 Rg 17, 38. 71) Cf. Ex 4, 2-9.

III. ALIA HOMILIA.

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus... postea, etc. [1]

I. Proponitur nobis Christus hodie tanquam forma archetypa et exemplar divinum numeris omnibus absolutum vitae christianae, quod nobis summo studio imitandum est, si salutem consequi volumus et vitam sempiternam. Ait nanque Paulus quod Deus *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui;* [2] hinc ait: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;* [3] *Exemplum... dedi vobis ut quemadmodum ego feci... ita et vos faciatis.* [4]

Proponitur hodie Christus exemplar perfectum vitae christianae.

Cum Deus voluit fieri sibi sanctuarium in deserto, dedit Moysi exemplar et dixit: *Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* [5] Sicut Salomon praeter palatium magnificentissimum, quod sibi in Ierusalem construxit, voluit aliud quoque habere pro deliciis in saltu, in deserto loco venationibus apto, [6] sic Deus praeter palatium regium in coelo, voluit et templum domumque habere in terra, in deserto mundi huius, nam: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* [7] Aedificii autem huius Christum dedit exemplar. Si quis voluerit Dei templum esse, necesse est ut Christo sit vita et virtutibus simil s, imo, quoniam *militia est vita hominis super terram,* [8] datus est nobis Christus tanquam dux et imperator exercitus. Sicut autem Gedeon, dux Hebraeorum fortissimus, abiens cum valida militum manu ad pugnandum contra Madianitas, dixit militibus suis: *Quodcunque me videritis facere, facite,* [9] sic Christus princeps exercitus Domini, qui propterea saepe in Sacris Litteris *Dominus exercituum* appellatur, qui populum Dei praecessit per desertum duxitque in terram promissionis in columna nubis et ignis. [10]

Omnis fidelis Christum imitari debet vita et virtutibus;

Cum igitur nos, fratres, Christo nomen dederimus, cum sub Christi vexillo militemus, necesse est ut ducem hunc nostrum ad bellum hodie procedentem sequamur, nunc enim tempus belli est,

ergo etiam in bello contra diabolum.

1) Mt 4, 1-2. 2) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.* 3) Mt 11, 29. 4) Io 13, 15. 5) Ex 25, 40. 6) Cf. 3 Rg 7, 1-8. 7) Prv 8, 31. 8) Iob 7, 1. 9) Idc 7, 17. Vulg.: *Quod me facere videritis, hoc facite.* 10) Cf. Ex 13, 22.

ne cum David maneamus in civitate otio torpentes, nam quia David belli tempore manere voluit in civitate, ut otio ac deliciis vacaret, lapsus in adulterium fuit.[11]

Docet Christus vitam nostram in mundo tempus esse belli

II. Salomon ait: *Omnia tempus habent . . . tempus belli et tempus pacis ;*[12] prius, inquit *tempus belli* et postea *tempus pacis*, quia *non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.*[13] Post Davidem bellicosum successit Salomon pacificus;[14] populus Dei post multa bella in deserto gesta contra Amalecitas, contra Chananaeos, contra Amorrhaeos et contra Moabitas, ingressus fuit terram promissionis, belloque superatis chananaeis populis, illam in pace possedit.[15]

contra mundum, carnem et diabolum.

Nunc belli tempus est, nondum venit tempus pacis; pugnandum nobis est contra inimicos nostros capitales, contra mundum, carnem et satanam, sicut agit hodie Christus, nam Spiritu Sancto ductus spernit mundum, relinquit eum, terga vertit mundo et in desertum pergit ut Deo serviat et orationi operam det: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*[16] Haec fuit vita Christi in deserto: oratio, contemplatio coelestium, cultus divinus. Hic alterum etiam humani generis hostem domuit, carnem ieiunio macerans: *Cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus,* cum Moyse[17] et Elia,[18] *postea esuriit.*[19] Sed tandem devicto mundo, suppeditata carne, cum diabolo certandum fuit: *Ductus est in desertum . . . ut tentaretur a diabolo . . Accedens tentator dixit . . . Dic ut lapides isti panes fiant.*[20]

Relinquendus est mundus, caro mortificanda

Fratres mei, relinquendus est nobis mundus, relinquenda vita, consuetudo mundana, contemnenda mundi vanitas, egrediendum nobis ex Aegypto est, exeundum cum Abraham de Ur Chaldaeorum,[21] cum Loth de Sodomis ut salvemur in monte,[22] nam hic facile hostes nostros superabimus; mortificanda nobis caro ieiuniis, nam haec est sensualis Eva, proditrix Dalila,[23] Herodias persequens Ioannem;[24] tandem resistendum diabolo est, nam ait: *Adversarius vester diabolus . . . circuit quaerens quem devoret ;*[25] cavendus nobis est sicut

11) Cf. 2 Rg 11, 1-4. 12) Eccle 3, 1-8. 13) 2 Tim 4, 7. Vulg.: *Non coronatur*, etc. *Non coronabitur* lect. cod. 14) Cf. 1 Par 22, 6-9. 15) Cf. Ex 17, 8-13; Nm 21, 1 sqq.; Ios 12, 1-13, 1 sqq. 16) Mt 4, 10; Lc 4, 8. 17) Cf. Ex 24, 18; 34, 28; Dt 9, 9. 18. 18) Cf. 3 Rg 19, 8. 19) Mt 4, 2. 20) Ibid. vr. 3. 21) Cf. Gn 11, 31. 22) Cf. ibid. 19, 15-30. 23) Cf. Idc 16, 1-21. 24) Cf. Mc 6, 19-24. 25) 1 Petr 5, 8.

bestia truculenta, sicut lupus ovi, leo agno; cavendus sicut serpens venenatissimus, sicut aspis et basiliscus, nam non quaerit nisi perditionem nostram, sicut patet in prima tentatione, qua primos homines tentavit ut morti et perditioni eos traderet et in barathrum infernale secum eos deiceret.[26] Non suadet nisi praecipitium: *Mitte te deorsum;*[27] furari satagit nobis infinitum gratiae Dei thesaurum, quo nihil pretiosius, ut ipse etiam novit.

et diabolo resistendum,

Hinc hodie ostendit Christo *omnia regna mundi et gloriam eorum* dixitque: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*[28] Si, inquit, unum tantum peccatum admiseris, universum mundum dono tibi dabo, omnia regna mundi pedibus tuis subiciam. Sed Christus: *Vade, satana, scriptum est... Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*[29] Gratia Dei infinitus est, inquit, thesaurus, cuius comparatione nihil est gloria mundi totius: *Quid... prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*[30] Gratia Dei infinitus thesaurus est, quoniam cum ipsa Spiritus Sanctus Deus verus possidetur et per peccatum amittitur; sic docet Christus quod cultus Dei ac servitus omnibus mundi regnis et imperiis praestat.

sicut Christus restitit, nam gratia infinitus thesaurus est.

III. Sciendum autem nobis est, fratres, quod tria tentationum genera in Sacris Litteris reperiuntur, nam aliquando tentat nos Deus, aliquando satanas, aliquando homo. Tentat Deus et haec tentatio semper bona est; tentat satanas et haec semper mala, nam non tentat nisi ut pertrahat in peccatum; tentat homo et haec nunc bona, nunc mala est. Tentatio Dei semper bona est, nunquam tentat ad malum: *Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.*[31] Tentavit Deus Abraham ad eum exaltandum et magis magisque in coelo et in terra apud Angelos et homines glorificandum; nec semel quidem sed saepe tentavit: primo quidem, cum iussit eum relinquere domum et patriam suam,[32] dulcis est autem amor patriae, dulce videre suos; deinde, cum fame et necessitate urgente, coactus fuit in Aegyptum descendere[33] et in regionem Gerar vitam honoremque exponens periculo, nam semel

Tria sunt tentationum genera: tentatio divina, diabolica, humana;

tentat Deus ut exaltet,

26) Cf. Gn 3, 1 sqq. 27) Mt 4, 6. 28) Ibid. vrr. 8-9. 29) Ibid. vr. 10. 30) Ibid. 16, 26. 31) Iac 1, 13-14. 32) Cf. Gn 12, 1-18. 33) Cf. ibid. vr. 10.

et iterum ablata ei uxor fuit, semel et iterum ex magnis summisque divitiis in summam paupertatem deiectus;[34] tentavit eum cum iam seni dedit circumcisionis mandatum ut seipsum et filios suos circumcideret,[35] cum iussit ut Ismaelem filium una cum matre domo eiceret,[36] et tandem cum iussit ut unicum ac dilectissimum filium Isaac Deo sacrificaret.[37]

ideo tentatio Dei semper bona et utilis est;

Sed, ut dixi, tentatio Dei semper bona et utilis nobis est. Agit enim nobiscum Deus sicut magister digladiandi docet filios suos artem, peritiam et disciplinam militarem; tentat eos ut doceat artis secreta, digladiatur cum eis non ut eos interficiat vel feriat nocumentove aliquo afficiat, sed ut instruat: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum.*[38]

tentat satanas ut perdat, quamvis non semper vincat;

Satanas autem tentat sicut digladiator in duello antigonistam perimere satagens; sic tentavit Adamum, sic Iobum, sic Davidem, sic Christum. *Fidelis est autem Deus*, inquit P a u l u s , *qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam . . . proventum.*[39] Semper tentat satanas ut vincat, ut occidat, sicut lupus ovem, sicut leo agnum; sed non semper pro voto succedit ei; vicit quidem Adamum, vicit Davidem, sed non vicit Iobum, non vicit Christum, sed a Christo victus abiit totus confusus et ignominiosus. De hac tentatione Evangelium: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo;*[40] et Christus ait: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem;*[41] nam *satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.*[42]

tentatio humana nunc bona, nunc mala et pessima esse potest.

Tentatio autem humana nunc quidem bona est, sicut regina Saba tentavit Salomonem in aenigmatibus;[43] nunc mala, sicut impudica mulier tentavit Iosephum;[44] aliquando pessima est qua Deum homo tentat, sicut tentaverunt Hebraei in deserto,[45] sicut scribae et Pharisaei saepe tentaverunt Christum.[46]

Non tentabis Dominum Deum tuum.[47] Aliquando eo dementiae venit homo ut ipsum diabolum tentet, sicut fecit Saul abiens ad mulierem pythonissam,[48] sicut faciunt qui ad maleficas mulieres

34) Cf. ibid. vrr. 15 sqq.; 20, 1 sqq. 35) Cf. ibid. 17, 10-12. 36) Cf. ibid. 21, 9-12. 37) Cf. ibid. 22, 1-2. 38) Ps. 143, 1. 39) 1 Cor 10, 13. Vulg.: *Fidelis autem Deus est qui non patietur*, etc. 40) Mt 6, 13. 41) Ibid. 26, 41; Mc 14, 38. 42) Lc 22, 31. 43) Cf. 3 Rg 10, 1; 2 Par 9, 1. 44) Cf. Gn 39, 7. 45) Cf. Ex 17, 2-7; Nm 14, 22; Ps 77, 18-41; 94, 9; 105, 14. 46) Cf. Mt 16, 1; 19, 3; 22, 18. 35; Lc 11, 16; 20, 23. 47) Dt 6, 16; Mt 4, 7; Lc 4, 12. 48) Cf. 1 Rg 28, 7-8.

pergunt, ad astrologos et malis artibus imbutos, amoris causa vel ambitione aut cupiditate aliqua impulsi.

Multi sunt in mundo tentatores daemone peiores.

Et quidem, fratres, existimo quod nunc satanas oblitus fere sit artis et professionis suae ad tentandos homines, nam maxima hominum multitudo ad peccandum nulla satanae tentatione egent; multi potius, ut dixi, ipsum tentant totosque seipsos satanae offerunt deduntque in corpore et anima; alii et quidem innumeri, partes satanae suscipiunt daemonesque agunt et ministros satanae ad tentandos persuadendosque plurimos utriusque sexus iuvenes ad peccandum, qui daemones sunt incarnati, ut dici solet, daemonibus multo deteriores, neque enim ut illi signo crucis fugantur.

Satanas maxime tentat sanctos Dei servos.

Non tentavit Christum satanas nisi post baptismum, ubi Filius Dei declaratus fuit,[49] postquam mundum contemnens et relinquens in desertum abiit a Spiritu Sancto ductus; postquam diuturno quadraginta dierum numero carnem afflixit et maceravit. Non tentat mundanos et carnales homines, sed spirituales sanctosque Dei servos, qui in carne viventes, non secundum carnem vivunt sed sicut Angeli Dei, qui corpore in terra positi, mente conversantur in coelis. Paucissimos habet quos tentat in mundo, quia paucissimi sunt qui secundum Deum vivant, qui Christum imitentur, qui spiritu Dei agantur.

Gratia Spiritus S. spiritualis vita suavis redditur et facile in hoc mundo dirigitur.

IV. Sciendum tamen est, fratres, quod licet carneis oculis vita Christi[50] in arido horridoque et abiecto deserto aspera nimis videri possit, revera tamen non erat, sed coelesti divinaque dulcedine plena, sicut vita Hebraeorum in deserto, sicut vita Moysi in cacumine montis asperrimi: quadraginta diebus suavissima fruebatur dulcedine, dulcissima suavitate divinae consolationis, cibo potuque utebatur angelico; sic Christus. Et sicut triremis navigans secundis ventis absque ullo labore cursum suum per maria ad portum optatissimum dirigit, nam flante vento prospero in puppim nullo opus est labore in remigando, maxime etiam cum secundis aquis navigatur; sic flante Spiritus Sancti aura, nullo negotio spiritualis vitae cursus in mari huius mundi dirigitur. Hoc est autem quod dicitur: *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu ; Expulit eum Spiritus in desertum,* inquit

49) Cf Mt 3, 16 sq.; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22.

50) Ms.: *Christus.*

M a r c u s ;[51] *Plenus Spiritu Sancto . . . agebatur a Spiritu in desertum*, inquit L u c a s ,[52] sicut navis utique vento ducta. Excitat Spiritus in corda desiderium asperioris vitae, quare a servis Dei etiam cum gustu ieiunatur, oratur, plangitur, lacrimae dulcissimae effunduntur, desiderantur lacrimae.

Admirandum spectaculum exhibet hodie Christus in deserto cum satana pugnans

V. *Ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus.* Multa Sacrarum Litterarum mysteria menti occurrunt, dum hodie Christum cum satana in deserto singulari certamine ac mirando duello confligentem ac dimicantem contemplor. Videre mihi videor Michaelem cum dracone pugnantem, ut I o a n n e s in *Apocalypsi* ait, eumque de coelo eicientem;[53] videre id quod Z a c h a r i a s ait, quod satanas stabat a dextris Iesu sacerdotis magni ut adversaretur ei, sed increpatus a Domino fuit;[54] videre Davidem cum Goliath in arenam descendentem,[55] Samsonem cum leone in deserto pugnantem eumque superantem ac discerpentem,[56] Iacob luctantem cum angelo tenebrarum,[57] Moysen post quadraginta dierum ieiunium idolum in deserto comminuentem,[58] Iosue cum rege Amalec certantem;[59] sed praecipue antiquum serpentem in paradiso hominem vere *ad imaginem et similitudinem Dei*[60] conditum impetentem ac per Evam in peccatum pertrahere satagentem.[61]

et tamen divina dulcedine fruens.

Sic Christus hodie a satana impetitur et tentatur in deserto, qui tamen Christo paradisus deliciarum coelestium erat; ibi divinis consolationibus et summa spiritus dulcedine fruebatur, vincente ac longo intervallo superante omnem dulcedinem sensualem, omne carnis delectamentum, quam noverat ille qui ait: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum . . . et defecit spiritus meus,*[62] prae nimia spiritus dulcedine; *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[63] Hinc renuit hodie Christus *omnia regna mundi et gloriam eorum*, nam gustata mellis dulcedine, quicquid postea comeditur, dulce minime videtur, nam nil dulcius

51) 1, 12. Vulg.: *Spiritus expulit*, etc. 52) 4, 1. 53) Cf. 12, 7. 54) Cf. 2, 1-2.
55) Cf. 1 Rg 17, 40-41. 56) Cf. Idc 14, 5-6. 57) Cf. Gn 32, 24.
58) Cf. Ex 32, 19-20. 59) Cf. ibid. 17, 10. 60) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6.
61) Cf. ibid. 3, 1-2. 62) Ps 76, 3-4. 63) Ps 30, 20.

melle; neque divina bonitate potest aliquid esse suavius, nam haec est manna coeli, cibus Angelorum ac beatorum spirituum in paradiso.

Plenam victoriam de hostibus reportaro oportet ad coronam percipiendam.

Superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei. Postquam plenam assecutus fuit victoriam de hoste, percepit coronam. Rex Israel ad iussum Elisei misit tres sagittas contra Syriam et virga ter percussit terram, cui veluti indignans Propheta ait: *Si percussisses ... septies, usque ad consummationem Syriam percussisses.* [64] Perfectam requirit Deus victoriam. Indignatus fuit Deus regi Israel eo quod, cum bello superasset inimicum Israel Benadad eumque cepisset, pepercit ei liberumque dimisit, cui dixit Propheta missus a Deo: *Erit anima tua pro anima illius*; [65] Saul in iram et indignationem Dei incidit, eo quod pepercit regi Amalecitarum, nec penitus delevit omne genus Amalec. [66] Egit hodie Christus sicut Saul praecepit ne quis militum quicquam gustaret donec hostes penitus delerentur, quare Ionathas mortis periculum subiit, quoniam gustavit modicum mellis ante completam victoriam; [67] Christus, *superata omni tentatione*, cibum sumit Angelis ministrantibus.

Magna virtute opus est ad relinquendum mundum.

VI. *Ductus est in desertum a Spiritu.* Vita spiritualis videtur homini asperum desertum. Magna vi divinae virtutis opus est ad retrahendum hominem a saeculari vita ad spiritualem, sicut Angelus Domini vim quodammodo intulit Loth ad extrahendum eum a Sodomis; [68] nam sicut ipsi Loth displicebant vitia Sodomaeorum, sed tamen non displicebat Sodoma, quae *sicut paradisus Domini* [69] ipsi videbatur, hinc aegre ferebat relinquere Sodomam, sic multi sunt quibus displicent vitia mundi, non tamen mundus ipse displicet, sed placent bona mundi huius, hinc spiritu opus est: *Ductus est in desertum a Spiritu.* Hebraeis displicebant mores Aegyptiorum, tyrannis crudelis Pharaonis, sed tamen non displicebat Aegyptus.

Diabolo resistendum est praecipue scuto fidei.

Ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Omnes Sancti tentati sunt, non reperitur electus Dei qui non tentetur a satana: *Adversarius vester ... tanquam leo rugiens circuit quaerens*

64) 4 Rg 13, 19. Vulg.: *Percussisses Syriam usque ad consumptionem.* 65) 3 Rg 20, 42. Vulg.: *Pro anima eius.* 66) Cf. 1 Rg 15, 1-31. 67) Cf. ibid. 14, 24-45. 68) Cf. Gn 19, 15-16. 69) Ibid. 13, 10.

quem devoret, cui resistite fortes in fide. [70] Sic et Paulus multas virtutes necessarias docet homini christiano tanquam militi arma, sed praecipue ait: *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi... extinguere,* [71] nam sic agit hodie Christus, scuto Sacrarum Scripturarum se defendit: *Scriptum est, scriptum est, scriptum est.* [72] Tentationes diaboli Paulus *insidias diaboli* [73] aliquando appellat, aliquando *laqueum diaboli,* [74] aliquando *tela nequissimi.*

Filii Dei maxime tentantur.

Tentatus fuit Christus post baptismum, postquam Filius Dei declaratus fuit et templum Spiritus Sancti heresque paradisi, quoniam nonnisi hi tentantur a daemonibus, sicut cum audierunt Philisthaei unctum esse Davidem super Israel, tunc insurrexerunt contra eum. [75] Gratia autem Spiritus Sancti regia quaedam unctio est.

Homo tentatur a satana et a carne sua.

Tentatur homo a satana, tentatur etiam a carne sua, sicut Samson Dei electus persecutionem passus fuit a Philisthaeis et a Dalila instigantibus Philisthaeis, a qua semel, iterum et tertio impugnatus, tandem expugnatus fuit. [76] Rarus est qui non vincatur a carne sua. Satanas autem tentat multis modis, sed praecipue tendit semper ad extrema, sicut daemon ille hominem, quem vexabat, nunc in ignem nunc in aquam mittebat. [77] Nam sic egit hodie cum Christo, primo nanque in diffidentiam eum pertrahere voluit et in timorem ne fame periret, postea ad nimiam spem et praesumptionem.

Pessima tentatio est peccare cum spe magnae misericordiae Dei.

Vide, homo, ne ad diaboli suggestionem pecces sub praetextu magnae misericordiae Dei, nam hoc est ducere hominem supra pinnaculum templi et dicere: *Mitte te deorsum, quia scriptum est... Angelis suis* Deus *mandavit de te.* [78] Verum est enim quod in Sacris Litteris divina misericordia supra modum magna, imo infinita praedicatur, sed non propterea ut homo ea abutatur: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* [79] Ne, inquam, sic pecces, homo, quia veniet tempus quo satanas ex aqua in ignem te mittet, ab extremo in extremum te pertrahet, in desperationem ex nimio timore divinae iustitiae, ut dicas cum Caino: *Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear.* [80]

70) 1 Petr 5, 8-9. 71) Eph 6, 16. 72) Mt 4, 4. 7. 10; Lc 4, 4. 8. 10. 73) Eph 6, 11. 74) 1 Tim 3, 7; 6, 9; 2 Tim 2, 26. 75) Cf. 2 Rg 5, 17-18. 76) Cf. Idc 16, 1 sqq. 77) Cf. Mt 17, 14. 78) Ibid. 4, 6; Lc 4, 9-10. Vulg.: *Scriptum est enim,* etc. 79) Mt 4, 7; Lc 4, 12. 80) Gn 4, 13.

Ut tentaretur a diabolo, ut probaretur aurum in fornace ex qua egreditur multo splendidius et illustrius; nam propter hoc Deus permittit sanctos suos tentari, ut illorum virtus multo splendidior elucescat, sicut patet in Iob; si enim non fuisset tentatus a satana, non praedicaretur patientissimus et sanctissimus: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.* Si non pugnasset David cum Goliath, non reportasset triumphi regalis gloriam.[81]

Deus permittit sanctos tentari ut illorum virtus magis elucescat.

81) Cf. 1 Rg 17, 41 sqq.

FERIA SECUNDA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem, etc. [1]

Exhorruit Daniel cum novit iudicium Dei severum contra Nabuchodonosor,

I. Cum revelatum fuit sanctissimo vati Danieli iudicium Dei, iustissimum quidem sed severum, contra Nabuchodonosor regem Chaldaeorum ac veluti monarcham mundi, per mirabilem illam maximamque arborem, quae totum occupabat mundum, excisam et ad nihilum fere redactam, radicibus tantum in terra relictis, sed vinculis ferreis colligatis, quo designabatur quod regia dignitate omnibusque bonis privandus erat et in silvestrem bestiam commutandus, Vates sanctissimus totus exhorruit, ita ut per horae unius spatium loqui minime potuerit. [2] Intellecta nanque ac mente percepta visione, *tunc Daniel,* inquit *coepit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora et cogitationes eius conturbabant eum.* [3]

sed multo magis cum revelatum ei fuit universale iudicium;

Sed cum revelatum fuit ei universale iudicium, de quo hodie Christus loquitur et prophetat: *Aspiciebam donec throni positi sunt et Antiquus dierum sedit; vestimentum eius candidum quasi nix et capilli capitis eius quasi lana munda; thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius; millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit et libri aperti sunt . . . Aspiciebam . . . in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes*

1) Pericope huius diei Mt 25, 31 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Dn 4, 7-29. 3) Ibid. vr. 16.

populi, tribus et linguae ipsi servient. Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur; tunc, inquit Vates divinus, *horruit spiritus meus; ego Daniel territus sum in his et visiones capitis mei conturbaverunt me.* [4] In utraque revelatione et visione conturbatur, sed multo magis absque comparatione in secunda quam in prima totus territus fuit, quoniam terribilem Dei maiestatem vidit.

Timuit sanctus patriarcha Iacob eo quod vidit Deum in coelo in summitate scalae, per quam Angeli ascendebant et descendebant, [5] *pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste!* [6] Et tamen apparuit ei Deus non tanquam iudex iratus, sed sicut pater benignus. Quid mirum igitur si Daniel totus inhorruit totusque territus fuit visione divini iudicii? Conturbatus fuit in revelatione iudicii particularis, quoniam severum nimis et terribile videbatur ei, sed in visione universalis iudicii non solum conturbatus fuit, sed territus spiritu, totus inhorruit, totus fere aruit.

at nil mirum, nam timuit etiam Iacob Deum videns, qui tamen tanquam pater ei apparuerat.

Terribilia videntur iudicia Dei quae legimus in Sacris Litteris in punitionem impietatis et peccati, sed haec nihil sunt, fecit *quasi flagellum de funiculis:* [7] *Percussit Aegyptum cum primogenitis suis, quoniam in aeternum misericordia eius... Percussit Pharaonem et virtutem eius in mari Rubro, quoniam in aeternum misericordia eius... Percussit reges magnos... occidit reges fortes* Chananaeorum, *quoniam in aeternum misericordia eius.* [8] Omnia, inquit, divinae iustitiae opera in mundi punitionem patrata comparatione extremi iudicii nihil sunt, rosae et flores sunt, dicenda sunt opera divinae misericordiae, mel et manna censenda sunt. In perpetuis ardoribus ignis aeterni sentietur severitas divinae iustitiae: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo;* [9] *Fluvius igneus rapidusque a facie eius egrediebatur; thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus.*

Multa terribilia iudicia legimus in S. Scriptura, sed nihil sunt comparatione extremi iudicii.

II. Sed inspiciamus: *Cum venerit Filius hominis.* Deus, rex universi, principalis est iudex mundi, sicut Daniel ait: *Antiquus dierum sedit,* sed tamen *omne iudicium dedit Filio:* [10] *Filius hominis...*

Deus est principalis iudex mundi,

4) Ibid. 7, 9-15. 5) Cf. Gn 28, 12-13. 6) Ibid. vr. 17. 7) Io 2, 15.
8) Ps 135, 10-18. Vulg.: *Primogenitis eorum... excussit Pharaonem.* 9) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti, etc.* 10) Io 5, 22.

sed omne iudicium Christo homini dedit, ut plene iustificatum esset iudicium.

usque ad Antiquum dierum venit... et dedit ei potestatem et honorem et regnum; Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. [11] Sic veniet *in maiestate et omnes Angeli* eius *cum eo; Millia millium ministrabant ei,* etc.; *Omne iudicium dedit Filio* suo. *Filius hominis est,* ut homo, os nostrum et caro nostra, homines iudicaret et iustificatum esset iudicium. *Sedebit super sedem maiestatis suae* tanquam rex infinitae aeternaeque maiestatis: *Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur; Deus, iudicium... regi da et iustitiam tuam filio regis; iudicare populum tuum in iustitia et pauperes tuos in iudicio... Iudicabit pauperes populi et salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem. Et permanebit cum sole et ante lunam in generatione et generationem.* [12]

Hunc iudicem cupiebat David, tamquam hominum amantissimum, rectissimum et clementissimum,

Hunc iudicem cupiebat David sanctissimus, quoniam hominum amantissimus est, qui pro salute hominum sanguinem fudit et mortem subiit, quoniam etiam noverat eum rectissimum et clementissimum, hinc ait: *Deus, iudicium tuum regi da et iustitiam tuam filio regis.* Nam iudicabit *in iustitia* et *iudicio,* idest recte, verum et rectum iudicium faciet; *Iudicabit... et salvos faciet:* pronus est magis ad salvandum; iudicabit *populum tuum,* mundum universum, nam *omnes populi, tribus et linguae servient ei,* subditi ei erunt; hinc *congregabuntur ante eum omnes gentes,* [13] ut iudicentur ab eo: *Venit* Dominus *iudicare terram; iudicabit orbem terrae in aequitate et populos in veritate sua;* [14] et iterum alio *Psalmo: Venit* Dominus *iudicare terram; iudicabit orbem terrae in aequitate,* [15] hebraice *in rectitudinibus,* idest rectissime.

ideo accepta revelatione divini iudicii, non exhorruit, sed exultavit;

Sed quid est, quaeso, quod his locis Regius Vates, accepta revelatione divini huius mysterii, non sicut Daniel exhorruit nec territus fuit, sed exultatione maxima spiritus repletus? Ait enim: *Iudicabit... populos in aequitate, in rectitudinibus.* [15*] *Laetentur coeli et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo eius, gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini quia venit, quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrae in aequitate et populos in veritate sua.* [16] Eadem dicit *Psalmo 97,* imo maiore laetitia et exultatione repletus hilarius canit:

11) Mt 28, 18. 12) Ps 71, 2-5. 13) Mt 25, 32. 14) Ps 95, 12-13.
15) Ps 97 (hebr. 98), 9. 15*) Ibid. 16) Ps 95, 11 sqq.

Viderunt omnes fines terrae salutare Dei nostri. Iubilate Deo, omnis terra, cantate et exultate et psallite. Psallite Domino in cithara, in cithara et voce Psalmi, in tubis ductilibus et voce tubae corneae. Iubilate in conspectu regis Domini, moveatur mare . . . , flumina plaudent manibus, simul montes exultent in conspectu Domini, quoniam venit iudicare terram. [17]

Sed nil mirum, iustis nanque et sanctis exultandum est, peccatoribus tantum timendum. Sic Christus ait verba faciens de signis iudicium praecedentibus: *Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium . . . arescentibus hominibus prae timore . . . Sed his fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* [18] Erit dies iudicii sicut mare Rubrum Hebraeis causa salutis, Aegyptiis causa perditionis; [19] erit tunc Christus sicut columna ignis et nubis posita in medio castrorum Hebraeorum et Aegyptiorum, sicut sol qui Hebraeis lucidissimus apparebat diemque clarissimum efficiebat, Aegyptiis vero obscurissimus noctem reddebat tenebrosissimam. [20] Erit Christus sicut arca in medio tribuum, diviso universo populo in duas partes, ad dandum his quidem benedictionem, illis vero maledictionem. [21] Sic hodie Christus iustus iustis quidem benedicit: *Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete,* etc.; peccatoribus maledicit: *Tunc dicet . . . his qui a sinistris* eius *erunt: Ite, maledicti, in ignem aeternum.* [22]

nam iustis exultandum est, peccatoribus tantum timendum,

quia illi benedicendi a Christo erunt, hi autem maledicendi.

Sic apud Malachiam Dominus ait: *Ecce . . . dies venit succensa quasi caminus et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula et inflammabit eos dies* Domini *veniens, dicit Dominus exercituum, et non relinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae et sanitas in pennis eius, et egrediemini et salietis sicut vitulus de armento,* [23] vitulus saginatus. Veniet sicut ignis, nam cum igne conflagrationis veniet: *Ignis ante faciem eius praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius;* [24] *Fluvius igneus,* etc.; *non relinquet eis radicem,* sicut in arbore Nabuchodonosor.

Hoc etiam Malachias vaticinatus est,

17) Hebraice Ps 98, 3-8. Ms.: *Moveatur terra.* 18) Lc 21, 25-28. Vulg.: *His autem fieri*, etc. 19) Cf. Ex 14, 21 sqq. 20) Cf. ibid. vrr. 19-20. 21) Cf. Ios 8, 33-34. 22) Mt 25, 33-41. Vulg.: *Discedite a me*, etc. 23) 4, 1-2. Vulg.: *Dies veniet quae non derelinquet eis... sicut vituli de armento.* 24) Ps 96 (hebr. 97), 3.

Tunc, inquit, *videbitis quid sit inter iustum et impium et inter servientem Deo et non servientem ei,*[25] nam ait: *Erunt mihi... in die, qua ego facio, in peculium et parcam eis sicut parcit vir filio suo servienti sibi.*[26] Propterea, inquit, exultabunt et saltabunt iusti sicut vitulus saginatus: *Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis; exaltationes Dei in faucibus eorum et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis,*[27] nam cum Christo condemnabunt omnes peccatores. Iustis igitur laetandum et exultandum est, nam *iusti* ibunt *in vitam aeternam;* peccatoribus timendum, quoniam *ibunt in aeternum supplicium.*[28]

describens adventum Domini ad iudicandum.

III. Videat ergo quisque nostrum, fratres, hebraeus ne sit an aegyptius, ovis an haedus, iustus an peccator, nam *iustus vix salvabitur, impius* autem *et peccator ubi parebunt?*[29] Multi tunc in oculis hominum iusti, probatae et laudatae vitae, mittentur in ignem aeternum cum satana uti hypocritae, quoniam non rite virtutem coluerunt. Hinc ait: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*[30] Sic appendetur quisque in statera ut videatur an iusta moneta sit, ne forte minus habeat. Sed heu! *Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea;*[31] omnes fere peribunt, sicut in diluvio[32] et incendio Pentapolis,[33] propter iniquitatis abundantiam. Multi ita vivunt ac si non esset Deus: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus,*[34] vel ac si Deus mundana non curaret; *Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret;*[35] sed: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator,*[36] veluti in fragranti repertus ut negare non possit.

In iudicio manifesta erit uniuscuiusque virtus, vera ne an hypocritiia fuerit;

Tunc manifesta erit omnibus aeterna Dei maiestas: *Antiquus dierum sedit* tanquam summus universi monarcha, omnium rerum unicus et sapientissimus moderator; manifesta Dei sanctitas, cuius comparatione mundi declarabitur iniquitas, nam opposita iuxta se

manifesta erit omnibus aeterna Dei maiestas et sanctitas,

25) Mal 3, 18. 26) Ibid. vr. 17. 27) Ps 149 (hebr. 150), 5-7. 28) Mt 25, 46. Vulg.: *In supplicium aeternum.* Ordine inverso affert hunc vr. 29) 1 Petr 4, 18. 30) Ps 74, 3. 31) Ibid. vr. 4. 32) Cf. Gn 7, 11 sqq. 33) Cf. ibid. 19, 24-30. 34) Ps 13, 1; 52, 1. 35) Ps 9 (hebr. 10), 13. 36) Ibid. vr. 17.

posita magis elucescunt;[37] tunc omnis nostra sanctitas reputabitur quodammodo iniquitas, sicut splendidissima luna coram sole pallida et quasi obscura videtur: *Vestimentum eius candidum sicut nix et capilli capitis eius quasi lana alba;* apparebit *Sol iustitiae,* lux absque omni macula obscuritatis; conspicua erit Dei sapientia, certa et infallibilis scientia et cognitio rerum omnium: *Libri aperti sunt,* libri reddendarum rationum, in quibus omnes omnium hominum actiones exactissime reperiuntur dictim scriptae, sive bonae sive malae. Novit infallibiliter pastor agnos et haedos, decipi aut errare non potest; sic Deus, sic Christus in cognitione bonorum et malorum, hinc: *Segregabit eos sicut pastor segregat oves ab haedis.*[38] Noverat a certissimis signis Iacob oves suas ab ovibus Laban.[39] Geret quisque in fronte characterem sive Christi sive satanae.

sapientia et infallibilis cognitio rerum omnium.

IV. Exercebit Dominus in die iudicii non tantum opus iustitiae, verum etiam misericordiae. Hinc Ioannes in *Apocalypsi* eum dixit similem iaspidi ac sardini, similem *visioni smaragdinae,* et quod in circuitu throni erat iris,[40] arcus foederis, signum divinae misericordiae.[41] Smaragdus viridis coloris est, oculis gratissimus; similiter iaspis, optimus enim iaspis viret et translucet; sardius autem rubei igneique coloris est.

Divinum iudicium erit opus non tantum iustitiae sed etiam misericordiae,

Plura sunt misericordiae symbola, unum tantum iustitiae, nam propensissimus ad misericordiam Deus est; hinc mundi iudicem Christum constituit fratrem nostrum amantissimum, qui pro salute nostra mortem crucis obivit. Hanc ob causam Christus in hodierno Evangelio appellatur *filius hominis, frater noster : Quod uni ex . . . fratribus meis . . . fecistis, mihi fecistis ;*[42] appellatur *pastor,* nomen utique pietatis et caritatis, et prius remunerat iustos quam puniat iniquos: *Tunc dicet . . . his qui a dextris eius erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*[43]

et quia Deus misericors est, iudicem mundi constituit Christum fratrem nostrum,

Hanc ob causam, cum Divus Psaltes in *Psalmo 109* canit opus hoc divini iudicii: *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum . . .*

quod innuit etiam Regius Vates

37) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 14, a. 10. 22; *Contra Gentiles*, lib. 2, cp. 50, ad 6; Georgius Reeb *Thesaurus Philosophorum*, part. 2, *Axiomata*. pag. 218. 38) Mt 25, 32. 39) Cf. Gn 30, 31 sqq. 40) 4, 3. 41) Cf. Gn 9, 12-17. 42) Mt 25, 40. Vulg.: *Quandiu fecistis uni*, etc. 43) Ibid. vrr. 33-34.

Christum appellans sacerdotem per Melchisedech figuratum.

Iudicabit in nationibus, idest omnes nationes, *implebit ruinas, conquassabit capita in terra spatiosa.* [44] Christum potius sacerdotem quam regem appellat: *Iuravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* [45] de quo nil aliud legimus nisi quod benedixit Abraham et pro illo sacrificium Deo obtulit, diciturque Melchisedech quidem, idest rex iustitiae, sed tamen rex Salem, rex pacis, [46] rex caritatis, rex infinitae clementiae et bonitatis; Angelus ille in *Apocalypsi* nube indutus, cuius facies sicut sol splendebat, caput autem iride habebat redimitum et coronatum, [47] quoniam, ut dixi, rex est clementiae, pontifex potius quam rex; pontificis nanque munus erat condonare potius quam punire peccata, sicut regis punire malos quam condonare, hinc rex gladium portat, non autem sacerdos et pontifex.

Non tamen Deus ita misericordiam exercebit ut iustitiam laedat,

V. Sciendum tamen quod licet pontifex, dum sacris initiabatur, sacro oleo inungebatur, tamen sanguine etiam aspergebatur, [48] ut iustitia una cum misericordia in eo esset coniuncta. E z e c h i e l praevidit in spiritu Christum in maiestate venientem ad iudicium in curru igneo, qui igneis animalibus trahebatur ipseque totus igneus videbatur; sed tamen iris erat circa thronum Dei. [49] Non erit iudicium absque misericordia. Veniebat ad iudicium et, ut ipse V a t e s capite 43 ait, *ut disperderet civitatem.* [50] Capite 9 eiusdem V a t i s visus fuit Christus venire cum sex viris armatis ad perimendum populum civitatis, sed ita tamen ut prius segregarit signaritque innocentes de medio iniquorum. [51] Capite autem 10 iubetur ignem accipere de igneo curru Dei et supra civitatem effundere ad eam incendendam ac comburendam; [52] sic enim venire dicitur ad disperdendam civitatem, sed ita tamen ut iridem habeat circa thronum: *Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis ;* [53] *Omnes viae Domini misericordia et veritas.* [54] Cum ad dandam legem venit, primo quidem veluti naturam suam declaravit dicens: *Ego sum... Deus... zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et*

sed utranque simul coniunget.

44) Hebraice 110, 1-6. 45) Ibid. vr. 4. 46) Cf. Gn 14, 18-20; Hebr 7, 1-2. 47) Cf. 10, 1. 48) Cf. Ex 29, 4-21. 49) Cf. 10, 9 sqq. 50) Vr. 3. 51) Cf. vrr. 2 sqq. 52) Cf. vr. 2. 53) Hab 3, 2. 54) Ps 24, 10. Vulg.: *Universae viae*, etc.

custodiunt mandata mea. [55] *Qui diligunt,* ait, quoniam sine caritate opera bona apud Deum nullius sunt pretii aut valoris.

Hoc declaravit Moysi Deus ipse.

Declarans etiam Deus Moysi naturam suam ait voce magna clamans et transiens ante Moysen in humana specie: *Dominus* יְהוָֹה, [56] *Deus* est *misericors et clemens, patiens et multae misericordiae ac veritatis* in servandis promissis, faciens *misericordiam in millibus,* auferens *iniquitates et scelera atque peccata,* [57] idest vere poenitentibus omnia delicta, licet multa et gravia, condonans, sed ita tamen ut reos, licet non statim puniat, non tamen absolvat nec declaret innoxios, sed tandem puniat *in tertiam et quartam generationem.* Prius divina misericordia in multis declarat, sed tandem in finem divinam iustitiam, severam illam quidem et terrificam.

significatur etiam in *Apocalypsi* per visionem Angeli

In *Apocalypsi* legimus quod Angelus, qui Dei et Christi personam gerebat, candida erat nube indutus, caput iride redimitus, facies solis instar fulgens, sed pedes eius erant tanquam duae columnae ignis adeoque magni erant ut alterum posuerit super terram, alterum super mare. [58] Ignis iustitiae hieroglyphicum, in fine revelabitur divina iustitia super omnem creaturam terrestrem et maritimam, damnabit enim tum homines tum angelos malos ad ignem aeternum, iuxta uniuscuiusque merita, nam librum gestabat in manu apertum, illum quem nullus hominum aut Angelorum potuit aperire.

et per aliam visionem gloriae Christi.

Alias similiter idem Ioannes Christum ostendit in gloria et maiestate *in medio septem candelabrorum aureorum* et septem splendidissimarum stellarum, cuius facies splendebat ut sol in meridie, cuius pectus praecinctum erat zona aurea, totum corpus sacerdotali veste indutum, cuius lingua tanquam *gladius ex utraque parte acutus,* sed pedes erant instar chalcolibani in camino ardenti, pedes habebat ignitos. [59]

Finis mundi similis erit eius initio.

VI. Sponsa in *Canticis* ait sponsum habere aureum caput pedesque aureos, pedes capiti similes; [60] apud Isaiam Seraph caput habet opertum alis et similiter pedes. [61] Caput et pedes initium finemque signi-

55) Ex 20, 5-6. Vulg.: *Eorum qui oderunt... misericordiam in millia... praecepta mea.*
56) Ms.: *Iehovah.* 57) Ex 34, 6-7. Vulg.: *Misericordiae ac verax... misericordiam in millia,* etc. 58) Cf. 10, 1-2. 59) Ibid. 1, 13-16. 60) Cf. 5, 11-15.
61) Cf. 6, 1-2.

ficant; finis mundi similis erit initio. *Divisit* tunc *lucem a tenebris*,[62] bonos Angelos a malis, universale iudicium Angelorum egit, omnibus Angelis in duas classes divisis; sic in fine mundi aget. In fine mundi revelanda divina iustitia est. Hoc mysterium illud est quod columna illa, quae populum Dei per desertum ducebat, tota quidem die columna erat nubis, sed in fine diei in ignem terrificum mirabili metamorphosi transmutabatur.[63] Hoc est quod in fine peregrinationis quadraginta annorum in deserto reperitur Iordanis fluvius, qui interpretatur fluvius iudicii, quod nonnisi miraculo transmittitur, arca Dei continente aquarum fluxum cursumque.[64] Nam: *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?*[65] *Non intres in iudicium cum servo tuo*, Domine, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis caro;*[66] nemo nisi ex gratia et misericordia Dei salvatur per merita Christi.

sicut finis peregrinationis in deserto similis fuit eius initio,

Principium et finis peregrinationis in deserto similia fuerunt, sic principium et finis mundi; nam in mundi principio egit Deus cum Angelis bonis et malis quod in mari Rubro egit cum Hebraeis et Aegyptiis.[67] Hanc ob causam in principio creationis Deus dicitur hebraice אֱלֹהִים,[68] quod iudices significat, nam ex tunc iudicia exercere coepit suamque omnipotentiam ostendit, non tantum producendo bona, sed etiam puniendo mala, nam ad hoc in visceribus terrae ex tunc infernum creavit,[69] sicut in visceribus coeli paradisum,[69a] ut sciamus quod sicut conditor mundi Deus est, ita et iudex, et quod sicut creare potuit, ita et destruere iusta ira commotus ob scelera hominum et iniquitates. Sicut in mundi principio severissimum iudicium exercuit contra malos angelos in aeter-

nam in principio Deus iudicavit Angelos,

62) Gn 1, 4. 63) Cf. Ex 13, 21. 64) Cf. Ios 3, 12 sqq. 65) Ps 129, 3. 66) Ps 142, 2. Vulg.: *Omnis vivens.* 67) Cf. Ex 14, 23 sqq. 68) Ms.: *Elohim.* 69) Itaque S. Auctor videtur infernum in imo terrae centro collocare. De loco autem inferni diversae sunt catholicorum sententiae. Suarez *De Angelis*, lib. 8, cp. 16: « Quod infernus sit sub terra dubitandum non est propter communem sensum Patrum ita intelligentium Scripturas, quae semper de inferno tanquam de loco inferiori hoc mundo visibili loquuntur, et ideo motum in infernum semper descensum appellant ». S. Augustinus cum dixisset: « Cuiusmodi sit (ignis inferni) et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Divinus Spiritus ostenderit », *De Civitate Dei*, lib. 20, cp. 26 (P. L. 41, 682), quasi seipsum emendans alibi subiunxit: « De inferis magis mihi videor dicere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur ». *Retract.*, lib. 2, cp. 24, ibid. 32, 640. Ad quam postremam sententiam S. Auctor etiam inclinare videtur. 69a) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1a, q. 66, a. 3.

num eos damnans peccati causa,[70] ita in fine mundi severissimum iudicium exercebit contra malos homines et adeo severum ut Petrus dicat quod tunc *iustus vix salvabitur, impius* autem *et peccator ubi parebunt?*

In fine iudicabit homines.

VII. Dies iudicii comparatur igni ardentissimo, ut Malachias ait: *Ecce dies Domini venit succensa quasi clibanum,* nam *Deus noster ignis consumens est;*[71] ignis, cui vix aurum et argentum resistit, quid faciet lignum aut palea? *Omnes facientes impietatem,* ait Malachias, erunt sicut *stipula et inflammabit eos dies Domini veniens, et non relinquet eis radicem et germen.* Improbos appellat homines ex palea ac stipula factos, nam: *Omnis caro foenum.*[72] Hoc forte est quod Paulus ait Christum esse fundamentum Ecclesiae; super fundamentum autem hoc aedificari *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam,*[73] nam in Ecclesia sunt fideles in Christum credentes, hi quidem iusti, hi autem peccatores. Ipse autem Paulus *ad Timotheum* ait quod in magna domo *sunt vasa aurea et argentea,* itemque vasa *lignea et fictilia,* illa *quidem in honorem,* haec autem *in contumeliam,* intelligens per vasa quidem aurea et argentea iustos, per vasa autem lignea et fictilia peccatores, nam: *Si quis,* inquit, *emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*[74]

Dies iudicii comparatur igni ardentissimo

et homines comparantur vasis;

Iussit Dominus Iosue ut civitatem Iericho funditus eversam igne succenderet omniaque combureret, praeter vasa aurea, argentea aut aenea, quae Domino consecrarentur ac divino cultui dedicarentur. Sic factum fuit, huiuscemodi tantum vasa servata fuerunt, reliqua omnia igne fuere combusta.[75] Nunc vide, homo, quale sis vas, et scito quod verum necesse est esse aurum et argentum, non chymicum, quod huic igni resistat. Hoc est quod Petrus ait: *Iustus vix salvabitur.* Necesse est ut homo vera solidaque iustitia praeditus sit, non ficta, non hypocrititia. *Iustus vix salvabitur,* ergo *impius et peccator ubi parebunt?* Ubi consistent? Si vix resistere poterit huic igni aurum, quid faciet lignum? quid foenum? quid palea? quid carnalis homo? quid mundanus? *Non resurgent,* non consistent, *impii in iudicio, neque pec-*

igni autem iudicii vasa aurea et argentea tantum resistent.

70) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 71) Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 72) Is 40, 6.
73) 1 Cor 3, 11-12. 74) 2 Tim 2, 20-21. 75) Cf. Ios 6, 16-24.

catores in concilio iustorum, quoniam novit Dominus viam iustorum et iter impiorum peribit. [76]

Saepe Regius Vates canit quae in divino iudicio ventura sunt;

VIII. *Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti, Patris mei... His* autem *qui a sinistris... Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Saepe Regius Vates canit quae in divino iudicio ventura sunt: *Semel locutus est Deus, duo,* sive secundo, *iterum, haec audivi, quia potestas Dei est et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera sua.* [77] Sic hodie: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.*

ad peccatores etiam concionem habet

Alias quoque ad omnes mundi peccatores concionem habet, dicens ex persona Dei: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo;* tunc prae nimio timore liquefiet *terra et... qui habitant in ea,* quia *ego* sum qui *confirmavi columnas eius,* qui eam creavi, quare destruere etiam eam possum per conflagrationis ignem: *Ignis in conspectu eius exardescet;* [78] *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.* [79] Hinc conversus Divus Vates ad homines ait: *Dixi iniquis: Nolite inique agere, et delinquentibus: Nolite exaltare cornu; nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem; quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus erit vobis exaltatio,* patebit vobis fuga, ita ut non detis neque luatis dignas meritasque malorum poenas, *quoniam Deus iudex est,* [80] Deus qui totum mundum omni ex parte circumdat sicut coelum ipsam terram: *Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas aurorae et habitavero in extremis maris,* etc. [81] Sic nullibi securus erit homo male faciens, *quoniam Deus iudex est; hunc humiliat et hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto... Veruntamen faex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terrae;* [82] omnes bibent de calice irae et furoris Domini, [83] omnes peccatores iustissimas poenas dabunt: *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua iusti;* [84] *Quoniam novit Dominus viam iustorum et iter impiorum peribit;* [85] iusti, inquit, salva-

Deum iudicem ostendens, quem nemo malus effugere poterit;

76) Ps 1, 5 sq. 77) Ps 61 (hebr. 62), 12 sq. 78) Ps 49, 3. 79) Ps 96, 5.
80) Ps 74 (hebr. 75), 5-7. 81) Ps 138 (hebr. 139), 7-9. 82) Ps 74, 8-9.
83) Cf. Iob 21, 20; Is 51, 17; Ier 25, 15; Apc 14, 20. 84) Ps 74, 11. 85) Ps 1, 6.

buntur. Iustum dicit virum *qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit et in cathedra pestilentiae non sedit; sed in lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* etc. [86] Iustum virum dicit innocentem, vita immaculata, qui est *innocens manibus et mundo corde,* [87] *qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam,* [88] qui ab omnibus abstinet vitiis atque peccatis et bonis operibus ex animo incumbit, hic, inquit, beatus erit, hic salvabitur in die iudicii. Quisquis talis non erit, improbus reputabitur ac tanquam reprobus ad sinistram Christi statuetur; non erit ovis sed haedus.

salvabuntur tantum qui innocenter vivunt et bonis operibus incumbunt.

IX. Sic praedicat semper Divina Scriptura, fratres, quod nonnisi iusti in die iudicii salvabuntur: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam;* iustitia sanctitasque via salutis semper ostenditur. Sed cum ita sit, fratres, non possum non mirari unde sit quod, cum ita credamus et salvari omnes cupiamus, per viam iniquitatis ambulare prout mundus, caro et satanas suggerunt, minime desistimus.

Si ergo salvari volumus, per viam sanctitatis incedendum nobis est.

Fratres mei, si de secta epicureorum essemus, qui nec finale iudicium, nec animorum immortalitatem, nec divinam providentiam nec forte Deum ipsum credebant: [89] *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus,* [90] nil mirum esset, nam: *Ex abundantia... cordis os loquitur;* [91] qualis fons talis aqua; qualis arbor talis fructus. Sed cum *fides substantia* sit *sperandarum rerum, argumentum non apparentium,* [92] cum arbor bona sit, quomodo fructus malos facit? [93] Si vere credis, quomodo gentiliter vivis? Audis cibum esse venenatum, venenatum potum; ingrederis pharmacopolium, vides aliquid quod specie quidem saccarum videtur, dicit autem tibi pharmacopola quod noxium et venenum est; tu credis quod serio loquitur, quod verum dicit, et tamen ori adhibes, illud comedis, sciens et volens venenatum po-

Maxima caecitas est christiane credere et gentiliter vivere.

86) Ibid. vrr. 1-3. 87) Ps 23, 4. 88) Ps 14, 2. 89) Cf. Tertullianus *De Praescriptionibus*, cp. 7, (P. L. 2, 19); Lactantius *De Ira Dei*, cp. 9, ibid. 7, 98-99; S. Isidorus Hisp. *Etymol.*, lib. 8, cp. 6, ibid. 82, 307; Rabanus Maurus *De Universo*, lib. 15, cp. 1, ibid. 111, 415; P. Gassendus *Animadversiones in Decimum librum D. Laertii*, t. 1, pag. 286-312. 374-387. 90) Ps 13, 1; 52, 1. 91) Mt 12, 34; Lc 6, 45. 92) Hebr 11, 1. Vulg.: *Sperandarum substantia rerum*, etc. 93) Cf. Mt 7, 17; Lc 6, 43,

culum propinatum bibis? Credis Deum esse et mundi curam rerumque omnium rationem providentia sua habere; credis animae tuae immortalitatem; credis aeterna virtutis praemia in coelo et aeterna vitiorum supplicia in inferno, et tamen vitia sequeris, luxuriose vivis, in peccatis vitam ducis ac si nec paradisus esset, nec infernus, nec iudicium, nec Deus ipse? O deplorandam mortalium caecitatem!

nemo enim salvatur nisi opera bona egerit;

An non videtis quod damnati sunt hodie ad aeternos ignes una cum satana homines innumeri, tantum quia bona opera non egerunt? *Quia esurivi et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi bibere.* [94] Quid igitur de operariis iniquitatis credendum est? *Discedite a me omnes operarii iniquitatis,* [95] *maledicti, in ignem aeternum?*

qui autem gemina caritate destituitur, aeternis suppliciis deputabitur;

Si uxor, cum in viri suspicionem venerit quod alium virum amet atque depereat tanquam suum amasium, quod cum aliquo, ut dici solet, amorem agit, despicit eam, odit, nec a veneno, iugulo aut pugione, ab homicidio temperat, talis tantusque est in humano pectore zelus honoris, quid si in fragrantiam eam cum amasio reperiret? Hanc ob causam aeterni supplicii et cruciatus sententia feriuntur hodie reprobi, quoniam caritate gemina in Deum et homines destituti ostenduntur, quoniam mundum, opes, pecuniam magis quam Deum, quam proximum in necessitate positum dilexerunt; damnati sunt, quia pauperibus Christi ex caritate non subvenerunt, eos beneficiis minime affecerunt, ut ipsa naturalis lex dictat iubetque. Quid si maleficiis affecissent? si oppressissent? si persecuti fuissent?

nam divina iustitia etiam sine malefactis damnat,

Temporalis iustitia non damnat quemquam ad supplicia nisi ob gravia delicta, ob furta, latrocinia, homicidia, proditiones, seditiones et alia id genus; sed divina iustitia etiam sine malefactis damnat homines, sicut rex propter contumaciam et inobedientiam privat aliquem non tantum regis gratia et favore, sed etiam, bonis omnibus publicatis, relegat eum a regno, lata etiam contra eum sententia ultimi supplicii.

Hanc ob causam damnati sunt hodie reprobi propter inobedientiam, quoniam cum divina lege iussi essent ut Deum super omnia diligerent et proximos suos tanquam seipsum,[96] caritatis opera mi-

94) Mt 25, 42. Vulg.: *Esurivi enim*, etc. 95) Lc 13, 27. 96) Cf. Mt 23, 37-39; Mc 12, 30-31; Lc 10, 27.

nime praestiterunt, Deo et Christo morem gerere minime voluerunt, quare tanquam inobedientes et inhumani crudelesque in pauperes Christi ad aeterna supplicia in infernum cum satana et angelis eius Deo inobedientibus relegantur.

Ideo ostenduntur hodie damnati qui caritatis opera non praestiterunt.

X. Vidit E z e c h i e l Deum in curru igneo venientem de coelo ad destruendam et igne comburendam civitatem, nam misit Cherub ignem supra civitatem. Sed quid est quod currus animalibus trahebatur, quorum unumquodque habebat quattuor facies: hominis, bovis, leonis et aquilae? [97] Quia veniet Christus ad iudicandum mundum etiam ex pietate erga electos suos. Tunc vere apparebit benignitas et humanitas Dei [98] erga Sanctos. En in Christo hodie facies hominis: *Cum venerit Filius hominis ;* quam benignus erga electos! *Venite, benedicti Patris mei.* Facies bovis etiam ostendetur, quoniam: *Apparebit signum Filii hominis,* [99] apparebunt in coelo mysteria passionis Christi, nam bos in lege animal erat immolatitium, sacrificabile. [100] Manifesta tunc erit infinita Dei caritas et patientia: *An divitias bonitatis . . . et patientiae et longanimitatis* Dei *contemnis, ignorans quia benignitas Dei ad poenitentiam te expectat?* [101] Ostendetur manifestissime quanto non solum fecerit, sed etiam tulerit passusque fuerit Deus humanatus pro salute hominum. Facies leonis ostendetur terribilis contra reprobos: *Leo rugiet, quis non timebit?* [102] *Ite, maledicti, in ignem aeternum! Vicit leo de tribu Iuda.* [103] Dicitur in *Apocalypsi* Christus *agnus* et *leo,* [104] sicut apud E z e c h i e l e m Cherub habens faciem hominis et faciem leonis. [104a] Tandem sicut aquila perspicacissimi acutissimi visus cognoscet manifestissime omnia cordium et conscientiarum secreta: Tunc manifesta erunt *abscondita tenebrarum et . . . consilia cordium.* [105]

In iudicio apparebit Christi benignitas.

Infinita eius caritas et patientia, iustitia et sapientia.

XI. *Congregabuntur ante eum omnes gentes et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis,* etc. [106] Sicut *divisit* Deus

97) Cf. 1, 4-22. 98) Cf. Tit 3, 4. 99) Mt 24, 30. Vulg.: *Parebit signum,* etc. 100) Cf. Lv 1, 2; 9, 4. 18; 22, 19-21. 101) Rom 2, 4. Vulg.: *Quoniam benignitas... te adducit?* Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit; *Ignoras.* 102) Am 3, 8. 103) Apc 5, 5. 104) Cf. 5, 6. 12-13; 7, 9 sqq.; 21, 2 sqq. 104a) Cf. 10, 14. 105) 1 Cor 4, 5. 106) Mt 25, 32.

In die iudicii primo omnes congregabuntur et postea dividentur.

lucem a tenebris, [107] aquas superiores ab inferioribus, [108] sic faciet in die iudicii ex filiis Abrahae: dividet stellas coeli ab arena maris. [109] Sed primo congregabuntur, postea dividentur; prius simul erant in Aegypto Hebraei et Aegyptii, postea divisi fuerunt. *Congregabuntur . . . omnes gentes; Omnes . . . nos stare oportet ante tribunal Christi;* [110] omnes, nemine excepto. Simul erant in domo Abrahae Isaac et Ismael; [111] in domo Isaac Iacob et Esau, qui duos populos designabant: *Duae gentes sunt in utero tuo et duo populi ex te dividentur, populusque populum superabit et maior serviet minori;* [112] *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* [113] Iosue, transmisso Iordane, universum populum in duas partes divisit, posita arca Dei in medio. [114]

et alii ad dexteram, alii ad sinistram Christi statuentur.

Sed, quaeso, videamus, fratres, quinam statuendi sint ad dexteram Christi. Ait quod oves, de quibus alibi: *Oves meae vocem meam audiunt . . . et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis;* [115] sed non contentus dixisse oves metaphorice, inquit quod electi Dei statuentur ad dexteram: *Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Ad dexteram ergo Christi collocabuntur electi, praedestinati, dilecti Dei.

Nonnisi sancti salvabuntur.

Sed quis nostrum scire potest an sit de numero electorum? An sit praedestinatus aut praescitus? de ovibus Iacob an de ovibus Laban? Clarius loquitur et dicit: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Igitur nonnisi sancti collocabuntur ad dexteram Christi; imo Petrus ait: *Iustus vix* [116] *salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* Et Amos in eandem sententiam: *Odite malum et diligite bonum . . . si forte misereatur Dominus Deus exercituum.* [117] Qui odit malum et diligit bonum iustus est, et tamen inquit: *Si forte misereatur Dominus Deus; iustus* ergo *vix salvabitur,* sicut vix salvatus fuit Loth ex Sodomis, [118] quoniam ait: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo; Appensus es in statera et inventus es minus habens.* [119]

107) Gn 1, 4. 108) Cf. ibid. vr. 7. 109) Cf. ibid. 22, 17. 110) 2 Cor 5, 10. Vulg.: *Manifestari oportet*, etc. 111) Cf. Gn 21, 9. 112) Ibid. 25, 23. Vulg.: *Duo populi ex ventre tuo*, etc. 113) Mal 1, 3; Rom 9, 13. 114) Cf. Ios 8, 33. 115) Io 10, 27-28. 116) Ms.: *Quis*. 117) 5, 15. 118) Cf. Gn 19, 12-25. 119) Dn 5, 27.

Faciet Dominus sicut facit prudens mercator cum ei aurei nummi offeruntur: probat ad lapidem lydium ne sit aurum adulterinum, chymicum; deinde videt an sit pecunia a principe interdicta, si bona sit, si expendi potest; tandem an pecunia pondere iusta sit; si deficit in pondere, non acceptat eam. Sic, inquit: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*, opera bona, an bene sint facta, ne sint opera hypocritarum, an sint facta in caritate, nam: Si *caritatem... non habuero, nihil mihi prodest.* [120] Caritas est imago, signum principis in argentea vel aurea pecunia, sine quo cusum argentum sive aurum expendi minime potest.

veri autem sancti sunt qui opera bona ex caritate faciunt;

Nisi ergo quis verus fuerit sanctus, vera spiritus sanctitate praeditus, ad Christi dexteram minime collocabitur. Christus autem, quoniam verus Deus est, scrutator cordium, clarissime cognoscet omnes. Sicut enim optimum speculum imagines rerum ita reddit sicut sunt, ita Christus in die iudicii erit tanquam speculum, homines quales fuerint, iusti vel iniusti, tales ostendet et indicabit.

et hi tantum ad dexteram Christi collocabuntur.

XII. Quod si ita res est, fratres, quod nonnisi iusti, nonnisi sancti, idest homines gratia Sancti Spiritus vere praediti ad Christi dexteram collocandi sunt, quid erit nobis? Ubi collocabimur? Quis nostrum ad Christi dexteram statuetur? O iustissimam causam infiniti timoris!

Hinc nos cognoscere possumus ubi collocabimur,

Audiens Nabal iram David contra ipsum, tanto timore correptus fuit, quod timoris magnitudine mortuus fuit. [121] Nos autem audimus iram Dei contra nos et non extimescimus? Chananaei populi audientes adventum Iosue ad fines eorum elanguerunt, magnus irruit super eos terror, elanguit cor eorum, non remansit in eis spiritus, scientes quod veniebat cum magno exercitu ad delendos eos. [122] En Iosue verus: *Cum... venerit Filius hominis in maiestate sua;* et ecce ipsius exercitus: *Et omnes Angeli* eius *cum eo.* Nos autem scientes *quia prope est in ianuis,* [123] nihil formidamus, forte quia iustos nos esse arbitramur: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* [124] Num Davide sanctiores sumus? Timebat David divinum iudicium: *Non intres in iudicium cum servo tuo,* Domine, *quia non*

quod nobis causa esse debet infiniti timoris;

120) 1 Cor 13, 3. 121) Cf. 1 Rg 25, 36-38. 122) Cf. Ios 2, 1-9. 123) Mt 24, 33. 124) 2 Cor 1, 12.

iustificabitur in conspectu tuo omnis caro. Alibi Deum introducit sic dicentem: *Cum accepero tempus, ego recta iudicabo; dissolventur terra et omnes habitatores eius.*[125] O sententiam formidabilem! Quia, inquit, *recta iudicabo,* omnes habitatores terrae, omnes amatores terrae, qui portant imaginem terreni hominis, non autem coelestis,[125a] dissolventur, liquefient, mittentur in ignem aeternum.

veniet enim Christus terribilis ultor iniquitatis.

David videns Angelum Domini evaginato gladio versum contra Ierusalem, nimio terrore concussus fuit, sanguis ipsius in venis eius versus quodammodo in glaciem fuit.[126] Sic in die iudicii, fratres, veniet Christus tanquam Angelus Domini evaginato gladio contra Ierusalem, nam: *Qui . . . non credit, iam iudicatus est.*[127] Hic est gladius ille de quo Iob: *Fugite . . . a facie gladii, quia ultor iniquitatis gladius est, et scitote esse iudicium;*[128] de quo Deus: *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea;*[129] *Gladius meus devorabit carnes;*[130] de quo per Ezechielem *gladius* dicitur *exacutus . . . et limatus,*[131] evaginatus, irrevocabilis, interficiens omnem carnem, iustum et impium. Hic *gladius ex utraque parte acutus* egrediens ex ore Christi, feriens corpus et animam: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.*

Si fratres Ioseph perterriti fuerunt in conspectu illius,

Filii Iacob magno timore affecti fuerunt cum vocati fuerunt ad praesentiam Ioseph, magni principis super universam Aegyptum, per procuratorem domus,[132] sed multo maiori cum in conspectu ipsius Ioseph positi audierunt: *Ego sum . . . Ioseph frater vester, quem vos vendidistis.*[133] Hoc autem audito, ait Divina Scriptura, *non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti,*[134] stupidi, insensati, elingues, exanimes remanserunt, scientes quam graviter laeserant quem in tanta maiestate videbant. Quid igitur cum nos Christum in sua maiestate videbimus? *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi.*[135]

multo magis diem iudicii nos timere debemus.

Homo suapte natura valde timidus est. Adam post peccatum, cum audisset *vocem Domini Dei deambulantis . . . ad auram* diei, timuit et *abscondit se;*[136] Balthassar videns articulos manus scri-

125) Ps 74 (hebr. 75), 3. 125a) Cf. 1 Cor 15, 49. 126) Cf. 1 Par 21, 16. 127) Io 3, 18. 128) 19, 29. Vulg.: *Quoniam ultor iniquitatum,* etc. 129) Ex 15, 9. 130) Dt 32, 42. 131) 21, 9. 132) Cf. Gn 43, 16-18. 133) Ibid. 45, 4. 134) Ibid. vr. 3. 135) Lc 21, 26. 136) Gn 3, 8.

bentis ad parietem, prodigio ac portento illo supramodum exterrefactus fuit;[137] et nos diem iudicii non timemus?

Consideremus, fratres, quod in hodierno Evangelio semel et iterum dicitur quod ad Christi dexteram collocati iusti erunt.[138] *Tunc respondebunt... iusti dicentes: Domine, quando te vidimus* et ministravimus tibi?[139] Et postea: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* Semel et iterum exprimit Christus quinam sint ad Christi iudicis dexteram collocandi, scit enim quod ad virtutem surdastri sumus; vult tamen ut intelligamus et sciamus quod nonnisi iusti, a peccato iustificati et sanctificati salvandi sunt: *Venite, benedicti Patris mei,* filii Dei per gratiam, non filii satanae per peccatum.

Iuste ergo et sancte vivamus si in die iudicii salvari cupimus.

137) Cf. Dn 5, 5-9. 138) Cf. Mt 25, 33-34. 139) Ibid. vr. 37.

FERIA TERTIA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Cum intrasset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi, etc. [1]

Ostenditur hodie Christus mirabilis, terribilis et amabilis,

I. Hodie Salvator noster regali pompa tanquam verus rex Israel, promissus Messias, Ierosolymam ingressus, ostendit se omnibus supra modum mirabilem simulque terribilem et amabilem ac desiderabilem: *Commota est universa civitas dicens: Quis est hic?*

ut praedictus fuerat ab Isaia.

Contemplabantur cherubim mirantes divinum propitiatorium;[2] populus Dei in deserto miratus fuit vehementer videns in terra manna coeleste, dicens: *Man hu . . . quid est hoc?*[3] Angelus ille, qui in humana effigie apparuit parentibus Samsonis, appellatur *mirabilis*, פֶּלְאִי,[4] *miraculum*. Sic et Christus apud Isaiam: *Vocabitur nomen eius admirabilis*, פֶּלֶא, *miraculum*.[5] Sed qua ratione *miraculum?* Quia cum videretur non esse nisi homo, propheta quidam, qui ab Isaia *consiliarius* dicitur et populi hodie dicunt: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae*,[6] erat tamen verus Deus; hinc ait: *Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis, multiplicabitur . . . imperium et pacis non erit finis.*[7] Hic quidem, inquit, homo mirabilis est in sapientia et consilio, sicut Ioseph in Aegypto apud Pharaonem,[8] Daniel in Babylonia apud Nabuchodonosor,[9] Achitophel apud Davidem,[10] Salomon in Ierusalem;[11] ille mirabilis est in potentia miraculorum, ut Moyses in Aegypto, in mari Rubro, in de-

et quidem mirabilior omnibus viris famosis;

1) Pericope huius diei Mt 21, 10-17. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 25, 19; 37, 8-9. 3) Ibid. 16, 15. 4) Cf. Idc 13, 9-18. Ms.: *Pele* et infra. 5) 9, 6 (hebr. vr. 5). 6) Mt 21, 11. 7) Is 9, 6-7. 8) Cf. Gn 41, 16-38. 9) Cf. Dn 2, 36-48. 10) Cf. 2 Rg 15, 12. 11) Cf. 3 Rg 3, 28.

serto;[12] ut Elias, Eliseus[13] et alii, qui dii videbantur non homines; unde Moysi dictum fuit: *Constitui te deum Pharaonis;*[14] alius mirabilis in fortitudine, ut Samson;[15] alius in filiorum procreatione, ut Patriarchae Abraham, Isaac, Iacob;[16] alius regali maiestate et gloria, felicitate et fortuna, ut Salomon in Ierusalem,[17] Adam in paradiso;[18] alius bellica virtute, rebus fortiter bello gestis, ut Iosue qui regnum Israel acquisivit,[19] ut David qui illud ampliavit et multis additis provinciis propagavit.[20]

Christus mirabilis est hominibus et Angelis,

Sed Christus mirabilis in omnibus: *Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis,* et *multiplicabitur... imperium et... non erit finis.* Mirabilis hominibus: *Porro homines mirati sunt... Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?*[21] Mirabilis Angelis: *Quis est iste rex gloriae? Quis est iste rex gloriae?*[22] *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra... formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae?*[23] Mirabilis est quoniam verus est Deus: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!*[24] Tria cum magna admiratione contemplatur R e g i u s V a t e s eo *Psalmo:* Deum, qui mundi archetypus est, [mundus] ter maximus; universum hoc a Deo conditum, μακρόκοσμον,[25] magnum mundum, et tandem hominem, qui μικρόκοσμος est, parvus mundus.[26] Sed tandem ad caput revertitur Deo hominem coniungens: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Christum hic postremo loco admirans ac stupens contemplatur, in quo cernit omnia miracula divinitatis totiusque universalis naturae.

mirabilis etiam apud Deum, mirabilis in coelo et in terra.

Mirabilis Christus etiam apud Deum, ut in Iordane et supra montem Thabor testificatus fuit in baptismo et in transfiguratione gloriosa: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,*[27] hic paradisus deliciarum mearum, hic unicus thesaurus omnium bonorum meorum. Mirabilis super terram, mirabilis super coelum: *Quoniam elevata est magnificentia tua,* maiestas tua, *super coelos.*[28]

12) Cf. Ps 77, 12-53; 104, 26 sqq.; 105, 7-33; Eccli 45, 2-6. 13) Cf. Eccli 48, 1-14. 14) Ex 7, 1. 15) Cf. Idc 15, 7-16, 1-30. 16) Cf. Eccli 44, 20 sqq. 17) Cf. 3 Rg 8, 23 sqq.; 2 Par 9, 1-28. 18) Cf. Gn 2, 15 sqq. 19) Cf. Eccli 46, 1-10. 20) Cf. 2 Rg 8, 1 sqq.; 3 Rg 2, 11; 1 Par 29, 26-28; Eccli 47, 2-13. 21) Mt 8, 27. 22) Ps 23, 8. 10. 23) Is 63, 1. 24) Ps 8, 2. 25) Ms.: *Macrocosmon* et infra: *Microcosmos.* 26) Cf. supra, Feria Quinta post Cineres, pag. 29, not. 6. 27) Mt 3, 16 sq.; 17, 1-5. 28) Ps 8, 2.

Mirabilis in primo adventu, sed multo mirabilior in secundo; mirabilis hodie in ingressu terrenae Ierusalem, multo mirabilior in ingressu coelestis, quando *assumptus fuit in coelum et sedet a dextris Dei.* [29] Mirabilis sedens super asinum, comitatus hominibus, [30] multo mirabilior sedens super thronum maiestatis suae, stipatus angelicis exercitibus.

Hodie mirabilem se ostendit operibus iustitiae,

II. Mirabilem operibus se ostendit hodie Christus, operibus autem tum iustitiae tum misericordiae; nam cum venisset in templum Dei, omnes vendentes et ementes inde eiecit dicens: *Scriptum est* quia *domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum;* deinde vero *accesserunt ad eum caeci et claudi in templo et sanavit eos;* [31] in salutem pauperum multa miracula operatus fuit.

nam tanquam rex iudicia exercet in peccatores,

Intravit in Ierusalem hodie Christus tanquam rex: *Ecce rex tuus venit,* [32] unde pueri clamabant: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel!* [33] Rex autem in suo regno supremus est iudex, ad eum pertinet iudicare: *Regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra.* [34] Sic hodie Christus manifestatus rex Israel, iudicia exercuit in peccatores. Eiciens hodie Christus Iudaeos de templo specimen praestitit futuri iudicii, sicut scissio pallii Samuelis signum fuit quod regnum Israel auferendum erat a domo Saul; [35] et Ahias propheta scidit pallium suum in duodecim partes deditque ex eis decem partes Ieroboamo, in signum quod decem tribus auferendae erant a regno Salomonis; [36] rex Israel ad iussum Elisei arcu suo sagittam misit contra Syriam et baculo terram percussit, in signum quod Syriam bello vastaturus erat; [37] Ieremias lagenam manu tenens proiecit in terram atque confregit, in signum quod sic destruenda erat Ierusalem a Chaldaeorum rege; [38] Isaias abiit discalceatus et nudus, in signum quod Aegyptus a rege Assyriorum spolianda erat omnibus bonis; [39] Ezechieli iussit Deus ut laterem magnum acciperet et stylo in eo describeret civitatem Ierusalem cinctam obsidionibus et machinis inimicorum ad eam impu-

figuram exhibens futuri iudicii.

29) Mc 16, 19. Vulg.: *Assumptus est,* etc. 30) Cf. Mt 21, 7-9; Mc 11, 1-10; Lc 19, 35-38; Io 12, 12-14. 31) Mt 21, 12-14. 32) Zach 9, 9; Mt 21, 5. 33) Mt 21, 9; Io 12, 13. 34) Ier 28, 5. 35) Cf. 1 Rg 15, 27-28. 36) Cf. 3 Rg 11, 30-31. 37) Cf. 4 Rg 13, 15-19. 38) Cf. Ier 19, 1 sqq. 39) Cf. Is 20, 2 sqq.

gnandam et expugnandam, quoniam sic in obsidione deventura erat civitas impugnanda et expugnanda ab inimicis. [40] Sic hodiernum facinus Christi prodigium fuit ac portentum futuri iudicii, sicut Christus ex destructione civitatis et templi sermonem instituit de universali iudicio. [41]

Hodierna historia veluti parabola quaedam est et figura universalis iudicii, sicut civitas Ierusalem hieroglyphicum mundi huius, templum figura et symbolum Ecclesiae. Venit hodie Christus in Ierusalem cum mirabili maiestate, sic venturus est ad iudicandum: *Cum... venerit Filius hominis in maiestate sua.* [42] Hinc Paulus *ad Thessalonicenses* ait: *In revelatione Domini Iesu de coelo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum... qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini et a gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in Sanctis suis et admirabilis fieri.* [43] Commota hodie fuit tota civitas, tunc totus commovebitur mundus: *Virtutes coelorum commovebuntur.* [44] Comitatus venit frequentissimo populo, tunc veniet stipatus Angelis. Venit hodie Christus in Ierusalem ad purgandum templum: *Venit*, inquit, *in templum Dei et eiciebat omnes vendentes et ementes in templo :* [44a] non veniet Dominus nisi ad purgandam Ecclesiam: *Veniet ad templum suum Dominator quem vos quaeritis et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus... tanquam ignis conflans... et purgabit filios Levi;* [45] veniet ad fideles iudicandos, nam *qui... non credit, iam iudicatus est.* [46]

hodierna enim historia veluti parabola est iudicii universalis.

III. Non exercuit tantum iustitiae et severitatis actus hodie Christus, sed etiam misericordiae et clementiae: *Accesserunt ad eum caeci et claudi in templo et sanavit eos.* Sic in die iudicii faciet. Angelus Domini in Aegypto non intulit mortem domibus Hebraeorum, sed tantum domibus Aegyptiorum. [47] Christus in die iudicii erit hic Angelus, Angelorum omnium princeps et rex summus.

Mirabilem etiam se ostendit operibus misericordiae.

Cum Aaron constitutus fuit totius synagogae hierarcha et pontifex summus, iussus fuit a Deo inungi oleo et sanguine aspergi, [48]

40) Cf. Ez 4, 1 sqq. 41) Cf. Mt 24, 15-31. 42) Ibid. 25, 31. 43) 2 Thess 1, 7-10. 44) Mt 24, 29. 44a) Ibid. 21, 12. Vulg.: *Intravit in templum Dei*, etc. 45) Mal 3, 1-3. Vulg.: *Quasi ignis*, etc. 46) Io 3, 18. 47) Cf. Ex 12, 21-30. 48) Cf. ibid. 29, 1-21; Lv 8, 1-30.

quia principem decet clementem simul et severum esse.

quia principem decet clementem simul et severum esse. Christi pectus et cor plenum fuit aqua et sanguine, nam ex eius latere *exivit sanguis et aqua ;* [49] *Verbum caro factum est . . . plenum gratia et veritate,* [50] plenum misericordia et iustitia: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt.* [51] In sanctuario Dei cum tabulis legis [52] asservabatur et vas mannae [53] et virga Moysi, quae percussit Aegyptum; [54] divinum propitiatorium erat in medio duorum cherubim, [55] mare aeneum in medio duarum columnarum; [56] Christus in regali maiestate visus fuit Isaiae in medio duorum Seraphim. [57]

Tria de Christo agnoscenda sunt: regia maiestas, severa iustitia et suavis misericordia.

Tria haec nobis de Christo agnoscenda sunt: maiestas regia tota mirabilis, severa iustitia et dulcis misericordia et clementia, haec enim tria proponuntur in hodierno Evangelio, haec tria manifestissima erunt in die iudicii. Quoniam rex summus est, totum mundum iudicabit, totus commovebitur mundus, paradisus, coelum, terra, infernus; quoniam misericors et clemens est, multos salvabit, sed quoniam iustus est, multos damnabit.

Quamvis Deus propensior sit ad salvandum quam ad damnandum,

IV. Sed hoc cogitandum nobis est, quisnam maior erit numerus: eorum qui salutem consequentur, eorum an qui cum satana in ignem aeternum mittentur? Scio quidem quod misericordia et iustitia Dei aequales sunt, sicut oculi et manus, sicut lances iustae bilancis, sicut duo mundi hemisphaeria; et etiam quod Deus suapte natura multo propensior est ad salvandum quam ad damnandum, ad indulgendum quam ad puniendum. Sed tamen electi paucissimi erunt reproborum comparatione, sicut patet in diluvio, [58] in incendio Pentapolis, [59] in ingressu terrae promissionis ex tam magno numero eorum qui ex Aegypto egressi fuerunt; [60] patet etiam in Iericho, ex qua civitate una tantum familia salvata fuit. [61]

tamen electi paucissimi erunt,

Interrogatus Dominus: *Si pauci sunt qui salvantur?* ait: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare et non poterunt ;* [62] alibi vero ait: *Intrate per angustam*

49) Io 19, 34. 50) Ibid 1, 14. Vulg.: *Gratiae et veritatis.* 51) Ps 84, 11. 52) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 53) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 54) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. Cf. *Quadragesimale Secundum,* Dominica Prima Quadr., pag. 462, not. 68. 55) Cf. Ex 37, 6-9; 3 Rg 6, 23-27; 2 Par 5, 7-8. 56) Cf. 3 Rg 7, 21-25. 57) Cf. Is 6, 1-2. 58) Cf. Gn 7, 10 sqq. 59) Cf. ibid. 19, 12-30. 60) Cf. Ex 12, 32; Nm 14, 22-38; Dt 1, 29-39. 61) Cf. Ios 6, 22-25. 62) Lc 13, 23-24.

portam, quia lata porta et spatiosa via est quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! [63] Docet ergo Dominus quod pauci sunt qui salvantur, multi autem qui pereunt; sicut via vitae naturalis una tantum est et valde arcta, via autem mortis latissima est, multiplex est, [63a] sic via salutis et perditionis aeternae. Docet igitur Christus veritatem hanc, solvit ipse hoc quaesitum.

sicut docet ipsemet Christus

Sed et hodiernum Evangelium hoc innuit, nam omnes, inquit, eiecit de templo, remanserunt tantum pauperes quidam caeci et claudi, quos ipse misericordia motus sanavit. O malum nuncium: Omnes eiecit de templo! Quid est hoc nisi quod ex infinita hominum multitudine, quae congregabitur ante tribunal Christi, omnes fere cum satana in ignem aeternum mittentur, paucissimi tantum salvabuntur?

et innuit hodiernum Evangelium,

Apud Isaiam legimus: *Si... fuerit populus tuus... quasi arena maris, reliquiae convertentur ex eo;* [64] interpretatur Paulus: *Reliquiae salvae fient;* [65] et capite 17: *Brachium eius spicas leget, erit sicut quaerens spicas in valle Raphaim, et relinquetur in eo sicut racemus et sicut excussio oleae duarum aut trium olivarum in summitate rami.* [66] Sic etiam capite 24: *Erunt in medio terrae, in medio populorum quomodo si paucae olivae quae remanserunt excutiantur ex olea et racemi cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam atque laudabunt, cum glorificatus fuerit Dominus.* [67] Per Ieremiam etiam Dominus ait: *Erudire, Ierusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem. Haec dicit Dominus* Deus *exercituum: Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel.* [68]

subintelligitur etiam in Isaia et Ieremia.

V. Idem docet Deus etiam apud Ezechielem; iubet enim ut radat omnes pilos corporis sui eosque in tres partes dividat, servatis tantummodo paucis pilis numero, et unam partem in ignem mitteret, alteram gladio concideret, tertiam ad ventum spargeret, utique perdendos, additque sic occidendum esse populum. [69] Nam triplici ex causa damnabuntur impii in die iudicii: hi quidem quoniam operati sunt iniqua; illi vero quoniam bona opera non egerunt:

Hoc idem Deus docet per Ezechielem,

63) Mt 7, 13-14. 63a) Celebris sententia L. A. Senecae *Epist.*, lib. 10, epist. 70, pag. 295.
64) 10, 22. 65) Rom 9, 27. 66) Vrr. 5-6. 67) Vrr. 13-14. 68) 6, 8-9.
69) Cf. 5, 1-4.

Esurivi . . . et non dedistis mihi manducare ; [70] alii tandem quoniam sine caritate et recta ac sancta intentione operati fuerint bona, ut hypocritae.

ostenditur etiam in visione eiusdem Vatis et in *Apocalypsi.*

Legimus etiam apud eundem quod in spiritu vidit sex viros venientes armatos ad civitatem disperdendam, cum eis autem venit vir lineis indutus ad signandum electos Dei signo *thau* in frontibus, quo facto coeperunt armati interficere populum civitatis incipientes a sanctuario Domini, ita ut universum fere populum gladiis suis peremerint. [71] Quare exclamans Vates ait: *Heu, heu, heu, Domine Deus! Ergo ne disperdes omnes reliquias Israel?* [72] Pauci tantum signati a caede salvati fuere; sicut etiam in *Apocalypsi* legimus servatos servos Dei fuisse signatos in frontibus. [73]

Non salvabuntur nisi qui habuerint caritatem et gratiam Spiritus S.,

Non salvabuntur ergo nisi pauci signo Dei signati. Sed quodnam hoc signum? Quinam hi signati? Signo *thau* signatos fuisse inquit Ezechiel eos tantum qui gementes et dolentes erant super abominationibus, idest illi quibus peccata et vitia, corruptelae populi summopere displicebant et ex caritate Dei et proximi amoris lacrimis deflebant, sicut hodie Christus flevit super Ierusalem, [74] sicut Ieremias amarissime flevit perditionem populi in suis *Lamentationibus.* Signum hoc caritatem et gratiam Spiritus Sancti designat, sicut Paulus ait *ad Ephesios : Nolite contristare Spiritum Sanctum . . . in quo signati estis in die redemptionis* vestrae; [75] et *ad Corinthios : Qui unxit nos Deus et qui signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* [76] Signum hoc Christus est: Principium et *finis . . . legis Christus ad iustitiam omni credenti ;* [77] *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* [78] Qui sanguine Christi fuerit signatus, particeps meritorum Christi per fidem vivam et gratiam, hic salvus erit; qui Deum pura mente coluerit et adoraverit *in spiritu et veritate,* nam: *Spiritus est Deus et . . . qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* [79] Deus est finis omnium, is est ex toto corde, anima et mente super omnia diligendus atque colendus.

hoc est signum Christi,

Eiecit Dominus hodie Iudaeos de templo, quoniam non Deum

70) Mt 25, 42. 71) Cf. Ez 9, 2-8. 72) Ibid. vr. 8. 73) Cf. 9, 4. 74) Cf. Lc 19, 41. 75) 4, 30. Vulg.: *In diem.* 76) 2 Cor 1, 21-22. Vulg.: *Qui et signavit,* etc. 77) Rom 10, 4. 78) Ct 8, 6. 79) Io 4, 24.

adorabant ibi, non orationi operam dabant, sed vitulum aureum [80] et Baal adorabant [81] avaritiae intenti, non erant signati divino hoc signo caritatis et pietatis, hinc eicientur a facie Dei: Omnes eiecit de templo.

sine quo omnes eicientur a facie Dei.

VI. Diligenter vero consideranda nobis causa est ob quam Dominus Iudaeos hodie eicit de templo: Quia, inquit, *scriptum est: Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* [82] Duplicem causam assignat: altera quidem est contemptus religionis divinae, altera avaritia, aviditas, cupiditas substantiae terrenae per fas et nefas.

Eiecit Dominus Iudaeos de templo ob contemptum religionis et avaritiam,

Iudicem agit hodie Christus; processum minime componit, quoniam reos reperit in fragranti, nec sententiam fert sedens pro tribunali, sed exequitur et causam assignat: *Vos autem fecistis illam speluncam latronum*, alludens ad vaticinium Ieremiae: *Ergo spelunca facta est latronum domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego ... sum, ego vidi, dicit Dominus;* ubi minitatur destructionem templi dicens: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israel ... Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum et in qua vos habetis fiduciam ... sicut feci Silo.* [83] Fidebant vehementer Iudaei in templo et sacrificiis, existimantes quod Deus nunquam templum esset destructurus nec civitatem propter templum, licet ipsi impie viverent, hinc ait eis Vates loquens in porta templi ad universum populum: *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini,* sed bonas facite *vias vestras et studia vestra* et *habitabo vobiscum in loco isto ... Ecce vos confiditis ... in verbis mendacii quae non proderunt vobis: furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter* et sinistris verbis, *et stetistis ... in domo hac in qua invocatum est nomen meum, et dixistis: Liberati sumus, etiam si fecerimus omnes abominationes istas.* [84] Confidebant in sola fide sine operibus, in meritis templi et sacrificiorum, supra quam par erat, omnem spem salutis repositam habentes. Ergo, inquit, speluncam latronum, receptaculum et antrum

alludens ad vaticinium Ieremiae.

qui Iudaeos arguebat in sola fide sine operibus confidentes.

80) Cf. Ex 32, 2-6. 81) Cf. 3 Rg 18, 21. 82) Mt 21, 12. Vulg.: *Domus orationis vocabitur*, etc. 83) 7, 11-14. Vulg. *Ergo spelunca latronum facta est*, etc.
84) Ibid. vrr. 4-10. Vulg.: *In sermonibus mendacii, qui non proderunt ... eo quod fecerimus*, etc.

latronum et grassatorum, facinorosorum hominum erit domus ista. Est quidem necessaria ad salutem fides, sed non sufficit sine operibus, necessaria sunt opera bona cum fide. Ne igitur nos ipsos decipiamus.

Christus nonnisi fidelem populum iudicabit.

VII. Considerandum diligenter nobis est quidnam sit: *Intravit in templum et eiecit omnes vendentes et ementes*, saecularibus negotiis deditos, tantumque pauperes quosdam caecos et claudos curavit. In templo ostendit Christus regiam ac iudiciariam potestatem suam, quoniam nonnisi Ecclesiam iudicabit, fidelem populum, nam: *Qui ... non credit, iam iudicatus est.* Hanc ob causam Isaias Deum vidit supra templum pro tribunali *sedentem super solium excelsum* in maiestate, ita ut *commota* sint *superliminaria cardinum a voce clamantis et domus repleta* sit *fumo*, ita ut expaverit ipse vehementer et damnationem extimuerit: *Vae mihi!* [85] Cognita Christi divina sanctitate, divinum iudicium etiam sanctis magnum timorem incutit, quoniam *iustus vix salvabitur.* [86] Hoc est quod templum sanctum contremuit. Duo autem dicit de templo: primum quidem, quod repletum sit gloria et splendore Domini, alterum, quod fumo repletum fuit; prius gloria et splendore, postea fumo. Ecce gloria: *Venite, benedicti;* [87] ecce fumus: *Ite, maledicti.* [88] Post visionem hanc missus fuit Isaias ad praedicandum Iudaeis divinum iudicium contra eos, contra universum populum: *Excaeca cor populi huius, ne convertantur et sanem eos,* [89] quoniam totus populus peccatis erat infectus: *Omne caput languidum et omne cor moerens: a planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.* [90] Hinc totus praedicatur populus damnandus, indurandus, excaecandus.

ut innuit Isaias in visione gloriae Domini iudicantis.

Fratres mei, vult quidem Deus, vult Christus *omnes homines ... salvos fieri,* [91] sed scitote quod iudex est, necesse est ut iuste iudicet et ad manifestandam iustitiam suam venturus est in mundum ad iudicandum omnes. Christus magnus sacerdos est, portans omnia nomina tribuum supra cor, [92] indelebiliter scripta et incisa in gemmis pretiosissimis ad exaggerandam divinam Christi erga nos caritatem; sed postea divisit haec nomina in duas partes: alteram posuit ad dexteram, alteram ad sinistram.

Deus vult omnes salvari, sed iustus iudex est et iuste iudicabit.

85) Is 6, 1-5. 86) 1 Petr 4, 18. 87) Mt 25, 34. 88) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti.* 89) Is 6, 10. Affert ex Mt 13, 15. 90) Is 1, 5-6. 91) 1 Tim 2, 4. 92) Cf. Ex 28, 7-29.

II. ALIA HOMILIA

Intravit Iesus in templum . . . et eiciebat omnes vendentes et ementes in templo . . . et dicit eis : Scriptum est, etc. [1]

I. In hodierno Evangelio nobis, fratres, veluti specimen quoddam ac veluti spectrum ostenditur magni et universalis iudicii. Non ad aliud visus est Dominus venisse in mundum, nisi ad praedicandum hoc mysterium. Hinc enim per Isaiam ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Sed quidnam praedicaturus erat? *Praedicare annum Domini acceptum et diem ultionis Deo nostro.* [2] *Annum Domini acceptum,* inquit, idest annum iubilaei, qui post septem annorum hebdomades summa cum totius populi laetitia et exultatione celebrabatur, qui septimo mense anni proxime antecedentis, in die expiationis, sacerdotalium tubarum clangore praenunciabatur. *Praedicare annum* libertatis et *gloriae filiorum Dei,* [3] quo unusquisque revertebatur ad pristinam possessionem suam a se vel parentibus divenditam et alienatam. [4] Possessio autem nostra paradisus est: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* [5] Sed praedicare etiam *ultionem Deo nostro,* diem irae et vindictae Dei: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* [6]

Non ad aliud videtur Christus venisse in mundum nisi ad praedicandum iudicium;

Cum igitur ad hoc missus esset Christus, cum hanc a Patre suscepisset provinciam, diligentissime munus hoc implevit. Vix enim aliud praedicavit Christus, nam ab hoc vaticinio Christus, ut Lucas tradit, praedicationem suam exorsus fuit. [7] Praedicavit autem mysterium hoc Christus nunc quidem apertis verbis, ut in hesterno Evangelio, [8] nunc parabolis plurimis. Multis nanque parabolis docuit Christus divinum hoc mysterium: hoc enim parabola decem virginum [9] ac decem minarum, [10] hoc parabola quinque talentorum, [11] hoc parabola coenae, a qua excluditur non habens vestem nuptialem, [12] et aliae multae. [13]

hoc autem munus diligentissime explevit verbis

1) Mt 21, 12-13. 2) 61, 1-2. Affert ex Lc 4, 18-19. 3) Rom 8, 21. 4) Cf. Lv 25, 8-13. 5) Mt 25, 34. 6) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 7) Cf. 4, 16-17. 8) Cf. Missale Rom. Feria praec. 9) Cf. Mt 25, 1-13. 10) Cf. Lc 19, 13-26. 11) Cf. Mt 25, 14-31. 12) Cf. ibid. 22, 2-14. 13) Cf. ibid. 13, 1-50.

Nec tantum verbis, sed etiam factis voluit Dominus divinum iudicium praedicare; hoc enim egit maledicens ficulneam infructuosam quae statim exaruit [14] et eradicata divinitus fuit, ut sciamus quod: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur ;* [15] hoc cum alias in principio praedicationis suae de templo eiecit vendentes et ementes, facto flagello de funiculis, ut I o a n n e s refert; [16] hoc ipsum hodie. Mos nanque Prophetarum erat non tantum verbis, sed etiam factis praedicare iudicia Dei futura. [17]

et factis.

II. Sed, quaeso, contemplemur diligenter sacram hanc divinamque iudicii futuri imaginem, nam a templo hoc et civitate Dominus vaticinari coepit de universali iudicio. Venit Dominus hodie a Bethania, a d o m o c a n t i c i, [18] et monte Oliveti in Ierusalem infinita populi multitudine stipatus tanquam divinus rex, iumento humili vectus, [19] quod plane indignum regia maiestate videtur; sed mysterium est. Dicitur quidem Deus in Scripturis Sanctis nunc coelos inequitare, [20] nunc Angelos, Cherubim, [21] nobilissimos spiritus; sed tanta est regis huius maiestas, ut omnis creata dignitas et nobilitas illius comparatione nihil sit, sicut terra coelo comparata, luna soli, asinus humilis rudisque regi, imperatori summo comparatus.

Hoc probatur etiam facto hodierno,

Venit in Ierusalem tanquam rex. *Ecce rex tuus veniet tibi*, ait Z a c h a r i a s, *sedens super asinum.* [22] Quoniam regis est praedicare, ac sententiam irrevocabilem inappellabilemque ferre supremi est tribunalis, ideo Christus iudex erit omnium, quoniam ipse rex summus est totius universi: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;* [23] *Sedet a dextris Dei,* [24] aequalis est Deo, factus a Deo rex super universam creaturam, sicut Salomon a patre David super universum regnum Israel constitutus fuit rex. [25].

nam venit hodie Christus in Ierusalem tanquam rex triumphans

Venit autem Christus hodie *Rex regum et Dominus dominantium,* [26] sed in templum venit et in templo iudicium exercuit. Veniet Christus ad iudicandum mundum, sed praecipue templum, ad iudicandam

et iudex iudicium exercens.

14) Cf. ibid. 21, 19. 15) Ibid. 3, 10. 16) Cf. 2, 13-16. 17) Cf. 1 Rg 15, 27-28; 3 Rg 11, 29-39; Ier 19, 1-13; Os 1, 1 sqq. 18) Sic latine hoc nomen interpretatur. 19) Cf. Mt 21, 7-9; Mc 11, 1-10; Lc 19, 35-38; Io 12, 12-14. 20) Cf. Dt 33, 26; Ps 18, 7; 67 (hebr. 68), 5. 34; Eccli 24, 8. 21) Cf. Ps 17 (hebr. 18), 11. 22) 9, 9. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Super asinam.* 23) Mt 28, 18. 24) Mc 16, 19. 25) Cf. 3 Rg 1, 32-35; 1 Par 28, 5-7. 26) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.

Ecclesiam, populum fidelem; nam: *Qui . . . non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.*[27]

Factum et mysterium hodiernum comparatur cum visione Isaiae.

III. I s a i a s Christum Dominum in regia maiestate vidit pro tribunali *sedentem supra solium excelsum et elevatum*, supra templum, nam ait: *Ea quae sub ipso erant replebant templum.*[28] Idem est mysterium cum hodierno Evangelio. Laudatur hodie Christus a turbis: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini;*[29] laudatur ibi ab Angelis: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.*[30] In quas classes dividuntur hodie qui Christum comitantur: *Qui praeibant et qui sequebantur clamabant . . . Hosanna filio David.*[31] Sic duo Seraphim apud I s a i a m, duo Angelorum exercitus apud D a n i e l e m[32] et apud Michaeam: *Vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris.*[33]

Divinus iudex ipsis sanctis terribilis apparebit

Terribilem se ostendit hodie in templo Christus, terribilem ibi, nam: *Commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis . . . domus* tota contremuit et *repleta est fumo.*[34] Fumus iram Dei significat: *Ascendit fumus in ira eius.*[35] Etiam sancti timent diem iudicii: *Non intres in iudicium cum servo tuo,* Domine, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens;*[36] *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?*[37] Isaias sanctus erat, sanctam vitam ducebat, et tamen, visa Christi iudicis maiestate, timuit vehementer.

nam omnis sanctitas divinae sanctitati comparata obscuratur.

Obscuratur luna adveniente sole, sic omnis nostra sanctitas divinae sanctitati comparata: *Vae mihi quia tacui,* נִדְמֵיתִי,[38] *in silentium redactus sum,* perii, actum est de me, *quia vir pollutus labiis ego sum et in medio populi polluta labia habentis ego habito et regem Dominum exercituum viderunt oculi mei.*[39] Et quidem vere pollutus erat, licet prius non agnosceret; opus fuit ut Seraph ignito calculo igne coelesti eum purgaret: *Ecce tetigi hoc labia tua et auferetur iniquitas tua* a te *et peccatum tuum mundabitur;*[40] hoc est quod tem-

27) Io 3, 18. 28) 6, 1. Vulg.: *Super solium*, etc. 29) Mt 21, 9; Mc 11, 9; Lc 19, 29; Io 12, 13. 30) Is 6, 3. 31) Mt 21, 9. Vulg.: *Quae praecedebant et quae*, etc. 32) 10, 1. Ex hebraico, nam ubi nostra Vulg. habet: *Et fortitudo magna*, hebraice est: *Militia magna* seu *exercitus magnus.* 33) 3 Rg 22, 19. 34) Is 6, 4. 35) Ps 17, 9. 36) Ps 142, 2. 37) Ps 129, 3. 38) Ms.: *Nidmethi.* 39) Is 6, 5. Vulg.: *Vidi oculis meis.* 40) Ibid. vr. 7. *Tetigi* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Tetigit.*

plum contremuit et fumo obscuro et qui ab oculis lacrimas elicit, plenum fuit. Sic, orta tempestate, timent nautae peritissimi, magnum instat navigantibus periculum.

Infinita iustitia divini Iudicis describitur etiam ab Amos propheta,

IV. Sed videamus quam ob causam timendum nobis est. A m o s p r o p h e t a ait quod vidit Dominum supra murum templi, manu tenentem trullam coementarii sive perpendiculum, [41] quod instrumentum est fabri materiarii ad expendendam examinandamque aedificii rectitudinem et qualitatem, ut muri obliquitas, vitium, defectus, si quam in partem inclinet, probetur et corrigatur. Hoc utique hieroglyphicum est iustitiae. Sed quia forte vitia reperit murorum in templo, ait idem V a t e s alia visione se Dominum vidisse supra, sive iuxta altare dicentemque audivit: *Percute cardinem*, sive limitare domus, *et commoveantur superliminaria, avaritia enim in capite omnium ;* [42] avaritia autem, cupiditas, est *radix... omnium malorum.* [43] Haec utique causa minarum est. Sed antequam vidisset A m o s Deum stantem supra murum templi cum perpendiculo, ait se vidisse Dominum vocantem ad iudicium in igne, qui *devoravit abyssum magnam et... partem,* [44] sive hereditatem, *pars* enim *Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius.* [45]

Innuente maximam partem fidelium in die iudicii perituram esse,

Illis autem verbis dicere voluit d i v u s V a t e s quod maxima pars hominum et fidelium peribit in die iudicii, devorabit *abyssum magnam et... partem.* Huius autem rei veluti causam reddens, inducit Deum manu perpendiculum gestantem, hieroglyphicum divinae iustitiae. Non omnes quidem peribunt in divino iudicio, multi salvabuntur, iusti ad Christi dexteram collocati. [46] Et hodie Christus non tantum eiecit de templo peccatores, sed etiam filios Dei cultores consolatur ac magnis beneficiis afficit: *Accesserunt ad eum caeci et claudi... et sanavit eos.* [47] Sed hi pauci valde fuerunt illorum comparatione qui eiecti fuerunt.

Universum semen Abrahae divisit Deus in stellas coeli et in arenam maris. [48] Sed quis nescit quod multo plures sunt arenae maris quam stellae coeli? *Multi... sunt vocati, pauci vero electi;* [49] multi *currunt,*

41) Cf. 7, 7-8. 42) 9, 1. 43) 1 Tim 6, 10. 44) 7, 4. Vulg.: *Abyssum multam*, etc. 45) Dt 32, 9. 46) Cf. Mt 25, 33-40. 47) Ibid. 21, 14. 48) Cf. Gn 22, 17. 49) Mt 20, 16.

sed unus accipit bravium.[50] In *Apocalypsi*,[51] sicut etiam apud Danielem,[52] in iudicio multi aperiuntur libri, sed unus tantum *liber vitae* dicitur. Hinc hodie de templo eicit infinitam pene hominum multitudinem et nonnisi paucos caecos et claudos curavit, data eis optatissima integritate sensuum viriumque, eorum desideriis impletis.

quod significatur hodie per multos de templo eiectos et paucos a Christo sanatos.

III. ALIA HOMILIA

Cum introisset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas dicens : Quis est hic ? Populi autem dicebant, etc. [1]

I. Magno desiderio ardet hodie universa civitas Ierusalem cognoscendi Christum, sicut Moyses miratus scire desideravit quidnam esset quod arderet rubus et non combureretur.[2] Sed divinitus excitatum fuit desiderium illud in Moysi animo, ut sic illum Deus ad seipsum traheret eique seipsum cognoscendum [offerret]. Sic hodie divinitus excitatum est desiderium in civibus Ierusalem videntibus Christum intrantem in civitatem cum regali maiestate, veluti principem triumphantem, et tamen sine regali pompa: *Commota est universa civitas dicens : Quis est hic?*

Magno desiderio commovetur hodie Ierusalem cognoscendi Christum.

Filiae Ierusalem in *Canticis* sponsam simili modo interrogant: *Qualis est dilectus . . . ex dilecto? . . . Qualis est dilectus . . . ex dilecto?* Cui ipsa: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, vexillans in decem millibus.*[3] Deus totus puritas, sanctitas, caritas, pulcritudo: *Caput eius aurum optimum*, divina sapientia; *comae* capitis *eius . . . nigrae sicut corvus,*[4] secreta sapientiae divinae: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius !*[5] *Oculi eius sicut columbae . . . quae lacte sunt lotae*, puritas divinae mentis; *genae illius sicut areolae aromatum*, misericordia et iustitia; *labia illius lilia stillantia myrrham*, veritas divinorum eloquiorum;

In *Canticis* mystice describuntur divinae proprietates.

50) 1 Cor 9, 24. 51) Cf. 20, 12 sqq. 52) Cf. 7, 10.

1) Mt 21, 10-11. Vulg.: *Cum intrasset*, etc. 2) Cf. Ex 3, 3. 3) 5, 9-10. Ex hebraico. 4) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Quasi corvus.* 5) Rom 11, 33.

manus illius tornatiles aureae, plenae hyacinthis, opera Dei perfectissima; *venter illius*, idest pectus, *eburneus, distinctus sapphiris*, divina caritas, sinceritas et candor divini cordis; *crura illius columnae marmoreae . . . fundatae super bases aureas*, affectus divinae voluntatis toti in caritate fundati et stabiles; tandem *totus* ipse *desiderabilis*,[6] quoniam Deus thesaurus est infinitae bonitatis.

Non possumus in hac vita Christum perfecte cognoscere.

II. Magno desiderio arsit populus Dei, cum primo vidit manna, ut sciret quidnam esset: *Man hu, man hu . . . quid est hoc? quid est hoc?* Respondit Moyses: *Hic est panis quem Dominus dedit vobis ad vescendum.*[7] Sic respondetur hodie: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.*[8] Non possumus in hac vita Deum perfecte cognoscere;[9] his verbis non datur perfecta Christi cognitio: *Posteriora mea videbis, faciem . . . meam videre non poteris.*[10] Non cognoscitur autem homo[11] perfecte nisi per faciem; a tergo cognosci quidem potest, sed valde imperfecte; sic non possumus in hac vita habere perfectam cognitionem Dei: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.*[12]

Deus nunc cognosci potest duplici via: per naturam,

Deus[13] vero duplici via cognosci potest, sicut Regius Vates docuit in *Psalmo : Coeli enarrant :*[14] per naturam et per Scripturam. Per naturam, nam Paulus ait: *Invisibilia* Dei *per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas.*[15] Qui debili visu praediti sunt, utuntur conspicillis; sic creaturae sunt conspicilla intellectus nostri, qui valde debilis est ad intelligenda divina. Per naturam cognoscitur Deus, sicut Angeli per scalam ad Deum ascendebant.[16] Magna est terra, sed multo maius coelum, maximus Deus; nobilis est mundus elementalis, nobilior coelestis, nobilissimus divinus; pulcra terra, pulcrius coelum, pulcherrimus Deus. Sed in hodierno Evangelio maxime cognoscitur

6) Ct 5, 12-16. 7) Ex 16, 15. 8) Mt 21, 11. 9) In margine haec adiecta fuerunt: « De divina essentia sobrie loquuntur Divinae Litterae: *Ego sum qui sum : Ehieh ascer ehieh*, ens primum, beatum, ens unum, sum qui sum. Solus Deus vere ens, sicut sol vere lucidus; hinc ipse solus appellatur *Iehovah*, quod est ens existens ».
10) Ex 33, 23. Vulg.: *Videbis posteriora mea*, etc. 11) Ms.: *Hominem.* 12) 1 Cor 13, 12. Ordine inverso affert hunc vr. 13) Ms.: *Deum.* 14) 18, 2. 15) Rom 1, 20. 16) Cf. Gn 28, 12.

Christus creaturarum comparatione, dum intrat in Ierusalem equitans super asinum.[17]

Saepe legimus in Scripturis quod Deus equitat super Cherubim,[18] super Angelos altissimos, quorum natura nobilissima est, quorum potentia maxima, scientia incomprehensibilis, bonitas et sanctitas ineffabilis. Sed Dei comparatione quidnam sunt? Asinus comparatione regis gloriosissimi et sapientissimi; asinus, animal ignobile, debile, unde secundum legem immundum.[19] Sic talis ac tanta Dei magnitudo est, ut illius comparatione omnis creata magnitudo nihil sit. sed imperfectissime, quia omnis creata magnitudo nihil est comparatione Dei,

Per Scripturam vero quattuor modis cognoscitur Christus: ab operibus ipsius quae describuntur, a nominibus quibus appellatur, propriis et metaphoricis, a mysteriis et hieroglyphicis quibus describitur, et a virtutibus et laudibus quae ei tribuuntur. et per Scripturam quadruplici modo.

Habemus omnia in hodierno Evangelio. Ab operibus: *Videntes ... mirabilia quae faciebat;*[20] intravit in Ierusalem, venit in templum, eiecit inde vendentes et ementes, curavit caecos et claudos; a nominibus: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae,* veluti catalogum nominum Christi faciunt; a hieroglyphicis et mysteriis, nam equitans super asinum Ierosolymam ingreditur, magno populorum comitatu stipatus, tanquam summus rex et princeps triumphator;[21] tandem a laudibus: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel;*[22] *Pax in coelo et gloria in excelsis.*[23] Sic Christus hodie cognoscitur ab operibus, a nominibus, a mysteriis, a laudibus.

Ab operibus cognoscitur Deus in Scripturis, nam referunt opera creationis et providentiae, magna Dei miracula, opera recreationis mundi in fundatione et conservatione Ecclesiae, et tandem opera glorificationis in paradiso. A nominibus quae multa et innumera sunt, maxime metaphorica; reperiuntur tamen decem singularia Dei nomina in Scripturis: אֲדֹנָי · אֱלֹהִים · אֱלוֹהַּ · אֵל · יְהוָה · יָהּ · אֶהְיֶה
צְבָאוֹת · עֶלְיוֹן · שַׁדַּי,[24] iuxta quae secretiores Hebraeorum theologi habent decem · פַּחַד · חֶסֶד · בִּינָה · חָכְמָה · כֶּתֶר · סְפִירוֹת
מַלְכוּת · יְסוֹד · הוֹד · נֶצַח · תִּפְאֶרֶת.[25] Mysteria sunt innumera Etiam Deus in Scripturis cognoscitur ab operibus, a nominibus,

17) Cf. Mt 21, 7-9; Mc 11, 1-10; Lc 19, 35-38; Io 12, 12-14. 18) Cf. Ps 17 (hebr. 18), 11. 19) Cf. Lv 11, 4. 20) Mt 21, 15. Vulg.: *Quae fecit.* 21) Cf. ibid. vrr. 12-15. 22) Ibid. vr. 9; Io 12, 13. 23) Lc 19, 38. 24) Ms.: *Ehieh, Iah, Iehovah, El, Eleoah, Elohim, Adonai, Sadai, Helion et Zebaoth.* 25) Ms.: *Sephiroth, Cheter, Chocmach, Binah,*

a mysteriis, a virtutibus et a laudibus.

in variis modis quibus Deus ad dandum sui cognitionem Patriarchis et Prophetis apparuit: Abraham, [26] Iacob, [27] Moysi, [28] Isaiae, [29] Ieremiae, [30] Ezechieli, [31] Michaeae, [32] Danieli, [33] aliisque, [34] Et tandem innumerae sunt virtutes et laudes quae Deo in Sacris Litteris tribuuntur: potentiae, sapientiae, bonitatis, caritatis, misericordiae, iustitiae, gloriae et maiestatis aeternae et infinitae.

Divus Paulus maxime cupiebat nos Christum cognoscere.

III. Sed Divus Paulus cupiebat ut fideles necessaria aliqua de Deo cognoscerent: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur, ut det vobis virtutem... ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* [35]

Chesed, Pachad, Tiphereth, Nezach, Hod, Iesod et Malcuth. Iuxta cabalam Hebraeorum, tota eorum theologia innititur his decem numerationibus tanquam certis fundamentis generalibus. Ex his autem numerationibus, quae עשר ספרות vocantur, veluti arborem efformant, cuius ramos singulae hae voces constituunt, unde universa cabala exoritur. Harum numerationum auxilio theologiae studiosos eius intimam et absolutissimam cognitionem facillime assequi affirmant. Porro haec est huius arboris cabalisticae dispositio, prout ab eruditissimis Rabbinis tradita est. In summitate huius arboris, sed ex latere, ponunt quod S. Auctor omittit:

אין סוף, i. e. ens infinitum; in vertice autem

כתר, i. e. corona,

intelligentia, בינה — חכמה, sapientia,

timor, פחד — חסד, misericordia,

תפארת, gloria,

maiestas, הוד — נצח, aeternitas

יסוד, essentia,

מלכות, regnum.

Non omnes tamen hunc ordinem sequuntur; nam aliqui loco quartae dictionis, חסד, ponunt גדולה, magnificentia, et loco quintae, פחד, ponunt גבורה, potentia, vel אהבה, amor. Cf. F. M. Ferretti d'Ancona *Le Verità della fede cristiana svelate alla Synagoga*, trat. 1, pag. 4-5; A. Zanolini *Lexicon Chaldaicum Rabbinicum, Disputatio De Targumin*, pag. XIII-XIV.

26) Cf. Gn 18, 1 sqq.; 22, 1-3. 27) Cf. ibid. 28, 13-15; 35, 1-3. 9-12. 28) Cf. Ex 3, 2-4, 1-5. 17; 33, 11 sqq. 29) Cf. Is 6, 1-6. 30) Cf. Ier 1, 4 sqq. 31) Cf. Ez 1, 1 sqq.; 8, 1 sqq. 32) Cf. 3 Rg 22, 19-22. 33) Cf. Dn 7, 13 sqq.; 10, 1 sqq. 34) Cf. Gn 26, 2-5; 3 Rg 19, 9-10; 2 Par 7, 12 sqq.; Os 1, 1 sqq.; Am 9, 1 sqq. 35) Eph 3, 14-19.

Ostenditur hodie Christus rex noster, iudex iustus et clemens,

Ostenditur hodie Christus rex noster: *Ecce*, inquit, *rex tuus venit tibi;* sed qualis rex? Hoc est quod Paulus scire cupit: *Iustus*, inquit, *et salvator ;*[36] *Dulcis et rectus Dominus*,[37] iustissimus et misericordissimus, iudex integerrimus, severissimus et pater clementissimus. En Christi iustitia: *Intravit . . . in templum . . . et eiciebat omnes vendentes et ementes* dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur ; vos autem fecistis*, etc.; et ecce clementia: *Accesserunt ad eum caeci et claudi . . . et curavit eos.*[38] Timenda ipsius iustitia est, unde Regius Vates: *Dixi iniquis : Nolite inique agere*, quia nulla ex parte patebit fuga, *quoniam Deus iudex est*,[38a] quoniam ipsius latissimum imperium est, non potest homo effugere ad Statum alterius principis. *Si ascendero in coelum*, etc.;[39] *Coelum et terram ego adimpleo :*[40] haec est latitudo. Regnum etiam ipsius aeternum est: *Regnabit in domo Iacob in aeternum*,[41] nunquam morietur rex iste, ut inde sperari possit impunitas: haec est longitudo. Est etiam rex summus, supremus imperator superiorem non habens, ita ut per appellationem patere possit fuga: haec est sublimitas. Tandem sapientissimus est et novit omnia, etiam secreta cordium. Ne dicas: Negabo delictum, probari non poterit per allegata et probata, damnari iuste minime potero, nam: *Omnia . . . nuda et aperta sunt oculis eius :*[42] hoc est profundum sapientiae et iudiciorum eius. *Scire etiam*, inquit Paulus, *supereminentem scientiae*, idest incomprehensibilem *caritatem Christi : Ecce rex tuus venit tibi ;* en Christi caritas: laetus et exultabundus pergit ad mortem pro salute humani generis.

rex universalis et aeternus,

supremus, sapientissimus et infinitae caritatis.

Qui Christum cognoscit, Christum sequitur

IV. Sed quaenam utilitas ex Christi cognitione? Regius Vates aiebat: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam ; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.*[43] Turbae quae Christum agnoscebant, honorabant, laudabant, praedicabant eum, secutae sunt eum usque ad templum Dei; qui autem Christum minime agnoscebant, eo contempto, mercaturae operam dabant etiam in templo, diebus sacris, cum iniustitia: *Fe-*

36) Zach 9, 9. Vulg.: *Veniet tibi*, etc. 37) Ps 24, 8. 38) Mt 21 12-14. 38a) Ps 74, 5-8. 39) Ps 138, 8. 40) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.* 41) Lc 1, 32. 42) Hebr 4, 13. 43) Ps 42, 3.

cistis illam speluncam latronum. Emitte, inquit, *lucem tuam,* quia sicut sol videri non potest absque radio lucis suae, ita nec Deus cognosci. Ipsa autem lux, inquit, deducet me atque perducet in locum salutis. Sicut enim viso et contemplato fixis oculis sole, si quis postea terram aspiciat, omnia umbrae videntur – unde Ioannes, cum de Deo, aeterna luce, verba fecisset, descendens ad creaturas nonnisi umbras vidit: *In ipso vita erat et vita erat lux hominum et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt,* [44] – cognoscenti Deum vilescunt omnia quae in mundo sunt, e contra qui Deum non agnoscit, contemnit, nec nisi terrenis cupiditatibus aestuat, *cupiditas* autem *radix est omnium malorum.* [45]

et vilipendit terrena.

Ex Dei ignoratione tanquam ex origine omnia oriuntur mala. Regius Vates ait: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum.* [46] Isaias ait: *Israel... me non cognovit... populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel... Omne caput languidum,* etc. [47] Oseas etiam aiebat: *Non est scientia Dei in terra; maledictum et mendacium et furtum et homicidium et adulterium inundaverunt.* [48]

Ex Dei ignoratione omnia oriuntur mala,

E contra Dei cognitio fons et origo est omnium bonorum. Hanc ob causam Deus ante omnia lucem creavit. [49] Moyses a Deo nonnisi divinam petiit cognitionem: *Ostende mihi faciem tuam;* [50] David: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea... ut viderem virtutem... et gloriam tuam;* [51] *Quemadmodum desiderat cervus,* etc., *quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* [52] Salomon a Deo nonnisi sapientiam petiit, [53] idest Dei cognitionem; sicut enim lux solis in luna ipsam soli similem facit, sic Dei cognitio hominem Deo similem reddit: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum.* [54]

ex Dei autem cognitione omnia bona.

O utinam, fratres, Deum vere agnosceremus! Quam sanctam vitam duceremus! Quam ex alto mundum contemneremus! Paulus, aiebat: *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam,*

Felices ergo qui vere Deum agnoscunt.

44) 1, 4-5. 45) 1 Tim 6, 10. Vulg.: *Radix... omnium malorum est cupiditas.* 46) Ps 13, 1; 52, 1-2. 47) 1, 3-5. 48) 4, 1-2. Vulg.: *Et homicidium et furtum,* etc. 49) Cf. Gn 1, 3. 50) Ex 33, 13. 51) Ps 62, 2-3. 52) Ps 41, 2-3. Vulg.: *Ante faciem Dei?* 53) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12. 54) Gn 3, 5.

idest cognitionem, *Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora ut Christum lucrifaciam.* [55]

V. Ut cognoscatur a nobis Dominus, nunc iram, nunc misericordiam exercet, sicut egit hodie, sicut egit in Aegypto, egit in deserto, nam: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens;* [56] et Isaias: *Cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis.* [57] Cognitio autem divinae misericordiae et iustitiae simul utilissima est, quia timorem parit et spem, unde perfecta iustitia et sincera vitae sanctitas. Eos autem qui Deum minime cognoscentes contemnunt, eicit Dominus de templo, de domo Dei tanquam adulterinos filios, sicut ad iussum ipsius Dei Abraham a domo sua eiecit Agar et Ismaelem: *Eice ancillam et filium eius, non enim erit heres filius ancillae cum filio liberae.* [58] Regius Vates aiebat: *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine,* [59] defecerunt a te ad mammona, a vero Deo ad cultum idolorum, nam avaritia *est idolorum servitus.* [60]

Ex cognitione misericordiae et iustitiae Dei oritur vera sanctitas.

Christo eicienti infinitam pene hominum multitudinem de templo obsistere nemo potuit, nemo ausus est. Hoc est quod Nahum propheta ait: *Ante faciem indignationis eius quis stabit?... Quis resistet in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est ut ignis, et petrae dissolutae sunt.* [61]

qui vero Deum ignorant, ipsum contemnunt.

Magna est cognitio quam de Deo exhibet nobis natura universalis: *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum:* a multitudine et ornatu mirabili; *Dies diei eructat verbum :* [62] a dispositione ordinatissima temporum, a natura, virtute, pulcritudine et operationibus. Sed multo maior quam dat Divina Scriptura: *Lex Domini immaculata,* perfecta, *convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis... Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos.* [63] Opus eximii alicuius pictoris ostendit quidem artem et peritiam ipsius, sed non dat perfectam illius cognitionem sicut faceret historia; natura est veluti pictura Dei, sed Scriptura sicut historia.

Magnam de Deo cognitionem exhibet natura, sed multo maiorem Divina Scriptura.

55) Phil 3, 8. 56) Ps 9, 17. 57) 26, 9. 58) Gn 21, 10-12; Gal 4, 30.
59) Ps 5, 11. 60) Eph 5, 5. 61) 1, 6. 62) Ps 18 (hebr. 19), 2-3.
63) Ibid. vrr. 8-9.

et sacra theologia tradens naturam divinam, opus creationis, redemptionis et glorificationis.

Quattuor praecipue tradit de Deo sacra theologia: naturam divinam in unitate et Trinitate, opus creationis, opus redemptionis et opus glorificationis, de quibus Ioannes in initio Evangelii sui: *In principio erat Verbum*, etc.: ecce primum; *Omnia per ipsum facta sunt:* ecce secundum; *Verbum caro factum est :* ecce tertium *; Et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre :* [64] ecce quartum. Sic sacra theologia flumen est paradisi in quattuor capita divisum. [65]

Utinam nos sicut paradisus Domini his aquis irrigati simus! Deus est sicut thesaurus in agro, qui ignotus nihili penditur, notus vero maximi. Hinc Christus: *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro.* [66] O utinam Deum vere cognosceremus! Infinitum inveniremus thesaurum.

64) 1, 14. 65) Cf. Gn 2, 10. 66) Mt 13, 44.

FERIA QUARTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Magister, volumus a te signum videre . . . Generatio mala et adultera signum quaerit, etc. [1]

I. Cum apparens Deus Moysi in deserto in flamma rubi, [2] voluit eum ex pastore ovium pastorem hominum efficere mittereque ad educendum populum Hebraeorum ex Aegypto in terram promissionis: *Veni . . . mittam te ad Pharaonem ut educas populum meum, filios Israel de Aegypto,* [3] excusavit se Moyses et institit quantum potuit ne provinciam hanc susciperet: *Obsecro . . . Domine, mitte quem missurus es ;* [4] *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de Aegypto?* [5] *Non credent mihi neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* [6] Praeterquam quod, inquit, impar sum tanto muneri obeundo, nec animus nec vires sufficiunt, tu nosti, Domine, quod gens hebraea populus est durae cervicis, duri cordis et increduli; non credent mihi, maxime cum ipsi maiestatem tuam nec de nomine quidem noverint: *Ecce ego vadam ad filios Israel et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis?* [7] Deus autem sciens quod vera dicebat Moyses: Vade, inquit, *Ego ero tecum et hoc habebis signum quod miserim te :* [8] *Ego ero in ore tuo et docebo te quid loquaris . . . Virgam . . . hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa,* [9] ut verba tua sint veluti regia diplomata regio sigillo signata regiaque manu subscripta. Novit Dominus Hebraeorum ingenium: *Iudaei signa petunt . . . Graeci sapientiam quaerunt,* [10] ideo Moysi divinam tribuit

Sicut Deus mittens Moysen ad liberandum populum de Aegypto

dedit illi plenam sapientiam et potestatem miracula patrandi,

1) Pericope huius diei Mt 12, 38-50. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 3, 2. 3) Ibid. vr. 10. 4) Ibid. 4, 13. 5) Ibid. 3, 11. 6) Ibid. 4, 1. 7) Ibid. 3, 13. 8) Ibid. vr. 12. 9) Ibid. 4, 12-17. Vulg.: *Doceboque te,* etc. 10) 1 Cor 1, 22.

potestatem miracula operandi ad confirmandam veritatem fidemque comprobandam.

Tria igitur contulit Moysi Deus ut demandatam provinciam pro dignitate exequeretur: divinam assistentiam, donum sapientiae et gratiam miraculorum. Sic mittens Deus unigenitum Filium suum in mundum pro salute aeterna eiusdem populi: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel,* [11] tria haec dedit ei, sed infinitis partibus locupletiora: plenitudinem divinitatis totamque Spiritus Sancti plenitudinem: In quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* [12] *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus;* [13] *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me;* [14] thesaurum divinae sapientiae: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [15] Dei; et divinam potestatem: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* [16] ut ad faciendam fidem et ad confirmandam veritatem missionis suae a Deo, posset divina miracula operari, ad convincendam miraculorum vi protervam Iudaeorum incredulitatem et obstinatam perfidiam, ut sic convicti crederent dicerentque cum Nicodemo: *Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* [17]

sic mittens Christum ad salvandum mundum dedit ei plenitudinem divinitatis, sapientiae et potestatis.

II. Noverat Iudaeorum ingenium: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis;* [18] *Iudaei signa petunt.* Etiam Abraham, qui de singulari fide laudatus est: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam,* [19] audiens Deum dicentem sibi daturum ei terram Chanaan, ait: *Domine Deus, in quo scire possum quod possessurus sum eam?* [20] Signum certitudinis a Deo poposcit, sicut Noe signum dederat arcum foederis quod non missurus esset amplius diluvium in mundum. [21]

Iudaei naturali ingenio increduli erant;

Videtis incredulitatis scintillam, parvum ignem? Sed in filiis crevit in magnam arborem, ex illa scintilla magnus exortus est incredulitatis ignis: *Modicum fermenti totam massam corrumpit.* [22] Ope-

hinc hodie Christo multa signa operanti credere nolunt

11) Mt 15, 24. 12) Col 2, 9. 13) Is 11, 2. 14) Ibid. 61, 1-2; Lc 4, 18. 15) Col 2, 3. 16) Mt 28, 18. 17) Io 3, 2. 18) Ibid. 4, 48. 19) Gn 15, 6; Rom 4, 3; Gal 3, 6. 20) Gn 15, 8. Vulg.: *Unde scire possum,* etc. 21) Cf. ibid. 9, 12-17. 22) 1 Cor 5, 6; Gal 5, 9. Vulg.: *Modicum fermentum,* etc.

ratus fuerat Dominus innumera miracula, sicut Ioanni per internuncios dixit: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt,*[23] et tamen adhuc minime credunt, adhuc signa petunt: *Magister, volumus a te signum videre; Signum de coelo petebant ab eo,*[24] idest signum tale quod absque ullo dubitationis scrupulo certissime sciretur a Deo esse, nam dubitabant ne miracula a Christo patrata daemonum opera fierent, non Dei virtute et potestate: *Volumus a te signum videre de coelo.* — et alia adhuc petunt.

Sed *tentantes signum... petebant,*[25] sicut patres eorum saepe tentaverunt Deum in deserto, dubitantes de divina providentia ac divini Numinis maiestate. Hanc enim ob causam in deserto aquam petierunt,[26] cum manna sitim etiam levaret,[27] sed miraculum petierunt dicentes: *Est ne Deus in nobis?*[28] Sic Regius Vates ait quod *tentaverunt Deum et Sanctum Israel exacerbaverunt;*[29] hebraice: *Circumscripserunt,* limitaverunt Dei potentiam, ut hoc quidem possit, illud vero non possit. Sic ipsi hodie signum de coelo petunt a Christo *tentantes,* idest non serio sed ioco, existimantes Christum non posse talia portenta praestare qualia Moyses[30] et Iosue in sole[31] praestiterunt. Sic Christi potentiam circumscripserunt ac limitaverunt. — Sed quia tentantes petunt.

Christus vero: *Generatio,* inquit, *mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi... Ionae prophetae.*[32] Non inquit se non posse, sed nolle, cognita cordis eorum pravitate; nam multo maiorem potestatem Christo dedit Deus quam Moysi, quem constituerat deum Pharaonis;[33] hinc ait hodie: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic,*[34] quoniam illi homines, hic autem verus Deus et homo, unigenitus Filius Dei. Hinc signum promittit quod nemo unquam praestitit Prophetarum, seipsum a morte suscitaturum. Elias mortuum vivus suscitavit;[35] Eliseus et vivus suscitavit mortuum,[36] et defunctus occisum revocavit ad vitam,[37] quae sunt insigniora Veteris Testamenti miracula; non tamen potuit Eliseus suscitare seipsum. Christus et vivus et mortuus seipsum, post multos — Christus negat petita, aliud tamen signum promittit quale nullus Prophetarum praestitit.

23) Mt 11, 5. 24) Lc 11, 16. Vulg.: *Quaerebant ab eo.* 25) Ibid. 26) Cf. Ex 17, 3; Nm 20, 4. 27) Cf. Sap 16, 20. 28) Ex 17, 7. Vulg.: *Est ne Dominus in nobis?* 29) Ps 77 (hebr. 78), 41. 30) Cf. Ex 10, 21-23. 31) Cf. Ios 10, 12-13. 32) Mt 12, 39. 33) Cf. Ex 7, 1. 34) Mt 12, 41-42. 35) Cf. 3 Rg 17, 20-23. 36) Cf. 4 Rg 4, 32-36. 37) Cf. ibid. 13, 21.

idest resurrectionem suam et conversionem mundi ad fidem.

alios, potuit suscitare, et post resurrectionem suam mundum ad poenitentiam convertere, sicut Ionas Niniven.[38] O miraculum omnium miraculorum! Quomodo Christus post mortem suam mundum ab idolis ad Deum vivum et verum, in spiritu et veritate colendum et adorandum[38*] convertit, quod nemo Prophetarum, nec ipse quidem Moyses praestare potuit? *Ecce plus quam* Moyses *hic*.

Hodie Christus de futuro iudicio vaticinatur,

III. Observandum est autem hoc loco id quod alpha sapientum[39] Salomon ait: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.*[40] Ninivitae a Iona absque miraculis conversi fuere; Iudaei autem a Christo cum infinitis miraculis converti minime potuere, quoniam a Deo utique despecti erant, reprobi erant. Hinc vaticinatur Christus quod damnandi sint in iudicio: *Viri Ninivitae surgent in iudicio contra generationem hanc et condemnabunt eam... Regina Austri surget in iudicio contra generationem istam.*[41] Semel et iterum Christus Prophetarum coryphaeus: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic*, de futuro iudicio vaticinatur, quoniam firmissime a Deo decretum est.

et quidem semel et iterum,

Sicut duplici somnio ostendit Deus Pharaoni futuram abundantiam septem annorum et post eam septem annorum maximam caritatem et penuriam per septenas vaccas et septenas spicas, quoniam, inquit Ioseph, firmum verbum a Deo est;[42] et ipsi Ioseph Deus similiter duplici visione ostendit futuram suam gloriam, quoniam immutabili consilio decreverat eum mundi principem constituere;[43] sic Christus hodie semel et iterum vaticinatur de iudicio finali, ut sciamus quod hoc non est vaticinium comminatorium, conditionale, quale fuit illud Ionae: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur*,[44] et illud Isaiae ad Ezechiam: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives;*[45] de quibus vaticiniis apud Ieremiam ait: *Repente loquar... adversus regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo... agam et ego poenitentiam super malo, quod co-*

quia non est comminatorium vaticinium,

38) Cf. Ion 3, 1 sqq. 38*) Cf. Io 4, 23-24. 39) Modus proverbialis significans praecipuum et primatem inter sapientes, similis illi: « Alpha paenulatorum », de quo cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 819. 40) Eccle 7, 14. 41) Mt 12, 41-42. Vulg.: *Cum generatione ista... cum generatione ista.* 42) Cf. Gn 41, 17-32. 43) Cf. ibid. 37, 5-9. 44) 3, 4. 45) 38, 1.

gitavi ut facerem;[46] sed hoc vaticinium absolutum est et firmissimum, iuxta immutabilem ordinem divinae dispositionis ab aeterno, quale fuit decretum de Saul abiciendo de regni solio, sicut Samuel ait: *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie et tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur, neque enim homo est ut agat poenitentiam.*[47] Tale fuit decretum Dei de mittendo unigena Filio in mundum pro salute humani generis firmum et immobile; tale etiam est decretum finalis iudicii.

sed absolutum, iuxta dispositionis divinae immutabile et aeternum decretum.

IV. Hinc saepissime loquuntur Divinae Scripturae de hoc tremendo iudicio tum in Veteri tum in Novo Testamento. De hoc Moyses in suo *Deuteronomio*: *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore ut labatur pes eorum; iuxta est dies perditionis et adesse festinant tempora... Levabo ad coelum manum meam et dicam: Vivo ego in aeternum! Si acuero ut fulgur gladium meum et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis.*[48] Abraham Deum appellavit *iudicem universae terrae;*[49] Anna prophetes, mater Samuelis: *Dominus iudicabit fines terrae et dabit imperium regi suo et sublimabit cornu christi sui;* unde *Dominum formidabunt adversarii eius et super ipsos in coelo tonabit.*[50]

Saepissime loquuntur Divinae Scripturae de finali iudicio, sic Moyses et Anna,

Hoc pluribus *Psalmis* Regius Vates cecinit;[51] de hoc Salomon sapientissimus: *Cuncta quae fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum sive malum.*[52] Sic librum *Ecclesiastae* concludit monens timorem Dei: *Deum time et mandata eius observa, hoc est enim omnis homo,*[53] idest ad hoc conditus. Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Prophetae omnes nihil aliud praedicant. De hoc Sanctus Enoch vaticinatus fuit, ut ait Iudas apostolus: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes.*[54]

Regius Vates et omnes Prophetae.

Christus non ad aliud visus est venisse in mundum nisi ad praedicandum iudicium. Hinc apud Isaiam ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad nunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam*

Non ad aliud visus est Christus venisse in mundum nisi ad praedicandum iudicium.

46) 18, 7-8. 47) 1 Rg 15, 28. 48) 32, 35-41. 49) Cf. Gn 18, 25.
50) 1 Rg 2, 10. Vulg.: *In coelis tonabit.* Ordine inverso affert hunc vr. 51) Cf. Ps 9, 17; 75, 1 sqq.; 95, 13; 97, 8 sq. 52) Eccle 12, 14. 53) Ibid. vr. 13. 54) Vrr. 14-15.

et claudis apertionem, ut praedicarem annum placabilem Domino et diem ultionis Deo nostro. [55] Hanc ob causam in hodierno Evangelio semel et iterum iudicium praedicit et praedicat ac veluti demonstrans formam iudicii, quisnam futurus sit iudex: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic;* quinam iudicandi et qui accusatores testesque: *Viri Ninivitae surgent... contra generationem istam et condemnabunt eam.* Quam ob causam hi quidem salvabuntur, hi autem peribunt? *Quicunque... fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est,* [56] idest: quicunque divinae legis mandata servaverit, salvabitur iuxta divinae voluntatis normam et beneplacitum, salutem consequetur, regnum coelorum hereditate possidebit tanquam filius Dei et frater Christi: « Qui bona egerunt, ibunt in vitam eternam, qui vero mala, in ignem aeternum ». [57] Sic Regius Vates: *Semel locutus est Deus, duo haec,* sive *semel et bis,* semel et iterum *hoc audivi: quia potestas Dei est et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.* [58] Sic Isaias: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Vae impio in malum! retributio enim manus eius fiet ei.* [59]

Ideo demonstrat hodie formam iudicii, et quinam salvandi et damnandi sint indicat.

V. Damnationis autem multae assignantur causae in hodierno Evangelio. Prima autem est mala voluntas, quae Deum tentat, radix et sentina malorum omnium: *Malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert malum;* [60] *Radix... omnium malorum... cupiditas,* [61] voluntas mala vitio infecta, cum divinae voluntati minine sit subiecta, sed vellet Deum suis appetitibus obtemperare et deservire: *Volumus a te signum videre.* Hinc oritur incredulitas, tarditas cordis ad credendum; hinc omne malum, hinc impoenitentia, pervicacia, duritia cordis et obstinatio: *Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.* [62] Hinc contemnitur coelestis sapientia, hinc datur iterum locus diabolo, [63] qui revertitur iterum cum septem spiritibus nequioribus se, [64] hinc tandem perditio.

Multae assignantur hodie causae damnationis,

Sed ut omnia, fratres, simul complectar, dicere videtur Christus

55) 61, 1-2. 56) Mt 12, 50. 57) Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 40. 58) Ps 61 (hebr. 62), 12. 59) 3, 10-11. 60) Mt 12, 35; Lc 6, 45. 61) 1 Tim 6, 10. 62) Rom 2, 5. 63) Cf. Eph 4, 27. 64) Cf. Mt 12, 43-45.

quod unica et potissima causa damnationis synagogae futura erat contemptus maiestatis suae. Contemptus Christi causa perditionis est et damnationis; quia noluit agnoscere divinam Christi maiestatem synagoga Iudaeorum, propterea periit a Deo reprobata.

quarum potissima contemptus divinae maiestatis.

VI. Nos felices, fratres, si divinam Christi excellentiam divinamque ipsius maiestatem agnosceremus, de qua ait: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic.* Excedit Christus omnes homines sicut sol omnia astra, sicut homo in paradiso omnia animalia, sicut Deus in empyreo omnes Angelos. Creavit Deus mundum hunc, fratres, instar illius statuae quam in somnis vidit Nabuchodonosor, quae ex multis metallis compacta, superiores partes semper ex nobilioribus ac pretiosioribus metallis factae erant;[65] sicut tabernaculum Moysi: in atrio non cernebatur nisi altare holocausti aeneum luteresque aenei, sed in sancto candelabrum aureum, mensa panum deaurata, altare incensi auro ornatum; in sancto autem sanctorum nonnisi aurum splendebat, aureum propitiatorium, aurei cherubim supra arcam interius exteriusque per totum aureis laminis opertam.[66] Sic, inquam, mundus iste semper ad nobiliora conscendit.

In mundo semper conscenditur ad nobiliora.

Quod etiam in triplici mundo conspicuum est. In elementali ordo est a simplicibus elementis ad mixta imperfecta, quae dicuntur meteora; hinc ad mixta perfecta: lapides, marmora, gemmae, metalla, argentum, aurum; hinc plantae et arbores; post haec animalia, tandem homo. In mundo coelesti ascenditur a luna ad solem, tandem ad empyreum, quod totum est sole ipso multo lucidius. In mundo angelico similiter ascenditur semper ad nobiliores ordines ac nobiliores hierarchias usque ad Deum. Idem est in mundo mystico Sanctae Ecclesiae. Synagoga erat in tres ordines distincta: in saeculares, in levitas Dei ac templi ministros et in sacerdotes, quorum omnium princeps et caput erat summus pontifex. Christus Dominus etiam fideles suos in tres classes ordinavit: in Apostolos, in discipulos septuaginta duos, et in reliquam fidelium multitudinem.[67] Omnium autem caput Christus est.

Ita in mundo elementali, in coelesti, in angelico

et in mystico Ecclesiae, in quo Christus caput est.

65) Cf. Dn 2, 29-35. 66) Cf. Ex 25, 2 sqq.; 37, 1-38, 1 sqq. 67) Cf. Mt 10, 1-4; Mc 3, 13-19; Lc 6, 13-16; 10, 1; Act 1, 13-15.

Christus caput est non tantum hominum sed etiam Angelorum et creaturarum omnium, quia aequalis Deo;

VII. Nec tantum hominum, sed etiam Angelorum ac omnium penitus creaturarum. Sic Paulus de Christo ait: *Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum;* [68] sic de Christo illud *Psalmi* interpretatur *ad Corinthios* et *ad Hebraeos : Omnia subiecisti sub pedibus eius,* [69] *praeter eum qui subiecit ei omnia,* [70] *nihil reliquit non subiectum ei.* [71] Omnia quae sub Deo sunt, Christo inferiora sunt, quoniam Chiristus *sedet a dextris Dei*, aequalis est Deo, *in forma Dei.* [72] Hinc mox ut natus fuit Christus, venerunt Angeli de coelo ad eum tanquam Dominum suum adorandum, [73] et Angelorum princeps Christum *Dominum* appellavit dicens: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* [74]

ideo celebrabitur universale iudicium,

Hanc ob causam vel potissime celebrabitur universale iudicium, facta universali mortuorum resurrectione, ut totus mundus oculis etiam corporalibus videre possit infinitam Christi gloriam et maiestatem; nam veniet *in maiestate sua et omnes Angeli cum eo . . . et congregabuntur ante eum omnes gentes ;* [75] sic *videbit omnis caro salutare Dei.* [76]

tunc enim vere ab omnibus Christus cognoscetur, qui hodie a valde paucis vere cognoscitur.

Tunc vere agnoscetur Christus nec contemnetur: *Cognoscetur Dominus iudicia faciens ;* [77] cognoscetur tunc ab omnibus, nam nunc quidem paucis cognitus est, sicut ait: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius ; et factus est in pace locus eius et habitatio eius in Sion;* cognitus ex habitatione et cognitus etiam ex operibus: *Ibi confregit potentias, sagittas volatiles arcuum, scutum, gladium et bellum*, superatis potentissimis hostibus; sed cum eris, inquit, *illuminans . . . a montibus aeternis,* [78] sive *a montibus praedae*, nam Christus tanquam leo veniet ad iudicandum – *Surget leo de cubili suo ;* [79] *Leo rugiet, quis non timebit?* [80] hinc Ieremias ait: *Dominus ex excelso rugiet et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam; rugiens rugiet, super decorem suum . . . percutiet sonitus usque ad extrema terrae, quia iudicium Domino cum gentibus,* [81] – veniet tanquam leo ad praedam, *turbati sunt, direpti sunt, omnes insipientes corde. Dormie-*

68) Phil 2, 9-10. Vulg.: *Et donavit illi nomen*, etc. 69) Ps 8, 7. 70) 1 Cor 15, 27.
71) Hebr 2, 8. Vulg.: *Nihil dimisit*, etc. 72) Phil 2, 6. 73) Cf. Lc 2, 13.
74) Ibid. vr. 11. 75) Mt 25, 31-32. 76) Lc 3, 6. 77) Ps 9, 17.
78) Ps 75 (hebr. 76), 2-5. 79) Ier 4, 7. Vulg.: *Ascendit leo*, etc. 80) Am 3, 8.
81) 25, 30-31. Vulg.: *De excelso . . . pervenit sonitus*, etc.

runt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, non invenerunt viri potentes manus suas ad se defendendos, nam: *Tu terribilis es, et quis resistet tibi? Ex tunc, ab aevo ira tua,* hinc: *Ab increpatione tua dormitaverunt, compositi sunt currus et equus. De coelo auditum fecisti iudicium, terra tremuit et quievit, cum exurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.* [82] Sic in die iudicii Christus ab omnibus agnoscetur.

Sed utinam, fratres, modo Christum agnoscamus! Nam quid proderit tunc Christi maiestatem cognoscere, si in vita non eum agnoverimus et tanquam regem ac Dominum nostrum, verum Deum ex animo [non] coluerimus? Si non agnoscentes contempserimus?

Sed nil proderit tunc eum cognoscere, si nunc eum non agnoverimus.

VIII. Contempserunt hodie scribae et Pharisaei Christi personam, Christi opera et miracula, Christi praedicationem et sapientiam, contempserunt Christum: *Magister, volumus a te signum videre.* Lucas ait quod *tentantes signum de coelo quaerebant ab eo,* [83] non serio sed ioco, existimantes eum minime posse praestare signa de coelo. Contemnunt miracula Christi ac si humilia essent et quae non sufficerent ad confirmandam veritatem quam praedicabat; quod multo maiora multoque illustriora requirebant, qualia praestitit Moyses in Aegypto et alii. Contemnunt praedicationem Christi, quia nonnisi poenitentiam, sicut Ionas, praedicabat, cum non contempserint Ninivitae praedicationem Ionae. [84] Tandem Christi sapientiam contemnebant eam non intelligentes, quoniam in parabolis tradebatur, cum regina Saba non contempserit, sed magnifecerit sapientiam Salomonis, quam fama noverat. [85]

Contempserunt Pharisaei personam, miracula, praedicationem et sapientiam Christi,

Sic multi contemnunt Christum praeferentes ei mundum, contemnunt vitam christianam praeferentes ei mundanam, contemnunt legem Christi praeferentes ei legem mundi, contemnunt sapientiam Christi, evangelicam doctrinam, praeferentes ei doctrinas oratorum, poetarum, philosophorum ethnicorum mille erroribus plenam, allecti tantum splendore eloquentiae vel sublimitate rationum.

sic multi contemnunt hodie Christum et legem eius pro amore mundi.

IX. In *Apocalypsi* legimus vidisse Ioannem Christum insidentem equo albo, manu arcum tenentem, capite coronato, *et ex-*

82) Ps 75 (hebr. 76), 6-10. Ordine inverso affert vrr. 7-8. 83) 11, 16. 84) Cf. Ion 3, 1 sqq. 85) Cf. 3 Rg 10, 1-10; 2 Par 9, 1-9.

10

Praedicatores suos Christus habet, qui eminere debent vitae sanctitate et zeli ardore;

ivit vincens ut vinceret ; [86] vidit etiam diabolum super equum nigrum, sed manu stateram tenentem.[87] Equus albus est quilibet Prophetarum, Apostolorum, praedicatorum, ob vitae innocentiam, puritatem et sanctitatem vitae, nam Ionam misit Deus ad praedicandum Ninivitis,[88] qui c o l u m b a interpretatur. Omnes Evangelii praedicatores equus albus sunt, nam Z a c h a r i a s ait: *Posuit eos quasi equum gloriae suae in bello ;* [89] equus bellator, sicut S a l o m o n ait: *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem tribuit salutem ;* [90] generosum animal et impavidum, de quo I o b: *Gloria narium eius terror, terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem nec cedit gladio.* [91]

sed etiam satanas suos habet;

Sed etiam satanas equum suum habet; in colore discrimen est: equus Christi albus, equus satanae niger. Candor animi, vitae puritas, morum sanctitas, illibata innocentia praedicatoribus Evangelii ornamenta sunt; non sic autem poetis, oratoribus, philosophis gentilibus.

qui Christi sunt, virtutes praedicant, contra vitia pugnant, efficacem doctrinam tradunt,

Sed quodnam doctrinae discrimen! Christus arcum manu tenet: *Sagittae potentis acutae ;* [92] *Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.* [93] Arcum habet cum sagittis aureis plumbeisque, ut Amor; [94] odia acria immittit in vitia, in virtutes autem divinas ardentia desideria, ferit potentissime animos et corda. *Exivit* autem *vincens ut vinceret :* doctrina est non inanis, futilis, vana, sed efficax . . . *Vivus est . . . sermo Dei et efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti.* [95]

qui autem satanae, nonnisi sermonis vanitatem curant, inania et futilia docent.

Satanas autem stateram manu tenet ad verba ponderanda et examinanda, ut oratio sit numeris omnibus absoluta, ut verba sint propria, ut iusta sit syllabarum quantitas et mensura. Sic in verbis consistit ethnicorum doctrina, in splendore, in ornatu, in elegantia sermonis. Christus autem verba non curat, sed corda requirit, efficacem doctrinam tradit, sagittas in corde emittit ad interficiendos homines, ut moriantur priori vitae, vitiis et peccatis, ut Deo vivant.

Sic Christus post mortem suam exurgens, mundum fere universum ab idolis ad Deum vivum et verum convertit, sicut Ionas Niniven

86) 6, 2. 87) Cf. ibid. vr. 5. 88) Cf. Ion 1, 1-2. 89) 10, 3. 90) Prv 21, 31. 91) 39, 20-22. 92) Ps 119, 4. 93) Ps 44, 6. 94) Alludit ad mythologiam quae Cupidini sagittas tribuebat. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 14, pag. 349. 95) Hebr 4, 12.

postquam mersus in mare, a pisce devoratus, e ventre piscis divinitus egressus Ninivitis praedicavit. [96] Hoc signum maximum christianae veritatis, fidei christianae. Si non egressus fuisset Ionas a ventre piscis, quomodo civitatem Ninive convertisset? Si Christus non resurrexisset, quomodo mundum convertisset? Num mortuus Ionas convertere Ninivitas potuisset? Sic nec Christus. Resurrexit ergo Christus; verus ergo propheta missus a Deo, vera eius doctrina, vera fides.

Resurrectio Christi et conversio mundi ad fidem signa maxima sunt christianae veritatis.

II. ALIA HOMILIA

Generatio mala et adultera signum quaerit et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim . . . Ionas, etc. [1]

I. Cum Christus et utilem doctrinam praedicaret ad convertendos peccatores ad poenitentiam et miracula utilia operaretur in salutem populi sanando infirmos, [2] illuminando caecos, [3] liberando energumenos, [4] mortuos resuscitando, [5] videns scribas et Pharisaeos utilia contemnere et vana curiositate motos signa mirabilia de coelo expetere, ad pascendos oculos mirabili aliquo et novo inusitatoque spectaculo, acri eos reprehensione ac rigida correptione percutit: *Generatio mala . . . signum quaerit.* Sic nunc multi sunt scribis et Pharisaeis similes, a praedicatoribus non utilia et salutaria, sed vana et curiosa mirabilia requirentes et expectantes, similes regi Achab qui falsos prophetas diligebat, Michaeam autem vera praedicentem oderat. [6]

Christus acriter arguit scribas et Pharisaeos signa vana ab eo petentes.

Non sic autem Deus, sed utilia docet. Mittens Ezechielem ad praedicandum, iussit ut devoraret librum, in quo scriptae erant lamentationes et carmen lugubre, ac ita praedicandam poenitentiam divinumque iudicium; [7] idem cum misit Isaiam ad praedicandum

Divini Vates divina iudicia semper praedicabant;

96) Cf. Ion 2, 1-3, 1 sqq.

1) Mt 12, 39-40. 2) Cf. ibid. 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 3) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 4) Cf. Mt 9, 32-33; 12, 22; Mc 1, 23-34; 2, 1-12; Lc 4, 41; 8, 27-39. 5) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 6) Cf. 3 Rg 22, 6-38; 2 Par 18, 5 sqq. 7) Cf. Ez 2, 1 sqq.

egit, cum eum coelesti igne seraphico ministerio purgasset: *Vade et dic populo huic : Auditu audietis et nolite intelligere . . . ne . . . convertantur et sanem eos.* [8] Idem egit mittens Ieremiam: Dedi te universo populo *ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes.* [9] Iudicia divina semper divini Vates, Spiritu Sancto afflati, praedicabant: hoc Daniel praedicavit,[10] hoc Oseas,[11] Iocl,[12] Amos,[13] Michaeas,[14] Ionas,[15] hoc omnes Prophetae, hoc Ioannes Baptista: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum . . . . Iam enim securis ad radicem arboris posita est ; omnis . . . arbor quae non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.* [16]

sic et Christus hodie semel et iterum iudicium praedicat.

Christus tandem quid aliud nisi divinum iudicium praedicavit ad convertendos peccatores ad poenitentiam ex timore divinae iustitiae? Hodie semel et iterum iudicium proponit ac praedicat: *Viri Ninivitae surgent in iudicio contra generationem istam et condemnabunt eam . . . Regina Austri surget in iudicio contra generationem istam et condemnabit eam.* [17]

Venit enim Christus tanquam medicus,

II. Venit Christus ad praedicandum tanquam medicus infirmos curaturus. Infirmis necessariae sunt medicinae ac potiones, ut plurimum, insuaves, iniucundae gustui, stomacho ingratae, sed tamen salutares. Si cum infirmus gravi morbo laborat atque mortali, veniat ad eum visitandum medicus nec nisi dulcia verba afferat: Domine, bono esto animo, leve malum est, tempus ipsum consumet, sanus salvusque eris! et licet necessaria foret optima purgatio, ne tamen infirmo molestiam afferret, a medelis et potionibus abstineret, minime necessaria diceret ut gratus esset infirmo, nil curans infirmi salutem, sed tantum lucrum; quid diceretis de medico isto, si immedicatus infirmus invalescente morbo moriatur? Utique quod proditor fuit, quod infirmum prodidit, quod eum occidit, morti tradidit, vel ignorantissimus fuit, morbi naturam et causas non agnovit. Nam optimus medicus, cognita morbi pernicie cui optimis remediis obstandum est, ne sero medicina paretur,

qui etiam medicinas amaras aliquando adhibet et verba severa ut aegrotum sanet.

8) Is 6, 9-10. Vulg.: *Auditu audientes . . . convertatur et sanem eum.* Affert ex Act 28, 26-27.
9) Ier 1, 10. 10) Cf. 7, 1 sqq.; 10, 1-11, 1 sqq. 11) Cf. 4, 1 sqq. 12) Cf. 2, 1 sqq. 13) Cf. 8, 1-9, 1 sqq. 14) Cf. 1, 1 sqq. 15) Cf. 3, 1 sqq. 16) Mt 3, 2-10. Vulg.: *Ad radicem arborum* etc. 17) Ibid. 12, 41-42. Vulg.: *Cum generatione ista.*

« Cum mala per multas invaluere moras », [18]

licet infirmum videat amaras potiones abhorrentem ac veluti stomachantem, non tantum dulcibus verbis monet ut se medicari sinat, sed etiam mortis timore, cum opus fuerit, eum urget atque exterret: Si sanari vis, necessaria est medicina; si autem mori vis, fac quod placet. Hoc dico, quod si potionem hanc non sumpseris, invalescet morbus et certissime vitam tibi eripiet cupiesque adhibere remedia et minime poteris.

Sic et praedicator necesse est ut poenitentiam praedicet,

Sic praedicator necesse est ut cum peccatoribus agat: praedicanda et inculcanda est poenitentia tanquam summe necessaria ad salutem, nam: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes ... peribitis.* [19] Contra omnes peccatores impoenitentes *surgent Ninivitae in die iudicii et condemnabunt* eos, *quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae.* Sine poenitentia nanque deleri non potest peccatum. Odit autem Deus peccatum, sicut vir honoratus odit nec ferre potest adulterium uxoris, hinc ait: *Generatio mala et adultera,* quia omnis malitia, omne peccatum Deo abominandum adulterium est; macula autem adulterii nonnisi sanguine lavatur; hinc Deus peccatorum nostrorum macula ssanguine unigeniti Filii sui abluere voluit, nam: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* [20]

quia sine poenitentia peccata non delentur.

Deus aliquando sponte signa offert, sed obstinatis etiam petita negat.

Licet autem, o fratres, adeo cupidus salutis nostrae sit Deus, ut non tantum concedat signa petita, sicut concessit Abrahamo, [21] Moysi, [22] Gedeoni [23] et aliis, sed etiam aliquando per seipsum offert, sicut Noe [24] et sicut per Isaiam obtulit regi Achaz: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra,* [25] indignatusque Dominus fuit quoniam petere ille noluit; obstinatis tamen et perversa voluntate praeditis etiam petita negat. Agit nanque Dominus hodie cum scribis et Pharisaeis sicut cum satana egit in deserto. Etiam satanas miraculum petiit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant,* [26] sed non obtinuit, quia confirmatus in iniquitate est, converti non potest. Sic hodie negat signa scribis et Pharisaeis tanquam obstinatis, qui Deo sunt tanquam mortui; non dat autem medicus mortuo medicinam.

18) Ovid. *Remedia Am.*, vr. 91-92. 19) Lc 13, 5. Vulg.: *Si poenitentiam non egeritis*, etc. 20) Hebr 9, 22. 21) Cf. Gn 15, 7 sqq. 22) Cf. Ex 4, 1-9. 23) Cf. Idc 6, 17-21. 24) Cf. Gn 9, 12-17. 25) 7, 11. 26) Mt 4, 3.

Peccatum vocatur a Christo adulterium,

III. Appellat autem Christus peccati malitiam *adulterium* dicens: *Generatio mala et adultera signum quaerit*, ut sciamus quod sicut infeliciter vivit mulier adultera, magno semper cum timore ne sciatur adulterium, ne vir suus veniat in cognitionem patrati adulterii, maxime sciens virum magno zelo honoris teneri, et, e contra, uxor honesta et fidelis a viro optimo nihil timet, quandiu fidem servat illibatam nec minimam dat occasionem viro sinistrae suspicionis, talis est status animae peccatricis qualis adulterae et talis status animae sanctae qualis fidelis uxoris.

quia oritur ex mala concupiscentia;

Aliud etiam innuit his verbis Dominus, quod causa curiositatis vanae in verbo Dei et sancta doctrina oritur ex mala voluntate; hinc ait: *Generatio mala et adultera signum quaerit.* Mulier mala, quae amasio suo frui cupit, peroptat viri absentiam nec aequis auribus audit adventare virum. Regius Vates ait quod Hebraei *concupierunt concupiscentiam in deserto et tentaverunt Deum in inaquoso:* [27] ex prava concupiscentia orta est Dei tentatio.

sic hodie Pharisaei signum quaerunt quia carnaliter vivebant,

Sic hodie, quia *generatio* haec *mala* erat *et adultera*, plena carnalibus concupiscentiis, ideo signum quaesivit volens per miraculum signumque extraordinarium salvari, sicut latro in cruce. [28] Petierunt signum de coelo tentantes Christum, quoniam homines erant *elati* et *cupidi... voluptatum amatores*, ut Paulus ait, *magis quam Dei;* [29] ideo ait: *Generatio mala et adultera*, carnaliter vivens.

ideo appellantur a Christo *generatio mala et adultera.*

Aquas diluvii misit Deus ad impium mundum perdendum, homines qui transtulerant *gratiam Dei... in luxuriam;* [30] quia *omnis caro corruperat viam suam... non permanebit*, inquit, *spiritus meus in homine quia caro est.* [31] Sic hodie Christus ait: *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam:* quam ob causam? Quia *generatio mala et adultera.* Haec erat malitia Ninive quae ascendit coram Domino: [32] vita carnalis, sensualis, animalis, sine lege, sine Deo; sed tamen in praedicatione Ionae poenitentiam egerunt, resipuerunt a malo, ad Deum ex corde conversi fuerunt; [33] hi autem erant *generatio mala et adultera.* Mala adultera est mulier, quae ex malitia adulteratur nec nisi adulterari cupit, non quae ex aliqua

27) Ps 105, 14. 28) Cf. Lc 23, 39. 29) 2 Tim 3, 2-4. Vulg.: *Cupidi, elati*, etc.
30) Iud vr. 4. 31) Gn 6, 3-12. 32) Cf. Ion 1, 2. 33) Cf. ibid. 3, 1 sqq.

necessitate aut casu aliquo, sed mala voluntate et insatiabili libidine percita: *Generatio mala et adultera* Hinc oritur impoenitentia finalis.

III. ALIA HOMILIA

Accesserunt ad Iesum scribae et Pharisaei dicentes: Magister, volumus a te signum videre . . . Generatio mala . . . signum, etc. [1]

Agitur hodie de veritate fidei christianae,

I. Iudaei hodie signa petunt a Christo, quibus ostenderet et confirmaret doctrinam suam, quod verus esset Messias missus a Deo, verus Filius Dei. Et utinam, fratres, non reperiantur multi etiam, non dico inter infideles, sed inter eos « qui christiana professione censentur », [2] sub nomine christiano vivunt, qui adhuc de veritate fidei christianae dubitant! Quare operae pretium duxi sermonem hodie instituere de veritate fidei christianae et de signis quibus vera indicatur.

ad quam probandam multa signa habemus.

Deus benedictus in *Deuteronomio* a duobus signis dignoscendum dixit prophetam verum a falso: primo quidem a veritate praedictionum et miraculis, et secundo a praedicatione sanctae doctrinae, ne praedicaret cultum idolorum, sed cultum veri Dei. [3] Ego non ab his tantum, sed a multis aliis etiam, favente Deo, ostendam veritatem fidei christianae; nam fides et Ecclesia est domus aedificata a Sapientia, fundata super septem columnas, ut Salomon ait: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* [4]

Necesse est ut vera fides reperiatur in mundo, haec est autem christiana.

Et quidem necesse est ut vera fides reperiatur in mundo, nam, ut Salomon ait: צַדִּיק יְסוֹד עוֹלָם, [5] *iustus fundamentum est mundi*, [6] quod Deus in diluvio et Pentapoli ostendit. Si Noe iustus repertus non fuisset, totus periisset mundus; [7] si in Pentapoli decem iusti reperti fuissent, non periisset. [8] Manifestum est autem quod sine fide non potest esse iustitia, quoniam *iustus . . . ex*

1) Mt 12, 38. 2) S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 104); Breviarium et Missale Rom. orat. 3 Dom. post Pascha. 3) Cf. 13, 1 sqq. 4) Prv 9, 1. 5) Ms.: *Zadik, iesod holam.* 6) Prv 10, 25. 7) Cf. Gn 6, 1 sqq. 8) Cf. ibid. 18, 20 sqq.

fide... vivit:[9] צַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה,[10] nec potest esse vera fides nisi una: *Unus Deus, una fides,*[11] unus sol, unus solis radius. Quod autem fides haec vera non sit nisi christiana fides, inspiciamus signa tradita a Deo ad dignoscendum verum prophetam; nam si Christus Dominus noster verus fuit propheta, vera ergo ipsius doctrina, vera fides.[12]

Primum signum veritatis fidei christianae: prophetiae.

II. Primum signum est a veritate praedictionum et vaticiniorum, nisi forte aliquando vaticinia comminatoria fuerint, ut vaticinium Ionae in Ninive,[13] vel conditionata secundum ordinem causarum naturalium, non secundum ordinem supernaturalis dispositionis, sicut fuit vaticinium Isaiae ad Ezechiam: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives;*[14] alioquin quaecunque veri Vates Divino Spiritu afflati praedicebant, certissime eveniebant.

Multa Christus hodie vaticinatus est de Iudaeis, de mundo, de seipso et de Ecclesia,

Videamus Christi vaticinia et praedictiones. In hodierno Evangelio vaticinatus est Christus de universali iudicio: *Viri Ninivitae surgent in iudicio... Regina Austri surget in iudicio;*[15] sed de hoc fere omnes Vates. Vaticinatus est de Iudaeorum miseranda calamitate: *Erunt novissima hominis illius peiora prioribus; sic... erit generationi huic pessimae.*[16] Praedixit destructionem civitatis et templi eversionem, reipublicae captivitatem, diuturnam dispersionem in omnes gentes, statum multo miserabiliorem quam alias passi sint.[17] Quis non videt harum praedictionum veritatem? Vaticinatus fuit hodie futuram passionem et resurrectionem suam: *Sicut... fuit Ionas in ventre ceti... sic erit Filius hominis in corde terrae;*[18] praedixit futuram gloriam suam: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic.*[18a] Quis non videt si Christus creditur sanctior Iona, rex gloriosior et sapientior Salomone? Praedixit conversionem Gentium ad praedicationem Evangelii sui, sicut ad praedicationem Ionae conversa fuit Ninive, quod Ecclesia a finibus terrae ventura erat

quae omnia ad amussim adimpleta sunt;

9) Hab 2, 4. Ex hebraico. 10) Ms.: *Zadik beemunatho iichieh.* 11) Eph 4, 5. Vulg.: *Unus Dominus,* etc. 12) In margine haec adiecta fuerunt: « Fuit lex Moysi vera lex, sed usque ad Christum, sicut luna illuminat noctem usque ad ortum solis. Sol maius luminare est; sic: *Ecce plus quam Ionas... plus quam Salomon hic.* Messias novam legem daturus erat. Scriptum fideiussionis usque ad solutionem valet, post solutionem amplius non valet, verum amplius non est; sic lex Moysi ». 13) Cf. Ion 3, 1 sqq.
14) 38, 1. 15) Mt 12, 41-42. 16) Ibid. vr. 45. 17) Cf. Lc 19, 43-44.
18) Mt 12, 40. 18a) Ibid. vrr. 41-42.

ad suscipiendam fidem suam, sicut regina Austri ad Salomonem venerat;[19] in quo etiam praedicit gloriam Ecclesiae suae, quod futura erat sicut regina Saba potentissima et sapientissima. Quis haec non videt in Ecclesia?

Si vera praedixit, ergo verus propheta, alioquin quomodo potuisset Christus haec praenoscere, praescire et praedicare, quae vera nunc esse ipsis oculis clarius videmus?

ergo verus propheta fuit.

III. Addit Deus veritati praedictionum miracula, licet haec non ex necessitate requirantur, nam Ionas sine miraculis convertit Niniven, Salomon miraculum nullum egit, nec David, tamen in testimonium veritatis voluit Deus fidem miraculis confirmari. Sic Moyses multa miracula divina virtute praeditus operatus fuit;[20] visis miraculis crediderunt ei Hebraei,[21] sicut Israelitae, viso miraculo ignis de coelo ad preces Eliae, crediderunt;[22] Naaman syrus miraculo mundatus a lepra credidit.[23] Sed *ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic.* Illi enim nulla edidere miracula, Christus autem innumera; his enim magnopere commoventur homines ad credendum, sicut Nabuchodonosor, viso miraculo trium puerorum, credidit in Deum,[24] Darius, viso miraculo Danielis in lacu leonum, similiter.[25] Quis autem negare potest Christi miracula? Si verum non est miraculum eclipsis solis in morte ipsius,[26] quomodo credidit mundus tam manifestum mendacium?

Secundum signum: innumera miracula a Christo operata,

Sed Christus unum tantum miraculum dicit hodie *signum: Non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae.*[27] Magnum miraculum fuit illud: visus fuit Ionas proiectus in mari, devoratus a pisce; deinde visus fuit in Ninive vivus, praedicavit, convertit magnam illam civitatem ad poenitentiam.[28] Visus fuit Christus crucifixus, mortuus, sepultus, sed quomodo? Tanquam homo infamis, turpissimo mortis genere peremptus maximo cum scandalo discipulorum suorum omniumque qui in eum prius crediderant. Sed si non resurrexit Christus, quis convertit mundum ad fidem ipsius? Apostoli converterunt

sed maximum omnium ipsius resurrectio

19) Cf. 3 Rg 10, 1-2. 20) Cf. Ps 104, 26-37; Eccli 45, 1-3. 21) Cf. Ex 4, 28 sqq.; 14, 31. 22) Cf. 3 Rg 18, 36-39. 23) Cf. 4 Rg 5, 1-18. 24) Cf. Dn 3, 91-96. 25) Cf. ibid. 6, 16-27. 26) Cf. Mt 27, 45; Mc 15, 33; Lc 23, 44-45. 27) Mt 12, 39. 28) Cf. Ion 1, 15-2, 1; 3, 1 sqq.

mundum. Sed quis convertit Apostolos? Quis Paulum Gentium doctorem? Quis Christum post mortem glorificavit?

et conversio mundi ad fidem;

Omne opus quod supra vires naturae est, miraculum dicitur: quod percussa petra in deserto aquas dederit,[29] quod ad tubarum clangorem muri Iericho corruerint,[30] quod ad ingressum arcae in Iordanem flumen siccatum fuerit,[31] quod ad iussum Iosue sol steterit in coelo immobilis spatio unius diei.[32] Sed an opus humanum est mundum ad cultum veri Dei convertere? Patriarchae hoc facere minime potuerunt, non Moyses, non Prophetae, non David, non Salomon; quomodo potuerunt hoc facere Apostoli Christi, homines de plebe, ignobiles, idiotae, pauperes, ignari, barbari? Magnum miraculum quod Moyses ovium pastor contra potentiam Pharaonis eduxerit Hebraeos de Aegypto; infinitis gradibus maius quod hoc egerit Petrus piscator cum suis sociis contra potentiam diaboli, de regno tenebrarum et idololatriae educere innumerabiles homines ad cultum veri Dei; quod piscator romanum imperium, Romam ipsam imperii caput subiecerit posueritque sub pedibus suis. O si quis vidisset tunc Petrum Romam adeuntem et interrogasset ad quid agendum Romam pergeret, dixissetque quod ad subiciendam sibi Romam universumque romanum imperium, risisset quisquis hoc tunc audisset! Sed nunc quis non factum videt? Et hoc sine miraculis fieri potuit? O miraculum!

hoc autem sine miraculo nequit explicari.

Tertium signum: sanctitas doctrinae,

IV. Postremum signum est a puritate et sanctitate doctrinae,[33] si non praedicat idololatriae superstitionem et impietatem, sed divini cultus pietatem et religionem. Nunc dico: num Christus idololatriam vel corporalem docuit vel spiritualem? Quis destruxit cultum idolorum? Ubi sunt dii gentium? Ubi oracula? Christus sanctissima fide

29) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 7-11. 30) Cf. Ios 6, 12-20. 31) Cf. ibid. 10, 12-14. 32) Cf. ibid. 3, 14 sqq. 33) In margine haec adiecta fuerunt: « Lex antiqua bona et sancta fuit de coelo, sicut sapientia Salomonis; Divino Spiritu afflati locuti sunt Prophetae, sicut Ionas. Nec tantum bona quia sancta sicut Ionas, et plena sapientia sicut Salomon, unde a Moyse dicta est *sapientia et intellectus*, verum etiam quia eam professi sunt, servarunt, praedicarunt, defenderunt, veritatem ipsius testificati sunt homines sanctissimi sicut Ionas et sapientissimi sicut Salomon; quod non fuisset, nisi vera, iusta, sancta fuisset. Vir enim sapiens et bonus et communis boni amator falsum testari non potest, quia ut sapiens doctus et prudens non errat, ut bonus et veritatis amicus non mentitur et ut publici boni amator neminem vult decipere. Fides autem christiana innumeros habuit professores, testes, defensores: viros doctissimos atque sanctissimos, martyres, doctores, pontifices, viros religiosissimos et sapientissimos ».

sua et praedicatione Evangelii sui per universum orbem destruxit idololatriam, quod non Abraham, non Moyses, non Elias facere valuerunt, et non erit maior Moyse et Prophetis? Quis planetarum coelestium potest nocturnas tenebras profligare et diem clarissimam reddere, nisi sol, astrorum omnium maximum? Egit hoc Christus, et non erit ipse *Sol iustitiae?*[34] Si propheta sanctus Ionas, quia convertit Niniven ad poenitentiam, ad cognoscendum et timendum Deum, quomodo non propheta sanctus Christus?

quae idololatriam destruxit tum corporalem idolorum,

Nec tantum idololatriam corporalem et externam Christus destruxit funditusque evertit, ut nec signum quidem ullum aut vestigium eius appareat, nisi apud scriptores, sed etiam spiritualem viribus omnibus persequitur et impugnat: Avaritia *est idolorum servitus.*[35] Christiana fides nullum penitus vitium, nullum peccatum vel minimum admittit, etiam in desiderio vel cogitatione cordis, nullam non docet virtutem, nullum non opus bonum commendat; inimica carnis est, non praedicat nisi poenitentiam, ieiunia, mortificationem; inimica mundi, damnat avaritiam, damnat pompas, damnat superbiam; inimica satanae, damnat omne peccatum, omne penitus vitium; minatur vitiis atque peccatis iram Dei aeternaque supplicia, promittit virtutibus bonisque operibus aeterna in coelo praemia, immortales coronas.

tum spiritualem vitiorum, nullum enim penitus admittit vitium,

Nec tantum pura est sicut columba, Ionas enim c o l u m b a interpretatur, sed pacifica sicut Salomon;[36] praedicat pacem cum Deo et hominibus, caritatem summam erga Deum et homines; plena est sapientia, cognitione altissima Dei et divinorum operum; religiosissima et piissima erga Deum, non unum templum cum sapientia Salomonis Deo aedificavit,[37] sed ubique innumera ad laudandum Deum. Non praedicat nisi perpetuam orationem, in Deum fidem, spem, timorem, caritatem, pietatem sanctitatemque perfectam: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus quam Salomon hic.* Ionas unam tantum civitatem convertit, Christus innumeras civitates et provincias; Salomon unum templum aedificavit,[38] Christus innumera magnificentissima ubique locorum.

et non docet nisi sanctitatem perfectam,

Ecce puritas et sanctitas doctrinae in hodierno Evangelio: *Ge-*

34) Mal 4, 2. 35) Eph 5, 5. 36) Salomon enim *pacificus* vocatus fuit. Cf. 1 Pa 22, 9. 37) Cf. Prv 9, 1. 38) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 2 Par 2, 1 sqq.

ut elucet in hodierno Evangelio. *neratio mala et adultera signum quaerit et signum non dabitur ei.* Quam acriter arguit vitia! Quae minatur supplicia! *Surgent viri Ninivitae in iudicio contra generationem istam et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae.* [39] Virtutibus quae praemia promittit! *Quicunque... fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est.* [40]

Christum sanctiorem Iona et sapientiorem Salomone omnes praedicant; V. Sed quoniam praecipue de sua eminentia agit Christus, – *ecce plus quam Ionas hic,* – si Ionas sanctus fuit, si propheta verus missus a Deo et opus egit mirabile, *plus quam Ionas hic;* sic nunc creditur; si Salomon rex magnus, si sapientissimus, accepto divinitus sapientiae dono, si templum Deo aedificavit, [41] *ecce plus quam Salomon hic,* infinitis gradibus maior Salomone creditur multoque sapientior et gloriosior. Nunc dico: A quonam sic glorificatus est Christus? Quomodo, si non est Filius Dei et verus Messias, ut dicebat? A seipso glorificari non potuit, quia mortuus est in infami patibulo, turpissimo mortis genere. A mundo? Sed summam persecutionem passus fuit ipse a Iudaeis, sui autem et a Iudaeis et a Gentilibus, ita ut nullo loco possent consistere, ut testantur tot millia Martyrum. at solus Deus sic Christum exaltare poterat, A diabolo? ab inimico capitali Dei omnisque virtutis? Sed Christus dissolvit opera diaboli, destruxit idololatriam, persequitur, impugnat omne peccatum, non quaerit nisi gloriam Dei, ut destruat omne regnum diaboli. Non ergo potuit sic glorificari et exaltari nisi a Deo; verus ergo Filius Dei, nam Deus exaltavit credentes in Christum, ut patet in Apostolis, in Sanctis ipsius, in universa Ecclesia; humiliavit autem et persecutus est omnes inimicos eius et persecutores, sicut patet de Iudaeis, quorum rempublicam funditus evertit.

Ipse Deus ergo testatur veritatem fidei christianae, non enim ipse Deus ergo testatur veritatem fidei christianae. potest testis esse falsitatis Deus summa veritas, ait enim: Si quis prophetam audire contempserit, *ego ultor existam,* [42] requiram ab eo. Quis non videt vindictam de Iudaeis sumptam?

Deinde consideremus, quaeso, opera ipsa Ionae et Salomonis. Quomodo Ionas convertit Niniven? Magno miraculo. Quomodo Salomon traxit ad se reginam Saba potentissimam et sapientissimam?

39) Mt 12, 41. Vulg.: *Viri Ninivitae surgent cum generatione ista,* etc. 40) Ibid. vr. 50.
41) Cf. 3 Rg 3, 10-12; 2 Par 1, 11-12. 42) Dt 18, 19.

Miraculo sapientiae suae. Quomodo templum aedificavit? Miraculo ingentium divitiarum. Christus autem quomodo mundum convertit? הַהֵימִיר גּוֹי אֱלֹהִים.[43] Quomodo convertit et traxit ad se sapientissimam Graeciam et potentissimam Romam, Italiam, Europam? Quomodo crucifixus hoc facere valuit? Quomodo Christi Ecclesia evasit serenissima regina: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate?*[44] Venit regina illa cum magno comitatu principum ac illustrium personarum. Quid sunt in Ecclesia tot Martyres, tot Doctores, tot Pontifices, tot Virgines, tot Sancti? Quomodo ad talem tantamque magnitudinem et gloriam pervenit Christi Ecclesia? Qualis erat cum Christus hodie haec diceret? Qualis Apostolorum congregatio? Quomodo futuram gloriam praevidit Christus Ecclesiae? Futuram gloriam suam?

Explicari nequit sine miraculo quod homo crucifixus ad se mundum traxerit;

Plus quam Ionas hic . . . plus quam Salomon hic. Salomon praedictus ac prophetatus fuit, prius quam natus, qualis futurus erat et quid facturus.[45] Sic et Christus. Quomodo si non verus Messias ipse est? Omnia tamen ipsius mysteria et opera a Prophetis reperiuntur prophetata, praedicta. Reperiuntur in Christo omnia signa veri prophetae; ergo verus propheta habendus est sicut Ionas et Salomon, vera ipsius fides sicut praedicatio Ionae, sicut sapientia Salomonis.

ergo verus Messias est et vera ipsius fides,

Nos felices, fratres, qui veram consecuti sumus fidem, nam fides via salutis est, scala coeli, porta paradisi, currus triumphalis Eliae: *Quicunque . . . fecerit voluntatem Patris mei,* idest in me vere crediderit, *ipse meus frater et soror et mater est ;* ergo filius Dei, heres paradisi, diligetur a me tanquam frater, soror, mater.

quae scala coeli est et porta paradisi.

VI. Sciendum vero est quod in hodierno Evangelio plures articuli fidei reperiuntur: articulus passionis, mortis et resurrectionis Christi; articulus gloriae Christi, aeternae generationis Christi: *Patris mei qui in coelis est ;* generationis temporalis: *Ecce mater tua,*[46] articulus universalis iudicii multaque alia credenda proponuntur. Sed specialiter quod summopere displicet peccatum Deo, sicut adulterium honesto viro: *Generatio mala et adultera signum quaerit ;* quod poeni-

Reperiuntur in hodierno Evangelio plures articuli fidei.

43) Ier 2, 11. Ms.: *Hahemir goi eth Elohim,* idest: *Nunquid mutavit gens deos?* Particula אֵת adicitur a S. Auctore. 44) Ps 44, 10. 45) Cf. 2 Rg 7, 12-16. 46) Mt 12, 47.

sed specialiter bona opera cum poenitentia necessaria esse ad salutem.

tentia necessaria est ad salutem: *Viri Ninivitae surgent in iudicio ... quia poenitentiam egerunt;* quod sapientia coelestis, doctrina christiana, cognitio Dei similiter necessaria est: *Regina Austri surget in iudicio,* etc.; quod bona opera necessaria sunt: *Quicunque ... fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est.* Credimus haec, fratres? Credimus? *Fides* sine poenitentia, *sine operibus mortua est.*[47] Dominus ait quod Ninivitae crediderunt Ionae, quia ad praedicationem eius poenitentiam egerunt. Si Christo credimus, cur poenitentiam non agimus?

47) Iac 2, 26.

FERIA QUINTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

Egressus Iesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier chananaea a finibus illis egressa, clamabat. [1]

Ostenditur hodie magna fides chananaeae.

I. Cum sanctissimus Elias, mundi miraculum et coeleste oraculum, praedicatione divinae legis apud Israelitas incredulos nihil proficeret propter illorum incredulitatem impiamque perfidiam, iussus fuit a Deo secedere in partibus Tyri et Sidonis: *Surge et vade in Sarepta Sidoniorum et manebis ibi, praecepi enim ibi mulieri viduae ut pascat te.* [2] Abiit sanctissimus Vates et a sancta vidua benigne susceptus hospitio fuit eique in hospitalitatis praemium mortuum filium suscitavit. [3] Sic hodie Christus in spiritu susceptus hospitio fuit: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris;* [4] *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* [5] Sicut magna fuit fides mulieris illius sareptanae, qua ab Elia petiit ut mortuum filium suum suscitaret et qua etiam prius ei crediderat Dei miraculo multiplicandam fore farinam cum oleo, [6] ita magna est fides chananitidis huius, qua petit a Christo ut filiam suam a daemonis vexatione liberaret: *Magna est fides tua ;* quare, merito eius fidei Dominus tribuit ei desiderium animae eius: *Fiat tibi sicut vis.*

Mos Dei est prius probare constantiam fidei

Non tamen statim ei Christus postulata concessit, sed prius quodammodo rigidum, severum, inexorabilem et inflexibilem ei se praestitit, agens cum ea sicut Ioseph cum fratribus suis in Aegypto; cum enim eos impense diligeret, duris tamen verbis ad eos usus

1) Pericope huius diei Mt 15, 21-28. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Clamavit.* 2) 3 Rg 17, 9. 3) Cf. ibid. vrr. 10 sqq. 4) Eph 3, 17. Vulg.: *Christum habitare*, etc. 5) Mt 15, 28. 6) Cf. 3 Rg 17, 13-16.

et deinceps concedere petita.

fuit;[7] egit sicut Eli sacerdos cum Anna, matre Samuelis: prius eam reprehendit, postea consolatus fuit;[8] sicut Deus cum Elia: volens enim consolari eum post iter et ieiunium quadraginta dierum, antequam tamen consolaretur eum apparens ei in sibilo aurae suavis, terruit eum tempestate, turbine, igne de coelo, magno terraemotu; sic postea consolatus fuit;[9] sicut egit Booz cum Ruth: prius ei panis frustum dedit in aceto intinctum, postea vero collaudatam[10] in uxorem duxit.[11] Sic Christus hodie cum chananaea egit: *Desponsabo te mihi in fide,*[12] haec enim vere Ruth, quae *mulier virtutis,*[13] idest fortissima, magna virtute et fortitudine praedita appellatur, et propterea, licet pauper esset, ditissimus Booz eam duxit uxorem.

Fides est spiritus fortitudo, de qua Christus chananaeam laudat.

II. Fides est spiritus et animi fortitudo, nam: *Omnia possibilia sunt credenti;*[14] *O mulier, magna est fides tua.* De magna fide, de magna animi virtute et fortitudine eam Christus laudat nobilique encomio commendat. Non dicat ergo Salomon: *Mulierem fortem quis inveniet?*[15] Neque enim dicere voluit impossibile esse reperire fortem mulierem, sed quod difficile et raro. Hinc ipse fortem mulierem miris laudibus effert alphabetario carmine.[16]

Talem mulierem laudavit Salomon in *Proverbiis* vera pietate praeditam,

In eo autem panegyrico fortis mulieris virtutes animi, non corporis dotes, gratiam et pulcritudinem effert praeconio, nam ait: *Fallax gratia et vana est pulcritudo, mulier timens Dominum... laudabitur.*[17] Haec summa commendationis est conclusio et veluti corona: timor Domini, religio, pietas, devotio in Deum, ita tamen ut spiritualis devotionis praetextu ceteras virtutes curamque domesticam domus et familiae non negligat, sed Martham et Mariam,[18] Rachelem et Liam[19] in unum coniungat atque componat. Sic mulier erit numeris omnibus absoluta, omni laude digna, qualis fuit hodie chananitis mulier, magnae fidei, magnae devotionis et pietatis erga Christum, sed tamen curam domus habebat.

Talem mulierem[20] Salomon laudibus exornat, dicens eam

7) Cf. Gn 42, 7. 8) Cf. 1 Rg 1, 12-17. 9) Cf. 3 Rg 19, 3-13. 10) Ms.: *Collaudatae.* 11) Cf. Ruth 2, 14; 4, 1-13. 12) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo*, etc. 13) Ruth 3, 11. 14) Mc 9, 22. 15) Prv 31, 10. 16) Cf. ibid. vrr. 11 sqq. Ex hebraico. 17) Ibid. vr. 30. 18) Cf. Lc 10, 38-40. 19) Cf. Gn 29, 16-17. Notum est Mariam et Rachelem communiter accipi figuras vitae contemplativae; Martham et Liam activae. 20) Ms.: *Mulier.*

esse instar inaestimabilis thesauri: *Procul et a finibus terrae pretium eius,* [21] hebraice: *Longe a margaritis pretium eius,* idest pretiosior quibusvis margaritis, quibusvis unionibus et gemmis. Hinc per partes docet quibus virtutibus deceat ornatam esse mulierem, praeter timorem Domini et spiritualem devotionem, nempe castissima pudicitia et diligentia erga virum suum: *Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit; reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitae suae,* [22] ne vel minima suspicione impudicitiae viri animum laedat, neque prodigalitatis rei familiaris; ne sit vir quidem assiduis laboribus intentus ad rem cumulandam, uxor vero ad perdendam et dissipandam, iuxta illud hieroglyphicum, quo vir depingitur magna cum diligentia funem contorquens et a tergo asinus contortum funem abrodens; [23] sed honestam semper et utilem viro suo se exhibeat.

Inaestimabilem thesaurum eam appellans, quia castam et pudicam,

industriam dispensatricem rei familiaris,

Laudat de industria et honestis laboribus: *Quaesivit lanam et linum et operata est consilio,* industria, arte, *manuum suarum; facta est veluti navis institoris de longe portans panem suum,* [24] idest copiosas merces. Non sit ergo mulier desidiae et otio dedita, sed impigra, diligens et intenta honestis laboribus, vigilans et sollicita: *De nocte,* inquit, *surrexit deditque praedam domesticis suis et cibaria ancillis suis.* [25] Non sit somno dedita, sed ante lucem plumas relinquat ad curandam rem familiarem, ad ordinandam domum et familiam, ad distribuenda singulis, tum servis tum ancillis, sua singulis exercitia; sic enim provida matrona sua industria et diligentia potest etiam facultates domus adaugere: *Consideravit agrum et emit eum, de fructu manuum suarum plantavit vineam;* sic *accinxit fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum,* semper ad labores indefessa, quoniam *gustavit et vidit quia bona est negotiatio eius.* Etiam intempesta nocte honestis laboribus invigilabit: *Non extinguetur in nocte lucerna eius; manum suam misit ad colum et digiti eius apprehenderunt fusum.* [26]

laboriosam et sollicitam,

Humilem decet esse, ut non dedignetur humilia exercitia domus suae; nec tamen decet miseram avaramque esse, sed liberalem, maxime erga pauperes et egenos: *Manum suam aperuit inopi et palmas suas*

humilem et liberalem erga pauperes, non avaram,

21) Prv 31, 10. Vulg.: *Procul et de ultimis finibus,* etc. 22) Ibid. vrr. 11-12. 23) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica,* lib. 12, cp. 17, pag. 119. 24) Prv 31, 13-14. Vulg.: *Quasi navis.* 25) Ibid. vr. 15. 26) Ibid. vrr. 16-19. Vulg.: *Misit ad fortia.*

extendit ad pauperem, [27] sicut Paulus ait: *Laboret... manibus suis... ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* [28] Sic decet matremfamilias honestamque matronam pauperibus compati eisque, dum potest, subvenire, ita tamen ut non distrahat quae familiae necessaria sunt: *Non timebit domui suae a frigoribus nivis; omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus,* [29] idest tum necessariis tum honestis, quibus festis diebus non ad pompam, sed ad decorem utendum est; nam sibi quoque parat honesta decoraque indumenta: *Stragulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum eius.* [30] Decet enim mulieres ornatus habitus, abiectis pompis et vanitatibus, ut Princeps Apostolorum docet: *Mulieres subditae sint viris suis... quarum non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri aut indumenti vestimentorum cultus;* [31] et Paulus: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se... non in tortis crinibus aut auro* aut *margaritis vel veste pretiosa.* [32]

honestum decorem familiae procurantem.

Hinc sequitur Salomon: *Fortitudo et decor indumentum eius et ridebit in die novissimo.* [33] Singularis, inquit, ornatus mulieris non consistit in pompis, sed in valore et honestate, si virtutibus sit praedita et ornata, si sit patiens, clemens et prudens: *Os suum aperuit sapientiae et lex clementiae in ore eius; consideravit semitas domus suae et panem otiosa non comedit.* Talis, inquit, mulier digna est omni laude et omni honore; hinc ait: *Surrexerunt filii eius et beatissimam praedicaverunt, vir eius et laudavit eam.*

Verus ornatus mulieris non in pompis consistit, sed in virtutibus,

Sed quanam laude? *Multae filiae congregaverunt* sibi *divitias,* fecerunt sibi fortitudinem, *tu supergressa es universas,* [34] non reperitur similis ei in bonitate, virtute et valore. Sic nonnisi animi virtutes ac spiritus nobilitatem commendat in hoc panegyrico Salomon, sicut et Christus: *O mulier, magna est fides tua. Multae filiae congregaverunt* sibi *divitias* virtutum, *tu supergressa es universas; Non inveni tantam fidem in Israel.* [35] Hinc miratus fuit Christus tantae fidei magnitudinem et ob eam mirum in modum laetatus.

quas tantum laudat Salomon et hodie Christus.

III. In *Canticis* Salomon nonnisi corpus sponsae membraque, pulcritudinem et gratiam celebrare videtur, [36] sed tamen per

27) Ibid. vr. 20. 28) Eph 4, 28. 29) Prv 31, 21. 30) Ibid. vr. 22. 31) 1 Petr 3, 1-3. 32) 1 Tim 2, 9. 33) Prv 31, 25. 34) Ibid. vrr. 26-29. Vulg.: *In lingua eius.* 35) Mt 8, 10. 36) Cf. 6, 1-7, 1-8.

corpus spiritum collaudat, qui lucet in corpore. Pulcram appellat ut lunam, cuius honestissima est pulcritudo; formosam tamquam Ierusalem, quae civitas erat sancta, sedes religionis; quare pietatem et morum elegantiam collaudat; terribilem ut castrorum aciem ordinatam,[37] paratam[38] ad proelium ad superandos hostes propter inexpugnabilem pudicitiam, castitatem virtutemque animi; columbam appellat propter animi candorem; laudat oculos eius dicens columbinos propter pudicitiam et simplicitatem; capillos similes pilis caprearum, indutos vitta coccinea, modesto ornatu atque honesto; dentes instar ovium candidos, gula et intemperantia minime infectos; genas rubicundas ob verecundiam et pudorem, qui maxime decet mulieres; labia rubentia propter eloquium castum, pudicum, verecundum;[39] nasum, acre iudicium; caput instar Carmeli montis fertilissimi, mentem altam, nobilem, sanctis cogitationibus fecundam; collum instar turris David, fortitudinem animi ad ferendum iugum Christi, sed etiam honeste cum pectore custodito, ne quem ad libidinem pelliciat; ubera lacte plena ad alendos filios, uterum fecundum ad liberos procreandos, sed ornatum liliis pudicitiae et honestatis. Etiam pedes, calceamenta et gressus laudat, decet enim mulierem gravi modestoque gressu incedere nec nimium hac illacque pervagari, sed domum diligere, non per alienas domus circumcursare. Staturam tandem palmae similem, virtutem animi laboribus non succumbentem et ad coelestia semper mente et intentione tendentem Deumque expetentem.

Easdem laudes Salomon repetit in *Canticis*

pulcritudinem et gratias sponsae decantans.

His omnibus laudibus Christus hodie chananaeam exornat dicens: *O mulier, magna est fides tua.* Siquidem fides viva virtutes omnes omniaque Spiritus Sancti dona complectitur; hic eius videre est non tantum fidem, sed etiam spem, qua in oratione perseverat; caritatem erga filiam, satagens ut a daemonis vexatione liberetur; patientiam et constantiam[40] animi qua tulit Christi obiurgationem; humilitatem, qua coram Christo se humiliat: *Etiam, Domine, nam et catelli;*[41] temperantiam, nam micas panis expetit; prudentiam et sapientiam in verbis suis; pietatem qua Christum adorat; domo quidem egressa est hodie, sed necessitate et caritate urgente; egressa domo, sed ad Christum pergit orationis ergo.

Christus fidem chananaeae adeo laudat, quia fides omnes virtutes complectitur.

37) Cf. ibid. 6, 3-9. 38) Ms.: *Ut luna... acies ordinata, parata.* 39) Cf. Ct 4, 1. 3.
40) Ms.: *Patientia et constantia.* 41) Mt 15, 27.

Chananaea exemplar est mulieris vere christianae;

IV. Exemplar est haec mulier hodie sanctarum mulierum quae virtutem et pietatem ex animo profitentur. Nam quod spectat ad iustitiam convertitur a mundo ad Deum; a finibus Tyri et Sidonis egressa, venit ad Christum plena salutis desiderio: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum,* Deum *vivum,* [42] *fontem aquarum viventium.* [43] Erat cerva haec ab infernalibus canibus insectata; concitatissimo cursu a mundo fugit ad Christum, qui ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* [44] Accidit autem ei sicut Hebraeis in deserto: fontem repererunt aquarum multarum, sed bibere volentes non potuerunt, quoniam amarae erant aquae, ita ut magis magisque creverit eorum sitis; sed divino miraculo dulces factae fuerunt fontis illius aquae, quare potuit ibi synagoga sitim omnem levare. [45] Sic sacra cerva haec non statim potuit ad divinum hunc fontem sitim explere, sed tandem explevit. Agnovit haec Christum divinae misericordiae fontem, quare ait: *Miserere mei, Domine fili David,* [46] idest rex Israel, verus Messias, Redemptor et Salvator mundi, fons misericordiae. Tanquam cerva sitiens alatis pedibus et inflammato pectore currit hodie chananitis ad fontem misericordiae: *Miserere mei, Domine fili David.* Agnovit Christum fontem esse perennem et inexhaustum infinitae ac aeternae misericordiae ; nam hanc ob causam Deus in Scripturis dicitur *fons aquae vivae,* et in *Apocalypsi* legimus quod de throno Dei procedebat fluvius aquarum viventium, quae instar chrystalli erant: [47] *Miserere mei, Domine.* Et ecce exhibetur ei optatissima gratia et misericordia: *Fiat tibi,* o mulier, *sicut vis.* [48]

reliquit enim fines suos et plena salutis desiderio venit ad Christum,

quem agnovit verum Messiam, fontem divinae misericordiae.

De hac misericordia aliquid dicendi locus iste occasionem praebet.

V. Exigit locus iste ut de misericordia Dei aliquid dicamus hodie, cum superioribus diebus multa de iustitia divina dixerimus. [48*] Nam saepissime Divina Scriptura de misericordia Dei loquitur, unde videtur liber ille coelitus ab Angelo datus Ioanni ad manducandum, qui in ore eius mellis instar dulcissimus [fuit], [49] sicut etiam liber E z e c h i e l i s . [50]

Dum contemplor mentis intuitu divinum Cor, fratres, videre

42) Ps 41, 2-3. 43) Ier 2, 13; 17, 13. 44) Io 7, 37. 45) Cf. Ex 15, 22-25. 46) Mt 15, 22. 47) Cf. 22, 1. 48) Mt 15, 28. 48*) Cf. supra, Feria Secunda, Tertia et Quarta. 49) Cf. Apc 10, 9-10. 50) Cf. 3, 3.

mihi videor vas illud manna plenum in sanctuario Domini servatum [51] una cum virga quae percussit Aegyptum, [52] nam virga quidem hieroglyphicum est divinae iustitiae, sicut Ieremias virgam vigilantem vidit, [53] manna autem dulcissima et suavissima misericordiae symbolum est. Semper quidem in divino pectore unitae simul sunt misericordia et iustitia, sicut in pectore humano irascibilis vis cum concupiscibili, et quales sunt tanquam duae sorores gemellae, sicut duo ubera mulieris, sicut duae manus, dextera et sinistra.

In Deo misericordia et iustitia perfectissime aequantur,

Sed tamen Deus multo maiorem semper misericordiam ostendit atque exhibuit quam iustitiam. Ab initio saeculi creavit paradisum et infernum, hunc quidem tanquam locum iustitiae, illum autem tanquam locum misericordiae; sed infernum collocavit in centro mundi, angustissimo loco, paradisum vero supra coelum, loco augustissimo et amplissimo. [54] In mundo hoc Deus voluit habere domum, non quidem iustitiae, sed misericordiae, templum enim, ubi divinum propitiatorium collocatum fuit, domus est misericordiae ad remittenda peccata, ad donandam gratiam, ad exaudiendas orationes, ad concedenda beneficia in salutem populi, quod erat tanquam asylum inviolabile, tutissimum refugium. [55] Et quam ob causam putatis Deum saepissime apparuisse Patriarchis et Prophetis in humana forma? [56] *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* [57]

tamen maiorem misericordiam quam iustitiam Deus semper ostendit.

D i v u s P s a l t e s D a v i d saepe tanquam expertus canit misericordiam Dei, ostendens Deum esse perennem ac aeternum misericordiae fontem instar illius paradisi, ex quo maximus fluvius oriebatur, qui in quattuor magna flumina postmodum, irrigato paradiso, derivabatur. [58] Nam a divina misericordia est praedestinatio electorum, vocatio, iustificatio et glorificatio, imo ipsa mundi creatio et conservatio, gubernatio et providentia. Sic enim ait: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia*

Regius Vates canit Dei misericordiam cui tribuit mundi creationem et providentiam;

51) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 52) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. De quaestione, quaenam fuerit virga in arca reposita, cf. Corn. A Lapide *Comment. in Numeros*, cp. 20, 9; Aug. Calmet *Dictionarium Historicum*, sub voce: *Virga*. 53) Cf. Ier 1, 11.
54) Cf. supra, Feria Secunda huius Dom., pag. 106, not. 69-69ª. 55) Cf. 3 Rg 6, 12-13; 2 Par 7, 12-16. 56) Cf. Gn 18, 1 sqq.; 32, 24-30; Ex 33, 11; 34, 6; 3 Rg 22, 19-22; Is 6, 1-6; Ez 10, 8 sqq.; Dn 7, 13 sqq. 57) Tit 3, 4-5. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit... suam misericordiam*, etc. 58) Cf. Gn 2, 10.

eius... Qui fecit coelos in intellectu, quoniam in aeternum misericordia eius; qui firmavit terram super aquas... qui fecit luminaria magna... solem in potestatem diei... lunam et stellas in potestatem noctis, quoniam in aeternum misericordia eius. [59] Quare haec omnia creavit Deus? Non quod ipse his indigeret, ait, cum sit אֵל שַׁדַּי, [60] sufficiens sibi, nullius egens, sed *quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.*

hanc misericordiam communem confitetur tribus divinis Personis.

Ait autem principio: *Confitemini Domino* tetragrammaton, [61] *confitemini Deo deorum,* qui creavit Angelos, *confitemini Domino dominorum,* [62] qui condidit Principatus et Dominationes. Ter prius Deum nominat ob divinae Trinitatis mysterium, et semper replicat: *Quoniam in aeternum misericordia eius,* ut sciamus quod Pater totus misericordia est, Filius totus misericordia est, Spiritus Sanctus totus misericordia est. In eo *Psalmo* autem opera Dei in mundo divinae tribuit misericordiae: *Quoniam in aeternum misericordia eius.* Inexhausta, perennis, sine fine est misericordia Dei, aeterna est sicut Deus, quoniam ipsemet Deus est.

et dicit ipsam excedere magnitudine omnia opera Dei,

Alibi vero satagit Divus Vates magnitudinem divinae misericordiae demonstrare dicens: *Misericordia Domini plena est terra;* [63] *Magna est usque ad coelos misericordia tua;* [64] alibi: *Miserator et misericors Dominus, suavis et multum misericors;* [65] *Secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se;* [66] alibi: *Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors; suavis Dominus universis et miserationes eius super omnia opera eius:* [67] misericordia, inquit, Dei excedit magnitudine omnia opera Dei.

alludens ad id quod legitur in *Exodo;*

Alludit hoc loco Regius Vates ad id quod in *Exodo* legimus cum revelavit Dominus Moysi proprietates suas, nam ait: *Notas fecit vias suas Moysi,* [68] tunc enim dixit Moysi Deus: יְהוָה אֵל רַחוּם וְחַנּוּן אֶרֶךְ אַפַּיִם וְרַב־חֶסֶד וֶאֱמֶת׃

59) Ps 135 (hebr. 136), 1-9. 60) Ms.: *El sadai.* 61) Idest: הודו לַיהוָה.

62) Ps 135 (hebr. 136), 2-3. 63) Ps 32, 5. 64) Ps 107, 5. Vulg.: *Super coelos,* etc. 65) Ps 102, 8. Vulg.: *Longanimis et multum misericors.* 66) Ibid. vr. 11. 67) Ps 144, 8-9. 68) Ps 102, 7.

נֹצֵר חֶסֶד לָאֲלָפִים נֹשֵׂא עָוֹן וָפֶשַׁע וְחַטָּאָה:[69] *Dominus Deus est potens :* וְרַחוּם,[70] v i s c e r a t u s, tenera habens viscera; חַנּוּן,[71] g r a t i o s u s, totus bonus et benignus, ipsa benignitas, patiens, longanimis ad ferendas iniurias hominum, expectans peccatores ad poenitentiam ut resipiscant a peccatis; magnae pietatis et clementiae verae, non fictae, servans pietatem in mille generationes, in aeterna saecula, et dimittens peccata, licet multa et gravissima, peccatoribus poenitentibus.

hanc misericordiam tandem celebrat Deum patrem appellans,

Sed haec omnia V a t e s paucissimis complexus verbis ait: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.*[72] Cui Dominus per I s a i a m viscera etiam plus quam materna adiungit dicens: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si ipsa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus... descripsi te.*[73]

quod etiam ostendit Christus parabola filii prodigi.

Hoc ipsum ostendit Dominus in parabola filii prodigi.[74] Hanc ob causam tantam pietatem innatam voluit esse Deus ac ingenitam in visceribus paternis et maternis, ut hinc viscera misericordiae Dei agnosceremus, qui omnium nostrum simul et pater et mater est.

Misericordia haec patet in hodierno Evangelio dum Christus seipsum vocat *patrem* et *pastorem;*

VI. Sed videamus misericordiam Dei in hodierno Evangelio. Assumit hodie Christus nomen *pastoris : Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel,*[75] et nomen *patris : Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus.*[76] Sic enim seipsum expressit in parabola centum ovium et in parabola filii prodigi, in quarum medio posuit parabolam drachmae deperditae a muliere habente decem drachmas summaque diligentia amissam perquirente.[77] Quibus parabolis ostendere voluit Dominus se ita peccatorum salutem desiderare ex animo sicut pastor, non quilibet sed pauper, habens tantum centum oves, si unam amiserit, diligentissime eam quaerit magno cum desiderio inveniendi eam; et sicut mulier, non quaelibet sed pauper, habens tantum decem drachmas, decem denarios, si unam ex

69) Ex 34, 6-7. Ms.: *Iehovah el rahum vehanun erech appaiim verab hesed veemeth nozer hesed laalaphim nosse havon vaphessah vehathaah.* 70) Ms.: *Rahum.* 71) Ms.: *Hanun.* 72) Ps 102, 13. 73) 49, 15-16. Vulg.: *Si illa oblita,* etc. 74) Cf. Lc 15, 11 sqq. 75) Mt 15, 24. 76) Ibid. vr. 26. Vulg.: *Mittere canibus.* 77) Cf. Lc 15, 1 sqq.

sicut enim laetatur pater invento filio et pastor inventa ove, sic ipse laetatur de conversione peccatoris,

eis amiserit, *accendit lucernam... everrit domum,* summa cum diligentia quaerit, donec inveniat eam; et sicut pater desiderat filii salutem et vitam, qui nonnisi duos tantum filios habeat. Ostendit quod sicut laetatur pastor inventa ove, laetatur mulier inventa drachma, laetatur pater invento filio qui perierat, sicut Iacob cum novit vivum esse Ioseph ita laetatus fuit ac si a morte suscitatus ille fuisset;[78] sic, inquit, se, imo paradisum totum laetari de salute peccatorum et peccatricum.

et revera ostendit hodie cum chananitide conversa.

Quis non videt Christum hodie totum laetum de salute chananitidis, cum experimento probasset ac vere novisset eam ex animo et toto corde conversam ad fidem, ad virtutem, ad Deum? *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Sed voluit prius probare virtutem animi fidemque ipsius, sicut Deus tentavit fidem Abrahami virtutemque animi erga Deum,[79] sicut etiam beatissimum et sanctissimum Iob.[80]

Pro salute etiam unius animae Christus tulisset quae tulit pro salute totius mundi

VII. Sed adhuc aliud videre mihi videor in hoc Evangelio. Quid peregrinatio ista Salvatoris hodie est?. quid significat? Ad quid secedit in partes Tyri et Sidonis, si non est missus *nisi ad oves quae perierunt domus Israel?* Significat quod magno desiderio tenebatur salutis etiam gentilium Chananaeorum, qui divinam adhuc sustinebant maledictionem et iram ob peccatum patris Cham,[81] qui a daemonio possidebantur et male vexabantur, sicut filia chananitidis. Significat, fratres, quod talis tantaque est Dei caritas et misericordia, quod pro salute unius tantum animae peregrinationem suscepisset, quam suscepit veniens de coelo in terram. Ad liberandam nanque a daemonio filiam chananitidis huius peregrinationem hanc hodie Christus instituit.

Tyrus et Sidon figurae mundi sunt,

Nec vacat mysterio quod mundus hic in hodierno Evangelio per Tyrum et Sidonem designatur; Tyrus enim, hebraice צור,[82] a n g u s t i a interpretatur, Sidon autem v e n a t i o. Est quidem mundus hic multis epuloni illi[83] similibus tanquam paradisus deliciarum, sicut regio Pentapolis Loth visa fuit *sicut paradisus Domini.*[84] Sed Christo nonnisi angustia fuit, iuge ac diuturnum perpe-

78) Cf. Gn 45, 26 sqq. 79) Cf. ibid. 22, 1-12. 80) Cf. Iob 1, 1-2, 1 sqq.
81) Cf. Gn 9, 25. 82) Ms.: *Zur.* 83) Cf. Lc 16, 29. 84) Gn 13, 10.

tuumque martyrium, annis triginta tribus passus est pro salute nostra Christus in mundo, et tandem in cruce mortem acerbissimam sustinuit.

Sed ad quid venit in mundum? Ad venandum. Princeps quicunque, unicus regis potentissimi filius, relinquit regale palatium, curiam, civitatem, et pannosis vestibus indutus, solus aliquando cum canibus pergit in silvam ad venandum, magno se exponens periculo ob venationis et ferae alicuius capiendae desiderium. Ita plane Christus ad venandum venit; sicut Esau solus abiit ad venationem, [85] sic Christus cum suis canibus, sanctis Apostolis; ita cupidus est salutis nostrae sicut venator praedae cupidissimus.

pro cuius salute Christus tanta passus est.

VIII. *Et ecce mulier chananaea a finibus illis egressa clamabat dicens ... Miserere mei, Domine fili David*, etc. [86] Proponuntur nobis in muliere hac effectus divinae misericordiae in anima peccatrice, quae ob peccatum indigna est gratia et misericordia Dei, nam hanc ob causam Christus principio quidem *non respondit ei verbum*, [87] deinde quod *non* esset *missus nisi ad oves ... domus Israel*, ad oves Dei, non ad oves satanae, ad pascendos filios Dei non canes. Non est dignus canis pane filii, sic nec peccator gratia Dei, nam per peccatum homo in bestiam transmutatur sicut Nabuchodonosor, [88] ex filio fit servus, ex homine canis.

In chananaea proponuntur etiam effectus divinae misericordiae in anima peccatrice,

Primus autem effectus misericordiae Dei est gratia praeveniens, quae duo facit: dat homini cognitionem divinae misericordiae, quod Deus *Pater* sit *misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, ut Paulus ait, [89] de qua etiam Isaias: *Ubi est ... multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? ... Tu enim pater noster es ... Abraham nescivit nos et Israel ignoravit nos;* [90] dat etiam cognitionem peccati cum infelicitate quam affert: *Filia mea male a daemonio vexatur.* [91]

quorum primus est gratia praeveniens quae dat cognitionem divinae misericordiae,

Deinde accendit in animo odium peccati, et desiderium gratiae consequendae, per quam a peccato et satanae potestate liberetur anima male vexata, vere in Tyro, in angustia posita. Agnoscit chananitis Christus Deum humanatum factum Davidis filium, per

et accendit in animo odium peccati et desiderium gratiae.

85) Cf. ibid. 27, 1-31. 86) Mt 15, 22. Vulg.: *Clamavit*, etc. 87) Ibid. vr. 23.
88) Cf. Dn 4, 22-30. 89) 2 Cor 1, 3. 90) 63, 15-16. 91) Mt 15, 22.

fidem; sed fides Dei donum est. Ecce gratia praeveniens: egressus prius Christus est et ipsius egressus in causa fuit ut ipsa egrederetur a finibus Tyri et Sidonis, per gratiam illustrata, in intellectu quidem cognitione infinitae misericordiae Dei: *Miserere mei, Domine fili David, filia mea male a daemonio vexatur.* Non dicit cum David: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam et secundum multitudinem miserationum tuarum,* [92] quia non facile statim cognoscitur infinita misericordia Dei.

Sine auxilio fidei non facile statim cognoscitur divina misericordia;

Hoc est quod Divina Scriptura docet, quod apparuit Deus Moysi ut ostenderet ei proprietates suas; apparuit autem in humana forma, sed non ita ut Moyses faciem Dei posset videre, sed tantum a tergo, vocemque audivit dicentem: *Dominator Dominus, Deus misericors,* [93] ut sciamus quod [sicut] nonnisi imperfecte admodum cognoscitur homo qui a tergo tantum visus est, sic nonnisi admodum imperfectam habemus divinae misericordiae cognitionem, per auditum potius quam per visum; neque enim tam certa cognitio est quae per auditum percipitur, sicut ea quae per visum.

sola fides enim ostendit magnitudinem huius misericordiae.

Nobis per fidem cognita est misericordia Dei: *Fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* [94] Per fidem autem magna adeo proponitur misericordia Dei, ut omnem operum Dei magnitudinem in infinitum excedat: *Miserationes eius super opera eius;* [95] excedit in infinitum omnia opera Dei, sicut ipse Deus, quoniam misericordia ipsamet est Dei essentia. Mare quoddam infinitum est misericordia, nam hoc forte significat mare aeneum in templo Salomonis plenum aqua ad sordes abluendas, vas adeo magnum ut propterea *mare* appellaretur. [96] Diluvium in diebus Noe fuit ad demergendos peccatores, [97] sed misericordia mare est ad demergenda perdendaque peccata et salvandos peccatores: *Proiciet,* ait Vates ille, *in profundum maris omnia peccata vestra;* [98] et sicut mare Rubrum, in quo salvati fuerunt Hebraei et perierunt Aegyptii, [99] sic in hoc mari perit peccatum et salvatur peccator. Sic hodie Christus sanat filiam chananitidis, expellit ab ea daemonium quod eam male vexabat: *Et sanata est filia... ex illa hora.* [100]

92) Ps 50, 1-2. 93) Ex 34, 6. Vulg.: *Dominator Domine Deus.* 94) Rom 10, 17. 95) Ps 144, 9. 96) Cf. 3 Rg 7, 23-44; 2 Par 4, 2-15. 97) Cf. Gn 6, 13; 7, 17 sqq. 98) Mich 7, 19. Vulg.: *Peccata nostra.* 99) Cf. Ex 14, 19 sqq. 100) Mt 15, 28.

IX. Sciendum autem quod magnitudo divinae misericordiae inde etiam cognoscitur quod multo tempore Deus peccatorem expectat. Erat chananitis [101] haec grandaevae aetatis, mater erat quae filiam habebat, quae forte maturae erat aetatis; ad multam aetatem manserat inter fines Tyri et Sidonis. Sic dicitur Deus tardus ad iram, longanimis valde, nos diu expectat. [102] Sic enim in diebus Noe, licet viderit quod *omnis... caro corruperat viam suam... quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum* poenitueritque *eum quod hominem fecisset in terra... tactus dolore cordis intrinsecus,* [103] tamen distulit punitionem in centesimum usque annum, ut eos ad poenitentiam expectaret, [104] nam non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. [105]

Elucet magnitudo divinae misericordiae in longanimitate qua Deus peccatorem expectat;

Si quis autem salvari vult, necesse est ut egrediatur a finibus Tyri et Sidonis, ut pristinam relinquat vitam, nam alioquin, licet misericordia Dei magna et infinita sit, sicut tamen universa aqua maris non mundabit aethiopem a naturali nigredine, quoniam in ipsa carne profundas habet radices, sic nec divina misericordia peccatum unquam dimittet quandiu in mala voluntate fuerit radicatum; unum peccatum in mala voluntate radicatum sufficit ad damnandam animam.

sed quamvis magna haec misericordia, peccatum non dimittit in mala voluntate radicatum.

X. Accidit hodie chananitidi sicut Annae matri Samuelis, quae quidem prius ab Eli sacerdote et summo pontifice contempta fuit, sed postea ab eodem, agnita animi virtute, consolata et collaudata fuit; [106] sicut etiam Ruth a Booz prius panem accepit in aceto intinctum, sed postea magna cum ipsius laude in uxorem ducta fuit tanquam mulier multae virtutis ac magni valoris; [107] sicut synagoga in deserto prius gustavit aquas amarissimas Mara, [108] postea dulcissimas ex petra [109] una cum manna coelesti. [110] Sic enim Deus electis suis tenebras convertit in lucem, noctem in diem, omnem amaritudinem in summam dulcedinem.

Deus electos suos prius tentat ut postea consoletur,

101) Ms.: *Chanatis.* 102) Cf. Ps 102, 8; Is 30, 18; Rom 2, 4; 2 Cor 9, 17.
103) Gn 6, 5-12. Ordine inverso affert hos vrr. 104) Hoc eruitur ex eo quod Scriptura videtur innuere dicens Noe, cum quingentorum esset annorum, genuisse Sem, Cham et Iaphet, cf. Gn 5, 31; tunc autem iussum fuisse arcam fabricare, cf. ibid. 6, 13; ingressum autem in arcam fuisse cum sexcentorum esset annorum, cf. ibid. 7, 6. 105) Cf. Ez 33, 11. 106) Cf. 1 Rg 1, 12-17. 107) Cf. Ruth 2, 14; 3, 11; 4, 1-13.
108) Cf. Ex 15, 22-25. 109) Cf. ibid. 17, 5-6. 110) Cf. ibid. 16, 4 sqq.

sicut egit hodie Christus cum chananaea.

Sicut Abraham celebravit diem festum magnumque et solemne convivium instruxit cum Isaac filium suum ablactavit,[111] sic hodie Christus magnam cordis laetitiam ostendit, cum amaritudinibus quibusdam ablactasset filiam suam hanc. Hodie enim simul et genuit et ablactavit et in mulierem perfectae aetatis perduxit, sicut Deus Evam perfectam mulierem formavit: *Aedificavit* eam *in mulierem.*[112]

Ostenditur quam utiles sint tribulationes ad conversionem animae.

Ostenditur hodie quam utiles aliquando sint tribulationes et amaritudines mundi huius; non enim egressa fuisset chananitis a finibus Tyri et Sidonis, nisi domi tribulationem magnam passa a daemonio fuisset. Vae cum nobis pro voto omnia feliciter succedunt! Nunquam Hebraei egressi fuissent ex Aegypto, nisi magna tribulatione pressi fuissent; sicut enim homo ludo deditissimus, si alea semper feliciter cedat, difficiliter abduci a ludo potest, facile autem si ei infeliciter multo cedere incipiat, sic utique nos difficillime a mundo divelleremur, si felicissime nobis cuncta succederent.

Docemur hodie Deum ab electis suis promptissimam obedientiam requirere

Videmus hic etiam quod Deus electos suos probat non secus ac magister equorum, peritissimus equiso: equum nactus generosae ac optimae indolis, rege dignum, fraeno, calcaribus, flagello exercet ut solutim incedat, ut regi optimam vectationem exhibeat absque ulla succussationis molestia; ut fraeno ad nutum obedientissimum reddat, aliquando, licet bene currat, fraeno retinet et calcaribus pungens ad dexteram vel ad sinistram quo magis libuerit vertit ac gyrat; nam quod in optimo equo vel maxime desideratur obedientia est, ut fraeno, habenis ac nutibus equitis promptissime obediat. Hoc est quod Deus ab electis suis requirit: promptissimam obedientiam, ut animus noster divinae voluntati in omnibus et per omnia subditus sit, conformis, uniformis. Nam tunc Deus *voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et salvos faciet eos;*[113] *Transivimus per ignem et aquam et eduxisti nos in refrigerium . . . quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum.*[114]

et nihil omnino esse quod non obtineat

Tandem docemur nil omnino esse quod a Deo non obtineat ardens, devota, humilisque oratio, si perseveret pulsans ad ostium divinae misericordiae. Nam, licet Deus differat aliquando postulata

111) Cf. Gn 21, 8. 112) Ibid. 2, 22. 113) Ps 144, 19. 114) Ps 65, 10-12. Ordine inverso affert hos vrr.

concedere, non id agit quasi nolit petita largiri, sed ut optatam gratiam multo perfectiorem ac locupletiorem petentibus donet, ita ut merita supplicum excedat et vota.[115]

oratio humilis et perseverans.

XI. Exhibet nobis chananaea imaginem triplicis status fidelis animae, sicut etiam virga Aaron, quae cum arida esset, germinare ac virescere coepit, deinde et frondescere, tandem fructus facere.[116] En triplex status incipientium, proficientium et perfectorum: dum chananaea egreditur a finibus Tyri et Sidonis, venit ad Christum et clamat ad eum, imaginem refert poenitentium et incipientium, qui divinam misericordiam implorant; dum amplius accedit ad Christum et adorans dicit: *Domine, adiuva me,*[117] et perseverat orans, statum proficientium; cum autem ei dicitur: *Mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*, statum refert perfectorum. Hac ratione fidelis anima dicitur *aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol.*[118] Hae sunt tres partes divini templi.[119]

Exhibet chananaea imaginem triplicis status in Ecclesia: incipientium, proficientium et perfectorum.

II. ALIA HOMILIA

I. Est Dominus noster sicut fluvius qui de paradiso egrediebatur ad irrigandam terram.[1] Egreditur ex Iudaea in Tyrum et Sidonem, qui de coelo in terram venit: *Exivi a Patre et veni in mundum.*[2] Magnus fluvius,[3] nam dividebatur in quattuor capita: In Christo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis,*[4] infinita in eo gratiarum copia: *Vidimus* eum *plenum gratia et veritate ... et de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia ;*[5] aqua nanque symbolum est divinae gratiae: *Qui ... biberit ex aqua, quam ego dabo ei ... fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.*[6]

Christus magnus fluvius est gratiae et misericordiae.

115) Cf. S. Gregorius M. *Liber Sacramentorum*, (P. L. 78, 181); Missale Rom. orat. Dom. 11 post Pent. 116) Cf. Nm 17, 6-8. 117) Mt 15, 25. 118) Ct 6, 9. 119) Cf. 3 Rg 6, 8.

1) Cf. Gn 2, 10. 2) Io 16, 28. 3) In margine haec adiecta fuerunt: « Fluvius Christus est, inquit Ambrosius libro *De Paradiso et Merito*, nam sic procedit a Deo sicut fluvius a fonte. Fluvius unicus irrigabat paradisum, sed divisus in quattuor capita mundum. Paradisum Christus perfecta consolatione et beatitudine replet. Beatitudo est « status omnium bonorum cumulatione perfectus ». Non sic Ecclesiam, sed *divisiones... gratiarum sunt, idem* vero *Spiritus... idem... Dominus... idem... Deus* ». 4) Col 2, 9. 5) Io 1, 14-16. Vulg.: *Plenum gratiae et veritatis.* 6) Ibid. 4, 13-14.

cui misericordiae Regius Vates tribuit omnia opera creationis et providentiae;

Significat aqua saepe in Sacris Litteris divinam misericordiam et gratiam divinasque consolationes: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei;* [7] *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos, quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen. Praetende misericordiam tuam scientibus te.* [8] De misericordia Dei ibi loquitur: *Domine, in coelo misericordia tua et veritas tua usque ad nubes... Homines et iumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* [9] Impertitur misericordiam Deus hominibus, impertitur animalibus, impertitur plantis, impertitur elementis: *Misericordia Domini plena est terra.* [10] Omnia, inquit, quae videntur in mundo, effectus sunt et opera misericordiae Dei, sicut alibi docuit Regius Vates integro *Psalmo* tribuens divinae misericordiae omnia opera Dei: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius. Confitemini Deo deorum... confitemini Domino dominorum,* Deo Trino et Uno, *quoniam in aeternum misericordia eius. Qui facit mirabilia magna solus... qui fecit coelos in intellectu... qui firmavit terram super aquas... qui fecit luminaria magna... solem in potestatem diei... lunam et stellas in potestatem noctis, quoniam in aeternum misericordia eius.* [11] Omnes creaturae, inquit, sunt effectus misericordiae Dei.

attamen chananaeam hanc misericordiam implorantem Christus videtur hodie repellere.

Sed *ecce mulier chananaea,* cuius anima erat sicut Regius Vates aiebat: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi,* [12] sitit hanc aquam, divinam misericordiam implorat: *Miserere mei, Domine fili David.* [13] Sed, o miraculum! *Non respondit ei verbum.* [14] Mirabatur Regius Vates exiccatum mare Rubrum, exiccatum Iordanem: *Quid est tibi, mare, quod fugisti? et tu, Iordanis, quia conversus es retrorsum?* [15] An non magnum flumen misericordia Dei, magnum mare, oceanus, diluvium maximum? *Miserebitur nostri... et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* [16] Sic ante thronum Dei magnum mare vidit Ioannes. [17] Quomodo nunc exiccatum apparet hoc mare? *Non respondit ei verbum.* Synagoga in saxo durissimo reperit infinitam copiam aquarum, [18] et chananaea aquam non invenit in mari? In ingressu templi erat mare aeneum, vas maximum semper

7) Ps 45, 5. 8) Ps 35, 9-11. 9) Ibid. vrr. 6-8. 10) Ps 32, 5. 11) Ps 135, 1-9. 12) Ps 142, 6. 13) Mt 15, 22. 14) Ibid. vr. 23. 15) Ps 113, 5. 16) Mich 7, 19. 17) Cf. Apc 4, 6. 18) Cf. Ex 17, 6; Nm 20, 11.

plenum magna aquarum copia, nam propterea *mare* dicebatur;[19] nunc ubi est aqua? Exhaustum est mare? exiccatum est? *Non respondit ei verbum.*

Etiam miseriae huius vitae opera sunt misericordiae Dei;

II. Sed tamen respondere videtur Regius Vates dicens quod etiam miseriae huius vitae sunt opera misericordiae Dei: *Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, quoniam in aeternum misericordia eius.*[20] Medicus dat amara pharmaca, amaras potiones ex pietate infirmo salutis causa; ab equite pungitur calcaribus, flagellatur equus dum in stadio curritur, sed ut accipiat bravium,[21] ut equi virtus declaretur. Sic afflicta chananaea hodie ad Christum cucurrit.

sic permisit chananaeam vexari ut ad Christum accederet.

Facit aliquando nobiscum Deus sicut nobilissimus eques, qui summopere delectatur equis optimis: videt transire per civitatem mercatorem cum equo, quem optimum novit, petit an vendere velit iusto pretio. Respondet ille: Placet mihi equus, pro mille aureis nummis non darem eum. Rogat ille ut vendere velit, quod daret utiliorem equum qui ipsi serviret. Persistit ille negando. Tunc eques amore captus equi, notat diversorium, pergit ad hospitem, rogat ut equum nocte clavo pede infixo laedat ut ambulare non possit; surgit mane mercator, videt[22] equum claudicare, infirmatum putat, poenitet quod non vendiderit equiti, tunc libenter venderet; adit equitem, sed ille morosum difficilemque se reddit, sed tandem emit quam libentissime. Sic egit hodie Christus cum chananitide: vexari permisit eam ut ad ipsum veniret, et cum venisset, hominem agit difficilem.

Afflictiones valde utiles sunt spiritui et magni pretii apud Deum,

Sunt afflictiones opera misericordiae Dei, quia spiritui valde utilia: *Virtus in infirmitate perficitur;*[23] *Tribulatio patientiam operatur, patientia . . . probationem;*[24] *Patientia . . . opus perfectum habet.*[25] Sunt apud Deum magni pretii, in paradiso lapilli sunt pretiosissimi, parvi quidem sed pretiosissimi, sicut adamantes, sicut pyropi, sicut margaritae sive uniones. Breves sunt tribulationes iustorum: *Ira in indignatione eius*, hebraice: *Ad momentum indignatio eius, et vita in propitiatione ipsius; ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia.*[26] Vix per noctem, inquit, durat iustorum afflictio, unde

19) Cf. 3 Rg 7, 23-44; 2 Par 4, 2-15. 20) Ps 135, 10. 21) Cf. 1 Cor 9, 24.
22) Ms.: *Vidit.* 23) 2 Cor 12, 9. 24) Rom 5, 3-4. 25) Iac 1, 4.
26) Ps 29 (hebr. 30), 6.

per Isaiam Dominus: *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te et in misericordia sempiterna misertus sum tui.* [27] Sic Paulus: *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* [28]

pro eis enim datur aeterna gloria.

In mundi creatione prius tenebras legimus et postea lucem, prius vespere et postea mane; [29] in populo Dei prius desertum asperum, postea terram lacte et melle fluentem: [30] *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* [31] In convivio ubi Christus est, vinum optimum in fine propinatur. Mundus contra agit: *Omnis homo prius bonum vinum [ponit]*, deinde *quod deterius est;* [32] primo vinum creticum datur, postea vinum commune in mundo. Deus autem semper meliora dat, sicut sol ab aurora usque ad meridiem dat semper maiorem et copiosiorem lucem; unde Salomon: *Iustorum ... semita quasi lux splendet* et *procedit et crescit usque ad perfectam diem,* [33] idest meridiem.

Deus differt exaudire petita fidelium, quia valde orationibus eorum delectatur.

III. Sed praecipua causa ob quam Deus saepe orationes fidelium exaudire differt ea est, quoniam oratio divinis auribus suavissima musica est, qua Deus summopere delectatur. Hinc ait: *Surge, amica mea, speciosa mea, et veni ; columba mea ... ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis et facies tua decora.* [34] Quam suavis est musica amantissimo sponso, cum sponsa in cubiculo sumpta fide aliquid canit in laudem sponsi sui, praesentibus amicis sponsi! Hinc ait: *Quae habitas in hortis, amici auscultant ; fac me audire vocem tuam.* [35] Regius Vates ad laudandum Deum citharam adhibebat: *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus ;* [36] *Psallam tibi in cithara, Sanctus Israel.* [37]

Oratio expellit satanam, quia musica est coelestis,

Laudans autem Dominum et citharam pulsans daemonem a Saul expellebat. [38] Non fert enim satanas suavem musicam et dulcem harmoniam in divinis laudibus audire, quoniam musica sacra speciem quandam exhibet paradisi; unde Ioannes musicam audivit in paradiso, sicut *citharoedorum citharizantium in citharis suis.* [39] Sic

27) 54, 8. 28) 2 Cor 4, 17. 29) Cf. Gn 1, 3-5. 30) Cf. Ex 3, 8. 17; 13, 5; 33, 3; Ios 5, 6. 31) Ps 65, 12. 32) Io 2, 10. Vulg.: *Primum bonum vinum.* 33) Prv 4, 18. Vulg.: *Quasi lux splendens,* etc. 34) Ct 2, 13-14. 35) Ibid. 8, 13. 36) Ps 42, 4. 37) Ps 70, 22. 38) Cf. 1 Rg 16, 23. 39) Apc 14, 2.

hodie chananitis sono huius citharae daemonem a filia expulit, ipsius oratio gratissima erat Christo sicut musica novae sponsae, nam utique nova Christi sponsa erat: *Desponsabo te mihi in fide ;* [40] *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Nova sponsa in suis ornatibus accessit ad Christum, sicut Rebecca ad Isaac ducta ab Eliezer, [41] sicut Esther ad Assuerum cum mundo muliebri gratiam petitura pro populo suo. [42] Virtutes autem sunt ornatus animi. Sic Isaias ait: *Induit me* Dominus *vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis ;* ideo, inquit, *anima mea exultabit in Deo meo,* [43] videns se mirabiliter ornatam.

et multis virtutibus animam exornat,

Venit igitur chananitis ad Christum sicut sponsa ornata viro suo. [44] O mirabilem ornatum! *Mulier... fiat tibi sicut vis.* [45] Non enim sola fide ornata venit ad Christum, nam ait: *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et in misericordia et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus.* [46] Sic multis virtutibus ornata chananaea ad Christum accessit et quoniam bene petiit, obtinuit.

sicut ostenditur in chananaea Christum exorante.

IV. Multis enim ait Iacobus apostolus: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.* [47] Sed quomodo bene petitur? Si bonum bene petatur: *Si quis... indiget sapientia,* idest gratia Dei, *postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter... postulet autem in fide nihil haesitans ;* [48] *Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis.* [49] Et quidem aliquando Deus statim exaudit orationem, sicut exaudivit orationem Eliezer, [50] orationem Salomonis, cui multo plura multoque maiora concessit quam vel petere vel desiderare posset; [51] aliquando differt ut perfectiorem gratiam concedat, sicut fecit cum Anna matre Samuelis, [52] cum Zacharia patre Ioannis Baptistae. [53] Et quidem aliquando Deus misericors negat quae iratus concedit, [54] sicut carnes concessit Hebraeis in deserto ad interitum, in

Ut oratio exaudiatur, bene petendum est,

40) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo*, etc. 41) Cf. Gn 24, 61 sqq. 42) Cf. Est 5, 12. 43) 61, 10. Vulg.: *Exultabit anima mea.* Ordine inverso affert hunc vr. 44) Cf. Apc 21, 2. 45) Mt 15, 28. 46) Os 2, 19-20. 47) 4, 3. 48) Ibid. 1, 5-6. 49) Mc 11, 24. Vulg.: *Quaecunque ... et evenient vobis.* 50) Cf. Gn 24, 1 sqq. 51) Cf. 3 Rg 3, 6-13; 2 Par 1, 8-12. 52) Cf. 1 Rg 1, 10-20; 2, 20-21. 53) Cf. Lc 1, 5-25. 54) Cf. S. Augustinus *Sermo 355*, (P. L. 39, 1567).

ipsorum perniciem. [55] Aliquando tardat Deus exaudire orationes, quia nos tardi fuimus ut divinas auscultaremus inspirationes et voces.

nam ad gratiam consequendam optima dispositio animi requiritur,

Multi ad fontem pergunt vel puteum aquae vivae ad hauriendam aquam, sed sine vase. Samaritana abiit ad hauriendam aquam cum hydria sua. [56] Ad gratiam consequendam requiritur optima animi dispositio: *Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui.* [57] Beatus Iob aiebat: *Quae est enim spes hypocritae?... Nunquid Deus audiet clamorem eius cum venerit super eum angustia? Aut poterit in Omnipotente delectari et invocare Deum omni tempore?* [58] Qui malo animo, mala praeditus est voluntate, indignus est aliquid a Domino obtinere. Chananaea *a finibus illis egressa* clamavit ad Dominum. Relictis vitiis ex animo, meretur a Domino exaudiri in suis orationibus fidelis anima in tribulatione posita; perseverat autem patienter et longanimiter donec exaudiatur a Domino: *Expectans expectavi Dominum et intendit mihi et exaudivit preces meas et eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis,* [59] idest de magna tribulatione liberavit me. Non sic Saul, qui videns quod a Domino non exaudiebatur, abiit ad pythonissam, ad magam, ad mulierem malis artibus imbutam, quae cum malis spiritibus habebat negotium. [60]

conscientia pura et patiens perseverantia in oratione.

55) Cf. Nm 17, 4-33. 56) Cf. Io 4, 7. 57) Ps 36, 4. 58) 27, 8-10.
59) Ps 39, 1. 60) Cf. 1 Rg 27, 7-8.

FERIA SEXTA
POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

Prope *erat dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis probatica piscina*, etc.[1]

I. Dum mente et spiritu una cum Christo mirabile xenodochium sacrae piscinae ingredior et mentis oculos figo in hunc miserabilem languidum, qui in peccati sui poenam ad talem tantamque miseriam devenerat: Vidit ibi hominem *triginta et octo annos* habentem *in infirmitate sua*,[2] et ex altera parte dum primi hominis statum felicissimum considero in paradiso, videre mihi videor mirabilem illam statuam Danielis, quam modicus lapis confregit et redegit in pulverem,[3] aut arborem illam maximam et pulcherrimam ad miraculum, quae in somnis Nabuchodonosor divinitus ostensa fuit, sed statim Dei sententia post momentum temporis, magna securi praecisis ramis omnibus et trunco etiam succiso, ad nihilum redacta fuit, radicibus tantum in terra relictis, sed ferreis vinculis colligatis.[4] Statua illa imperium mundi designabat et arbor totius orbis monarchia.

Languidus hodiernus mysterium repraesentat, sicut statua et arbor Nabuchodonosor.

Quis nesciat quod homo constitutus fuit a Deo totius mundi unicus imperator et monarcha? *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae.*[5] Hinc Regius Vates: *Quid est homo quod memor es eius?... Minuisti eum paulo minus a Deo, gloria*

Homo constitutus fuit a Deo totius mundi monarcha.

1) Pericope huius diei Io 5, 1-15. Cf. Missale Rom. 2) Ibid. vr. 5. 3) Cf. 2, 31-35. 4) Cf. ibid. 4, 7-23. 5) Gn 1, 26. Vulg.: *Et praesit piscibus*, etc.

et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius. [6]

sed per peccatum a statu summae felicitatis in maximam miseriam devenit,

Erat tunc homo pulcherrima Dei imago, divinum simulacrum, luna erat plena, quae alter sol in coelo videbatur; sed per peccatum eclipsata, luminis maximum deliquium passa, a statu summae felicitatis devenit ad statum maximae infelicitatis et miseriae. Accidit sicut Ioachimo regi Iudaeorum, qui captus a rege Chaldaeorum ductusque captivus in Babylonem, coniectus fuit in carcerem; [7] sicut Ruben primo filio Iacob, cui cum tanquam primogenito deberetur ius primogeniturae, sacerdotium et regnum, tamen ob peccatum omni dignitate privatus fuit. Hinc dixit ei pater: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea et principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio;* sed *sicut aqua effusus es, quia ascendisti cubile patris tui.* [8] *Effusus es*, inquit, *sicut aqua*. Vas plenum vino aut oleo, melle aut lacte, si effundatur, remanet aliquod signum in eo; si autem effundatur aqua, nullum relinquit signum coloris, odoris et saporis. Sic Adam sicut aqua effusus fuit, eiectus nanque ex paradiso, nec signum remansit in eo pristinae dignitatis et felicitatis divinaeque gloriae, qua donatus fuerat. [9]

et velut alter Nabuchodonosor in bestiam transmutatus fuit,

Accidit ei sicut Nabuchodonosor, qui ob peccatum regno privatus, mirabili quodam sed miserabili metamorphosi in bestiam transmutatus fuit: [10] *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis;* [11] ex summo, maximo et potentissimo rege pauperrimus agricola evasit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* [12]

Imo adhuc miserabilior effectus.

Imo, quid dico? Rem incredibilem, sed verissimam: quis unquam posset credere quod rex potentissimus eo devenire posset infelicitatis et miseriae, ut hospitali opus haberet, ut ibi summa cum miseria vitam finiret? Ecce homo hodie in hospitali, nam piscina haec xenodochium erat Ierosolymae, hinc dicitur *Bethesdah*, [13] d o m u s p i e t a t i s, hinc in eius porticibus *iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum.* [14] Videtis miserabile hospitale incurabilium infirmorum!

6) Ps 8, 5-8. Ex hebraico. 7) Cf. 4 Rg 24, 10-15. 8) Gn 49, 3-4. Vulg.: *Effusus es sicut aqua*, etc. 9) Cf. ibid. 3, 17 sqq. 10) Cf. Dn 4, 30. 11) Ps 48, 13. 21. 12) Gn 3, 19. Ex hebraico. 13) Ex hebraico: בֵּית חֶסְדָּא. 14) Io 5, 3.

II. Et ecce vidit ibi hominem *triginta et octo annos* habentem *in infirmitate sua.* Homo hic humanum genus utique significat, electorum sortem, illam hominum multitudinem qui nati fuissent si homo non peccasset; non enim omnes nati fuissent si Adam non peccasset, nam ait ad mulierem: *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos ;*[15] electi tantum nati fuissent; nunc autem *multi... sunt vocati, pauci vero electi.*[16] Hinc ex tanta languentium multitudine unum tantum curat hodie Dominus: *Quos... praedestinavit... hos et vocavit et... iustificavit... et magnificavit.*[17] Homo ergo ob peccatum ex paradiso eiectus hodie in hospitali miserabili cernitur. Accidit homini sicut filio prodigo:[18] ad infinitam calamitatem et infelicissimum statum miseriae homo per peccatum devenit. Hinc homini huic Dominus ait: *Noli* amplius *peccare ne deterius tibi aliquid contingat.*[19]

Languidus hic humanum genus figurat e paradiso eiectum.

Nam peccato duplex statuta est poena: temporalis et aeterna; temporalis in hoc mundo, aeterna in inferno; temporalis est virga vigilans, aeterna olla succensa.[20] Videmus igitur in hac piscina fructus malae, imo pessimae arboris peccati, eius effectus amarissimos: *In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum :* en miseriarum abyssus.

Duplex poena peccato statuta est: temporalis et aeterna.

Vidit ibi hominem *triginta et octo annos* habentem *in infirmitate sua ;* hominem vidit, sed pauperem, infirmum, miserabilem, sicut ille qui descendens *ab Ierusalem in Iericho... incidit in latrones, qui... despoliaverunt eum et, plagis impositis, abierunt, semivivo relicto.*[21] Duo nanque haec facit peccatum: hominem spoliat privatque habitu gratiae et caritatis, omnibus supernaturalibus et spiritualibus bonis, in quibus sanitas et integritas spiritus consistit; naturalia autem bona etsi non omnino perdit usque ad mortem quae hominem occidit, multis tamen calamitatibus et miseriis vulnerat et plagat. Accidit homini sicut Iob, qui diaboli opera ad extremum infelicitatis et miseriae statum redactus fuit, bonis omnibus spoliatus et incurabilibus plagis toto corpore affectus et infectus.[22] Sic homo iste totus erat miserabilis: *A planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas;*[23] nullum remansisse videtur in homine pristinae dignitatis,

nam peccatum hominem spoliat habitu gratiae et miseriis naturam etiam plagat.

15) Gn 3, 16. De hac quaestione cf. Scotus 2 *Sentent.*, dist. 20, q. 2. 16) Mt 20, 16; 22, 14. 17) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Glorificavit. Magnificavit* lect. cod. 18) Cf. Lc 15, 12-17. 19) Io 5, 14. 20) Cf. Ier 1, 11-13. 21) Lc 10, 30. 22) Cf. Iob 1, 13-2, 1 sqq. 23) Is 1, 6.

magnitudinis et gloriae indicium, sicut in Iob, ita ut non agnoscerent eum amici et familiares ipsius, sicut in statua, sicut in arbore Nabuchodonosor.

Moyses magnifice exaltat excellentiam hominis super alias creaturas

III. In Sacris Litteris dum hominem legimus *ad imaginem et similitudinem Dei* creatum et formatum, idest Deo similem ac veluti filium in quo relucet patris imago, sapientissimus Moyses, sapientum alpha et coryphaeus,[24] multa dicit et docet, quibus veluti excellentissimus pictor vivis coloribus depingit nobis dignitatem, nobilitatem, excellentiam ac, ut ita dicam, praerogativas hominis super alias creaturas. Quod homo sit ultimum et perfectissimum opus divinae artis et sapientiae, nam ad perfectiora semper processit Deus; quod sit finis creationis mundi huius corporei, nam in hominis ministerium coelum et terram creavit cum omnibus quae in eis sunt;[25] quod modo nobilissimo conditus sit, summo cum consilio: *Faciamus hominem*, non: Fiat homo, sicut: *Fiat lux... fiant luminaria;*[26] tota simul Trinitas ad hoc opus se parat, consultatione, ut ita dicam, et matura deliberatione praemissa, ut fieri solet in rebus maximi momenti; quod opus est non naturae creatae, sed increatae; non ait: *Producat terra... producant aquae,*[27] sed: *Creavit Deus hominem;*[28] *Formavit... hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem;*[29] suis manibus voluit hominem formare: *Manus tuae*, Domine, *fecerunt me;*[30] quod contulerit ei donum immortalitatis in corpore, donum gratiae, sanctitatis, iustitiae originalis, angelicae puritatis et innocentiae in anima, hinc nudi cum essent *non erubescebant;*[31] quod contulerit ei donum felicitatis, statuens eos in paradiso voluptatis; quod dederit ei donum naturalium scientiarum, cognitionem omnium rerum creatarum;[32] quod impleverit eum spiritu prophetiae, revelans ei mysterium Trinitatis et futurae incarnationis Verbi,[33] nam prophetavit dicens: *Relinquet homo patrem... et matrem et adhaerebit uxori suae,*[34] Paulus autem ait: *Sacramentum hoc magnum est.... in Christo*

quoad naturam et gratiam, quoad dotes animae et corporis,

quoad scientiam rerum naturalium et supernaturalium

24) Modus proverbialis pro primo, maximo. Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 819.
25) Cf. Dt 4, 19. 26) Gn 1, 3-14. 27) Ibid. vrr. 20-24. Ordine inverso affert has pericopas. 28) Ibid. vr. 27. 29) Ibid. 2, 7. 30) Iob 10, 8.
31) Gn 2, 25. 32) Cf. ibid. vrr. 15. 20. 33) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 2ª 2ªᵉ, q. 2, a. 6. 34) Gn 2, 24.

et in Ecclesia ; [35] [quod] dederit ei totius mundi imperium: *Dominetur piscibus maris*, etc.; quod angelicam custodiam ei adhibuerit: *Angelis suis* Deus *mandavit de te*, etc.; [36] quod amicitia, gratia et familiaritate sua eum dignatus fuerit, saepe apparens ei in specie et figura humana eique unici Filii sui incarnationem promiserit; [37] et tandem quod ad aeternam beatitudinem in coelo eum destinaverit regnique coelestis heredem eum constituerit.

et quoad aeternam beatitudinem.

Tredecim sunt hominis praerogativae, sed praecipuae sunt immortalitas, sanctitas, felicitas et potestas dignitasque universalis, nam ob haec singulariter homo tunc Deo similis dicebatur. Nam Deus aeternus est, sanctus, beatus et dominus universi; in hoc autem homine nihil horum cernitur, sed pauperrimus est, infelicissimus, peccatis onustus et morti subiectus vicinusque.

Haec autem omnia homo amisit propter peccatum,

Nec tantum magna est hominis huius miseria, sed etiam diuturna, longissima: *Triginta et octo annos habens in infirmitate sua*, usquequo Christus ad eum venit. Peccatum non tantum magnam, sed etiam perpetuam meretur poenam. Sic ait homini Deus: *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi ... in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitae tuae ... donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris.* [38]

usquequo Christus venit ad eum salvandum.

IV. Sed trigesimo octavo anno postquam homo in infirmitatem incidit ob peccatum, venit ad eum Christus. Siquidem apud Ezechielem legimus diem datum pro anno; [39] si annum accipiemus pro centuria annorum, sic ter millesimo et octingentesimo circiter anno venit Christus in mundum. Nam ab Adam usque ad Abraham tempus bis mille annorum cucurrit, ab Abraham vero usque ad Christum mille octingentorum circiter annorum; nongenti usque ad primam templi aedificationem, aliique nongenti usque ad Christum.

Christus solus poterat hominem pristinae saluti restituere,

Antequam autem veniret Christus, Angeli opera *secundum tempus* sanabatur unus ab omni infirmitate. [40] Sic in Veteri Testamento legimus Spiritus Sancti divina operatione de tempore in tempus sanctos aliquos singulares apparuisse in mundum, uti fuit Abel [41]

quod facere nequiverant Sancti Veteris Legis;

35) Eph 5, 32. 36) Ps 90, 11. 37) Cf. Gn 3, 8-15. 38) Ibid. vrr. 17-19. Vulg.: *Cunctis diebus*, etc. Ordine inverso affert hos vrr. 39) Cf. 4, 6. 40) Io 5, 4. 41) Cf. Gn 4, 2-4; Hebr 11, 4.

et post eum Seth et post hunc Enos, deinde Enoch, Noe,[42] Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses, Iosue, Gedeon, Samuel, David, Elias, Eliseus et alii;[43] siquidem nulla fere aetas reperitur in qua non floruerit et splenduerit sanctus aliquis patriarcha aut propheta, quousque tandem Christus, *magni consilii Angelus*,[44] venit in mundum ad hominem pristinae saluti divino miraculo restituendum.

unde videmus hodie fructus peccati Adae et gratiae Christi,

Sic videmus hodie in hac sacra piscina non solum amarissimos fructus peccati Adami, sed etiam fructum suavissimum gratiae Christi, quae, ut Paulus docet, multo efficacior fuit ad salvandum quam Adami peccatum ad perdendum et damnandum. Ait enim Paulus *ad Romanos*, quod: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*[45] Nam omnes eramus in Adamo tanquam in radice, sicut in hieme sunt virtute in arbore omnes frondes, flores et fructus veris, aestatis et autumni. Tunc ait Paulus: *Si... in unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis... in plures abundavit.* Et *si... in unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per... Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.*[46] Caput influit in omnia membra corporis sui sensum et motum; sic Christus in totum corpus Ecclesiae, sicut Adam in universam naturam humanam tanquam caput et radix ipsius.

ad quod alludit etiam Divus Paulus.

Figura huius mysterii fuit templum Salomonis aedificatum, destructum et reparatum.

V. Accidit humanae naturae sicut templo Salomonis, de quo tria legimus: aedificationem operosissimam ac magnificentissimam extructionem,[47] ruinam et destructionem per regem Babylonis,[48] et tandem, soluta per Cyrum babylonica captivitate, reaedificationem ac reparationem,[49] de qua per Prophetam dictum fuit: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae*, nam: *Meum*

42) Cf. Gn 5, 3 sqq. 43) Cf. Eccli 44, 16-50, 1-23. 44) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 45) 5, 12. Vulg.: *Peccatum in hunc mundum intravit*, etc. 46) Ibid. vrr. 15-18. *In unius delicto* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis*. In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, *in* expunctum fuit. 47) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 2 Par 3, 11-4, 1 sqq. 48) Cf. 4 Rg 25, 8-17; 2 Par 36, 17-19. 49) Cf. 2 Par 36, 23; 1 Esr 6, 1 sqq.

est, inquit, *argentum et meum est aurum.* [50] Sic de humana natura tria haec legimus in Sacris Litteris: conditionem a Deo, ruinam a satana per peccatum, reparationem a Christo. Sed *magna erit gloria domus ... novissimae magis quam primae*, maior est enim gloria coelestis paradisi quam per Christi gratiam consequitur homo, quam gloria paradisi terrestris quam per Adami peccatum amisit.

Zorobabel, Iesus, Esdras, Nehemias Christum designabant,

Reparatum autem fuit templum per Zorobabelem principem, Iesum pontificem, Esdram et Nehemiam, in quibus omnibus Christus designabatur. Ipse enim verus Zorobabel, a l i e n u s a c o n f u s i o n e peccati, agnus immaculatus, *qui tollit peccata mundi*, [51] *Sol iustitiae;* [52] ipse Iesus, s a l v a t o r : *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* [53] ipse Esdras, d i v i n u s a u x i l i a t o r, et tandem Nehemias, c o n s o l a t o r d i v i n u s. [54]

qui sine peccato venit in mundum,

Tandem se hodie Christus exhibet sine peccato; nam peccatum describitur per descensum ab Ierusalem in Iericho, Christus autem ascendit Ierosolymam. Haec fuit ruina humani generis, quia descendit homo *ab Ierusalem* civitate sancta in Iericho civitatem anathematizatam a Deo, [55] et *incidit in latrones* daemones, qui eum *despoliaverunt* gratia et virtutum supernaturalium habitibus, *et plagis impositis* in bonis naturalibus, *abierunt semivivo relicto.*

seipsum Salvatorem exhibens homini in talem miseriam lapso.

Ecce Christus samaritanus clementissimus homini huic infelicissimo seipsum exhibet adiutorem, consolatorem et salvatorem. Egebat homo iste adiutore: *Hominem non habeo* [56] qui me adiuvet, qui me consoletur; egebat salvatore, Angelo coelesti, a quo sanari poterat *a quacunque detinebatur infirmitate*. Christus non tantum adiutorem se ei et consolatorem offert, sed verum salvatorem. Sic totum hominem sanum fecit in sabbato: [57] *Ecce* iam *sanus factus es.* [58] Nec tantum sanitatem dedit ei, verum etiam vires robustas; statim enim sanus surrexit et viribus validis praeditus, unde tulit grabatum suum et abiit. [59]

VI. Et quidem magna usus est hodie misericordia Christus cum homine isto, nam non requisitus obtulit salutem: *Vis sanus fie-*

50) Agg 2, 9-10. Vulg.: *Plusquam primae*, etc. Ordine inverso affert hos vrr. 51) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi*. *Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 52) Mal 4, 2. 53) Mt 1, 21. 54) Sic latine haec nomina interpretantur. 55) Cf. Ios 6, 26. 56) Io 5, 7. 57) Cf. ibid. 7, 23. 58) Ibid. 5, 14. 59) Cf. ibid. vr. 9.

Ostenditur magna misericordia Christi erga languidum.

ri?[60] Infirmabatur Ezechias rex ad mortem, multis autem lacrimis et precibus obtinuit a Deo vitam et salutem, intercedente etiam pro eo Isaia; sed ut curaretur ab ulcere usus fuit Isaias, tanquam coelestis medicus, massa ficuum cataplasmate facto ex caricis, emplastro ex dulci suavique materia.[61] Christus autem verus est Isaias, d i v i n u s s a l v a t o r ,[62] qui ad nos curandos suavissimo utitur cataplasmate misericordiae suae, quoniam ipsamet misericordia ipse est, ipsa Dei dulcedo: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus;*[63] *Dulcis et rectus Dominus;*[64] *Suavis Dominus universis.*[65]

Mirifice loquitur S. Scriptura de misericordia Christi,

I s a i a s p r o p h e t a de Christo ait quod butyrum et mel comesturus esset: *Vocabitur nomen eius Emmanuel, butyrum et mel comedet,*[66] ad designandum quod nonnisi dulci misericordia delectaretur. Sponsa in *Canticis* nonnisi dulcissimis ac suavissimis rebus Christum comparat: *Fasciculus myrrhae,* idest odoratissimus, ex suaveolentissimis floribus, *dilectus meus . . . inter ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus . . . in vineis Engaddi,*[67] botrus uvae iam maturae, similis illi quem exploratores exportarunt de terra promissionis.[68] Aliquando arbori eum comparat fructus suaves producenti: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios; sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.*[69] Aliquando favum mellis appellat: *Comedi favum cum melle meo;*[70] *Guttur illius suavissimum et totus desiderabilis;*[71] *Meliora sunt ubera tua, amores tui, vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum,* unguentum, balsamum effusionis fragrantissimum ac suaveolentissimum, spirans suavissimum odorem, *nomen tuum,*[72] fama tua; nil, inquit, dulcius aut suavius excogitari potest.

eum comparans fasciculo myrrhae, arbori suavissimos fructus producenti,

favo mellis, balsamo

De seipso ait ipse: *Ego sum panis . . . qui de coelo descendi,*[73] ad manna suavissimum Angelorum panem alludens,[74] ad designandam dulcedinem divinae bonitatis suae. A sponsa comparatur malo, cuius fructus, maxime in Palaestina, pulcherrimus est, candidus et rubicundus oculis pulcritudine, olfactui odore suavissimo, gustui sapore melleo, tactui aequabilissima lenitate gratissimus est, ita ut

et malo.

60) Ibid. vr. 6. 61) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1-8. 62) Sic latine *Isaias* interpretatur. 63) Ps 33, 9. 64) Ps 24, 8. 65) Ps 144, 9. 66) 7, 15. 67) 1, 12-13. 68) Cf. Nm 13, 22-25. 69) Ct 2, 3. 70) Ibid. 5, 1. 71) Ibid. vr. 16. 72) Ibid. 1, 1-2. Ex hebraico. 73) Io 6, 41. 51. 74) Cf. Sap 16, 20.

omnes fere sensus suavissime pascat. Sic Christus totus dulcedo est, verus Nehemias, c o n s o l a t o r, consolatio ipsa, templum Domini reparans.

VII. Templi huius ruina praevisa fere in causa fuit ne crearetur homo; nam hoc significat divina illa consultatio: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Consultatio nanque fit in rebus magni momenti; cum magnum aliquod timetur periculum aut ingens malum, tunc sapientes et consiliarii regni pacis ac belli inter se consultant, ut quod melius est eligatur utque superventuris periculis convenientia remedia praeparentur aut provideantur. Aliquando autem talis occurrit difficultas, ut quisque vehementer haesitet quid agendum.

Praevisio ruinae hominis fere in causa fuit ne ipse crearetur,

Accidisse autem tunc mihi videtur veluti si rex disponat solatii et recreationis causa in saltu palatium regale construere magnificentissimum, cum omnibus deliciis quae excogitari possunt; sed adhibenda consultatio est an in tali loco extruendum sit, nam in magno semper erit periculo ab inimico regis capitali ne, absoluto palatio, veniat cum exercitu illudque diruat et evertat, ita ut postmodum poenitere possit rex se tali situ ac loco tale tantumque palatium aedificasse cum tanto impendio; sed post multas consultationes, filius regis summa sapientia ac animo vere regio dicat: Sacra Maiestas poterit utique solatii sui causa palatium ut disposuit fabricare, nam alioquin ad quid saltus ille tam aptus venationi atque solatiis? Si inimicus illud aggressus fuerit atque demolitus, ego reparabo, ego postea illud communiam ac etiam inhabitabo, ut nullum amplius periculum timendum sit.

sicut eruitur ex consultatione a Deo habita in illius creatione;

Sic concluditur ut fiat palatium, sicut rex Salomon palatium sibi aedificavit in saltu.[75] Sic conclusum fuit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Factus enim fuit homo ut in ipso Deus per fidem et gratiam inhabitaret. Periculum timebatur a satana, sicut vere accidit, unde postea legimus quod videns Dominus Deus multam malitiam hominum in terra, *poenituit eum quod hominem fecisset in terra,*[76] quod palatium hoc tali loco fundaverit et tanto

sed licet praevisum peccatum fuisset, Deus statuit hominem creare et postea reparare,

75) Cf. 3 Rg 7, 2. 76) Gn 6, 5-6.

cum impendio egerit atque peregerit. Ideo hoc praevidens, quodammodo dubius ac haesitans fuit an deberet hominem creare necne. Sed Filius: Ad quid mundum creasse, si non creatur homo? *Faciamus hominem*, construamus palatium hoc. Si inimicus noster satanas demolitus illud fuerit, ego reparabo, ego reaedificabo.

quod Christus egit virtute sua.

Fuit hodie palatium hoc divinitatis, opera satanae funditus eversum per peccatum, Christi opera reparatum. En palatium templumque eversum: Vidit ibi hominem *triginta et octo annos* habentem *in infirmitate sua.* Vidit ibi, in hospitali, in xenodochio; sed virtute sua reparavit aedificium hoc: *Vis sanus fieri?... Statim sanus factus est homo ille.* [77] Hanc ob causam tam promptus fuit Christus ad curandos infirmos, mortuos etiam suscitandos, quoniam ipse susceperat opus reparationis humanae naturae. Quoniam autem per peccatum eversum fuit hoc Dei domicilium, *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Ideo oportuit eum esse sine peccato,

secus enim non potuisset peccatores liberare.

Reparator templi fuit Zorobabel, a l i e n u s a c o n f u s i o n e; Christus sine peccato. Quomodo enim a peccato nos liberare potuisset, si peccator extitisset? Quomodo sol posset tenebras depellere, si obscurus esset instar eclipsatae lunae? Quomodo ignis calefaceret, si frigidus esset? Quomodo sal daret rebus saporem, si insipidus esset? Quia Zorobabel alienus a peccato, sicut sol a tenebris, propterea Iesus salvator a peccatis: *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Infirmus infirmo simili morbo laborans opem ferre non potest: *Hominem non habeo,* nam omnes ibi erant infirmi: *Iacebat multitudo magna languentium.* Hinc divinus hic auxiliator sanus est, liber a quacunque infirmitate, sicut Angelus descendens ut sanaretur unus a quacunque detineretur infirmitate.

77) Io 5, 9.

II. ALIA HOMILIA

Vis sanus fieri?... Statim sanus factus est homo ille. [1] *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* [2]

I. Voluit divina misericordia et clementia, fratres, ut homo facillimo negotio salutem vitamque aeternam consequi posset. Quid enim quaesivit ab hoc languido Christus ut optatissimam consequeretur sanitatem? Unum tantummodo: *Vis sanus fieri?* Et quis infirmus sanitatem non cupit? Reperitur aliquando in xenodochiis pauper, non necessitate sed pravitate, qui, ne manuum suarum labore victum sibi acquirat, fingit infirmitatem et, si quam habet, nutrit, adauget, inflictis etiam vulneribus, quoniam ex ea tanquam ex possessione sua victum sperat, proventum ad vitae stipem, satagens plagarum suarum ostentatione oculos animosque hominum ad pietatem erga se permovere et invitare, importunis etiam clamoribus, quibus fortunam ac necessitatem suam commiserantur.

Deus ut hominem salvet, tantummodo desiderium salutis ab eo requirit,

At languidus iste non erat de hoc numero; sanitatem avidissime tanquam inaestimabilem thesaurum cupiebat, sicut ardentissima siti laborans potum optimum desiderat, et vehementer esuriens magnaque fame excruciatus cibum. Ab hoc nonnisi desiderium salutis requirit dicens: *Vis sanus fieri?*

sicut ardentissime cupiebat languidus iste.

Magnum sane privilegium, angelis peccantibus minime concessum; [3] fuit enim Angelorum ruina irreparabilis, hominis vero reparabilis per Christum et poenitentiam peccatorum: *Vis sanus fieri?... Et statim sanus factus est homo ille*, mox ut bonam voluntatem ostendit, non enim nisi bonam voluntatem a nobis requirit, cetera ipse dat; imo quid dico? Deus est qui dat etiam bonam voluntatem, ut ait Apostolus: Dat *velle et perficere pro bona voluntate.* [4]

Non enim nisi bonam voluntatem a nobis exigit;

Imo nonnisi malam voluntatem requirit a nobis; hanc demus ei, nam malus animus inimicus Dei est, rebellis relegatus in exilio a regno Dei. Qui inimicum hunc dat in manus Dei, rem Deo agit gratissimam. Nam quid agit peccator in sacramentali Confessione? Deo

imo ipsam quoque malam voluntatem vult ut illi tradamus,

1) Io 5, 6-9. 2) Ibid. vr. 14. 3) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 4) Phil 2, 13.

peccata sua dat et malam voluntatem malumque animum ei tradit in manus. Hinc ait hodie Christus homini huic sanato in corpore et iustificato ac sanctificato in spiritu: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Si Deo semel dedisti inimicum in manus ipsius, ne repetas, ne iterum in domum tuam inimicum Dei recipias. Ait hodie Christus homini huic, sicut dixit Angelus Loth egresso a Sodomis, ne in incendio periret: Salvare in monte, ne respicias retro; quod quia ipsius uxor minime servavit, divino miraculo in statuam salis conversa fuit.[5] Ne canis instar revertaris ad vomitum, et tanquam *sus lota ad volutabrum luti.*[6]

quia mala voluntas inimica est salutis et ad interitum perducit.

Quam parum est, fratres, quod a nobis Deus requirit ad dandam nobis gratiam suam vitamque sempiternam! Utinam modicum hoc praestemus, ut salutem consequamur! Mala voluntas in anima, fratres, est sicut cacochymia, malus humor in corpore, hominem sua malignitate interimens, nisi vel per vomitum, vel aliquo alio modo a corpore expellatur. Multi sunt autem qui nullum precibus adhibere volunt remedium ad morbum repellendum, sed multa agunt quae humores peccantes fovent et adaugent, sicut febricitantes frigida aqua delectati, sitientes bibunt maioresque in stomacho cruditates ingenerant nulloque adhibito remedio sanitatem amentissime sperant.

Facillima via nobis paratur ad salutem, idest peccatorum confessio.

II. Fratres mei, facillima via parata est nobis ad salutem consequendam, si tam facile consequi possumus corporalem sanitatem, morbosque incurabiles depellere sola relatione morborum medico facta. Si multo aere alieno gravati hac ratione tantum possent a principe creditore absolvi ab omni obligatione et debito; si reus quisque, licet multis delictis et criminibus laesae maiestatis oneratus, hac via posset absolvi, tantum ut iudici in secreto confiteretur se delicta illa ac facinora perpetrasse, quis unquam esset infirmus? quis pro debitis in carcerem coniectus? quis pro delictis ultimo supplicio damnatus? Ah, fratres, nos tanti cum faciamus curam corporis et mundanarum rerum, animam nostram salutemque aeternam nihil pendimus!

et tamen etiam tanta gratia spernitur.

Si in Sacramentis sanctissimis daretur aurum, sicut datur gratia coelestis et salus animae, quanta esset populi frequentia in Ecclesiis, si quisque a sacerdote, vel ab altari, vel ab oratione discederet cum

5) Cf. Gn 19, 17-26. 6) 2 Petr 2, 22. Vulg.: *In volutabro luti.*

marsupio [7] divinitus pleno argentea aut aurea pecunia! Nos miseros qui pluris facimus pecuniam quam Dei gratiam et animae nostrae salutem!

Sed haec est origo et radix malorum omnium, fratres: existimamus difficilem admodum esse viam salutis, nam ait: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula.* [8] Et grave quidem, imo impossibile fuisset languido, et tali languido, diuturno languore triginta et octo annorum viribus exhausto, extenuatissimo, surgere a lecto, nedum ambulare, sed onere gravatus iter agere. Infirmus adeo ut prius erat, haec agere non potuisset; sed sanato et validis viribus donato ac praedito facillimum fuit.

quia difficilis admodum existimatur vita spiritualis.

Quaeso, fratres, dicite, quidnam iucundius existimatis fuisse huic homini: iacere in lecto cum ea qua prius detinebatur infirmitate, an surgere, tollere grabatum suum et in domum suam abire, divino miraculo accepta sanitate et robustis viribus? Procul dubio dicetis hoc posterius fuisse illi multo iucundius. Ita dico, fratres, accepta per Christum a Deo remissione peccatorum et gratia, quae non datur sine virtutibus ac donis Spiritus Sancti, in quibus fortitudo spiritus consistit, fortitudo utique Samsonis, [9] multo iucundior est vita spiritualis quam carnalis et mundana; facillime agit quae prius impossibilia videbantur: abstinere a voluptatibus et libidinibus, ieiunare, orare, spiritualibus exercitiis operam dare aliaque huiusmodi, nedum facilia, sed iucundissima videntur; et homo iste sua sponte inventus est in templo, in domo Dei, in loco orationis. [10]

Accepta gratia et remissione peccatorum, vita spirituali iucunda redditur.

Diximus, fratres, quod bonam voluntatem requirit a nobis Deus et non remissam, tepidam, languidam instar arcus laxati et lenti; qui enim arcum laxatum habet lenta chorda, licet in scopum dirigat sagittas, ad scopum tamen pervenire minime possunt, nam multo maior vis requiritur. Tenso opus est arcu, tensa chorda, voluntate bona sed efficaci, desiderio ardenti, ut esuriamus et sitiamus iustitiam. [11]

sed bona voluntas requiritur, efficax et ardenter cupiens salutem.

III. *Ascendit Iesus Ierosolymam.* [12] Saepe legimus Dominum ascendisse, descendisse vero quam raro. Semel legimus quod descendit

7) Ms.: *Marsupium.* 8) Io 5, 8. 9) Cf. Idc 14, 6-19; 15, 8-15; 16, 1-30.
10) Cf. Io 5, 14. 11) Cf. Mt 5, 6. 12) Io 5, 1.

Christus ascendens Ierosolymam docet recte moderandos esse affectus nostros.

ab Ierusalem in Nazareth: *Descendit cum eis . . . et erat subditus illis;* [13] sed diffugere videbatur hunc descensum, nam remansit in Ierusalem per triduum dicens: *Quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse.* [14] In ascensu autem Ierusalem legimus quod praecedebat discipulos suos. [15] Prudens eques, si equo effreni insideat et descendendum illi est ab alto deorsum, a monte in vallem, cavet ne calcaribus pungat equum, nam facile in praecipitium ruet. Si autem sursum eundum est, urget calcaribus et flagello multisque clamoribus. Sic noster moderandus affectus est.

Deus accendit in nobis sancta desideria, satanas autem ea extinguere conatur.

Vis sanus fieri? Excitat saepe Deus in nobis sanctas cogitationes, desideria bona, voluntatem et animum recte et sancte vivendi. Satanas autem agit nobiscum sicut Pharao cum Hebraeis: necabat omnes masculos, servabat autem femellas. [16] Desideria spiritus filii sunt masculi, desideria autem carnis femellae sunt imbelles, ad delicias, ad otia, ad voluptates, ad libidinem natae. Hasce cogitationes et affectiones servat nutritque Pharao, enecat autem et perdit sanctas cogitationes et desideria salutaria. *Vis sanus fieri?* Hanc bonam voluntatem summopere odit, quam Deus desiderat et requirit expectatque a nobis: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* [17]

Tria Christus praecipit languido, quae figurant tria capita vitae christianae.

IV. *Surge, tolle lectum tuum et vade;* [18] *Tolle grabatum tuum et ambula; et statim sanus factus est... et tulit grabatum suum.* [19] Tria praecipit ei Christus: ut surgat a lecto sanus salvusque, ut in signum sanitatis et salutis viriumque et roboris divinitus accepti tollat grabatum, suscipiat supra se onus et ambulet. Ad ambulandum autem magno cum onere non solum sanitas, sed magnae etiam vires requiruntur.

Idest mortificationem.

Ad tria capita redegit Paulus vitam christianam: *Sobrie et iuste et pie vivamus.* [20] Sic Christus in mysterio: *Surge a lecto* in quo iaces: *Surge a somno et exurge a mortuis et illuminabit te Christus.* [21] Surge affectu et mente a carnalibus et sensualibus affectionibus, a vitiis ad virtutes; *surge,* sta super pedes tuos, *tolle grabatum tuum.* Quod prius tibi quies erat et locus quietis ac voluptatis, tibi nunc

13) Lc 2, 51. 14) Ibid. vr. 49. 15) Cf. Mc 10, 32. 16) Cf. Ex 1, 15-16.
17) Ioel 2, 12. 18) Lc 5, 24. 19) Io 5, 8-9. Vulg.: *Sustulit grabatum suum.*
20) Tit 2, 12. 21) Eph 5, 14. Vulg.: *Surge qui dormis,* etc.

sit onus; corpus, caro, sensus sit tibi nunc oneri. Caro te prius sustentabat; caro regebat, nunc tu carnem corpusque rege; abnega temetipsum, tolle crucem tuam:[22] *Qui . . . sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*[23] Nam veris servis Dei cura carnis et corporis magno est oneri; vellent enim vitam ducere angelicam, sine cibo et potu; haec pro necessitate sumunt ac si pharmaca sumerent. Tandem *ambula* per viam mandatorum Dei: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*[24] *Et statim sanus factus est homo ille et tulit lectum suum et ambulabat ; Ipse dixit et facta sunt . . . mandavit et creata sunt.*[25]

legis observantiam et pietatem;

De Christo Domino nostro legimus hodie quod Ierosolymam ascendit ad diem festum: ecce pietas erga Deum; quod languidum in piscina curavit: ecce caritas et legis naturalis erga proximum observantia: *Quid tibi vis* fieri? Tandem quod patrato miraculo declinavit a turba, non quaesivit gloriam ab hominibus de bono opere: ecce mentis vera sobrietas: *Ego . . . non quaero,* inquit, *gloriam meam.*[26]

quae omnia Christus ipse hodie facto ostendit.

III. ALIA HOMILIA

I. Merito Christus *homo coelestis* dicitur,[1] nam coelum, sol, non movetur ob suam utilitatem, sed nostram. Sic Christus hodie ascendit Ierosolymam ad salvandum hominem. Egit Dominus hodie cum homine isto sicut egit David cum viro aegyptio, quem semivivum reperiit in agro aegrotum, fame confectum, cum per triduum nihil penitus gustasset, ab omnibus derelictum: naturali pietate et caritate motus David, cum vidisset eum, cibavit et refocillavit vitamque dedit, salutem et libertatem, nam servus erat, mancipium hominis amalecitae.[2] Ita Dominus noster, verus filius David, imo verus David, homo secundum cor Dei.[3]

Christus ad salvandum hominem hodie Ierosolymam ascendit.

Sed quoniam Christus hodie in theatro piscinae in hominem hunc singulariter oculos fixit, spectaculum miseriae ipsius traxit ad se

Videndum est quid mystice significet languidus iste.

22) Cf. Mt 16, 24; Lc 9, 23. 23) Gal 5, 24. 24) Ps 118, 32. 25) Ps 32, 9. 26) Io 8, 50.

1) Cor 15, 47-49. 2) Cf. 1 Rg 30, 11-13. 3) Cf. Ibid. 13, 14; Act 13, 22.

divinos oculos Salvatoris, operae pretium duxi ut cum Christo hominem hunc nos quoque contemplemur et circa personam ipsius aliquid pie philosophemur. [4]

In hoc homine prius infirmo et postea sanato cernitur natura humana peccati causa infirma

II. Invenit ibi hominem *triginta et octo annos* habentem *in infirmitate sua. Hunc cum vidisset* Dominus *et cognovisset quia . . . multum tempus haberet* in infirmitate sua, dixit ei: *Vis sanus fieri?* [5] Duplici in statu proponitur nobis hodie homo iste: prius quidem infirmus, languidus, postea vero magno miraculo divina Christi virtute sanus effectus, ubi pertractare liceret mysteria illa sacrae theologiae, de quibus D i v u s A u g u s t i n u s in nobilissimis tractatibus *De Gratia et Libero Arbitrio* [6] et *De Natura et Gratia contra Pelagianos.* [7] Cernitur nanque in homine isto natura humana peccati causa infirma, languens, miserabilis; intueri hic licet liberum arbitrium: *Vis sanus fieri?* Elucet virtus divinae gratiae: *Statim sanus factus est homo ille et tulit grabatum suum et ambulavit.* [8] Hic spectanda proponitur imago hominis peccatoris, qualis nascitur ex Adamo, et imago hominis iustificati et sanctificati, qualis renascitur ex Deo virtute Christi, suscepta gratia Baptismi, quod est sacramentum *regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* [9]

et virtus divinae gratiae.

Quattuor sunt status naturae humanae: innocentiae, culpae, gratiae et gloriae.

Spectandus proponitur duplex status naturae humanae. Agit enim sacra theologia de quattuor statibus naturae humanae: de statu innocentiae in natura instituta, de statu culpae et poenae in natura destituta post lapsum hominis, de statu gratiae in natura restituta et reparata per Christum, et de statu gloriae in natura in paradiso. Status culpae est imago inversa status innocentiae. Nam in statu illo homo possidebat sanitatem perfectam in corpore, sanctitatem perfectam in anima, felicitatem perfectam in loco voluptatis, in paradiso deliciarum.

4) In margine haec adiecta fuerunt: «Spectaculum miserabile est quod nobis proponitur hodie in Ierusalem: *Est autem in Ierosolymis probatica*, sive *in probatica*, in pecuali, *piscina, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum.* Et non tantum miserabile, verum etiam mirabile, nam: *Angelus... Domini secundum tempus descendebat in piscinam et movebatur aqua, et qui prior descendisset*, etc. Sic in homine, quem specialiter Christus videt spectaturque, miserabilis prius infirmitas, sed postea mirabilis sanitas conspicitur. Nam Christus Angelus Domini verus, imo verus Dominus ». 5) Io 5, 5-6. 6) Cf. P. L. 44, 883. 7) Cf. ibid. col. 261. 8) Io 5, 9. Vulg.: *Et sustulit... et ambulabat.* 9) Tit 3, 5, .

In homine isto reperiuntur tria mala bonis illis opposita: infirmitas in corpore, peccatum in anima: *Noli* amplius *peccare ne tibi aliquid deterius contingat*, [10] et infelicitas extremaque miseria in piscina in *Bethesda*, [11] in xenodochio incurabilium infirmorum, ubi miserabilissime vivebat in maxima necessitate, ab omnibus derelictus: *Hominem non habeo.* [12] Hi sunt effectus peccati mortalis: infirmitas in corpore, malitia in anima: *Sensus... et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia ;* [13] *In iniquitatibus conceptus sum ... in peccatis concepit me mater mea*; [14] et tandem hominis in mundo, in hac miseriarum et lacrimarum valle miserabilis infelicitas.

In statu culpae homo amisit summam felicitatem qua gaudebat in statu innocentiae;

Vidit ibi hominem. Per peccatum non natura amissa fuit, sed gratia, sed originalis iustitia, donum gratuitum et supernaturale. Homo erat *ad imaginem et similitudinem Dei*, [15] homo mansit; sed qualis homo! quam differens!

at per peccatum natura amissa non fuit,

« Quantum mutatus ab illo! » [16]

Homo erat Iob in sterquilinio; [17] homo Samson captus a Philisthaeis et oculis orbatus; [18] homo Sedecias rex captus a Chaldaeis; [19] homo Nabuchodonosor in bestiam mutatus per alienationem mentis: [20] *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.* [21]

Quam differens homo iste in piscina ab Adamo in paradiso! Erat tunc homo pulcherrima Dei imago; nunc imago quidem, sed adeo antiquata et oblitterata, ut vix dignoscatur cuiusnam sit imago, sicut in imaginibus divorum nimia vetustate confectis saepe accidit. Quid putatis voluisse Dominum significare dum Adamo dixit post peccatum: Adam, *ubi es?* [22] An non sciebat Deus? Sed vix imaginem suam agnoscebat in eo, veluti si nigro atramento deturpata imago

sed maxime vulnerata et deturpata.

10) Io 5, 14. Vulg.: *Ne deterius tibi aliquid contingat.* 11) Ibid. vr. 2. Ex hebraico: בֵּית חִסְדָּא. In margine haec adiecta fuerunt: « Piscina haec mirabilis symbolum est Sacramentorum maximeque Baptismi: *Patres nostri omnes in Moyse baptizati sunt in mari et in nube*, minister, materia, Spiritus Sanctus. Homo a Christo mirabiliter sanatus hominem designat sanctificatum, nam sanitas corporalis symbolum (est) sanitatis spiritualis: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas ; Sana me, Domine, quoniam infirmus sum ; Sana animam meam quia peccavi tibi* ». 12) Io 5, 7.
13) Gn 8, 21. Vulg.: *In malum prona*, etc. 14) Ps 50, 7. 15) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 16) Virg. *Aeneid.*, lib. 2, vr. 274. 17) Cf. Iob 2, 12-13. 18) Cf. Idc 16, 20-21. 19) Cf. 4 Rg 25, 4-7; Ier 39, 5-8. 20) Cf. Dn 4, 28-30. 21) Ps 48, 13. 21. 22) Gn 3, 9.

sit, vel si larvam et personam induat homo, sub qua abscondatur ne agnoscatur. Idem agere hodie videtur Christus, dum languido dixit: *Vis sanus fieri?*

Interrogat Christus languidum ut significet necessariam esse bonam voluntatem ad sanandam animam.

III. Videtur inconveniens petitio, non tamen est; neque enim omnes infirmi desiderant sanitatem; multi sunt mendici, qui sub infirmitatis miserabilis et incurabilis specie victum quaeritant, qui sanari aut curari minime volunt, alioquin non possent de mendicabulo victitare, quod vitium est. Interrogat ne forte unus ex istis esset. In huiuscemodi autem hominibus, qui sordida vita delectantur ut fugiant honestos labores, vix reperitur figura divinae imaginis, quae in mente et ratione consistit, cum praeferant mala bonis, vitia virtutibus. Interrogat ut sciat an vel ipsa naturalis ratio integra esset in homine; peccatum nanque naturam ipsam infecit. Quare, sicut panis oleo vel butyro vel sagina non solum perunctus, verum etiam conspersus subactusque, vix amittere potest olei aut pinguedinis saporem; et sicut modicum fermenti totam massam conspargit atque virtute sua afficit,[23] sic fuit peccatum; veluti si puteus vel cisterna dulcis aquae iuxta mare, ut Venetiis aliquando accidit, inundante mari, salsa aqua repleatur, vix effici potest ut aqua illa dulcis salsa permixta amplius bona sit, salsedinem non sapiat, non retineat. Sed tamen peccatum illud non omnino destruxit naturam.

Homo in puris naturalibus aliqua bona moralia agere potest, sed imperfectissime,

Vidit hominem infirmum quidem et languidum, sed tamen cupidum salutis. Omnis homo habet naturale quoddam desiderium virtutis sicut et scientiae; sed per seipsum assequi perfectam virtutem minime potest. Non erat homo iste paralyticus, ita ut omnino impotens esset ad ambulandum vel aliquid agendum; ambulare sed nonnisi lentissime poterat: *Hominem non habeo* qui *mittat me in piscinam, dum venio enim ego, alius ante me descendit.*[24] Sic homo in puris naturalibus constitutus, absque speciali gratia potest bona aliqua moralia agere, eleemosynas, ieiunia, orationes, sed lentissimo motu.

quia propensissimus est ad malum,

Accidit in homine sicut astronomi et naturales philosophi dicunt de planetarum sphaeris, quod duplicem motum habent: proprium et communem cum primo mobili. Et communis quidem motus ve-

23) Cf. 2 Cor 5, 6; Gal 5, 9. 24) Io 5, 7.

locissimus est; hoc motu sol et luna spatio vigintiquattuor horarum totam coeli peripheriam agunt; proprius autem motus tardus valde est: luna nonnisi per mensem hunc agit ac peragit, sol per annum. Ita homo in motu sensus, quem habet cum animalibus communem, velocissimus est; in motu autem spiritus, qui proprius est ei, tardissimus est; ad terrena et mundana fervet, ad coelestia et divina languet; ad haec oculos lynceos, alas aquilarum, Argus est centoculus,[25] Briareus centimanus; ad divina caecior talpa est, tardior testudine[26] torpedine peccati affectus; ad naturalia propensus, ad supernaturalia ineptus. Sicut aqua naturali motu tendit deorsum, sursum autem tendere non potest nisi arte et ingenio, ad divina spiritu et mente conscendere non potest homo, nisi a Spiritu Sancto adiutus sit.

ad supernaturalia vero tardissimus, nisi a Spiritu S. adiuvetur;

Sic remansit liberum arbitrium hominis post peccatum infirmum, languidum ad bene operandum; non sufficit tantum natura, supernaturali opus est gratia. Non potest terra ex seipsa aliquid producere nisi a coelo lumen, calorem vivificum, rorem et pluviam accipiat. Requiritur tamen, praeter coelestes influxus, dispositio bona in terra; nam etiam arena maris in littore constituta accipit coelestes influxus, sed sterilis est, nihil omnino producit. Non potest mulier absque virili semine filium parere, nec concipere, sed fecunditas in ipsa requiritur, ne sit sterilis sicut Sara,[28] sicut Rebecca,[29] sicut Rachel,[30] quae nonnisi miraculo filios genuerunt.

nam liberum arbitrium post peccatum infirmum est ad operandum,

Sic requiritur bona dispositio in homine una cum supernaturali gratia, nam semen quod cecidit in terram bonam, natum fecit fructum centuplum.[31] Ad videndum requiritur bonus et sanus oculus, sed tamen, licet aquilinus sit, absque lumine externo videre non potest. Liberum arbitrium sicut oculus est, sed gratia sicut lumen. Ut vivat homo necesse est ut corpus et anima simul iuncta sint; sic ut homo sit vere christianus natura et gratia opus est.

requiritur supernaturalis gratia;

Requirit a nobis Deus bonam dispositionem: *Vis sanus fieri?* Ut imprimatur sigillum cera opus est recte disposita; ut accendatur

gratia autem non operatur nisi in homine bene disposito.

25) Argus centoculus omnia videns significat hominem solertem et perspicacem. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 18, cp. 6, col. 973. 26) Cf. Virg. *Aeneid.*, lib. 6, vr. 285- P. Mannuccius *Adagia*, col. 203. 2017. 27) Modi proverbiales, de quibus cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 203. 511. 28) Cf. Gn 11, 30; 21, 1-2. 29) Cf. ibid. 25, 21. 30) Cf. ibid. 30, 1-24. 31) Cf. Mt 13, 8; Mc 4, 8; Lc 8, 8.

ignis opus est praeparatis lignis; ut clarus sit dies et serenus, aere nubibus, caligine et nebulis purgato opus est, alioquin dies clarus non erit.

Ad salutem necessarium est liberum arbitrium et gratia Dei,

IV. *Vis sanus fieri?* In Divinis Litteris salus nunc quidem fidei,[32] nunc operibus tribuitur;[33] sed non fidei absque operibus, nec operibus absque fide. Beatitudo nunc timori Dei,[34] nunc spei et fiduciae in Deum;[35] sed non timori sine spe, nec spei sine timore. Ita salus nunc gratiae tribuitur: *Gratia . . . Dei sum id quod sum . . . non ego . . . sed gratia . . . Dei;*[36] *Gratia . . . Dei vita aeterna;*[37] *Sine me nihil potestis facere*[38] sicut palmes; *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis;*[39] Deus est qui dat *velle et perficere pro bona voluntate;*[40] nunc autem libero arbitrio: *Voca operarios et redde illis mercedem*[41] suam; *Reddet unicuique secundum opera sua;*[42] *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum;*[43] *Beati pauperes spiritu . . . mites . . . qui lugent . . . qui esuriunt et sitiunt . . . misericordes . . . mundo corde . . . pacifici . . . qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*[44]

hoc significavit Christus tribus parabolis,

Sed haec simul iungenda sunt, sicut Dominus tribus parabolis signavit conversionem et iustificationem peccatoris: parabola ovis quae perierat, parabola drachmae amissae et perditae, sed quaesitae et inventae, ac tandem parabola[45] filii prodigi.[46] Illis duabus ita mysterium hoc expressit ac si a sola gratia salus penderet, tertia autem ac si a solo libero arbitrio; sed haec simul iungenda sunt. Ut fiat opus a figulo requiritur lutum, argilla disposita, cui figulus dat formam quam desiderat. Gratia est forma hominis christiani: *Gratia . . . Dei sum id quod sum* et « gratia eius semper in me manet ».[47]

et ad hoc praedicavit Evangelium

Duo egit Christus in mundo: praedicavit Evangelium ad illustrandum et movendum liberum arbitrium, instituit Sacramenta ad conferendam gratiam. Nam si liberum arbitrium non est, ad quid

32) Cf. Mc 16, 16; Io 3, 15; 5, 24; 11, 25-26; Rom 4, 22 sqq. 33) Cf. Io 14, 21; 15, 2-14; Iac 1, 22 sqq.; 2, 14 sqq. 34) Cf. Ps 14, 4; 30, 20; 60, 6; 84, 10; 144, 18-19; 146, 11. 35) Cf. Ps 16, 7; 30, 1 sqq.; 31, 10; 32, 18 sqq.; 35, 8-10; 83, 13; 90, 14 sqq.; Is 40, 31. 36) 1 Cor 15, 10. 37) Rom 6, 23. 38) Io 15, 5. 39) 2 Cor 3, 5. Vulg.: *Non quod sufficientes simus cogitare*, etc. 40) Phil 2, 13. 41) Mt 20, 8. 42) Rom 2, 6; Apc 22, 12. 43) Mt 25, 34. 44) Ibid. 5, 3-10. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur*, etc. 45) Ms.: *Parabolis*. 46) Cf. Lc 15, 1 sqq. 47) S. Gregorius M. *Liber Antiphonarius*, (P. L. 78, 697).

Evangelium? ad quid lex? ad quid Divinae Scripturae? Et si gratia opus non est, ad quid Sacramenta? Si non opus est gratia, ad quid venit Christus in mundum? Et si liberum arbitrium non est, ad quid venturus est ad iudicandum et reddendum unicuique secundum opera sua? Non enim damnabitur homo nisi ob bona opera neglecta et mala opera patrata.

et Sacramenta instituit.

Fratres mei, cum Paulus nobis dicat: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,* [48] offert nobis Christus salutem: *Vis sanus fieri?* Vis? Nonnisi voluntatem a nobis requirit, sicut princeps qui puellam pauperem vult ducere uxorem, ab ea nonnisi voluntatem requirit, sicut de Rebecca legimus: ab ea Eliezer nonnisi consensum requisivit, an nubere vellet filio domini sui. [49] *Vis sanus fieri?* Thesaurum nobis offert, nam sanitas utique thesaurus est inaestimabilis.

Christus ergo omnibus salutem offert, sed requirit consensum nostrum.

48) 2 Cor 6, 2. 49) Cf. Gn 24, 50-58.

SABBATO POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit illos in montem excelsum seorsum, etc. [1]

Datur hodie libamentum gloriae paradisi,

I. Instruitur hodie fidelibus Dei regale convivium in Apolline, [2] simile decantatissimo convivio Assueri monarchae orientis. [3] Nam paradisi gloriam Christus regali convivio comparavit, instructo in nuptiis unici filii magni regis, [4] quia nec nobilius, nec splendidius aut ditius excogitari potest regali convivio in nuptiis unici filii principis et heredis totius regni et imperii. Convivium ex quattuor, ut plurimum, redditur nobile et illustre: a persona faciente, ab apparatu et pompa, a personis invitatis et tandem a loco et tempore. Haec omnia reperiuntur in convivio Assueri. Isaias ait: *Faciet Dominus ... omnibus populis in monte hoc convivium ... pinguium asservatorum.* [5] Qui instruxit convivium hoc, Deus est; invitati: Moyses, Elias, Apostoli; apparatus: *nubes lucida;* [6] cibus: Christus ipse, *panis qui de coelo descendit;* [7] locus: in monte excelso; tempus: *post dies sex,* [8] in sabbato, quem diem benedixit et sanctificavit Deus. [9]

quae bene comparatur splendidissimo regali convivio.

Christus venit in mundum

II. *Assumpsit ... Petrum* – sicut magnes Christus est corda humana trahens, – *et duxit ... in montem excelsum*, in paradisum. Ad hoc venit Christus in mundum, ut homines in paradisum duceret:

1) Pericope huius diei Mt 17, 1-9. Cf. Missale Rom. 2) Modus proverbialis significans convivium splendidissimum. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 12, cp. 18, col. 645. 3) Cf. Est 1, 3-8. 4) Cf. Mt 22, 2. 5) 25, 6. Vulg.: *Pinguium medullatorum.* 6) Mt 17, 5. 7) Io 6, 59. 8) Mt 17, 1. 9) Cf. Gn 2, 3.

Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.[10] Sed ad duplicem paradisum homines vocat, nam non legimus solum paradisum coelestem, verum etiam terrestrem;[10a] etiam Ecclesia dicitur paradisus: *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus.*[11]

ut homines in paradisum duceret.

In hodierno Evangelio ad contemplandam Christi gloriam adducuntur *Moyses et Elias visi in maiestate,*[12] homines qui beata fruebantur vita cum Deo, et Apostoli qui adhuc mortales homines erant, et Petrus est qui dixit: *Domine, bonum est nos hic esse,*[13] nam sicut ubi sol ibi dies est, sic ubi Deus est ibi paradisus est.

Ubi Deus est, ibi paradisus est.

Etiam satanas ad paradisum homines vocat: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum; nequaquam... moriemini.*[14] Sed hoc interest, quod Christus vocat ducitque ad paradisum qui paradisi speciem non habet, nam cacumen montis excelsi, quo ducit hodie Apostolos, nihil boni aut amoeni continebat, nonnisi asperitas saxorum ibi cernebatur, et tamen ibi per Christum paradisus inventus est; at paradisus ad quem vocat satanas, fictus est, falsus est, fallax est, speciem et larvam habet paradisi, verus autem infernus est. Promisit immortalitatem, dedit mortem; promisit divinum honorem, dedit ignominiam; promisit scientiam, dedit ignorantiam: *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.*[15] Mundus iste, ad quem colendum et super omnia amandum satanas vocat, paradisus videtur, sicut videbatur regio Pentapolis Loth,[16] Aegyptus Hebraeis;[17] revera tamen infernus est. Regnum satanae paradisus videtur, plenus honoribus, dignitatibus, divitiis, voluptatibus et deliciis, sed tamen verus infernus est, ubi nemo est sua sorte contentus, ubi mille molestiae animi, mille perturbationes, mille mala.

Satanas etiam ad paradisum vocat, at verus infernus est.

Vocat Christus ad duplicem paradisum, satanas ad duplicem infernum; nam mundus, licet paradisus videtur, vere tamen infernus est, ubi humanus animus quietem non invenit sed perturbationem, sicut in corpore os extra locum suum, extra suam iuncturam positum, magni est in causa doloris.

et quidem duplex infernus; Christi autem duplex paradisus est.

10) Io 10, 10. 10a) Cf. Gn 2, 8. 11) Ct 4, 12-13. 12) Lc 9, 30-31. 13) Mt 17, 4. 14) Gn 3, 4-5. Ordine inverso affert hos vrr. 15) Ps 48, 13. 21. 16) Cf. Gn 13, 10. 17) Cf. Ex 16, 3; Nm 16, 13.

Deus est locus proprius cordis nostri, quia solus potest explere omnia desideria nostra.

III. Locus proprius cordis nostri Deus est: *Domine, bonum est nos hic esse.* R e g i u s V a t e s respuebat omnem mundi consolationem: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum.* [18] Alibi autem dicebat: *Quid enim mihi est in coelo et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum ... Mihi ... adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* [19] Quid est quod ait: *Deus cordis mei?* Deus, inquit, cibus est, refectio, consolatio cordis mei: *Venite ad me ... et ego reficiam vos ... et invenietis requiem animabus vestris.* [20] Solus Deus explere potest desiderium cordis nostri: *Domine, bonum est nos hic esse.*

Ideo animae sanctae etiam in hac vita paradiso fruuntur.

O beatas sanctas animas vere fideles! fruuntur paradiso etiam in hoc mundo. Accidit animabus sanctis quod accidit Hebraeis in deserto et in Aegypto: Aegyptus quidem paradisus videbatur, sed eis infernus erat; ab Aegyptiis multa et gravia supra modum patiebantur; ne ab eis affligerentur, dispergebantur per universum regnum ad quaerendas paleas, ad faciendos et coquendos lateres; [21] in deserto nihil laboris patiebantur, nam coelesti pane alebantur. [22] Homo in hoc mundo ut sensibus satisfaciat et appetitibus carnis, multa patitur, subit multos dolores, graves aerumnas; imo, quid dicam? accidit servis Dei et servis mundi sicut accidit Aegyptiis in regno Aegypti et Hebraeis in deserto. Erat in Aegypto magna aquarum copia, nam Aegyptum alluit Nilus, magnum, imo maximum flumen; [23] in deserto nihil penitus aquae reperiebatur, ita ut populus siti laboraret, putaretur siti et fame periturus; tamen virga Dei factum fuit ut aquae Aegypti in sanguinem verterentur, [24] ita ut maxima et ardentissima siti laborarent Aegyptii, neque enim sanguis sitim levat; Hebraei vero in deserto, virga percutiente petram, magnam, imo maximam aquarum vim perceperunt. [25]

quia vera animi voluptas non in mundo sed in Deo consistit.

Non consistit paradisus, vera animi voluptas et consolatio, in bonis mundi huius, sed in Deo. Hinc est quod in mundo nemo est sua sorte contentus; Petrus autem in deserto loco, in cacumine montis, ubi nonnisi Deus erat, ait: *Domine, bonum est nos hic esse.*

18) Ps 76, 3-4. 19) Ps 72, 25 sqq. 20) Mt 11, 28-29. 21) Cf. Ex 5, 5 sqq. 22) Cf. ibid. 16, 13 sqq. 23) Cf. Dt 11, 10. 24) Cf. Ex 7, 19-24. 25) Cf. ibid. 17, 3-7; Nm 20, 8-11.

Sic per Isaiam Dominus ait: *Ecce servi mei comedent et vos esurietis; ecce servi mei bibent et vos sitietis; ecce servi mei laetabuntur et vos confundemini; ecce servi laudabunt*, idest canent, sicut in ingressu deserti,[26] *prae exultatione cordis et vos clamabitis prae dolore cordis et prae contritione spiritus ululabitis.*[27] Sic Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse*, siquidem: *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!*[28]

IV. Verum est, fratres, quod post laborem itineris, post excelsum montem conscensum reperit Petrus cum sociis divinum hunc paradisum: *Duxit eos in montem excelsum.* Ad ascendendum in montem et *montem excelsum valde*,[29] magno labore opus est; virtus, imo Deus ipse cultoribus suis prius dat laborem, postea mercedem, fructum laborum, consolationem. De templo Salomonis legimus quod *malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo*[30] Domini, nam adducebantur lapides secti, expoliti, summa diligentia elaborati; sic canit Ecclesia: Tonsionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis; per manus artificis disponuntur permansuri sacris aedificiis;[31] et Petrus: Coaedificamini lapides vivi templum sanctum Domino.[32] Post laborem virtutis sequetur praemium, sequetur consolatio.

Ad consequendum paradisum prius montem virtutis ascendere oportet.

V. Proponitur hodie praemium virtutis, sicut Deus legem ferens ante omnia dixit: *Faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.*[33] Quale hoc praemium? *Faciens misericordiam in mille generationes*, in perpetuum, in aeternum: *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.*[34] Moyses servatoribus legis[35] Dei promisit perpetuam possessionem felicissimae terrae promissionis;[36] et Christus: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*[37] Ad hoc praedicatur magnitudo gloriae regni Dei, ut sciamus quale et quantum sit praemium virtutis: *Gloriam regni tui dicent et potentiam tuam loquentur, ut notam faciant filiis*

Proponitur hodie praemium virtutis, idest gloria regni Dei.

26) Cf. Ex 15, 1-21. 27) 65, 13-14. 28) Ps 72, 1. 29) Mt 4, 8.
30) 3 Rg 6, 7. 31) Cf. Breviarium Rom. in Dedicatione Ecclesiae, *hymnus ad Vesperas*.
32) Cf. 1 Petr 2, 5. 33) Ex 20, 6. Vulg.: *In millia... praecepta mea.* 34) Gn 15, 1.
35) Ms.: *Legem.* 36) Cf. Dt 5, 1-6, 1 sqq. 37) Mt 4, 17.

hominum potentiam tuam et gloriam magnificentiae regni tui. Regnum tuum regnum omnium saeculorum. [38] Hoc regnum promittitur cultoribus virtutis: *Ipsorum est regnum coelorum... merces vestra magna est in coelis.* [39]

Christus venit ad praedicandum gloriam paradisi.

VI. *Duxit illos in montem excelsum.* Sicut non ob aliud missus fuit Moyses in Aegyptum, nisi ut Hebraeis praedicaret felicitatem promissae terrae eosque ex Aegypto educeret et in promissam terram perduceret, [40] sic Christus non ad aliud venit in mundum, nisi ad praedicandam gloriam paradisi et ad perducendum homines in paradisum.

His verbis declarat Petrus quid sit beatitudo.

Domine, bonum est nos hic esse. Declarat his verbis Petrus quid sit beatitudo, sicut Spiritus Sanctus declarasse visus est cum Iacob patriarchae natus fuit Aser, qui b e a t i t u d o interpretatur: *Hoc pro beatitudine mea.* [41] De hoc sanctus Patriarcha ait: *Aser, pinguis panis eius et praebebit delicias regibus.* [42] Quid est beatitudo? Panis pinguis, cibus suavissimus, deliciae regales: *Praebebit delicias regibus.*

38) Ps 144, 11-13. 39) Mt 5, 3-12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.* 40) Cf. Ex 3, 4-8. 41) Gn 30, 13. 42) Ibid. 49, 20.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem eius et duxit illos in montem excelsum, etc. [1]

I. Sicut divino miraculo super montem Sinai splendida facta fuit facies Moysi ex splendore divinae faciei [2] sicut luna solis lumine plena, ita hodie Christi facies super excelsum montem transfigurata resplenduit *sicut sol;* [3] tanto autem maior est splendor faciei Christi splendore faciei Moysi quanto Christus Moyse maior est, Deus homine; nam Moyses servus Dei, Christus unigenitus Filius Dei: [4] *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [5]

Manifestatur hodie Christus in maxima gloria,

Manifestatur autem Christi gloria hodie quatenus ipse est tum auctor et obiectum, tum etiam exemplar archetypum gloriae nostrae, nam: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* [6] Hinc nanque legimus quod *fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* [7] Conspecta Christi gloria, hodie Petrus ait: *Domine, bonum est nos hic esse.* [8] Regius Vates ait: *Satiabor cum apparuerit gloria tua;* [9] cum, inquit, iustitiae et virtutis merito apparebo conspectui tuo, cum mihi videre dabitur faciem tuam, tunc satiabor, tunc completum erit omne desiderium meum; nam: *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem,* [10] in perpetuum.

quatenus est auctor, obiectum et exemplar gloriae nostrae.

Utinam, fratres, coelum hoc non celaret nobis paradisi gloriam! Utinam aliquando cum Stephano in terris positis, aperto coelo

Hanc gloriam nunc clare videre non possumus,

1) Pericope huius diei Mt 17, 1-9. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Ex 34, 29-30; 2 Cor 3, 7. 3) Mt 17, 2. 4) Cf. Hebr 3, 5-6. 5) Mt 17, 5. 6) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis*, etc. 7) Mt 13, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt*. etc. 8) Ibid. 17, 4. 9) Ps 16, 15. 10) Ps 15, 10.

videre liceret gloriam Dei![11] Curreremus instar cervorum sitientium ad fontes aquarum! Sic enim ille ait: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum*, Deum *vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*[12]

sed ostenditur nobis hodie in facie Christi contemplanda.

Hodie tamen super montem Thabor aperitur nobis paradisus, et videre oculis licet gloriam Dei in facie Christi, in medio Moysi et Eliae, intra lucidam nubem, ubi Deus erat Christum complexans et dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Contemplemur, quaeso, mirabile hoc divinumque spectaculum in theatro montis excelsi nobis propositum, humano intuitu spectandum.

Sub hieroglyphico solis et nivis proponitur paradisi gloria.

II. *Transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*[13] Hieroglyphico solis, quo nihil est lucidius, et nivis, qua nihil candidius reperitur, paradisi gloria nobis demonstratur, quoniam talis est qua nihil maius desiderare nec cogitare animo possumus. Hinc figuratur in terra promissionis fluente lacte et melle,[14] quo nihil dulcius.

Mens capere, lingua explicare nequit qualis et quanta sit paradisi gloria,

Qualis et quanta sit, fratres, gloria paradisi, quae fidelibus Christi ex utroque Testamento parata est, nec mente capere, nec lingua explicare possumus. Sic Isaias ait: *A saeculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti expectantibus te.*[15] Sic Paulus, quamvis in paradisum supra tertium coelum, idest empyreum, raptus, cum oculis viderit gloriam Dei ineffabilem, dixit: *Raptus est in paradisum et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui ;*[16] imo ait: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.*[17]

ideo multis nominibus et hieroglyphicis describitur.

Hinc quoniam ineffabilis et incomprehensibilis est, multis nominibus, sicut Deus, appellatur, multis hieroglyphicis describitur. Nunc dicitur *vita aeterna*,[18] nunc *regnum coelorum*,[19] nunc *thesaurus magnus in coelo*,[20] nunc *gloria Dei*,[21] nunc *paradisus deliciarum*,[22]

11) Cf. Act 7, 35-36. 12) Ps 41, 2-3. 13) Mt 17, 2. 14) Cf. Ex 3, 17; 18, 8-9; 19, 29; 13, 5; Nm 13, 28; Dt 6, 3; 26, 9. 15; Ios 5, 6. 15) 64, 4. 16) 2 Cor 12, 4. 17) 1 Cor 2, 9. Vulg.: *Quod oculus non vidit... iis qui diligunt illum.*
18) Cf. Mt 7, 14; 25, 46; Mc 10, 30; Lc 18, 30. 19) Cf. Mt 3, 5; 13, 43; Lc 6, 20. 20) Cf. Mt 19, 21; Mc 10, 21; Lc 12, 33; 18, 22. 21) Cf. Ps 16, 15; Lc 24, 26; Act 7, 55; Rom 8, 10; 9, 23. 22) Cf. 2 Cor 12, 4; Apc 2, 7.

nunc *hereditas filiorum Dei*,[23] nunc *civitas gloriosa*,[24] nunc *Ierusalem coelestis*,[25] nunc *sabbatum perpetuum et aeterna requies*,[26] nunc *similitudo Dei*,[27] nunc *benedictio*,[28] nunc *exaltatio*,[29] nunc *consolatio*,[30] nunc *regale et nuptiale convivium*,[31] nunc *corona iustitiae*,[32] nunc *bravium*[33] salutis.

Ipse Christus variis modis de ea locutus est;

Christus Dominus noster sermonem instituens de beatitudine atque felicitate aeterna, multis sententiis et variis modis explicavit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum . . .* ipsi *possidebunt terram* promissionis, *ipsi consolabuntur . . . ipsi saturabuntur . . . ipsi misericordiam consequentur . . . ipsi Deum videbunt, ipsi filii Dei vocabuntur . . . ipsorum est regnum coelorum . . . merces vestra magna est in coelis.*[34]

sed tantum dici potest tale bonum eam esse quod omne explet desiderium cordis nostri;

III. Sed cum pro dignitate explicari nullo modo possit, sufficiat nobis scire quod bonum est abunde explens omne desiderium cordis nostri. Hinc Petrus: *Bonum est nos hic esse ;* hinc D a v i d : *Satiabor cum apparuerit gloria tua, cum evigilaverit similitudo tua;*[35] *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*[36] Haec est similitudo quae post mortuorum resurrectionem absoluta erit, nam: *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*[37]

est enim ipsa possessio Dei,

Hinc nanque praecedenti *Psalmo* dixerat: *Laetatum est*, inquit, *cor meum et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe ;*[38] quoniam *Dominus pars hereditatis meae et calicis mei, tu statues hereditatem meam mihi :* tu, inquit, te mihi possidendum et fruendum dedisti. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris*, sors mihi praeclarissima obtigit, *etenim hereditas mea praeclara est mihi*,[39] quoniam Deus ipse est, sicut ait: *Ego protector tuus sum et merces tua magna*

23) Cf. Mt 5, 4; Rom 8, 17; Eph 1, 14. 18; 3, 6; 5, 5; Col 3, 24; Hebr 9, 15.
24) Cf. Ps 45, 5; 47, 2-3. 9; 86, 3; Hebr 11, 10. 16; 13, 14. 25) Cf. Ps 45, 5; Gal 4, 26; Hebr 12, 22; Apc 3, 12; 21, 2. 10. 26) Cf. Hebr 4, 3-11. 27) Cf. Rom 8, 29; 1 Cor 11, 7; 2 Cor 3, 18; Phil 3, 20; 1 Io 3, 2. 28) Cf. Ps 20, 7; 25, 5; Eccli 1, 13; 11, 24; 32, 18; Is 44, 3; Hebr 6, 7; 12, 17; 1 Petr 3, 9. 29) Cf. Ps 5, 12; 50, 10; 62, 8; 67, 4; 83, 3; 131, 16; 147, 5; Is 13, 3; 25, 9. 30) Cf. Ps 125, 1; Is 51, 12; 61, 2-3; Mt 5, 5; Lc 6, 21; 2 Cor 1, 7. 31) Cf. Mt 21, 2; Lc 14, 16.
32) Ps 8, 6; 102, 4; Sap 4, 2; Is 28, 5; 61, 3; 1 Cor 9, 25; 2 Tim 4, 8; Iac 1, 12; 1 Petr 5, 4.
33) Cf. 1 Cor 9, 24; Phil 3, 14. 34) Mt 5, 3-12. Vulg.: *Copiosa est in coelis.*
35) Ps 16 (hebr. 17), 15. 36) 1 Io 3, 2. Vulg.: *Quoniam videbimus*, etc.
37) Phil 3, 21. 38) Ps 15 (hebr. 16), 9. 39) Ibid. vrr. 5-6.

nimis.[40] *Propter hoc*, inquit, *laetatum est cor meum et exultavit.* Sed quid tandem sequitur ex hac hereditate? *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti*, hebraice: *Notificabis mihi viam vitae*, sive *vitarum:* ארח חיים,[41] *adimplebis me laetitia cum vulto tuo*, hebraice: שְׂמָחוֹת,[42] *laetitiis cum pace tua, delectationes in dextera tua* – non in sinistra mortalis huius vitae, – *usque in finem*,[43] in perpetuum. Tria dicit: resurrectionem ad vitam immortalem, laetitias, gaudia cum Deo, et delectationes, suavitates aeternas summo cum honore coniunctas. Gaudia inquit se percepturum ex visione faciei Dei; visio autem appellatur vera, certa, ac perfecta cognitio, quae mentem et intellectum perficit. Tria haec autem serpens primis parentibus promisit quasi in his perfecta felicitas consisteret: *Nequaquam... moriemini*, sed *eritis sicut dii, scientes bonum et malum*,[44] idest habebitis cognitionem omnium rerum.

Ipsa clara Dei visio, unde vitae immortalitas et perfecta laetitia oriuntur.

IV. Sed videamus haec in hodierno Evangelio in exemplari gloriae nostrae: *Transfiguratus est... et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Non mutavit corpus hodie Christus, sed corpus suum glorificavit, beatificavit carnem suam ex redundantia gloriae ipsius animae. Sic corpus hoc nostrum, quod tam impense diligimus, glorificandum est; haec ipsa nostra caro beanda post resurrectionem: *Cum evigilaverit similitudo tua*, homo ad imaginem tuam conditus, cum ad vitam fuerit a sepulcro revocatus.

Corpus nostrum in resurrectione glorificandum erit sicut Christi corpus in transfiguratione;

Vitam desideramus omnes[45] diuturnam, mori nunquam vellemus: sol incorruptibilis est, substantia aeterna est, in aeternum vivet in firmamento. Sanitatem desideramus ab omni morbo, ab omni passione immunem: sol impassibilis natura est; sic homo positus in paradiso fuit ut ibi perpetuo viveret comedens ex ligno nihilque unquam pateretur, nullum experiretur incommodum.[46] Desideramus divitias: sol divitiarum fons est, sol nanque aurum generat, argentum

vitae immortalitate et impassibilitate donabimur;

40) Gn 15, 1. 41) Ms.: *Orach chaiim.* 42) Ms.: *Scemachoth.* 43) Ps 15 (hebr. 16), 10. 44) Gn 3, 4-5. 45) Ms.: *Omnem.* 46) Cf. Gn 2, 15-17.

omnibus bonis et deliciis fruemur, omni honore coronabimur;

omni scientia illustrabimur, deificabimur;

et lapides pretiosos,[47] bona omnia quae natura gignuntur. Cupimus delicias et voluptates: sol parens est deliciarum; hinc recedente a nobis sole, natura bonis omnibus spoliatur, accedente autem eo in vere, ornatur terra herbis et floribus, arbores foliis et fructibus, animalia fetus suos edunt, aves nidificant suisque cantibus nos laetificant. Si honores, dignitates, gloriam desideramus, sol princeps astrorum est, [ea] nanque moderatur; si pulcritudinem desideramus, pulcherrimus est et pulcritudo ornatusque mundi, mundus nanque a sole ornamentum sumit; si potentiam cupimus, potentissimus est, hinc a R e g i o V a t e dictus est *gigas*, sicut propter pulcritudinem *sponsus : Soli posuit tabernaculum in eis, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo ; exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius ;*[48] calore nanque suo naturalia omnia gignit, operatur, perficit, servat. Si tandem scientiam desideramus et virtutes animum ornantes et perficientes, lux hieroglyphicum est sapientiae et virtutis veraeque bonitatis; sol divinitatis symbolum: sic nos gloria deificabit, deos efficiet, Deo simillimos sicut Angeli Dei.

societate Sanctorum iucundabimur;

Nec solus hic Christus, sed cum Moyse et Elia, viris sapientissimis et sanctissimis, illustrissimis principibus Prophetarum, qui et ipsi *visi* sunt *in maiestate*[49] et gloria. Sic erit in coelo iucundissima societas Sanctorum omnium et Angelorum.

visione divinae naturae laetificabimur et quasi filii unici a Deo diligemur.

Sed super omnia nos divinae naturae aspectus laetificabit, quae hodie per nubem lucidam designatur significatque amplexus divinae caritatis: *Dextera illius amplexabitur me,*[50] tanquam amantissimus pater carissimum et supra modum dilectissimum unicum filium: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Sic quisque electorum et beatorum Deo carus erit ac si unicus ac dilectissimus filius ipsius esset. Hoc est enim quod per M a l a c h i a m ait: *In die, qua ego facio . . . parcam eis,* iustis, *sicut parcit vir filio suo servienti sibi.*[51] Verbum autem hebraicum i n d u l g e n t i a m et c o r d i s viscerumque t e n e r i t u d i n e m significat ibi חָמַל.[52] Hinc

47) Iuxta opinionem veterum, de qua cf. Scotus *2 Sent., Resolut.*, dist. 7, q. 3; Conimbricenses *De Metallis*, tract. 13, cp. 2; *De Coelo*, lib. 1, cp. 3, q. 3, a. 2. 48) Ps 18 (hebr. 19), 6-7. 49) Lc 9, 31. 50) Ct 2, 6. 51) 3, 17. 52) Ms.: *Hamal.*

etiam Regius Vates ait: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se;* [53] ubi etiam hebraicum verbum רָחֵם [54] significat simul amorem, visceraque tenera, unde matrix dicitur רְחֶם, ex eadem radice.

Comparatur coelestis gloria soli quo nil lucidius, nivi qua nil candidius,

Denique, sicut maius dici non potest luce solis, candore nivis, dilectione unici et carissimi filii, sic maius quid coelesti gloria excogitari non potest. Hinc Ioannes in *Apocalypsi* ait civitatem maximam paradisum esse, quae tota a fundamentis ex auro optimo et pretiosissimis margaritis gemmisque aedificata est, [55] quoniam nihil est pretiosius auro et gemmis. Hinc Regius Vates, contemplans in spiritu gloriam hanc domus et civitatis Dei, aiebat: *Fundamenta eius in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei,* [56] idest civitas supra modum felicissima, beatissima, deliciosissima.

quia maius quid excogitari nequit.

Incensus autem desiderio huius gloriae aiebat: *Quam dilecta,* idest quam desiderata, *tabernacula tua, Domine virtutum!* idest Deus omnipotens; *concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum;* sciens quod: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te;* sciens quod: *Melior est dies una in atriis tuis super millia,* idest plus quam mille dies, etiam felicissimi in hoc mundo, quoniam: *Sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia,* [57] sicut sol coelestia astra nunquam luce privat. Hinc laetabatur supra modum promissionibus Dei: *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem.* [58]

Declaratur nobis hodie paradisi gloria per sensus,

V. Quoniam vero nos natura corporea [sumus] et vix intelligere possumus quae oculis patent, coelitus nobis ac divinitus paradisi gloria declaratur simul et praedicatur. Nam cum oculi et aures, visus et auditus sint praecipua scientiarum instrumenta, voluit Deus hodie ut tum per visum tum per auditum manifestaretur nobis gloria: per visum quidem, conspecto Christo transfigurato in nube lucida

53) Ps 102 (hebr. 103), 13. 54) Ms.: *Rachem* et infra: *Rechem.* 55) Cf. 21, 12 sqq. 56) Ps 86, 1-3. 57) Ps 83 (hebr. 84), 2-3. 5. 11-13. 58) Ps 121, 1-2.

inter Moysen et Eliam, et per auditum, nam vox de nube facta est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Sic olim Isaiae ostensa fuit Christi gloria et maiestas in medio duorum Seraphim vocemque de coelo audivit dicentem: *Dominus . . . exercituum, plena est omnis terra gloria eius ;* [59] ubi hebraice: *Plenitudo universae terrae gloria eius.* Plenitudo autem terrae Divinae Scripturae phrasi designat rerum omnium abundantiam. Si, inquit, vult quis intelligere quidnam sit gloria Dei, consideret ac veluti in unum componat bona omnia quae reperiuntur in terra; non secus ac agere solet nobilis puella ingressa in hortum consitum omni genere florum suaveolentium: colligit ex omni genere florum, quos pulcriores videt, et pulcherrimum componit fasciculum gratiosissimi ac suavissimi odoris. Sic simul collectis bonis ac pulcris omnibus quae in mundo hoc nostro sunt, intelligere quodammodo possumus quid sit gloria paradisi, nam « status est omnium bonorum cumulatione perfectus ». [60] Sic ait: *Plenitudo universae terrae gloria eius,* quia in gloria et beatitudine reperitur copia omnium desiderabilium bonorum.

nam ut aliquo modo intelligatur quid sit, omnia bona mundi in unum componenda sunt.

VI. Ostendit Deus Ezechieli gloriam Christi, nam aperto coelo vidit Sanctissimus Vates veluti currum triumphalem, sed ornatissimum ac supra modum mirabilem, qui totus [60*] erat ex electro, quod quidem metallum est auro simul et argento constans; quattuor animalibus trahebatur, sed unumquodque animal habebat quattuor facies: hominis, leonis, vituli et aquilae, erantque animalia veluti ignea, sed omni ex parte oculis plena, sicut coelum serena nocte plenum ornatumque cernitur stellis splendidissimis; rotae vero currus magnae erant et mirabiles, coloris maritimi, sive coelestis, plenae erant oculis et, quod mirabilius est, spiritus vitae erat in rotis, erant rotae vivae sicut animalia. Pars superior currus erat sicut firmamentum, et supra coelum hoc currus erat veluti thronus regalis, totus ex sapphiro; supra hunc autem thronum Christus sedebat totusque micabat et splendebat, sicut electrum, aurum argentumque splendidissimum, quod purissimi instar ignis fulgebat. [61]

Ostensa fuit Ezechieli gloria Christi.

O mirabilem gloriae similitudinem! *Haec visio,* inquit, *similitu-*

59) Is 6, 3. 60) Boetius *De Consolatione Philosophiae,* lib. 3, prosa 2, (P. L. 63, 724).
60*) Ms.: *Quod totum.* 61) Cf. Ez 1, 4 sqq.; 10, 1 sqq.

sed in figura etiam gloriae nostrae;

dinis gloriae Domini.[62] Quodnam hoc mixtum? Quaenam mirabilis compositio? Simulacrum est gloriae nostrae, nam gloria Christi exemplar est gloriae nostrae; qualis gloria Christi, talis futura est gloria nostra: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*[63]

nam in ea visione significantur quattuor dotes corporis glorificati.

Significatur hoc simulacro quod corpus beatum incorruptibile erit sicut coelum, mirabili varietate ornatum sicut firmamentum, vita donatum coelesti; quod habebit naturam quidem humanam, placidissimam, sed coniunctam cum fortitudine leonis et bovis viribus ac potentia, simul cum aquilae levitate ac agilitate, ita ut volare omni aquila velocius possit quocunque libuerit, totusque electri instar fulgebit, imo ut sol. Erit animae corpus tanquam triumphalis currus, sed summi regis aut imperatoris in nobilissimo triumpho; animae in omnibus ac per omnia obedientissimum erit corpus, sicut currus aurigae.

Gloria naturam non destruit, sed omnibus perfectionibus donabit,

Sed quis unquam currum vidit totum aureum, cum rotis argenteis, sed vita praeditis splendidisque oculis ornatis ac praeditis? Homo tunc erit quilibet, sed non terrenus, coelestis erit, sicut Paulus de Christo ait quod coelestis est homo.[64] Deest homini fortitudo leonis: tunc quilibet erit fortior Davide,[65] imo Samsone;[66] deest robur tauri: firmitas corporis coniuncta cum agilitate et laetitia: *Egrediemini,* ait Malachias, *et salietis sicut vitulus saginatus;*[67] deest agilitas aquilae, deest auri splendor, deest solis pulcritudo, coeli incorruptio, Angelorum felicitas, scientia, puritas: his omnibus donabitur quisque bonis. Accidet unicuique Beatorum sicut dixit Deus ad Ieroboam: *Assumam te et regnabis super omnia quae desiderat anima tua erisque rex super Israel.*[68]

quia implebit omne desiderium animi nostri.

Haec erit, fratres, gloria paradisi: frui et possidere in perpetuum quaecunque desiderat anima nostra. Gloria enim implet ac superat omne desiderium animae nostrae, sicut lux solis omnem excedit vim oculorum nostrorum; sicut arca Domini tota fuit auro optimo deaurata intrinsecus et extrinsecus, aurea etiam corona donata, sub di-

62) Ibid. 2, 1. 63) Phil 3, 20 sq. 64) Cf. 1 Cor 15, 47. 65) Cf. 1 Rg 17, 34-36. 48-51. 66) Cf. Idc 15, 13-15; 16, 1-30. 67) 4, 2 Vulg.: *Sicut vituli de armento.* 68) 3 Rg 11, 37. Vulg.: *Te autem assumam,* etc.

vino propitiatorio inter cherubim collocata in ipso sancto sanctorum, loco divinae habitationis.[69] Qualis gloria cum Deo et Angelis eius semper morari!

Tale erit praemium virtutis in coelo, idest omnium bonorum possessio.

VII. Proponitur nobis hodie, fratres, praemium virtutis, bravium quod datur currentibus in stadio, corona quae datur contendentibus in agone, legitime certantibus et vincentibus: *Non* enim *coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.*[70] Sed quodnam hoc praemium? *Plenitudo universae terrae gloria eius.* Quisque Beatorum habebit imaginem ac similitudinem Dei mundique dominium Adami,[71] gratiam et amicitiam Dei Enoch[72] et Noe,[73] divitias Abrahami,[74] Isaac[75] et Iacob,[76] exaltationem Ioseph,[77] gloriam Moysi,[78] dignitatem Aaron,[79] potestatem Iosue, qua soli ac lunae praecepit ne moverentur in coelo,[80] fortitudinem Samsonis,[81] virtutem Davidis,[82] pulcritudinem Absalomi,[83] sapientiam Salomonis,[84] duplicem spiritum Eliae,[85] sanctitatem Patriarcharum, spiritum Prophetarum, gratiam Apostolorum, divinam puritatem Angelorum, scientiam Cherubim, caritatem Seraphim, immortalitatem et aeternitatem gloriae Dei, gloriam Christi: *Fulgebunt sicut sol iusti in regno Patris eorum,*[86] sicut Christus transfiguratus *resplenduit sicut sol.* Sol autem nihil aliud videtur esse nisi fasciculus omnium luminum ac virtutum coelestium, ex omnibus astris et planetis universi coeli collectus in unum; thesaurus omnium bonorum, quae animus noster desiderare vel cogitare potest. Praemium virtutis est apud Deum in coelo, in paradiso. An forte haec non credis, homo?

Sed etiam in terra virtus maximum praemium obtinet.

Sed, quaeso, vide praemium virtutis etiam in hoc mundo divinitus datum Sanctis et electis Dei post mortem. Dicas mihi, obsecro: Quisnam fuit Christus in mundo secundum carnem? An non homo pauperrimus, *fabri filius,*[87] natus in praesepio,[88] mortuus in cruce latronum morte, inter duos latrones?[89] Quomodo transfiguratus

69) Cf. Ex 25, 10-22; 37, 1-9. 70) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur. Non coronabitur* lect. cod. 71) Cf. Gn 1, 26-30. 72) Cf. ibid. 5, 22-25. 73) Cf. ibid. 6, 8-9; 7, 1. 74) Cf. ibid. 13, 2. 75) Cf. ibid. 26, 12-17. 76) Cf. ibid. 30, 43. 77) Cf. ibid. 41, 37-45. 78) Cf. Eccli 45, 1-6. 79) Cf. ibid. vrr. 7-27. 80) Cf. Ios 10, 12-13; Eccli 46, 1-10. 81) Cf. supra, not. 66 huius hom. 82) Cf. Eccli 47, 2-13. 83) Cf. 2 Rg 14, 25. 84) Cf. Eccli 47, 14-18. 85) Cf. ibid. 48, 1-13. 86) Mt 13, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt sicut sol,* etc. 87) Ibid. vr. 55. 88) Cf. Lc 2, 6-7. 89) Cf. Mt 27, 35-50; Mc 15, 25-37; Lc 23, 33-46; Io 19, 17-30.

est, ita ut resplendeat sicut sol, ut adoretur universum per orbem sicut Deus? Quis fuit Moyses? Nonne pastor ovium? [90] Quis Elias? Nonne pauper eremita? [91] Quis Petrus? quis Iacob? quis Ioannes? Nonne pauperes piscatores? [92] Nunc autem quinam reges aut imperatores ita nomen suum aeternitati et gloriae immortali mandarunt sicut hi homines? Quinam imperatores nunc ita honorantur ac adorantur in mundo sicut homines hi? Sed quam ob causam? Nonnisi virtutis ergo, quia sancti et pii servi ac cultores Dei fuerunt.

sicut cernimus in Christo et in omnibus Sanctis.

Videtis luce clarius praemia virtutis etiam in hoc saeculo. Et tamen multi adhuc impie dicunt, saltem in corde suo: *Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius?* [93] Si non hoc dicis, homo, in animo tuo, cur mundo potius servis quam Deo? quam Christo? An parum tibi videtur filium esse Dei, regni coelestis heredem, quod in praemium virtutis promittitur? Servos suos Deus in filios adoptat regnique sui heredes ac possessores instituit: *Hic*, inquit, *est Filius . . . dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Sic Deus servos suos exaltat, ut filios et heredes suos ipsos constituat.

Fratres mei, veritatem dico vobis: utinam nos vere ex animo crederemus magnitudinem praemii virtutis apud Deum! Si temporalia bona statuisset Deus in praemium virtutis, ita ut consequi haec minime posset nisi virtutis cultor, statimque peccantibus graves infligeret poenas, sicut egit cum peccantibus Angelis, [94] cum Adamo et Eva in paradiso, [95] mihi credite, multi essent virtutis cultores. Quid ergo? Pluris facienda nobis sunt temporalia, imo momentanea, caduca, fugacissima bona huius mundi, quam perpetua ac sempiterna in paradiso? O deplorandam caecitatem imo amentiam nostram!

Non ergo pluris facienda sunt temporalia bona quam aeterna,

Esau tantopere concupivit hereditare et consequi paternam benedictionem, [96] nos autem aeterni Patris nostri in coelo hereditatem nihili facimus? Primogenito filio magis dilecto voluit Isaac dare benedictionem, [97] sic utique Deus, nam duo haec habemus hodie: gloriam paradisi, quae summa est benedictio, et singularem dilectionem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui:* en primogenitus dilectissimus filius.

haec enim esset deploranda caecitas et summa amentia.

90) Cf. Ex 3, 1. 91) Cf. 3 Rg 17, 3-6. 92) Cf. Mt 4, 18-22; Mc 1, 14-20; Lc 5, 4-11. 93) Mal 3, 14. 94) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6 95) Cf. Gn 3, 6 sqq. 96) Cf. ibid. 27, 31-40. 97) Cf. ibid. 25, 28.

II. ALIA HOMILIA

Transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix... Domine, bonum est. [1]

I. Servis Dei et fidelibus Christi, fratres, duplex proponitur paradisus in praemium virtutis: in futuro saeculo et etiam in praesenti, sicut legimus tum terrestrem tum coelestem paradisum, sicut Hebraeis non tantum terra promissionis, sed etiam desertum paradisus fuit. Promisit Deus Hebraeis, si ex Aegypto egrederentur, si iugum servitutis Pharaonis deponerent, felicitatem terrae promissionis lacte et melle fluentis;[2] sed cum manna non promiserit, plura dedit quam promiserit. [3]

Servis Dei duplex praemium proponitur: in futuro saeculo et etiam in praesenti;

Servis suis Deus, fratres, multa magnaque promittit, sed multo plura multoque maiora attendit et donat. Non vult Deus ut ei serviamus absque ullo praemio aut mercede, sed Abrahamo dixit: *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis,* [4] magna in coelo, et magna etiam in hoc mundo. Hebraeis etiam in deserto dulcissimo cibo pasti fuerunt. [5] Magna est merces virtutis in coelo; sic etiam Christus ait: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra magna est in coelo.* [6]

Deus enim non vult ut absque praemio ei serviamus.

Haec est benedictio quam Isaac dat primogenito suo, magna adeo ut quid addere ei possit non inveniat. [7] Adeo magnum est virtutis praemium in coelo, fratres, ut Deus maius quid dare non possit. Cum vocavit Deus Abraham ad suum famulatum, magnam ei gloriam, maximam bonorum copiam et abundantiam promisit. [8] Hac ratione motus fuit etiam D a v i d ut Dei mandata servaret: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum propter retributionem.* [9] Sed duplicem agnovit retributionem, hinc ait: *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum ; bonitatem et disciplinam,* sive bonum gustum, *et scientiam,* cognitionem virtutis, *doce me, quia mandatis tuis credidi. Bonus es tu et in bonitate tua,* sive

Adeo magnum est virtutis praemium in coelo, ut Deus maius dare nequeat;

sed etiam in praesenti datur, idest iucunditas virtutis.

1) Mt 17, 2-4. 2) Cf. Ex 3, 15-18. 3) Cf. ibid. 16, 12 sqq. 4) Gn 15, 1.
5) Cf. Ex 16, 13 sqq. 6) Mt 5, 12. Vulg.: *Copiosa est in coelo.* 7) Cf. Gn 27, 27-37.
8) Cf. ibid. 15, 1 sqq. 9) Ps 118 (hebr. 119), 112.

bonitas tu et benefaciens : טוֹב־אַתָּה וּמֵטִיב, *doce me iustificationes tuas.* [10] Expertus fuerat bonitatem ac dulcedinem Dei, gustaverat ac viderat *quoniam suavis est Dominus,* [11] hinc petit bonum gustum et cognitionem Dei atque virtutis, cumque cognoverit Deum esse optimum benefactorem, petit ut Deus doceat eum semper multo diligentius atque perfectius divinam legem servare.

Nil suavius virtute et gratia Dei.

II. Nil dulcius, fratres, nil suavius virtute et gratia Dei. Audite Petrum hodie: *Domine, bonum est nos hic esse.* In sanctuario Domini una cum tabulis legis [12] servabatur virga virtutis Dei [13] et vas plenum manna: [14] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te !* [15] *Bonum est nos hic esse !* Quid dicis, Petre? Hic, supra montem excelsum, in cacumine montis asperrimi, ubi nec domus, nec habitatio ulla est, imo nec arbor quidem sub cuius umbra requiescere quis possit, bonum dicis esse manere? Ubi nihil est boni? Quid manducabis? quid bibes? quo operieris? Sed potens est, inquit, Deus in deserto ac asperrimo loco paradisum facere. Ubi Deus est, ibi omne bonum, nullum ibi deesse potest bonum; ideo ait: *Bonum est nos hic esse.*

nam ubi Deus ibi omne bonum, quia Deus fons est omnis dulcedinis.

Pluit Deus de coelo Hebraeis in deserto manna suavissimum, ut sciamus quod Deus fons est dulcedinis ac suavitatis inexhaustus. An potest quis gustare dulcissimum mel et non sentire dulcedinem? *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* [16] Deus ipsissima dulcedo et suavitas est: *Bonum est nos hic esse ; Dicite iusto quoniam bene,* [17] כִּי־טוֹב, [18] *quoniam bonum,* quoniam ipsa bonitas desiderabilis praemium virtutis est. O utinam veritatem hanc vere agnosceremus, fratres! Sed nonnisi experimento cognosci potest, sicut dulcedo mellis; hinc ait: *Gustate et videte.* Absque gustu et experimento cognosci non potest divina suavitas.

III. Sed tamen obsecro, fratres, dicite: Quisnam animo et cordi nostro maiorem dare potest consolationem et voluptatem: Deus an

10) Ibid. vrr. 65-68. Ms.: *Tob attah umetib.* 11) Ps 33, 9. 12) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 13) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. 14) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 15) Ps 30, 20. 16) Ps 33, 9. 17) Is 3, 10. 18) Ms.: *Chi tob.*

mundus? Quaenam videtur nobis arbor magis fructifera, quae suaviores ac meliores fructus afferat? Conqueritur Deus per I e r e m i a m dicens: *O generatio . . . videte verbum Domini: Num solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina,* caliginosa, quae soli minime est exposita, quae propterea infecunda est nihilque boni producit nisi letifera? *Quare ergo dixit populus meus: Recessimus, non veniemus ultra ad te ?* [19] An, ait, ego cultoribus meis inutilis omnino sum, sicut terra sterilis et ad nihil apta? Num qui mihi servit seminat in arena? Alludit autem ad beneficia praestita in deserto; innuit autem quod Deus servis suis est sicut terra optima, quae cultoribus suis reddit centuplum: *Bonum est nos hic esse.*

Mundus nunquam dare potest maiorem voluptatem quam Deus dat;

Iucundissimum est, fratres, servire Deo, non enim tyrannus exactor, oppressor est Dominus servorum suorum, sed pater clementissimus. Hinc per I e r e m i a m agit quandam amaram querelam dicens: *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt . . . et abierunt post vanitatem et vani facti sunt ?* [20] Similiter per M i c h a e a m ait: *Popule meus, quid feci tibi? Aut quid molestus fui? . . . responde mihi. Quia eduxi te de terra Aegypti et de domo servientium liberavi te.* [21] Non invenio, inquit, quidnam mali ibi unquam egerim, sed tantum magna multaque beneficia.

Iucundissima enim est servitus Dei,

Quod si ita nobiscum quoque semper egit, cur, quaeso, fratres, nolumus Deo ex animo servire, sed potius mundo, carni, vitio et peccato? Si civitas aliqua aut provincia deficit a suo principe, quia tyrannus est, crudelis oppressor, qualis Pharao erat Hebraeis in Aegypto, [22] nil mirum. Sed quod deficiat ab optimo principe, a quo nonnisi multis magnisque beneficiis affecta semper, aucta et cumulata fuit, ut impio et crudeli tyranno serviat, a quo nonnisi ingens malum expectare potest, hoc mirum, fratres.

quia servis suis Deus nonnisi beneficia praestare novit.

Cogita, quaeso, frater, et mente recogita omnes dies vitae tuae: vide an malum aliquod intulerit tibi unquam Deus; nisi forte malum tibi intulisse medicum existimabis, quia ad curandas infirmitates tuas aliquando amaras aliquas sed salubres tribuit potiones, venas aperuit, extraxit sanguinem, ferrum ignemque adhibuit; haec autem magni beneficii loco habentur et sunt.

Mala ipsa quae Deus in nos immittit, beneficia sunt;

19) 2, 31. Vulg.: *Nunquid solitudo, etc.* 20) Ibid. vr. 2. Vulg.: *Ambulaverunt post vanitatem.* 21) 6, 3-4. 22) Cf. Ex 1, 9 sqq.; 5, 5 sqq.

sicut bona naturalia quae possidemus, omnia ab eo accepimus.

Deinde vide et considera an bonum aliquod habeas et possideas quod non a Deo acceperis. Nam si forte ingenio, industriae ac laboribus tuis tribuere aliquod volueris, dic: industriam, vires, valorem a quo recepisti? Quis ingenium sanamque mentem et intellectum tibi dedit? Quare ergo, o homo, in Deum peccas? Cur Deum offendis? Cur peccato vis potius servire *et impietati ad iniquitatem* quam Deo et *iustitiae in sanctificationem?* [23] Utinam experiare virtutis dulcedinem, quam iucundum et suave sit divina mandata servare! *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum. Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa:* [24]

« Miscuit utile dulci »; [25]

Iugum... meum suave est et onus meum leve. [26]

Via virtutis carni et sensui aspera videtur, sed exemplo et gratia Christi suavissima spiritui redditur.

Quod si difficilis tibi videtur via virtutis, quae hodie per ascensum excelsi montis designatur, carni quidem et sensui difficilis est, spiritui autem suavissima, facillima tum a Christi virtute nos adiuvante ac veluti sursum trahente, nam ait quod *assumpsit Petrum: Domini est assumptio nostra et Sancti Israel regis nostri;* [27] deinde ab exemplo Christi, Christus nanque non tantum auxiliatur gratiam conferens et virtutes: *Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram,* [28] idest a Deo omnipotente, trahit ad se cor et spiritum nostrum, sicut magnes ferrum, sed exemplum etiam praebet virtutis: ipse hodie praecedebat Apostolos montem conscendens. Exemplum autem ducis et imperatoris exercitus an non ignavissimos etiam milites movet additque animum? Tandem a spe mercedis et praemii, nam supra montem hunc paradisus reperitur: *Domine, bonum est nos hic esse.*

Gloria paradisi figuratur per Ierusalem.

IV. Designatur saepe gloria paradisi per civitatem Ierusalem, [29] quae erat veluti cor et caput terrae promissionis, quo bona totius regni confluebant, omnes deliciae atque divitiae, ubi sedes regni et religionis, nam ibi domus Dei erat. Ter autem in anno ascendebant Hebraei pietatis ergo in Ierusalem ad Deum rite adorandum: in festo Paschae, Pentecostes et scenopegiae sive Tabernaculorum.

23) Rom 6, 19. 24) Ps 18, 10-12. 25) Horat. *De Arte Poetica*, vr. 343. 26) Mt 11, 30. 27) Ps 88, 19. 28) Ps 120, 2. 29) Cf. not. 24-25 praec. hom., pag. 207.

Festum Paschae celebrabatur in memoriam exitus de Aegypto, festum Pentecostes in memoriam legis coelitus datae, et festum Tabernaculorum in memoriam peregrinationis in deserto.[30]

Triplex est via per quam patet iter in coelestem hanc civitatem.

Docemur autem, fratres, quod triplex est via per quam patet nobis iter in coelestem Ierusalem: vel per Baptismum, in quo nobis communicantur merita Christi, aut per Poenitentiam, quae est secunda tabula post Baptismum;[31] vel per observantiam divinae legis, servientes Domino in sanctitate et iustitia,[31a] vel tandem per viam perfectionis, quam Christus supra viam mandatorum collocavit; nam de illa dicit: *Si ... vis ad vitam ingredi, serva mandata,*[32] de hac autem: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me.*[33] Haec est via altioris gradus, sanctioris vitae et singularis perfectionis in sancta aliqua Religione aut Congregatione servorum Dei, in humilitate et fervore spiritus Domino servientium, qui in hoc mundo sunt tanquam advenae et peregrini.[33a]

In Christo reperiuntur gloria et perfectiones omnium Sanctorum.

V. *Resplenduit facies eius sicut sol.* Sicut in sole virtualiter continetur omnis virtus omnisque splendor omnium astrorum, ita in Christo gloria omnium Sanctorum. Sponsa in *Canticis* Christum appellavit *fasciculum myrrhae,*[34] idest suavissimi odoris, fasciculum florum suavissime olentium ac pulcherrimorum. Sancta Ecclesia veluti hortus est florum: *Hortus conclusus ... emissiones tuae paradisus.*[35] Flores pulcherrimi ac suavissimi odoris sunt omnes singulares Sancti. Adam innocens immortalitate ac perpetua felicitate mundique dominio in paradiso donatus;[36] Abel iustus,[37] Enoch sanctus,[38] Noe perfectus.[39] Sed quicquid perfectionis aut bonitatis reperitur in Sanctis omnibus, totum hodie in Christo: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.*[40]

Agens Dominus de aeterna beatitudine in sermone in monte, ostendit esse veluti collectionem omnium desiderabilium bonorum.

30) Cf. Ex 23, 17; 33, 23-24; Lv 23, 24 sqq. 31) Sic appellatur a theologis. Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 84, a. 6. 31ª) Cf. Lc 1, 75. 32) Mt 19, 17. 33) Ibid. vr. 21. *Omnia* lect. cod. 33ª) Cf. 1 Petr 2, 11. 34) 1, 12. 35) Ibid. 4, 12-13. 36) Cf. Gn 1, 28-30; 2, 15-17. 37) Cf. Mt 23, 35; Hebr 11, 4. 38) Cf. Gn 5, 22-24; Eccli 44, 16; Hebr 11, 3. 39) Cf. Gn 6, 8-9; 7, 1. 40) Ct 1, 12.

Gloria paradisi est collectio omnium bonorum desiderabilium.

Reperiuntur in mundo regna et imperia: *Ipsorum est regnum coelorum*, [41] collegit hunc florem; reperitur possessio multorum bonorum: *Ipsi possidebunt terram*, [42] utique promissionis, lacte et melle manantem; [43] reperitur consolatio et laetitia cordis: *Ipsi consolabuntur;* [44] reperitur satietas et plenitudo desideriorum cordis: *Ipsi saturabuntur;* [45] reperitur favor et gratia principum: *Ipsi misericordiam*, gratiam, *consequentur;* [46] reperiuntur pulcherrima spectacula, quae oculos mira suavitate pascunt: *Ipsi Deum videbunt;* [47] reperiuntur illustres tituli apud summos principes: *Filii Dei vocabuntur*, [48] quo altius quid aut sublimius nec excogitari quidem potest; [49] tandem: *Ipsorum est regnum coelorum*, [50] idest ipsorum sunt omnia bona Dei, omnes thesauri divitiarum et gloriae ipsius Dei, cum facti sint *filii et heredes... Dei*, fratres et *coheredes... Christi*, [51] unicuique enim dicet: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

III. ALIA HOMILIA

Transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. [1]

In admirabili gloria Christi elucet gloria electorum.

I. Mirabile [2] spectaculum, quod Petrum voluptate replet: *Domine, bonum est nos hic esse.* [3] Stupet Petrus et laetatur visa Christi gloria, *in quem desiderant Angeli prospicere.* [4] Accidit ei sicut reginae Saba visa gloria Salomonis, non remansit *ultra in ea spiritus:* [5] *Beati servi tui, qui stant coram te semper;* [6] sic Petrus: *Bonum est nos hic esse.* Elucet in Christo hodie gloria electorum Dei: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae;* [7] nam: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* [8]

41) Mt 5, 3. 42) Ibid. vr. 4. 43) Cf. Ex 3, 8. 17; 13, 5; 33, 3; Nm 13, 28; 14, 13; Dt 6, 3; Ios 5, 6. 44) Mt 5, 5. 45) Ibid. vr. 6. 46) Ibid. vr. 7. 47) Ibid vr. 8. 48) Ibid. vr. 9. 49) Ms.: *Quicquam*, quod superfluum est. 50) Mt 5, 10. 51) Rom 8, 17.

1) Mt 17, 2. 2) In margine haec adiecta fuerunt: « Christus Dominus sicut Silenus Alcibiadis erat: sub facie deformi latebat imago aurea atque pulcherrima. Sic ostendit hodie ». 3) Mt 17, 4. 4) 1 Petr 1, 12. 5) 2 Par 9, 4. 6) 3 Rg 10, 8. 7) Phil 3, 20 sq. 8) Mt 12, 43. Vulg.: *Iusti fulgebunt*, etc.

Conditus homo est ad felicitatem; statim ut formatus fuit, adductus fuit in paradisum voluptatis. [9] Innatum et naturale est felicitatis desiderium in humano pectore, nemo est qui non desideret statum aliquem vitae, in quo laetus, contentus felixque vivat; nec vanum est desiderium, nihil enim frustra facit Deus, [10] non creavit potentiam absque obiecto, non famem sine cibo et potu. Ecce obiectum huius desiderii: visa Petrus gloria Christi, ait: *Domine, bonum est nos hic esse.*

Gloria paradisi est felicitas quam homo naturaliter desiderat.

Paradisi gloria bonum est quod explet omne desiderium cordis humani. Magna res et summa rerum necesse est ut sit. Magnam gloriam dedit Deus Salomoni, infinitam divitiarum copiam, regnum florentissimum maximamque sapientiam; mirabile admirationis erat toti mundo tanquam coeleste oraculum divinumque miraculum, [11] sed contentus non fuit: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* [12] Magnam gloriam contulit Adamo, quem in paradiso collocavit et mundi totius monarcham constituit; [13] sua tamen sorte contentus non fuit; totus mundus parva res fuit magnitudini animi ipsius, multo ampliorem desideravit: *Nequaquam . . . moriemini:* securitatem perpetuae immortalitatis vitaeque aeternae; *Eritis sicut dii:* sublimitatem honoris gloriaeque divinae; *Scientes bonum et malum:* universitatem perfectam omnium scientiarum. [14] Petrus autem hodie, visa Christi gloria, summe contentus laetusque redditur, nihil aliud desiderat: *Domine, bonum est nos hic esse.*

Idest bonum quod explet omne desiderium.

II. Gloria paradisi ineffabilis est. P a u l u s a p o s t o l u s, testis oculatus, cuius lingua erat potentissima, instrumentum Spiritus Sancti, cum ad tertium coelum in paradisum raptus fuisset, vidit *quae non licet homini loqui :* [15] *Oculus non vidit nec auris audivit . . . quae praeparavit Deus diligentibus se.* [16] Quis hominum, licet doctissimus et eloquentissimus, posset caeco a nativitate pro dignitate narrare pulcritudinem coeli, multitudinem stellarum, splendorem lunae, lucem solis, immensam hanc et ornatissimam mundi machinam? Quibus verbis significare hic posset, cum ille omnino ignoret quid

Gloria paradisi ineffabilis est.

9) Cf. Gn 2, 15. 10) Axioma ex Aristotele: Deus et natura nihil faciunt frustra. *De Republica*, lib. 1, cp. 2, t. 2, pag. 178. 11) Cf. Eccli 47, 14-20. 12) Eccle 1, 2; 12, 8. 13) Cf. Gn 2, 15-20. 14) Ibid. 3, 4-5. 15) 2 Cor 12, 4. 16) 1 Cor 2, 9. Vulg.: *Iis qui diligunt illum.*

sit lux, quid pulcritudo, quid ornatus, quid coelum, quid sol, quid luna, quid stellae?

et Evangelista utitur figuris solis et nivis, quia explicari nequit;

Sed agit hodie Evangelista non secus ac si quis vellet homini, qui in tetro carcere sub terra natus est, qui coelum nunquam vidit nihilque mundi huius, ad lumen lucernae ibi semper vixit pane et aqua sustentatus, si quis, inquam, significare huic vellet mundi pulcritudinem; quomodo significare posset? Diceret utique quod coelum est sicut tectum illius carceris, sol sicut lumen illius lucernae, sed multo maius; mare est magna aquarum copia simul congregata sicut in situla. Sed quidnam haec sunt ad significanda maria, coelos, astra? Sed melius non potest. Sic Evangelista: *Resplenduit facies sicut sol, vestimenta autem eius... sicut nix.* Soli lucidissimo et nivi candidissimae comparatur gloria paradisi, utrunque autem de coelo est. Facit sicut exploratores Hebraeorum cum terram promissionis explorassent: tulerunt de fructibus terrae illius: uvas, ficus, malogranata, ut ex fructibus illis demonstrarent populo quod terra illa vere optima esset, lacte et melle fluens;[17] ut autem aptius hoc significarent, etc. ...

aliquo modo intelligi potest ex iunctione bonorum quae sunt in mundo,

Sic Evangelista symbolis utitur solis et nivis, nam ex pluribus bonis, quae in mundo hoc reperiuntur simul iunctis, intelligere quodammodo possumus gloriam paradisi: מְלֹא כָל־הָאָרֶץ כְּבוֹדוֹ;[18] sic Christus egit: *Ipsorum est regnum coelorum... ipsi possidebunt terram... ipsi consolabuntur... ipsi misericordiam consequentur... ipsi saturabuntur... Deum videbunt... filii Dei vocabuntur... ipsorum est regnum coelorum,*[19] idest regnabunt semper in coelo. Colligit in unum regna, coronas, sceptra, possessiones divitiarum, consolationes, misericordiam, idest gratiam et amicitiam Dei, saturitatem, idest plenitudinem virtutum, omnium divinarum rerum scientiam, summum apud Deum honorem et amorem, ac tandem vitae perpetuitatem et incorruptionem.

Sed unaquaeque harum rerum qualis erit? *Sicut sol... sicut nix,* summa lux, summus candor, maior desiderari non potest: *Domine,*

17) Cf. Nm 13, 22-27; 3 Rg 3, 11-13; 2 Par 1, 11-12.

18) Is 6, 3. Ms.: *Melo cal haarez chebodo.* Idest: *Plena est omnis terra gloria eius.*

19) Mt 5, 3-10.

bonum est nos hic esse. En expletum est omne desiderium cordis humani. Dedit Deus homini paradisum deliciarum, locum voluptatis: qualis erit paradisus iste? *Sicut sol*, sicut lux. Dedit mundi dominium: quale dominium? *Sicut sol... sicut nix*, Dedit Dei imaginem et similitudinem:[20] qualis tunc erit? *Sicut sol... sicut nix.* Expletum est omne desiderium cordis humani, ergo possidebit vitae immortalitatem, divinum honorem, scientiarum universitatem, quae Adam desideravit. Qualia haec erunt? *Sicut sol... sicut nix.*

sed ad maximam perfectionem electorum.

Hanc ob causam Ioannes in *Apocalypsi* paradisum comparavit civitati aureae, cuius muri et aedificia omnia a fundamentis erant ex auro et lapidibus pretiosis, civitati maximae, longitudinis et latitudinis duodecim millium stadiorum.[21] Quis unquam talem civitatem vidit? *Sicut sol... sicut nix.* Sanctum sanctorum Deus, locum habitationis et gloriae suae, totum voluit auro, solari metallo, splendere, quia non reperitur nobilius metallum; arcam testamenti voluit exterius interiusque deaurari, in sancto sanctorum collocari in medio cherubim sub divino propitiatorio,[22] una cum tabulis legis,[23] cum urna mannae,[24] cum virga mirabili divinae virtutis.[25] Erat autem arca illa veluti hieroglyphicum hominis glorificati, qualis hodie Christus ostenditur: *Transfiguratus est... et resplenduit... sicut sol.*

Ideo comparatur civitati illi mirabili quam vidit Ioannes, et sancto sanctorum.

III. Coelestis beatitudo explet omne desiderium humani cordis: *Domine, bonum est nos hic esse*, amplius desiderare mens humana non potest bonum: *Bonum est nos hic esse. Dicite iusto*, ait per Isaiam Deus, *quoniam bene:*[26] כִּי־טוֹב,[27] *quoniam bonum*, idest quoniam bonum manet eum. Quod bonum? quale bonum? quam magnum? Dici non potest, sed *quoniam bonum: Bonum est nos hic esse.* Beatitudo quies est desiderii.

Gloria paradisi explet omne desiderium cordis humani.

Cor humanum est sicut apud Platonem aqua Amelitae, quae nullo vase contineri poterat:[28] nulla re mundi huius cor nostrum continetur quietum atque contentum. Cor humanum est sicut

quod nullum bonum terrenum facere potest;

20) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 21) Cf. 21, 10 sqq. 22) Cf. Ex 25, 10-22; 37, 1-9. 23) Cf. ibid. 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 24) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 25) Cf. Nm 17, 10; 20, 9; Hebr 9, 4. 26) 3, 10. 27) Ms.: *Chi tob.* 28) Lib. 31, *De Republica*, dial. 10, pag. 386.

materia prima, quae, quoniam apta est ad omnes formas, omnes desiderat,[29] formaque aliqua sortita, expleto aliquo desiderio, veluti fastidio affecta aliam desiderat et praesentis interitum machinatur, nisi forma praedita sit perfectissima, veluti est forma coeli et astrorum.[30] Sic ait: *Domine, bonum est nos hic esse*, cum tamen nonnisi Christum in gloria videret. Sicut enim sol ipse solus maiori lumine replet mundum quam omnia simul astra coelestia, sic utique Deus solus maiori consolatione et voluptate replet humanum cor.

quia quod terrenum est, imperfectum est,

In dedicatione templi legimus quod *maiestas Domini implevit templum.*[31] Ezechiel item ait quod cum maiestas Domini ingressa fuisset templum Domini, domus repleta fuit gloria Domini.[32] Isaias quoque: *Ea quae sub ipso erant, fimbriae eius, replebant templum... Plena est omnis terra gloria eius;*[33] *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus; beatus vir qui sperat in eo;*[34] *Beatum dixerunt populum cui haec sunt*, bona mundi huius, sed *beatus populus cuius Dominus Deus eius.*[35] In mundo videmus quod natura superior continet inferiora: coelum elementa; sphaera superior inferiores; homo esse, vivere, sentire inferiorum; numerus superior inferiores. Deus autem bonum supremum est, continet ergo inferiora; sicut manna est, quae omnem continebat saporem,[36] sicut unitas continens omnes numeros, sicut sol continens omnes gradus lucis, sicut nix omnem gradum candoris, ignis continens omnem gradum caloris. Sic in Christo Petrus reperit omnem gradum consolationis: *Bonum est.*

solus autem Deus bonum supremum est quod continet omnia bona.

IV. Quis hominum in mundo sic reperiatur sua sorte contentus sicut Petrus cum Christo separatus a mundo? Regius Vates aiebat: *Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum*, hebraice: *Domine, libera animam meam ab impio, qui est gladius tuus, a paucis viris, qui sunt manus tua, a paucis viris de saeculo, quorum portio in vita; de absconditis his*, idest divitiis, thesauris, *adimpletus est venter eorum. Saturati sunt filii, dimittunt reliquias suas parvulis suis; ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum evigilaverit similitudo tua.*[37] Homines, inquit, qui felices videntur, pauci sunt; prin-

Vere felix in mundo nemo est.

29) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 66, a. 2, c. 30) Cf. ibid. 2ª 2ªᵉ, q. 24, a. 11, c. 31) 2 Par 7, 1. Vulg.: *Implevit domum.* 32) Cf. 43, 4-5. 33) 6, 1-3. Ex hebraico. 34) Ps 33, 9. 35) Ps 143, 15. 36) Cf. Sap 16, 20-21. 37) Ps 16 (hebr. 17), 14 sqq.

cipes, qui sunt veluti gladius et manus Dei, qui de mundo sunt, qui diligunt mundum, licet ditissimi sint et filiis sint circumdati quibus opes suas relinquant, saturi tamen non sunt; ego iustitiam colens, *satiabor cum apparuerit gloria tua, similitudo tua.*

licet bonis terrenis cumuletur;

Nunc filii Dei sumus . . . nondum apparuit quid erimus; scimus autem *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus . . . videbimus eum sicuti est.* [38] Multi videntur felices in mundo, sed non sunt: *Divites eguerunt et esurierunt; inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* [39] Sapiens ait: *Est quasi dives cum nihil habeat, et est quasi pauper cum in multis divitiis sit,* [40] nam, ut ait Ecclesiastes: *Est . . . malum* ingens *quod vidi sub sole et quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus divitias et substantiam et honorem et nihil deest animae suae ex omnibus quae desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo.* [41] At, contra, est quasi dives cum sit pauper: *Nihil habentes et omnia possidentes.* [42]

solus felix qui Christum sequitur;

Hoc est mysterium illud, quod virga Dei aquas Aegypti convertit in sanguinem, ut bibere non possent Aegyptii nec sitim levare ex immensa copia aquarum; [43] e contra vero, ex petra et durissimo silice eadem virga aquas eduxit Hebraeis in deserto. [44] Ecce Petrus dives in montis cacumine, ubi nihil erat nisi Deus, nisi Christus: *Domine, bonum est nos hic esse.* Dives est qui cupiditatibus pauper est, dives est non qui plus habet, sed qui minus eget; felicior iuvenis pauper, sanus, validus, sene divite et infirmo qui multis eget: ad videndum ocularibus, ad ambulandum baculo, ad induendum multis vestibus, ad comedendum cibis delicatis, conditis ne stomachum laedant. Non est contentus qui multum bibit, sed qui non sitit; non qui multum comedit, sed qui non esurit; non qui multis vestibus induitur, sed qui frigus non sentit; neque enim homo felicior hieme, quia pluribus utitur vestibus, quam vere et aestate, quando paucis et levioribus. Sic dives et felix est non qui plus habet, sed qui minus eget: *Domine, bonum est nos hic esse.*

nam vere dives et felix est non qui plus habet, sed qui nullius eget.

V. Sed ad hanc gloriam et felicitatem consequendam, quid facto opus est? Regius Vates aiebat: *Quis est homo qui vult vitam,*

38) 1 Io 3, 2. 39) Ps 33, 11. Vulg.: *Non minuentur*, etc. 40) Prv 13, 7.
41) 6, 1-2. 42) 2 Cor 6, 10. 43) Cf. Ex 7, 20-24. 44) Cf. Ibid. 17, 5-6.

Ad gloriam paradisi consequendam opus est Christum audire;

diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum. Declina a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam: [45] Hodie vero dicitur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite ;* [46] sicut Pharao dixit Aegyptiis, ut vivere si vellent, Ioseph adirent, quem unicum regni principem constituerat, et ipsius iussa exequerentur: *Ite ad Ioseph, et quicquid ipse vobis dixerit, facite.* [47] Sic enim Deus hodie Christum totius mundi principem constituit, induit eum splendidis vestibus, coronat gloria, sicut Regius Vates aiebat: *Gloria et honore coronasti eum,* [48] sicut Pharao egit cum Ioseph regni sui principem constituit: induit eum regalibus indumentis, dedit ei auream torquem et anulum, quae tunc temporis regia erant insignia, [49] equitare fecit eum super currum suum. [50] Nubes lucida currus Dei est, vestis candida regale indumentum, splendor faciei corona aurea super caput ipsius: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Haec via salutis est et scala coeli.

sed quia multi sunt qui mundum magis diligunt, ideo pauci salvantur.

Multi dicunt: *Bonum est nos hic esse.* Mundum magis diligunt quam paradisum, quam Deum; hinc pauci sunt qui salvantur. Tres tantum Apostolos duxit in paradisum. Si quoscunque et quomodocunque Christus homines ad se trahere voluisset, apparuisset semper mundo in hodierna gloria et maiestate bonaque temporalia dedisset, tunc enim quis eum secutus non fuisset? Sed non virtutis amore, [sed] divitiarum et gloriae causa. Non sic, non sic. Homines requirit rationales, aequos rerum aestimatores, qui Deum super omnia maximi faciant. An non insanus esset qui opes pluris quam vitam aestimaret? homo qui pecuniam magis quam honorem? qui pecuniae causa uxorem filiasque prostitueret? Sic Deus praeferendus est mundo, coelestia terrenis, anima corpori, virtus vitio.

45) Ps 33, 13-15. Vulg.: *Diverte a malo,* etc. 46) Mt 17, 5. 47) Gn 41, 55.
48) Ps 8, 6. 49) Cf. Philo Iudaeus *De Joseph,* pag. 351. 50) Cf. Gn 41, 41-46.

FERIA SECUNDA

POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire, etc. [1]

I. Iusta quadam indignatione commotus videtur hodie Dominus comminari Iudaeis se discessurum ab eis relicturumque eos. Sicut in *Numeris* legimus quod iratus Deus discessit a tabernaculo, eo quod Aaron et Maria locuti fuerant contra Moysen: *Iratus ... contra eos abiit, nubesque recessit, quae erat super tabernaculum,* [2] sic Deus iratus discessurus erat a Iudaeis propter peccata in Christum admissa. Apud Ezechielem 10 capite legimus discessum gloriae, idest maiestatis Domini de templo: *Elevata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus,* [3] deinde vero: *Elevata est,* inquit, *gloria Domini a limine templi et stetit super Cherubim;* [4] capite autem sequenti ait: *Ascendit gloria Domini de medio civitatis stetitque super montem, qui est ad orientem urbis.* [5] Sic Dominus hodie: *Ego vado.*

Comminatur hodie Dominus Iudaeis se discessurum ab eis,

Per Ieremiam Dominus ait: *Erudire, Ierusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem.* Sed quam ob causam? *Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam,* [6] ubi hebraice: *Sicut scaturire facit puteus aquam suam, ita scaturire facit malitiam suam.* Hinc apud Oseam legimus *venam* et *fontem* mortis, ait enim: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, o mors, morsus tuus*

propter eorum peccata iusta indignatione commotum.

1) Pericope huius diei Io 8, 21-29. Cf. Missale Rom. 2) 12, 9-10. Vulg.: *Nubes quoque*, etc. 3) Vr. 4. 4) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Egressa est gloria*, etc. 5) Vr. 23. 6) 6, 7-8. Ordine inverso affert hos vrr.

ero, inferne. Et *adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem et siccabit venas eius et desolabit fontem eius.* [7] Peccatum siquidem origo mortis et causa est: *In quocunque . . . die comederis ex eo morte morieris;* [8] *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors ; et sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* [9]

Peccatum fons est omnium malorum.

II. Ostenditur in hodierno Evangelio hoc ipsum: *In peccato vestro moriemini,* et iterum: *Moriemini in peccatis vestris,* [10] ac tertio: *In peccato vestro moriemini.* [11] Morbus est pestilentissimus, pestis perniciosissima, venenum mortiferum infernalis serpentis, fons omnium malorum, abyssus omnium miseriarum, vivus infernus, daemonum receptaculum. Hinc Regius Vates non praedicat beatum nisi hominem a peccato immunem: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit et in cathedra pestilentiae non sedit ;* [12] *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini;* [13] *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata; beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* [14] Scit enim quod beatitudo in gratia Dei consistit: *Beata gens cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in hereditatem sibi.* [15]

Vere beatus est qui solum Deum habet,

Hinc *Psalmo 143* beatiorem dicit eum qui solum Deum habet quovis homine in saeculo felicissimo. Describit nanque saeculi huius felicitatem numeris omnibus absolutam: *Quorum filii sicut novellae plantationes in iuventute sua; filiae eorum compositae, circumornatae ut similitudo templi.* Sic describit numerosam sobolem, filiorum et filiarum numerum ad votum; deinde divitiarum opulentiam: *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud ; oves eorum fetosae, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassae ;* absque ullo infortunio: *Non est ruina maceriae nec transitus nec clamor in plateis eorum,* [16] nullo afficiuntur malo; talis describitur Beati Iob prosperitas. [17] *Beatum dixerunt populum cui haec sunt,* qui tanta in prosperitate et secunda fortuna vivit, tot tantisque fruitur bonis; sed haec

quia solus Deus fons est verae felicitatis:

7) 13, 14 sq. 8) Gn 2, 17. 9) Rom 5, 12. Vulg.: *Et ita in omnes*, etc.
10) Io 8, 24. 11) Ibid. 12) Ps 1, 1. 13) Ps 118, 1. 14) Ps 31, 1-2.
15) Ps 32, 12. 16) Vr. 12-14. Vulg.: *Neque transitus, neque clamor.* 17) Cf. Iob 1, 1-5.

vana, inquit, beatitudo est: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*, [18] quoniam solus Deus verae et solidae felicitatis fons indeficiens est et infinitus thesaurus.

Per peccatum autem amittitur Dei gratia et amicitia divinaque incurritur ira. Sic ipse expertus fuerat ob admissa facinora adulterii et homicidii. [19] Saepe quidem iratum Deum legimus, sed semper causa peccati, quoniam summa infinitaque Dei bonitas peccatum tanquam summam et infinitam malitiam summo et infinito odio prosequitur et persequitur nulloque patitur consistere loco: eiecit ex paradiso coelesti, [20] eiecit ex terrestri, [21] eiecit de templo Christus semel [22] et iterum, [23] tandem de mundo omnes peccatores cum diabolo et angelis eius eiciet et in infernum proiciet. [24] Talis est, fratres, et tanta peccati pernicies, ut lingua etiam angelica impar esset verbis et oratione assequi infinitam malorum molem quae ex peccato proveniunt. Divinae Scripturae nihil aliud praedicant nisi peccati punitionem aut comminationes aeternorum malorum.

Per peccatum autem amittitur Dei gratia divinaque incurritur ira.

Non est autem animus multa prosequi quae ex Sacris Litteris afferri possunt ad exaggerandam peccati infinitam malitiam, turpitudinem, poenas et mala, sed tantum quae in hodierno Evangelio dicuntur a Christo pro viribus declarare: *Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado vos non potestis venire.* Haec summa malorum est.

Ex verbis Christi declaratur malitia peccati.

III. Oporteret autem prius dicere quidnam peccatum est; sed ex primo peccato hominis liquet quod transgressio est mandatorum Dei. Sufficit scire quod Ioannes ait quod peccatum est iniquitas: *Qui peccatum facit, iniquitatem operatur.* [25] Hinc Regius Vates, cum peccasset et veniam peteret, aiebat: *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me; quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* [26] Non potest non esse iniquitas transgressio iustissimarum et sanctissimarum legum Dei.

Peccatum est vera iniquitas, quia transgressio est mandatorum Dei.

18) Ps 143, 15. 19) Cf. 2 Rg 12, 7-12. 20) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 21) Cf. Gn 3, 6 sqq. 22) Cf. Io 2, 14-16. 23) Cf. Mt 21, 12-13; Mc 11, 15-17; Lc 19, 45-46. 24) Cf. Mt 25, 41 sqq. 25) 1 Io 3, 4. Vulg.: *Qui facit peccatum et iniquitatem facit.* 26) Ps 50, 3-5.

macula indelebilis animae.

Ostendit etiam quod peccatum immunditia est animi, sordes conscientiae; hinc lavari petit a Deo, quoniam macula indelebilis est, quam nonnisi Deus potest eluere: *Ego Deus qui deleo iniquitatem tuam per meipsum.* [27]

crimen laesae maiestatis divinae,

Sufficit scire quod crimen est laesae maiestatis divinae: *Tibi soli peccavi et malum coram te feci,* [28] per summam ingratitudinem et contemptum divinae maiestatis; quod malitia est Deo supra modum abominabilis et execrabilis: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es,* [29] idest summe abominaris, summopere tibi displicet, sicut viro uxoris adulterium, domino servi furtum aut proditio, patri dedecus et ignominia filii in domus et familiae dedecus, ut si infamem meretricem in uxorem ducat, vel divisus a patre turpem sordidamque artem exerceat, ut filius prodigus pascens porcos. [30] Displicet patri contumax et proterva filii inobedientia, maxime in ipsius contemptum ac despectum; sic Deo displicet peccatum, sicut iudici iusto et principi optimo atrocia delicta, seditiones, latrocinia, homicidia in reipublicae perniciem ac perturbationem.

quod Deum ad iracundiam provocat.

Saepe Deus ostendit quantopere abominetur peccatum et peccatores.

Sic in Divinis Litteris saepissime legimus quantopere abominetur Deus et peccatum et peccatores; nam omnia quidem peccata *abominationes* dicuntur. Hinc S a l o m o n ait: *Abominatio est Domino via impii;* [31] et: *Abominatio Domini cogitationes malae;* [32] et idem: *Abominatio Domini est omnis illusor,* [33] idest peccator, sicut ait: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* [34] Adeoque abominatur peccatum, ut etiam opera bona quae peccator agit in peccatis vivens, Deo minime placeant. Hinc legimus quod *ad Cain ... et ad munera eius non respexit,* [35] nam: *Abominabile Domino cor pravum;* [36] hinc etiam hostiae impiorum abominabiles: *Incensum abominatio est mihi ... cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos.* [37] S c omnes peccatores Deo sunt abominabiles: *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus.* [38] Hanc ob causam ait hodie Christus: *Ego vado,* discedo a vobis: *Peccata vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum.* [39]

27) Is 43, 25. Vulg.: *Iniquitates tuas propter me.* 28) Ps 50, 6. 29) Ps 5, 5. 30) Cf. Lc 15, 12-16. 31) Prv 15, 9. 32) Ibid. vr. 26. 33) Ibid. 3, 32. 34) Ps 5, 7. 35) Gn 4, 5. Vulg.: *Munera illius.* 36) Prv 11, 20. 37) Is 1, 13-15. 38) Ps 52, 2. 39) Is 59, 2. Vulg.: *Iniquitates vestrae diviserunt,* etc.

Hoc est ergo primum malum peccati: privare hominem gratia Dei.

Hoc primum est malum quod peccatum operatur: privat nos infinita bonitate, misericordia, gratia et caritate Dei. Hoc est quod homo post peccatum eiectus a paradiso fuit, a domo Dei, a facie Dei, privatus Dei gratia, sicut filius exheredatus paterna domo eicitur. O infinitum malum! Si tanti fit apud homines gratia principum, quanti facienda est gratia Dei, qui *Rex regum* est *et Dominus dominantium,* [40] rex sempiternus, infinitae potestatis et maiestatis?

Aliud malum, duplex poena etiam in hoc mundo: sensus et damni;

IV. Duplicem peccati poenam statuunt sacri theologi non solum in inferno, sed etiam in hoc mundo: poenam damni et poenam sensus. [41] Utraque inflicta fuit homini, quoniam pulsus a paradiso fuit, damnatus ad mortem et ad multos labores doloresque perferendos ac sustinendos destinatus. [42] Hinc paupertas, hinc fames, hinc mortales infirmitates, hinc omne malorum genus in mundum invectum fuit.

sed peior erit quae manet peccatores in inferno,

Haec autem, inquit, *initia sunt dolorum ;* [43] multo maiora mala peccatores in inferno manent quam Divinae Litterae comminentur, sicut in mundi exordio accidit; multo enim maiores poenas inflixit homini, quam comminatus fuerat ob peccatum. Nam nonnisi mortem fuerat minitatus: *In quocunque . . . die comederis ex eo, morte morieris ;* postea vero non tantum mortem inflixit, sed et labores et dolores et paupertatem et privationem bonorum et mille mala.

nam parantur ibi poenae aeternae.

Sic licet in peccati punitionem multa et magna mala Sacrae Litterae peccatoribus ad eos exterrendos minitentur, multo tamen graviora et multo maiora sunt quam dicantur aut cogitentur. Parata quidem est poena aeterna: *Ibunt hi in supplicium aeternum ;* [44] *Ite, maledicti, in ignem aeternum ;* [45] sicut temporalis iustitia ob gravia delicta hunc damnat ad perpetuos carceres, illos ad perpetuos triremes, alios ad perpetua exilia. Iuste meretur peccatum poenas aeternas, quia tali malitia inficit ac depravat peccatoris voluntatem, quod aeterno tempore semper frui vellet voluptate illa, vel utilitate, cuius causa Deum contempsit; et superveniente morte accidit sicut lusoribus qui totam noctem ludo consumunt: si lumen deficiat desistunt a ludo, quia sine lumine [ludere] non possunt.

40) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 41) Cf. S. Thomas S. *Theolog.*, 1ª 2ªᵉ, q. 87, a. 4, c. 42) Cf. Gn 3, 17 sqq. 43) Mt 24, 8. 44) Ibid. 25, 46. 45) Ibid. vr. 41. Vulg.: *Discedite a me,* etc.

Peccatum continet infinitam malitiam.

V. Est peccatum cibus indigestibilis, qui perpetuo cruciat eum qui comedit, sagitta infixa quae extrahi non potest a vulnere, plaga incurabilis, quoniam ignis inferni purgare non potest maculam peccati, sicut nec aqua maris ab aethiope nigredinem abluere. Infinita poena punitur, quoniam laesio est et contemptus infinitae maiestatis et bonitatis Dei; imo talis et tanta est peccati malitia, ut sicut Deus de potentia absoluta peccare non potest, nec oculis divinae maiestatis suae gratum facere[46] peccatum, ita ut divinae voluntati placeat peccatum, nec iustificare potest peccatum, ut virtus sit quod suapte natura vitium est, nec habere in se ideam peccati, cum nulla sit natura peccati, sed sit privatio boni, sicut tenebrae et mors; nec potest esse causa peccati, cum peccatum, quatenus malitia est, causam non habeat efficientem, sed deficientem; sic nec punire condigne et pro merito potest, licet omnipotens sit.

Ita ut nec Deus possit pro merito intensive illud punire.

Neque enim dari potest infinita poena secundum intensionem, ignis infiniti caloris et ardoris, infinitus dolor et cruciatus, infinitus suapte natura dolor, sicut nec solis infinita lux est, licet sit perpetua aeternaque a creatione. Si qua tamen infinita poena est, haec nonnisi damni poena est, privatio infinitae bonitatis Dei, divina derelictio: *Ego vado.*

Peccatum Deum discedere facit ab anima, unde omne malum.

Discedens autem sol omnem secum lucem fert suam, post se nonnisi caecas horribilesque tenebras relinquit. Ecce tenebrae: *In peccato vestro moriemini.* Relinquit nos Deus, quoniam nos prius Deum dereliquimus: *Duo . . . mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.*[47] Hinc omne malum. Ieremias ait: *Quare* Israel *factus est in praedam? Super eum rugierunt leones,* super eum *dederunt vocem suam, posuerunt terram eius in solitudinem,*[48] ait: *Nunquid non istud factum est tibi quia dereliquisti . . . Deum tuum? . . . Arguet te malitia tua et aversio tua increpabit te. Scito et vide quoniam malum et amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum et non esse timorem mei apud te.*[49] *Malum* quoad culpam, *amarum* quoad poenam. Ecce amaritudo: *In peccato vestro moriemini ;* adhuc: *Vos de deorsum estis,*[50] diabolo subiecti, satanae cibus: *Super pectus tuum gradieris*

46) Ms.: *Face.* 47) Ier 2, 13. 48) Ibid. vr. 15. 49) Ibid. vrr. 17-19. Vulg.: *Vide quia malum... reliquisse te,* etc. 50) Io 8, 23.

et terram comedes. [51] Estis populus gravis iniquitate, [52] gravia autem deorsum tendent, ad infernum cum satana destinati. *De mundo hoc estis* [53] et vanitatum, imo vitiorum eius servi ac vilissima mancipia.

II. ALIA HOMILIA

Agit hodie Dominus de gravitate peccati, de qua etiam Regius Vates pertractat.

I. In hodierno Evangelio, fratres, Salvator noster concionem habet ad universum populum, in qua docet quam grave et grande malum peccatum sit, ostendens infinita mala quae peccatum affert. Divus Psaltes David *Psalmo 48* idem prosequitur, multis pertractat argumentum, habita ad universum hominum genus concione: *Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, quique terrigenae et filii hominum,* idest *nobiles et ignobiles :* בְּנֵי אִישׁ וּבְנֵי אָדָם, [1] *simul in unum dives et pauper ;* nam, inquit, *os meum loquetur sapientiam et meditatio cordis mei prudentiam,* sive *intelligentias ; inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.* [2] Agam, inquit, sicut sapiens citharoedus, cum ad citharam novum quid ac pulcherrimum carmen caniturus est. Tunc veluti problema aut aenigma proponit: *Cur timebo?* quidnam timendum mihi est? Plane nonnisi mala timenda sunt.

Multa timenda sunt principi et nautae.

Et quidem principi multa timenda sunt, imo multa timet: toxica, venena, proditiones, seditiones, rebelliones, arma inimicorum, bella civilia, amissionem status, mille odia, malorum impendentium pericula; nam princeps in suo statu est tanquam nauta in navi, in medio maris, mille periculis naufragii expositus. Timet semper nauta nunc ventum contrarium adversamque fortunam, magnas procellas; nunc scopulos et syrtes; nunc piratas milleque alia pericula infidi maris. Sed multo maiora impendunt pericula principi, semper et ubique.

51) Gn 3, 14. 52) Cf. Is 1, 4. 53) Io 8, 23.

1) Ms.: *Bene isc ubene Adam.* Textus Hebraicus habet: בְּנֵי אָדָם גַּם־בְּנֵי־אִישׁ.

2) Hebraice 49, 2-5.

sed David pericula omnia contemnebat

David autem, cum rex esset prudentissimus multosque et potentissimos inimicos haberet circumquaque, cum tamen animo vere regio praeditus esset et cor haberet impavidum leonis instar, quaerit: *Cur timebo?* quid timendum mihi est? Pericula omnia mundi divina quadam animi magnitudine contemnebat, sicut leo cuniculos leporesque, aquila pullos gallinarum.

et unum tantum proponit timendum peccatum,

Solent timere principes bella, famem, pestem in suis regnis. Noverat haec David expertusque fuerat et tamen ait: *Quid timebo?* Sciebat quod praeter hostes visibiles sunt etiam invisibiles daemones; praeter mala temporalia in hoc mundo sunt mala perpetua in inferno; et cum haec omnia nosset, adhuc ait: *Quid timebo?* Unum tantum proponit timendum malum: *In die mala*, inquit, *iniquitas calcanei mei circumdabit me.* [3] Nonnisi peccatum, inquit, timendum est.

quia hoc maximum malorum est, ita ut maius excogitari nequeat,

Quid ergo, rex sanctissime? non sunt timenda mundi pericula, bella, fames, pestis, venena, infirmitates, mors, diabolus, infernus? Non, inquit, nisi peccatum. Hoc malorum maximum est, nullum vel excogitari quidem malum potest peccato maius. Si, inquit, in bilance ponantur ex hac quidem parte omnia mundi mala una cum morte ipsa, diabolo et inferno, ex altera vero tantummodo peccatum, hoc illis omnibus praeponderat illaque omnia in infinitum excedit. Peccatum in genere malorum est sicut in genere serpentum basiliscus, qui solo aspectu flatuque interimit et occidit; [4] etiamsi, inquit, peccatum minimum sit, quale est illorum *qui confidunt in virtute, in potentia sua et in multitudine divitiarum suarum gloriantur,* [5] quale extitit peccatum divitis illius epulonis. [6]

nam nec Christus ipse salvare posset hominem mortuum in peccato.

Sed quam ob causam tantopere timendum peccatum est, maxime *in die mala*, in die et hora mortis? Quia, inquit, *frater non redimendo redimet homo:* impossibilis tunc est redemptio ac remissio peccati, nec dare poterit *Deo placationem suam et pretium redemptionis animae suae,* [7] etiam si laboret in aeternum semper vivens. Nec ipse Christus, qui in aeternum vivit, licet erga nos animo praeditus sit amantissimi fratris, dare et offerre aliquid Deo poterit ad placandum iram Dei in hominem mortuum in peccato, sed in inferno perpetuus futurus sit cibus aeternae mortis.

3) Ibid. vr. 6. 4) Cf. S. Hieronymus *Comment. in Isaiam*, lib. 6, (P. L. 24, 166); Plinius *Hist. Nat.*, lib. 18, cp. 21, pag. 84; lib. 29, cp. 4, pag. 335. 5) Ps 48 (hebr. 49), 7. 6) Cf. Lc 16, 19-30. 7) Ps 48 (hebr. 49), 8-9.

Nihil ergo homo magis timere debet quam peccatum,

II. *Quid timebo?* Est, inquit, homo sicut leo, impavidissimum animal, qui nec exercitum quidem formidat armatorum hominum, sed ignem vehementer timet et quaecunque speciem referunt ignis, propterea enim etiam gallum timet, quia capite, crista et oculis speciem ignis quodammodo refert.[8] Nihil ergo omnino timet leo nisi ignem, et homo nihil timere debet nisi peccatum. Aurum nihil timet: non incudes, malleos, limas, non fornacem, sed gallinaceam carnem aiunt naturales venenum esse liquescentis auri.[9]

nam nil vere potest homini nocere nisi peccatum, ob aeterna mala quae affert.

Nihil omnino est in mundo quod non habeat contrarium aliquod quod patiatur: luci oppositae sunt tenebrae, diei nox, aestati hiems, calori frigus, sanitati infirmitas, vitae mors, igni aqua, terrae ignis eam exurens, quem fere omnia timent, nam omnia depascit atque consumit; segetes timent aeris noxias iniurias et animalculorum pestes; greges cicutam, lupos; metalla aeruginem, ligna teredinem, panni tineas. Homini autem nocere nil vere potest nisi peccatum: non persecutio visibilium aut invisibilium inimicorum, non mors, non diabolus, non infernus, quandiu sine peccato est. Leones nil nocuere Danieli,[10] flammae fornacis babylonicae nil tribus sanctis adolescentibus,[11] Cain Abelo nil nocuit,[12] nil tyranni nocuere martyribus, nec satanas quidem Beatissimo Iob.[13] Solum peccatum est homini nocentissimum malaque et damna infinita et in aeternum duratura affert.

Insuper peccatum hominem in bestiam transmutat;

D i v u s P s a l t e s ait quod hominem transmutat in bestiam, sicut de Nabuchodonosor legimus:[14] *Homo*, ait, *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis,*[15] imo in statuam insensatam et inanimem, sicut accidit uxori Loth;[16] nam ait: *Assimilatus est bestiae mutae*, bestiae mortuae, nam mors Hebraeis aliquando silentium dicitur;[17] unde: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos ;*[18] sunt *sicut oves ad lanie-*

8) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 15, pag. 83. 9) Cf. ibid. lib. 29, cp. 4, pag. 336. 10) Cf. Dn 6, 16-23; 14, 29-41. 11) Cf. ibid. 3, 19-24. 12) Cf. Gn 4, 8. 13) Cf. Iob 1, 13-2, 1 sqq. 14) Cf. Dn 4, 28-30. 15) Ps 48, 13. 21. 16) Cf. Gn 19, 26. 17) A radice דום, quod est tacere, et etiam excidere, ut Ps 93 (hebr. 94), 17: *Paulo minus habitasset in inferno*, hebr. *excisa* vel *silens*, *in loco silentii, in sepulcro, anima mea ;* et Ps 113 (hebr. 114), 17: *Neque omnes qui descendunt in infernum*, S. Hieronymus habet: *in silentium*, vel *in sepulcrum*. Cf. S. Paguini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub radice: דום. 18) Ps 48 (hebr. 49), 15.

nam, ad macellum ductae, et *usque in aeternum non videbunt lumen*[19] vitae.

hinc Deo adeo abominabile est ut nullatenus illud ferre possit.

Sed attendamus quae Dominus ait: *Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire,* quia *vos de deorsum estis.... vos de mundo hoc estis.*[20] Paucis verbis multa complexus est Dominus. Docet autem primo peccatum esse Deo adeo abominabile et execrabile, ut nullatenus ferre illud possit, sicut honestissimus vir ferre non potest uxoris adulterium. Hinc ait: *Ego vado.* Quasi ira et indignatione commotus loquitur Christus, tanta est enim amaritudo peccati, ut divinum pectus, infinitae dulcedinis thesaurum atque abyssum, amaritudine afficiat.

Ad cognitionem peccati necesse est cognoscere divinam maiestatem et bonitatem,

III. Multa loquitur Ioannes hodie ad ostendendam divinam excellentiam personae Christi: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum ; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo,*[21] quia Deus sum. Hoc est quod ait: *Nisi... credideritis quia ego sum,*[22] nam alludit ad illud: *Ego sum qui sum.*[23] Ostendit auctorem naturae: Ego *principium, qui et loquor vobis,*[24] quia *omnia per ipsum facta sunt;*[25] fontem gratiae: *Cum exaltaveritis Filium hominis .... cognoscetis quia ego sum;*[26] in cruce enim Christus fontem gratiae se ostendit, cum ex eius latere *exivit sanguis et aqua.*[27] Ostendit patrem futuri saeculi[28] et principem gloriae: *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini;* si credideritis, vivetis: *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[29] Nam ad cognitionem peccati necesse est divinae maiestatis magnitudinem infinitamque Dei agnoscere bonitatem.

nam peccatum crimen est laesae maiestatis, contemptus et odium Dei,

Nam peccatum crimen est laesae maiestatis, contemptus est Dei, cui mundus hic antefertur: *Vos de mundo hoc estis,* affectu utique et animo; imo odium Dei est: *Ego sum... zelotes visitans iniquitatem* his *qui oderunt me.*[30] Mulier adultera odit virum, nam si diligeret ut par est, non admitteret amasium et rivalem; imo commisso adulterio, odisse incipit, nam periculum semper timens ab eo, si adulterium ei innotuerit, vellet illum perire, ut pro libito frui posset amasio.

19) Ibid. vr. 20. 20) Io 8, 21-23. 21) Ibid. vr. 23. 22) Ibid. vr. 24. Vulg.: *Si enim non credideritis*, etc. 23) Ex 3, 14. 24) Io 8, 25. 25) Ibid. 1, 3. 26) Ibid. 8, 28. 27) Ibid. 19, 34. 28) Cf. Is 9, 6. 29) Io 3, 15. 30) Ex 20, 5.

Summa et infinita ingratitudo peccatum est reddere mala pro bonis et beneficia ipsa in benefactoris iniuriam atque in arma contra ipsum commutare; proditio est arcem dare, civitatem et regnum in manus inimici regis, pecunia vel alia quavis interveniente causa; summa iniuria principis est eum a domo et civitate sua eicere. Hoc est quod ait: *Ego vado*, sed vos *in peccato vestro moriemini.* **summa ingratitudo et iniuria.**

Ego vado . . . et in peccato vestro moriemini. His verbis ostendit infinita damna et mala quae peccatum affert. Quid enim Deus est nisi infinitus thesaurus omnium bonorum naturae, gratiae et gloriae? Privat nos peccatum gratia et amicitia Dei, paterna ipsius caritate ac providentia, divinis consolationibus ac beneficiis paradiso nos privat et dat infernum. Ostendit quod peccatum est dissimilitudo Dei: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis*, qui *totus in maligno positus est,*[31] *ego non sum de hoc mundo;* nam Deus infinita bonitas, pulcritudo, sanctitas; peccatum totum oppositum. **infinita mala afferens.**

IV. *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum . . . principium, qui et loquor vobis.* Proponit his verbis Christus antidotum contra peccatum, serpentem aeneum contra venena ignitorum serpentium,[32] et causam etiam peccati. Triplicem causam peccati assignat hodie Dominus: malam voluntatem: *Vos de deorsum estis ...... de hoc mundo estis;* incredulitatem: *Nisi . ....credideritis quia ego sum, moriemini;* et ignorantiam: *Tunc*, inquit, *cognoscetis;* si cognosceretis, tunc minime peccaretis. Et vere ita est, fratres. Si cognosceremus quidnam sit peccatum et quid Deus contra quem peccamus, nunquam nobis vel in mentem quidem et cogitationem caderet peccatum. **Triplex est causa peccati: mala voluntas, incredulitas, ignorantia.**

Fides nostra duplici vel maxime via dat nobis cognitionem peccati: altera quidem a punitionibus quibus Deus peccatum punit, divina iustitia exigente; altera vero a remediis paratis contra peccatum in salutem peccatorum a divina misericordia. **Peccati gravitas cognoscitur a poenis**

Ab ipso mundi exordio Deus in peccati punitionem plures humano generi poenas inflixit tum damni, ut aiunt, tum sensus:[33] damni quidem, nam expulit eum a paradiso, vitae immortalitate **damni et sensus,**

31) 1 Io 5, 19. 32) Cf. Nm 21, 6-9. 33) Cf. not. 41 praec. hom., pag. 231.

ac omni felicitate privatum; sensus vero, nam ad perpetuos labores doloresque hominem destinavit.[34] A peccato ortum habuit paupertas, servitus, labor, timor, passiones animum torquentes, infirmitates corporis milleque alia mala; in peccati punitionem misit diluvium, incendia, flagella, bella, famem, pestem, malas bestias, tandem in peccati punitionem perpetuos ignes aeternosque cruciatus in inferno paravit.

a remediis adhibitis ad illud expiandum.

In remedium vero peccati instituit sacrificia, sanctificavit Patriarchas, dedit legem, misit Prophetas, Sacramenta ordinavit; tandem Unigenitum suum misit eumque multa pati ac mortem crucis subire voluit, ad curandos homines a venenis ignitorum serpentium daemonumque infernalium.

Homo peccando lucratus est mortem et similitudinem bestiarum.

Peccatum, cum ingens sit ac infinitum malum, larvam tamen ac personam boni accepit ac sic intravit in mundum: *Nequaquam . . . moriemini*, sed *eritis sicut dii scientes bonum et malum.*[35] Existimavit homo a satana deceptus, quod comedens de ligno scientiae contra Dei mandatum, domui suae magnum et inaestimabile bonum induxisset; sed infinitum induxit malum, mortem et similitudinem bestiarum.

Peccatum Deum ab homine discedere facit.

V. *Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini*, et *quo ego vado vos non potestis venire*. Declarat hodiernum Evangelium quam ingens malum peccatum sit et quantopere Deo displiceat. Abominatur Deus peccatum, hinc ait: *Ego vado*. Cum populus Dei foedatus fuit peccato idololatriae, divinum tabernaculum positum fuit extra castra,[36] et Deus ait populo per Moysen: *Non . . . ascendam tecum, quia populus durae cervicis es.*[37] Noluit arca Dei simul cum idolo Philisthaeorum Dagon manere; posita in templo a Philisthaeis illud deiecit in terram; loco suo restitutum fuit: amputavit illi manus et caput; iterum restitutus fuit et integritati redditus Dagon: discessit inde arca Domini.[38] Nam sicut naturalis est antipathia inter diem et noctem, lucem et tenebras, aestatem et hiemem, frigus et calorem, non possunt simul manere, ita summa contrarietas est inter divinam bonitatem et peccati malitiam. Statim ut peccavit Saul, discessit ab eo Spiritus Domini et invasit eum spiritus malus.[39]

34) Cf. Gn 3, 6 sqq. 35) Ibid. vrr. 4-5. 36) Cf. Ex 33, 6-8. 37) Ibid. vr. 3.
38) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 39) Cf. ibid. 16, 14.

Execratur supra modum peccatum Deus: *Ego vado, et quaeretis me*. Peccatum est vivere velle sine vero Deo et Deum habere velle ad libitum, pro voluntate, sicut Iudaei noluerunt recipere Christum verum Messiam, quia non est visus illis, ut sperabant, dives et gloriosus; quaerunt adhuc, sperant et expectant Messiam, non verum sed qualem sibi finxerunt; ita mundus Deum verum non vult, sed Deum vellet sibi similem, pro libito voluntatis suae. Hinc nanque orta fuit idololatria; facile populus vitulum aureum adoravit, [40] quia populus aurum diligit; Iovem mundus facile coluit, deum vitiis omnibus notatissimum. [41] Talem utique deum vellet mundus: *Quaeretis me et non invenietis ; Peccatori ... dixit Deus ... Existimasti inique quod ero tui similis.* [42] Sed non sic Deus; non est coelum sicut terra, non dies sicut nox, nec lux sicut tenebrae, aut aestas sicut hiems.

Homo peccando vivere vellet sine Deo, vel Deum habere sibi similem pro libito.

VI. *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Peccatum impotentia animi est, virtutis defectus et caecitas, infirmitas paralysis, febris quaedam pestilentialis, quae hominem reddit impotentem, inhabilem ad opera virtutum: *Non potestis venire.* Quam displicet patri mortalis infirmitas filii, tam displicet peccatum Deo. Dissimilitudo Dei est, imago satanae, deletio imaginis Dei in anima. Quam displiceret principi videre in civitate deletam imaginem suam ac, ut dicunt, arma ipsius, stemmata et gentilitia insignia, ibique depictam imaginem et arma inimici sui capitalis, tam displicet Deo peccatum.

Peccatum impotentia animi est, dissimilitudo Dei, imago satanae,

Vos de deorsum estis. Displicet supra modum animo generoso nobilissimi principis videre in filio vilem abiectumque animum, inclinatum ad indigna, vilia, sordidaque exercitia, ad abiectissima vitae munia, ac inde argumentatur illum vere suum non esse filium, spurium esse, sicut filius prodigus nobilissimam domum paternam reliquit et abiit ad serviendum privato homini, ad pascendos porcos. [43] Vilis est animus, etiam hominis de plebe vilissima, cui displicet nobilissimum vitae genus, placet autem abiectissimum ac indignissimum ingenuae nobilitatis viro. Peccatum magna est vilitas animi: *Vos de deorsum estis.* Ad hoc inducit peccatum, ut nonnisi terrena cogitentur, desiderentur, diligantur, curentur: *Vos de mundo hoc estis*, mundo,

magna vilitas animi, quia inducit ut nonnisi terrena diligantur

40) Cf. Ex 32, 1-6. 41) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 1, cp. 18-19, pag. 59-64; lib. 2, cp. 1, pag. 66-82. 42) Ps 49, 16-21. 43) Cf. Lc 15, 11-16.

satanae mundi huius principi servitis, vilissima satanae mancipia estis.

et in vilissimam servitutem satanae filium Dei redigit.

Quid indignius viro ingenuo? Quid displicere magis potest patri nobilissimo, serenissimo principi, quam videre filium, qui ad explendam aliquam libidinem se in servum, in mancipium vendiderit ac dederit? Qui in peccato vivit, in servum se vendidit mundo et satanae. O rem indignissimam! Nam: *Qui facit peccatum servus est peccati.* [44] Pharao Hebraeos, quos tanquam mancipia tenebat, ad opera vilissima destinavit. [45] Servitus haec tanquam vilissima et indignissima summopere supra quam dici vel cogitari possit displicet Deo.

Peccatum est Deum ignorare, nam si Deus vere agnosceretur, nunquam contemptui haberetur.

Vos de mundo hoc estis, mundo servitis, *ego non sum de hoc mundo.* Satanae dicenti: *Haec omnia tibi dabo si cadens adoraveris me,* respondit: *Vade, satana, scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* [46] Peccatum est Deum ignorare, minime agnoscere: *Tu quis es ?* [47] Non agnoscebant Iudaei peccatores Christum: *Si . . . cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* [48] Si Deum mundus agnosceret, minime vilipenderet, nunquam terrena bona, umbras inanes ac vanissimas bonorum imagines Deo anteponeret, ut, contempto Deo, haec diligeret, haec desideraret et quaereret summo studio: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas ;* [49] *me dereliquerunt,* me propter mundana contempserunt.

Peccatum mors est animae et mortem meretur;

VII. *In peccato vestro moriemini.* Efficit peccatum in homine quod efficit mors in corpore, anima separata, quod efficit putredo in pomo: expoliat illud omni pulcritudine, sapore, odore, omni suavitate; quod efficit absentia solis, lucis omnis in mundo.

Nil ergo magis timendum est in mundo quam peccatum.

In peccato vestro moriemini. Mandavit Deus in lege ut pro quolibet peccato hostia ei offerretur, sacrificaretur animal, [50] ad significandum quod quodlibet peccatum dignum est morte, sicut ab initio ait: *Morte morieris.* Nos mortem magis et mala mundi huius carnisque et corporis passiones magis quam peccatum timemus, sicut pueruli qui larvam aliquam magis timent quam flammam ignis, quoniam haec pulcra eis videtur. Non timent id quod vere timendum est, quod nocere

44) Io 8, 34. 45) Cf. Ex 1, 8-11; 5, 5 sqq. 46) Mt 4, 9-10. 47) Io 8, 25.
48) 1 Cor 2, 8. 49) Ier 2, 13. 50) Cf. Lv 4, 1 sqq.

potest; timent autem quod timendum non est, cum non sit [nisi] larva et puerile terriculamentum, nisi umbra timoris. Sic ait: *Timuerunt ubi non erat timor,* [51] idest ubi nulla erat causa timoris. Non est in mundo maior causa timoris quam in peccato, quod divinam inducit iram, divinam maledictionem, perpetua mala, aeterna supplicia.

III. ALIA HOMILIA

Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini... Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. [1]

I. Praedicat nobis hodiernum Evangelium peccati malitiam, ostendens quale et quantum malum suapte natura peccatum sit; [2] quod homini causa sit omnium malorum, et Deo summae bonitatis fonti, imo thesauro infinito, summopere displiceat, summo odio sit. Nihil autem aliud peccatum est nisi opus quod displicet Deo; quod a contrario sensu Christus hodie ostendit dicens: *Multa habeo de vobis loqui et iudicare, sed qui me misit verax est . . . et non reliquit me solum, quia ego quae placita sunt ei facio semper.* [3] Displicet peccatum Deo vehementer, sicut per Isaiam ait de vinea: *Expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas,* [4] בְּאֻשִׁים, [5] uvas putridas, amaras: *Uva eorum uva fellis et botri amarissimi; fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile,* [6] quod attulit mortem unigenito Filio Dei qui vineam plantavit. Duo sunt quae de peccato hodie Christus docet: quod hominibus valde nocet: *Multa habeo de vobis loqui et iudicare,* et quod Deo valde displicet: *Ego,* qui *non sum de hoc mundo,* [7] qui *totus in maligno positus est,* [8] *quae placita sunt ei facio semper.*

Ostendit hodiernum Evangelium quantum malum peccatum sit.

Displicet Deo peccatum, quia non est opus Dei, sed opus diaboli:

51) Ps 52 (hebr. 53), 6.

1) Io 8, 21-24. Vulg.: *Si enim non credideritis,* etc. 2) In margine haec adiecta fuerunt: « Ostenditur peccatum horribile monstrum, crudelissima fera, serpens et draco infernalis, *habens capita septem et cornua decem,* qui flatu venenat et intuitu, sicut basiliscus, mortem affert certissimam: *In peccato vestro moriemini* ». 3) Io 8, 26-29. 4) 5, 4. 5) Ms.: *Beuscim.* 6) Dt 32, 32-33. 7) Io 8, 23. 8) 1 Io 5, 19.

Displicet peccatum Deo, quia est character diaboli,

Ego *principium, qui et loquor vobis.* [9] Agnoscit se Christus mundi creatorem: *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil.* [10] Tenebrae, symbolum peccati, non sunt factae a Deo: *Tenebrae erant super faciem abyssi ;* non factae sunt, sed *erant;* lux facta est a Deo: *Dixit . . . Deus : Fiat lux.* [11] Odit Deus peccatum, quia opus diaboli est, inimici capitalis divinae maiestatis, imo imago quaedam diaboli est. Quis rectis oculis videre potest imaginem inimici sui capitalis?

dissimilitudo Dei,

Est peccatum dissimilitudo Dei, inversa imago. Sic Christus hodie differentem se dicit a peccatoribus: *Quo ego vado vos non potestis venire . . . Vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* [12] Sicut, inquit, differunt inferiora a superioribus, terra a coelo, mundus iste regnum satanae a paradiso regno Dei, sic homo peccator differt a Deo: *Sicut exaltantur coeli a terra, ita exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris.* [13] Dissimilis est diabolus a Deo, sic peccator, quia peccatum imago et character diaboli est.

inimicitia et contemptus Dei.

Cui non displicet inimicitia, odium, malus animus contra propriam personam? Satanas inimicus est capitalis Dei, non ratione naturae sed culpae; ideo odit Deus peccatum et peccatorem, sicut homo naturaliter odit inimicum suum. Sicut enim contrarii sunt motus gravium et levium, terrearum rerum et flammarum ignis, sic contrariae sunt voluntates Dei et peccatoris: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* Displicet Deo peccatum, quia Dei vilipensio et contemptus est.

Peccatum est aversio a Deo et conversio ad creaturas;

II. *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Loquitur Christus quoad affectum: *De mundo hoc estis,* mundum et mundana diligitis, totus affectus vester in mundo est, non in Deo. Hoc est peccatum: aversio animi a summo et increato bono ad creaturas, a Deo ad mundum. [14] *Ego non sum de hoc mundo.* Omnia mundi mala sumpsit Christus: paupertatem, ignominiam, poenas, passiones, mortem crucis, praeter vitium et peccatum: *Non sum de hoc mundo,* qui *totus*

9) Io 8, 25. 10) Ibid. 1, 3. 11) Gn 1, 2-3. 12) Io 8, 21-23.
13) Is 55, 9. Vulg.: *Sic exaltatae sunt,* etc. 14) Cf. S. Thomas *S. Theolog.,* 1ª 1ªᵉ, q. 87, a. 4.

in maligno positus est ; Venit . . . princeps mundi huius et in me non habet quicquam. [15]

Displicet Deo peccatum, quia magna et summa ingratitudo est. *Tu quis es ?* [16] Non agnoscebant Christum, a quo innumera beneficia acceperant: Ego *principium, qui et loquor vobis; Cognoscetis quia ego sum,* [17] creator mundi. Ingratitudo est non recognoscere nec cognoscere benefactorem, vel referendo, vel agendo, vel habendo gratias; sed pro bonis mala reddere, pro magnis beneficiis magna maleficia, summum genus ingratitudinis est. Quid est peccare nisi abuti creaturis Dei, abuti corde, animo, corpore, lingua, sensibus, manibus, pedibus, opibus et aliis donis Dei?

maxima ingratitudo, quia est abusus donorum Dei;

Displicet summopere patri inobedientia filii, ingratitudo, vilipensio; sed quod filius arma sumat contra patrem, sicut Absalom contra David patrem suum, [18] dictu horrendum est; quod filius iniuriose tractet matrem, verbis et verberibus malis afficiat. Quod homo de plebe gratia et favore sui principis ad summum dignitatis et fortunae gradum evectus, summis beneficiis auctus, contra principem et summum benefactorem suum machinetur proditionem, pecunia et promissis corruptus ab inimico capitali principis; quod rebellis fiat, deficiat ab eo ad inimicum et arma sumat contra principem pugnetque contra eum armis ipsiusmet principis, summum est ingratitudinis genus. Et ecce in hodierno Evangelio agitur de Christi passione et morte: *Cum exaltaveritis Filium hominis,* [19] idest crucifixeritis. Per Isaiam Dominus ait: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me,* [20] hebraice: *Rebelles fuerunt contra me ; Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum ;* [21] *Manus . . . vestrae sanguine plenae sunt,* [22] sanguine utique unigeniti Filii Dei. Peccatores crudeli odio Christum crucifixerunt.

machinatio contra vitam principis et patris.

nam causa passionis et mortis Christi fuit;

Peccatum odium Dei est, venenum, ut ita dicam, divinitatis. Nam sicut latro odit iudicem et iustitiam, ita qui in peccato vult vivere, vellet vel non esse Deum qui eum puniret, vel impotentem esse ad puniendum, vel qui peccatum ignoraret aut oblivisceretur, vel punire nollet, iniquitatem odio non haberet, iustitiam non diligeret. Quid est autem hoc nisi velle non esse Deum? *Dixit insi-*

odium in Deum et velle Deum non esse.

15) Io 14, 30. 16) Ibid. 8, 25. 17) Ibid. vr. 28. 18) Cf. 2 Rg 15, 1-18, 1 sqq.
19) Io 8, 28. 20) 1, 2. 21) Ibid. vr. 4. 22) Ibid. vr. 15.

piens in corde suo: Non est Deus.[23] Dicere aliquando Hebraeis est velle, desiderare: *Num occidere me tu vis?*[24] dixit Moysi hebraeus ille; in fonte autem est: הלהרגני אתה אמר:[25] *Num occidere me tu dicis?* hoc est *vis?* Sic *dixit*, idest desideravit, voluit ne Deus esset; *dixit in corde suo*, cogitavit, concupivit.

Tale ac tantum crimen est peccatum!

O summum malum! o infinitum malum! Deus suapte natura infinita bonitas est, peccatum infinita malitia, quoniam crimen est laesae maiestatis, infinitae maiestatis; est crimen maximum contra principem, contra bona fortunae principis, direptis thesauris, contra honorem, adulteratis sigillis, litteris, monetis, contra ipsammet vitam principis; summum est crimen, dignum extremis poenis, punitione gravissima.

Odium Dei contra peccatum patet ex flagellis quibus illud punivit,

III. *Multa habeo de vobis loqui et iudicare.* Patet ex ipsis Dei iudiciis, ex ipsis punitionibus sacrae iustitiae Dei quantopere displiceat peccatum divinae maiestati; patet ex punitione primi peccati Angelorum,[26] primi peccati hominum,[27] patet ex diluvio,[28] ex igne Pentapolis,[29] ex flagellis Aegypti,[30] patebit quam maxime in die iudicii; patuit in ipsa Christi passione, quae nonnisi punitio peccati fuit in persona Christi pro genere humano.

et ex operibus quae fecit ad illud delendum.

Nec tantum punitionibus, sed etiam multis aliis modis Deus peccatum semper ab origine mundi persecutus et insectatus fuit. Ad hoc cultum divinae religionis instituit, ad hoc Patriarchas misit, ad hoc legem dedit, sacerdotium et sacrificium instituit, Prophetas destinavit; ad hoc tandem unigenitus Filius Dei in mundum venit, praedicavit Evangelium, operatus fuit miracula, instituit Sacramenta, ieiunavit, oravit, multa passus est, tandem mortuus in cruce ad expellendam peccati pestem a mundo; fecit quicquid potuit ad peccati destructionem.

Deus maxime odit peccatum, quia maxime homini nocet,

Tandem summopere displicet peccatum Deo, quia cum Deus hominem supra quam dici possit diligat et summum bonum ei desideret, peccatum homini summopere nocet. Num potest non displicere optimo et amantissimo patri infortunium, mortalis infirmitas, vulneratio, occisio, mors dilectissimi filii?

23) Ps 13 (hebr. 14), 1; 52 (hebr. 53), 1. 24) Ex 2, 14. 25) Ms.: *Haleargheni attah omer.* 26) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 27) Cf. Gn 3, 6 sqq. 28) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 29) Cf. ibid. 19, 24-29. 30) Cf. Ps 77, 43-51; 103, 27-36.

Peccatum affert homini maxima, infinita mala: *Ego vado ...: vos non potestis venire*, quia *vos de deorsum estis ... de mundo hoc estis.* Primum damnum est quod privat nos Christo, privat nos gratia Dei, privat Spiritu Sancto, privat Deo ipso, privat nos Dei clementia, misericordia, caritate paterna et providentia Deique iram et maledictionem supra nos, contra nos adducit. Saepe Deum, natura clementissimum, misericordissimum, dulcissimum favum mellis, iratum legimus, indignatum homini, conversum veluti in amarissimum absynthium peccati causa. En Christus verus Deus, *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,*[31] hodie iratus. Magnum quid necesse est ut sit peccatum, quod oceanum divinae misericordiae, divinae dulcedinis potest in iram et amaritudinem convertere; quod pectus et stomachum amantissimi patris ita invertat contra dilectissimum filium, ut eum domo eiciat, hereditate privet, persequatur ad mortem, manibus iustitiae tradat torquendum, plectendum, ultimo supplicio puniendum: *Quomodo miseretur pater filiorum misertus est Dominus timentibus se ... Secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.*[32] Peccatum autem misericordiam vertit in iram, ut patet in Adamo.

nam peccatum privat nos gratia Dei et iram eius provocat,

Ego vado ... et in peccato vestro moriemini. Ostendit peccatum esse mortale venenum, sicut a principio Deus ostendit causam esse malorum omnium quae in mundo sunt; amplius, irregularitatem quandam esse, qua non potest homo sacris initiari: *Quo ego vado, vos non potestis venire,* sicut filius principis illegitimus non potest paternum statum hereditare, quoniam spurius est, lege vetitus: *Non potestis venire,* quia *vos de deorsum estis.* Non potest lapis sursum tendere nec sicut avis in coelum volare; suapte natura deorsum tendit caditque in praeceps, remoto impedimento; sic peccatrix anima non potest in coelum tendere, sed in infernum cadet ob gravitatem peccati.

causa est omnium malorum et damnationis aeternae.

IV. Tandem: *Vos de mundo hoc estis; Venit ... princeps mundi huius;*[33] *Nunc princeps mundi huius eicietur.*[34] Per peccatum homo servus satanae constituitur, nidus daemonum, spelunca latronum,

Per peccatum homo servus satanae constituitur.

31) 2 Cor 1, 3. 32) Ps 102, 11-13. Ordine inverso affert hos vrr. 33) Io 14, 30.
34) Ibid. 12, 31. Vulg.: *Huius mundi,* etc.

diaboli habitaculum, infernus vivus. *Vos de mundo hoc estis, ego non sum.* Assignat Christus discrimen inter se et mundum, sicut in principio inter coelum et terram, inter lucem et tenebras, sicut separavit aquas a terra, divisit aquas superiores ab inferioribus, [35] sicut olim divisit inter Hebraeos et Aegyptios. [36] *Vos de deorsum estis,* sicut terra, sicut lapis, sicut omne corpus grave; *ego de supernis sum,* sicut corpus leve, sicut flamma ignis. Corpus grave naturalem habet aptitudinem ad descendendum, leve ad ascendendum; sic homo peccator ad amandum terrena, verus christianus coelestia, Deum ipsum.

Qui facile peccat non est filius Dei sed diaboli.

I o a n n e s in sua *1 Canonica* dixit quod *qui natus est ex Deo, non peccat,* imo quod *non potest peccare, quia semen Dei manet in eo.* [37] Quid est: *Non peccat,* si peccavit Adam innocens, David sanctus, [38] Petrus apostolus? [39] Non facile peccat; *non potest peccare:* impossibile videtur ut facile peccatum admittat. Ioseph dixit non posse se in dominum suum et in Deum peccare; [40] vir nobilis dicitur non posse indignum quid facere contra honorem et dignitatem suam; optimus filius dicitur non posse amantissimum patrem interficere, nec mater amantissima unicum et dilectissimum filium. Spiritus autem Sanctus operatur ut Christus tanquam filius diligatur: *Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est;* [41] sic me diligit anima sancta, sicut mater unicum et dilectissimum filium. Non potest mater filium laedere; sic dicitur quod non potest iustus peccare, Deum offendere, quia filius Dei est.

Ideo nec Dei heres erit, sed diaboli.

In hoc manifesti sunt filii Dei a filiis diaboli: [42] qui facile peccat et perseverat in peccatis, non est filius Dei, sed filius diaboli; *quod si filii, et heredes;* [43] ecce hereditas: *Vos de deorsum estis.* Regnum Dei sursum est, regnum satanae deorsum in inferno.

35) Cf. Gn 1, 7-9. 36) Cf. Ex 14, 19-20. 37) 3, 9. Vulg.: *Peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* 38) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 39) Cf. Mt 26, 69-74; Mc 14, 66-71; Lc 22, 55-61; Io 18, 17-27. 40) Cf. Gn 39, 7-10. 41) Mt 12, 50. 42) 1 Io 3, 10. Vulg.: *Et filii diaboli.* 43) Rom 8, 17. Vulg.: *Si autem filii,* etc.

FERIA TERTIA
POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei... Quaecunque dixerint vobis, servate et facite, secundum, etc. [1]

Duplex invenitur potestas in mundo: regia et sacerdotalis;

I. Posuit Deus in coelo *duo luminaria magna : luminare maius ut praeesset diei et luminare minus ut praeesset nocti.* [2] Dedit Deus populo columnam nubis per diem et columnam ignis per noctem in deserto, quousque ad terram promissionis pervenirent. [3] Constituit Moysen et Aaronem principes populi, ut Moyses quidem esset tanquam rex, [4] Aaron vero summus pontifex, [5] licet prius Deus solum Moysen constituerit principem simul et pontificem, [6] sicut fuit Melchisedech rex et sacerdos, qualis futurus erat Christus: [7] *Iuravit Dominus et non poenitebit eum : Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* [8]

utrique debitum honorem praestare hodie Christus docet.

Utranque hodie Christus dignitatem et potestatem amplectitur, monens ut utrique debitus honor et reverentia humilisque obedientia ab omnibus praestetur, nam, ut Paulus ait: Omnis potestas a Domino Deo est, et *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit ;* [9] et Petrus : *Subditi estote in omni timore... non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* [10] Sic ait: *Quaecunque dixerint vobis, servate et facite,* quoniam *super cathedram Moysi sederunt,* Moysi [11] successores sunt, auctoritate Moysi praediti sunt, licet non virtute et sanctitate.

1) Pericope huius diei Mt 23, 1-12. Cf. Missale Rom. 2) Gn 1, 16. 3) Cf. Ex 13, 21 sq. 4) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 5) Cf. ibid. 28, 1 sqq. 6) Cf. ibid. 3, 12; 4, 16. 7) Cf. Gn 14, 18; Hebr 7, 1-3. 8) Ps 109, 4. 9) Rom 13, 1-2. 10) 1 Petr 2, 18. 11) Ms.: *Moysi* bis ponitur.

Magnam maiestatem Deus contulit auctoritati principum,

II. Ad conciliandam Moysi fidem, reverentiam et obedientiam Deus divinam quandam ei contulit maiestatem, nam inquit: *Constitui te deum Pharaonis.*[12] Hinc principes *dii* appellantur: *Ego dixi: Dii estis.*[13] Faciei Moysi divinum contulit splendorem,[14] *ita ut non possent filii Israel intendere in faciem* eius *propter claritatem vultus eius,*[15] et quotiescunque a forensibus negotiis in tabernaculo Domini se recipiebat, statim descendebat columna nubis et in ea Deus in tabernaculum, cernente universo populo,[16] ut agnosceretur quanta esset Moysi dignitas apud Deum. Hinc tanta erat universi populi erga eum reverentia et veneratio quod, transeunte eo, universa plebs universaque populi multitudo surgebat et stabat et post eum aspiciebat, quousque ingrederetur tentorium.[17] Tam avidis oculis eum aspiciebant ac si viderent coeleste oraculum divinumque numen, angelum paradisi, cum tamen prius humilis esset et pauper ovium pastor in terra Madian.[18] De Saul etiam legimus quod, cum a Samuele unctus fuisset in regem Israel, insiliit in eum Spiritus Domini et mutatus fuit in virum alterum;[19] et septuaginta senioribus populi, quos Deus instituit coadiutores Moysi, principes et rectores populi, constituens veluti concilium nobilissimorum senatorum, Spiritum Sanctum infudit similem spiritui quo Moyses praeditus erat.[20]

sicut cernitur in Moyse et in Saule.

Ergo si boni sint, audiendi et imitandi sunt,

Si igitur qui sederint super cathedram Moysi virtute et moribus vitaeque sanctitate similes sint Moysi: *Quaecunque dixerint vobis servate et facite* simulque eorum opera imitamini, vestigiis eorum insistite; si vero vocem habuerint Iacob et manus Esau,[21] si fuerint similes Sauli, a quo propter inobedientiam[22] discessit Spiritus Domini et arripuit eum spiritus malus,[23] factus superbus et reprobus: *Quaecunque dixerint vobis, servate et facite, secundum opera vero eorum nolite facere.*[24] Legite rosas, relinquite spinas;[25] separate frumentum a paleis, aurum et argentum a scoria; dividite lucem a tenebris.

si vero iniqui, non imitandi sed audiendi sunt,

Obediendum est etiam iniusto principi, modo iusta praecipiat. Ionathas divino iudicio mortis periculum subiit, eo quod patris praeceptum, licet ignorans, fuerat transgressus, forte quia contempsit

12) Ex 7, 1. 13) Ps 81, 6. 14) Cf. Ex 34, 29. 15) 2 Cor 3, 7. Vulg.: *Intendere filii Israel... propter gloriam.* 16) Cf. Ex 34, 33 sqq. 17) Cf. ibid. 33, 8-10. 18) Cf. ibid. 3, 1. 19) Cf. 1 Rg 10, 1-13. 20) Cf. Nm 11, 16-25. 21) Cf. Gn 27, 22. 22) Cf 1 Rg 13, 9-14; 15, 1-23. 23) Cf. ibid. 16, 14. 24) Mt 23, 3. 25) Dictum familiare S. Auctori, cf. *Quadragesimale Primum*, pag. 182; *Quadragesimale Secundum*, part. 1, pag. 552.

patris praeceptum regiumque mandatum cum illud novit, dicens: *Turbavit pater meus terram.*[26] Sic voluit Deus obedientiam commendare mortisque periculum inobedientibus imminere: *Quaecunque ergo dixerint vobis, servate et facite.*

modo iusta praecipiant,

Nam obedientia via salutis est et scala coeli; per hanc ascensurus erat homo a terrestri in coelestem paradisum. Dissuasit hanc satanas in perniciem humani generis,[27] suadet hodie Christus in salutem.

nam obedientia via salutis est.

III. Magistrum et doctorem agit hodie Christus, nam ait: *Magister vester unus est, Christus;*[28] *Vos vocatis me: magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim* ego *Dominus et magister* vester.[29] Ad hoc venturus erat in mundum, ut hominum esset magister et doctor; sic nanque per Isaiam ait: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus;*[30] unde gentes dicunt: *Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem.*[31] De divino hoc praeceptore alibi Isaias ait: *Non faciet avolare ultra doctorem tuum a te, et erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum, et aures tuae audient verbum post tergum monentis: Haec est via, ambulate in ea et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram.*[32] *Erunt,* inquit, *oculi tui videntes praeceptorem tuum.* Deus ipse Hebraeis in deserto magistrum se praebuit dans eis de coelo legem.[33] Hinc ait per Isaiam: *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea! Facta fuisset sicut flumen pax tua et iustitia tua sicut gurgites maris.*[34] At quis nesciat quod Deus invisibilis est? *Deum nemo vidit unquam,*[35] *sed nec videre potest, lucem* enim *inhabitat inaccessibilem;*[36] *Tu es Deus absconditus.*[37] Hinc legem tunc dedit de medio caliginis,[38] et discipulos tunc adeo terruit, ut prae nimio timore pene exanimati fuerint, quare Moysi dixerunt: *Loquere tu nobis et audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.*[39]

Christus venturus erat in mundum ut esset doctor et magister.

Deus ipse in deserto magistrum invisibilem se praebuit populo dans legem;

Sed nunc *erunt,* inquit, *oculi tui videntes* Deum *praeceptorem*

26) 1 Rg 14, 29. 27) Cf. Gn 3, 1 sqq. 28) Mt 23, 10. 29) Io 13, 13-14. 30) 55, 4. 31) Ibid. 2, 3. 32) 30, 20-21. Vulg.: *Avolare a te ultra*, etc. 33) Cf. Ex 20, 1-23, 1 sqq. 34) 48, 17-18. 35) Io 1, 18; 1 Io 4, 12. 36) 1 Tim 6, 16. Ordine inverso affert has pericopas. 37) Is 45, 15. 38) Cf. Ex 19, 9 sqq. 39) Ibid. 20, 19.

sed Christus magister visibilis est, quia homo;

tuum visibilem, hominem factum, *et aures tuae audient* non terribilem et horrificam vocem, sed *post tergum monentis: Haec est via, ambulate in ea.* O magistrum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei![40] nam requievit *super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus.*[41]

venit autem ut doceret non naturalem sed divinam philosophiam.

Sed non venit ut cum philosophis doceret naturalem philosophiam, sed cum Prophetis sacram theologiam, cum Moyse legislatore moralem sed divinam philosophiam: *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia;* qualem magistrum R e g i u s V a t e s cupiebat dicens: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi;*[42] *Doce me iustificationes tuas;*[43] *Iudicia tua doce me;*[44] *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu;*[45] *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.*[46] Huius magistri discipulus fuit Ioseph, Moyses, David, Salomon, Daniel, omnes Prophetae, omnes Apostoli, imo omnes Angeli paradisi. Nobilissimus est magister et unicus Angelorum et hominum; hinc semel et iterum in hodierno Evangelio *magister* appellatur.[47]

In hodierno Evangelio compendium tradit christianae philosophiae.

IV. In hodierno autem Evangelio veluti compendium tradit totius christianae divinaeque philosophiae omnibus numeris absolutum, docens qualiter sese quisque gerere debeat erga superiores, tum Deum tum Christum tum homines, principes et praelatos, Dei Christique vicarios; qualiter erga aequales et qualiter erga inferiores. Nam humana respublica in tres hasce classes distinguitur, uti in familia sunt parentes, filii, fratres et sorores, servi atque conservi; in exercitu duces, milites, et commilitones; in corpore nostro caput, pedes, manus. Erga superiores mandat reverentiam et obedientiam, ut quisque se gerat erga principes et praelatos sicut servus erga dominum; erga Christum sicut discipulus bonus erga magistrum optimum; erga Deum ut filius erga parentem amantissimum; erga aequales se gerat sicut discipulus cum condiscipulis, sicut frater cum suis fratribus: *Omnes* enim *vos fratres estis;*[48] ut quisque humiliter et modeste se gerat cum proximo suo, nam: *Qui se humiliat exaltabitur.*[49]

docens qualiter quisque se gerere debeat erga superiores, aequales et inferiores.

40) Col 2, 3. 41) Is 11, 2. 42) Ps 118, 66. 43) Ibid. vr. 12. 44) Ibid. vr. 108. 45) Ps 142, 10. 46) Ps 93, 12. 47) Cf. Mt 23, 8. 10. 48) Ibid. vr. 8. 49) Ibid. vr. 12; Lc 14, 11; 18, 14.

Quomodo autem quisque se gerere debeat cum inferioribus docet vitia damnans scribarum et Pharisaeorum.

Summatim autem omnia praecepta christianae philosophiae ad tria capita reducit, docens iustitiam, caritatem et humilitatem, sicut etiam Michaeas: *Ostendam tibi, o homo, quid bonum sit et quid Dominus requirat a te... facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum*, sive humilem *ambulare cum Deo tuo.* [50] Regius Vates etiam ad tria capita redegit virtutes omnes dicens: *Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam et deducet te mirabiliter dextera tua;* [51] et alibi veluti magistrum agens: *Venite*, inquit, *filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?... Diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et persequere eam;* [52] et alibi: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam*, sive *non extulit ad vanitatem* per superbiam *animam suam... hic accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo.* [53] *Innocens manibus* per iustitiam, *mundo corde* per caritatem, nam: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* [54] et *qui non extulit ad vanitatem animam suam*, sed humiliter se gessit, sicut alibi de seipso ait: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*, sed depressi, inquit, et humiliavi animam meam, *sicut ablactatus est super matre sua:* [55] qualis ablactatus, talis in me anima mea, iuxta illud: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* [56]

Omnia praecepta ad tria reducit,

idest ad iustitiam, ad caritatem et ad humilitatem.

Elegantissimum plane christianae humilitatis hieroglyphicum ablactatus infans, qui totus a matre et nutrice pendet, totus in eius caritate conquiescit, cum nondum sua curare valeat, nec sine alterius adminiculo pedibus suis insistere, nec corpus regere possit: *Qui se existimat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* [57] Infans in illa aetate matri carissimus est eiusque illa summam ac diligentissimam curam gerit. Sic Deus humiles diligit: *Humilibus... dat gratiam;* [58] *Qui se humiliat exaltabitur.*

Deus maxime diligit humiles.

50) 6, 8. Vulg.: *Iudicabo tibi*, etc. 51) Ps 44, 5. 52) Ps 33, 12-15. 53) Ps 23 (hebr. 24), 3-5. 54) Mt 5, 8. 55) Ps 130, 1-2. 56) Mt 18, 3. 57) Gal 6, 3. Vulg.: *Si quis existimat se*, etc. 58) Iac 4, 6.

Iustitia oritur a cognitione virtutum, humilitas a cognitione suiipsius, caritas a cognitione Dei et proximi.

Sed undenam, quaeso, ortum habent divinae hae virtutes, quas hodie Christus nobis commendat et a nobis exigit? Iustitia quidem legalis, quae declinet a malo et faciat bonum, a cognitione virtutum et vitiorum, humilitas ex vera suiipsius cognitione, caritas ex cognitione Dei paternaeque caritatis Dei erga nos et ex cognitione proximi, quatenus est imago Dei. Haec alta philosophia est, quam hodie Christus *scientiarum Dominus* [59] docet. En iustitia legalis et obedientia: *Quaecunque dixerint vobis, servate et facite, secundum opera vero eorum nolite facere:* si fuerit sicut Naaman princeps magnus, reipublicae valde utilis, sed tamen leprosus. [60]

Agitur nunc de sacerdotali dignitate.

V. Quoniam sacerdotalis dignitas multis contemptui est ac vilipendio, liceat nonnulla de sacerdotii divina auctoritate et dignitate in medium afferre. Sicut hominis creationem Divina Scriptura magna cum maiestate introducit ob summam humanae naturae nobilitatem, [61] sic divina quadam cum maiestate sacerdotium introducit. Neque enim ad aliud conditus fuit homo, nisi ut sacerdotio fungeretur, ut ministraret Deo, ut esset in mundo sicut sacerdos in templo Domini. Hinc Adam filios suos sacerdotale munus docuit, ut sacrificia Deo ac munera sacra offerrent. [61a]

Sacerdotium introducitur in S. Scriptura simul cum dignitate regia in Melchisedech

Sed cum primum in Sacris Litteris sacerdotium legimus, bone Deus, quanta cum magnificentia introducitur in persona Melchisedech regis Salem! *Melchisedech*, inquit, *rex Salem*, obtulit *panem et vinum, erat enim sacerdos Dei Altissimi, et benedixit* Abrahae *et ait : Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit coelum et terram, et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* [62]

et in Abraham;

Sicut introduxit M o y s e s creationem duorum magnorum luminarium in coelo, ita tamen ut alterum supposuerit: *Fecit . . . Deus duo luminaria magna: luminare maius ut praeesset diei et luminare minus ut praeesset nocti,* [63] ita simul introduxit duas supremas dignitates: regiam et sacerdotalem, saecularem et ecclesiasticam; introduxit Abrahamum patriarcham sanctissimum ac principem gloriosissimum, nam victoriam contra quattuor reges obtinuerat; [64] introducit etiam

59) 1 Rg 2, 3. 60) Cf. 4 Rg 5, 1. 61) Cf. Gn 1, 26-2, 7 sqq. 61a) Cf. *Explanatio in Genesim*, pag. 343, not. 50. 62) Gn 14, 18-20. 63) Ibid. 1, 16. 64) Cf. ibid. 14, 14-16.

sacerdotium tanquam maiorem ac sublimiorem dignitatem; nam Abraham sacerdoti Dei humillime subiectus, accepit ab eo benedictionem deditque ei decimas de omnibus spoliis quae parta victoria in bello acquisiverat:[65] en luminare minus suppositum maiori luminari.

sacerdotalis tamen superior regiae.

Ostenditur autem hoc loco dignitas sacerdotalis et munus, nam obtulit sacrificium panis et vini, Domino benedixit et Deum etiam laudavit ac pro parta victoria gratias egit. Dignitas [sacerdotalis] primo proponitur, sed regia dignitate superior. Sacerdos hebraice dicitur כֹּהֵן,[66] quae quidem vox p r i n c i p e m etiam significat, nam hoc est quod legimus Putipharem fuisse sacerdotem Om[67] et Iethro sacerdotem Madian.[68] *2* libro *Regum* legimus quod filii David erant sacerdotes:[69] וּבְנֵי דָוִד כֹּהֲנִים;[70] sed *1 Paralipomenon*, ubi eadem refertur historia, dicitur: וּבְנֵי־דָוִיד הָרִאשֹׁנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ:[71] *Filii David primi ad manum regis*,[72] apud regem principem locum tenebant.

In S. Scriptura sacerdos vocatur *Angelus Domini*,

Sacerdos ergo magnus est apud Deum princeps, et propterea hebraice כֹּהֵן[73] appellatur, sicut etiam latine sacerdos dicitur s a c e r d u x, licet etiam dici possit sacerdos quasi s a c r a d i c e n s, s a c r a d o c e n s, s a c r a d a n s.[74] Hanc ob causam apud M a l a c h i a m sacerdos *Angelus Domini exercituum* dicitur: *Labia... sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*,[75] idest omnipotentis Dei internuncius, interpres divinae voluntatis, mediator et sequester inter Deum et homines. Hinc sacerdotes designati sunt per Angelos ascendentes et descendentes per scalam Iacob,[76] illa enim vere domum Dei designabat: *Hic... domus Dei est et porta coeli*, propterea appellatus fuit locus ille *Bethel*, idest d o m u s D e i.[77] Per scalam autem designatur templum, quoniam: *Domus mea domus orationis est*,[78] et etiam, ut in templo E z e c h i e l i s legimus, per gradus ascende-

et sacerdotes designantur per Angelos ascendentes et descendentes per scalam Iacob;

65) Cf. Ibid. vr. 20. 66) Ms.: *Cohen.* 67) Cf. Gn 41, 45. 50; 46, 20. In Textu Hebraico legitur אֹן, *On*, quod in Vulg. vertitur: *Heliopoleos.* 68) Cf. Ex 3, 1. 69) Cf. 8, 18. 70) Ms.: *Ubene David hacohanim.* 71) Ms.: *Ubene David harissonim leiad hamelech.* 72) 18, 17. 73) Ms.: *Cohen.* 74) Cf. *Quadragesimale Secundum*, part. 1, pag. 541; S. Antoninus *S. Theolog.*, part. 3, tit. 14, cp. 7, § 1. 75) 2, 7. Vulg.: *Ex ore eius*, etc. 76) Cf. Gn 28, 12. 77) Ibid. vrr. 17-19. 78) Is 56, 7; Mt 21, 13; Lc 19, 46.

batur ab atrio in sanctum et sanctum sanctorum.[79] Per Angelos ergo sacerdotes in sacro templo ministrantes Deo Altissimo designantur.

designantur per montem Domini in Isaia,

O divinam sacerdotii dignitatem! Isaias[80] ait et cum eo Michaeas[81] iisdem prorsus verbis: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super* omnes *colles*. Per montes et colles in Sacris Litteris principes maiores et minores significantur: *Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam.*[82] Quid iustitia et pax cum montibus et collibus? Sed principes populi intelligit. Sic Isaias eodem capite: *Dies Domini exercituum . . . super omnes montes excelsos et super omnes colles elevatos.*[83] Quod declarans ait: *Incurvabitur sublimitas hominum et humiliabitur altitudo virorum et elevabitur Dominus solus in die illa.*[84] Per montes ergo et colles varia dignitatum, graduum honorumque genera designantur; sed mons domus Domini, inquit, dignitas sacerdotalis ecclesiastica, elevabitur *super omnes montes et . . . colles*, dignitas erit altissima, omnium excellentissima.

quia sacerdotium dignitas est omnium excellentissima.

Deus in Ecclesia duos constituit principatus: regium et pontificium;

VI. Erat prius Moyses veluti monarcha populi, habens potestatem ecclesiasticam et saecularem, sicut primo Deus unam tantum lucem creavit ad illuminandum mundum, sed postea in duo luminaria divisit;[85] sic duos constituit in Ecclesia principatus: regium et pontificium. Hi sunt duo cherubim extensis alis divino propitiatorio astantes a dextris et a sinistris,[86] principes enim utriusque fori ministri Dei sunt; hi duo Seraphim apud Isaiam Deum laudantes et sanctificantes simulque volantes circa thronum Dei;[87] hi columna nubis per diem et ignis per noctem ad ducendum populum in terram promissionis;[88] hi duae columnae in templo, *Iachin* et *Bohaz*, veluti protegentes mare aeneum,[89] quod Sanctam Ecclesiam significat: aquae multae populi multi,[90] fundatam super fidem et doctrinam duodecim Apostolorum; hi duo magni leones in throno Salomonis

79) Cf. 40, 6 sqq. 80) 2, 2. 81) 4, 1. 82) Ps 71, 3. 83) 2, 12-14. 84) Ibid. vr. 17. 85) Cf. supra, not. 4-6. 86) Cf. Ex 25, 18-22; 3 Rg 6, 23-26; 2 Par 3, 10-13. 87) Cf. 6, 2-3. 88) Cf. Ex 13, 21. 89) Cf. 3 Rg 7, 21-24; 2 Par 3, 15 sq. Vulg.: *Booz. Bohaz* ex hebraico. 90) Proverbium deductum ab Apc 17, 15. Cf. S. Bernardinus Senensis *Quadragesimale*, t. 1, sermo *61*, cp. 3, pag. 263; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 26, cp. 23, col. 1464. *Aquas* SS. Patres communiter interpretantur *populos*. Cf. S. Augustinus *In Apocalypsim*, hom. 13, (P. L. 35, 2441); *Enarrat. in Psalmos*, ps. 17, ibid. 36, 150; S. Gregorius M. *Moralium*, lib. 17, cp. 21, ibid. 76, 25, et alii.

ad dexteram et ad sinistram; [91] hi duo rami olivae in candelabro Zachariae, infundentes oleum in lampades ne extinguerentur, [92] nam utraque potestas posita est ut per iustas sanctasque leges in popolum infundant oleum iustitiae.

Aequales erant cherubim, Seraphim, columnae, leones, rami; utraque nanque potestas supra universum populum est: altera quidem supra corpus, altera supra animam; altera concernens bona temporalia, altera spiritualia. Sed sicut anima nobilior est corpore, spiritus carne, sic potestas editior est ac multo nobilior ecclesiastica quam temporalis; haec nanque manus dextera est, illa sinistra; haec oculus dexter, illa sinister. Sic Abraham princeps summus Melchisedech sacerdotem Dei honoravit tanquam Dei vicarium.

utraque autem potestas suprema est, una supra corpus, altera supra animam.

Ad ostendendam sacerdotii dignitatem voluit Deus sacerdotem sacris initiatum vestibus indui pretiosissimis ac ornatissimis auro gemmisque, et ut nemo ad thronum divinae maiestatis valeret accedere ad intercedendum pro populo, ad divina accipienda oracula, nisi sacerdos. [93] Hunc voluit esse unicum summi regis cubicularium aureae clavis, unicum secretarium, magistrum simul domus et cubiculi regii ac pontificii, nam Christus simul est summus rex summusque pontifex Ecclesiae ac mundi totius, sicut rex et sacerdos erat Melchisedech.

Multis modis Deus ostendit sacerdotii dignitatem.

Sed quoniam a fructibus cognoscitur arbor, [94] videamus, quaeso, opera muniaque sacerdotii. Melchisedech obtulit Deo sacrificium panis et vini, benedixit Abrahamo simulque instruxit ac docuit Deum esse creatorem coeli et terrae, quare magistrum fidei se exhibuit; benedixit etiam et laudavit Deum, gratias agens ob partam victoriam, docens quod nonnisi a Deo Deique virtute agnoscenda erat tam illustris victoria. Sacerdos potestatem habet consecrandi et sacrificandi, potestatem benedicendi populum divina benedictione in sacramento Poenitentiae, potestatem docendi populum tanquam fidei magister, ac tandem potestatem accedendi ad Deum in oratione et laudibus divinis.

Multa ac plane divina sunt munia sacerdotis.

91) Cf. 2 Par 9, 18. 92) Cf. 4, 11. 93) Cf. Ex 28, 1 sqq.; Lv 16, 1 sqq.
94) Cf. Mt 7, 20.

II. ALIA HOMILIA

Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei. Omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, servate et facite, etc. [1]

Requirit hodie Dominus obedientiam integram, sanctam,

I. Ostendit Dominus regiam ac securam salutis viam esse legalem obedientiam, iustam, sanctam humilemque, per quam viam Deus voluit ut homo etiam in statu innocentiae pergeret a terrestri in coelestem paradisum. [2] Obedientiam a nobis requirit, inquam, sed magnam et integram: *Omnia . . . quaecunque dixerint vobis, servate et facite,* quia sederunt *super cathedram Moysi,* quia divina praediti sunt auctoritate: *Qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit ;* [3] vult tamen ut obedientia sancta sit, hinc ait: *Secundum vero opera eorum nolite facere.* [4]

perfectam, idest quae oritur ex caritate et humilitate,

Quoniam vero non omnis, sed perfecta tantum obedientia Deo placet et quae ex caritate oritur et virtutis amore, non ex formidine poenae, [5] aut lucri spe et propriae utilitatis intuitu, quae mercenaria servorum obedientia est, non servorum sed filiorum obedientiam a nobis requirit: *Unus est . . . Pater vester qui in coelis est,* [6] Deus; obedientiam discipulorum: *Magister vester unus est, Christus ;* [7] obedientiam requirit quae ex vera humilitate oritur, hinc ait quod *qui se humiliat exaltabitur,* [8] nam: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ;* [9] *Excelsus Dominus et humilia respicit et alta de longe cognoscit.* [10] Iacob humilis, qui c a l c a n e u s interpretatur, exaltatus a Deo fuit, praelatus Esau, [11] factus primogenitus, benedictione donatus, [12] Israel, idest p r i n c e p s D e i , [13] princeps gloriosissimus appellatus. Vasthi regina superba spernens regis imperium, humiliata fuit, omni honore et gloria privata; [14] humilis autem Esther exaltata constitutaque regina, ad summi honoris gradum sublimata fuit. [15] Sic ait: *Qui . . . se exaltaverit humiliabitur . . . qui se humilia-*

nam nonnisi humiles exaltabuntur

1) Mt 23, 2-3. 2) Cf. Gn 2, 16-17. 3) Lc 10, 16. 4) Mt 23, 3. Vulg.: *Opera vero,* etc. 5) Ex Horat. *Epistolarum,* lib. 1, epist. 16, vrr. 52-53. 6) Mt 23, 9. 7) Ibid. vr. 10. 8) Lc 14, 11; 18, 14. 9) Iac 4, 6. 10) Ps 137, 6. Vulg.: *A longe cognoscit.* 11) Cf. Gn 25, 23. 12) Cf. ibid. 27, 8-29. 13) Cf. ibid. 38, 28. 14) Cf. Est 1, 10 sqq. 15) Cf. ibid. 2, 15-18.

verit exaltabitur ; [16] *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum ;* [17] *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum,* sive *ostium dat parvulis,* [18] nam nonnisi humilibus regnum coelorum promittitur, nonnisi humilibus porta paradisi aperitur, nec nisi humilibus arcana regni coelorum revelantur: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis;* [19] *Firmamentum est Dominus timentibus eum,* hebraice: *Secretum Domini timentibus eum.* [20]

Est, fratres, coelum semper stellis ornatum etiam in meridie sicut in nocte; videtur autem ornamentum coeli in nocte, non autem in claritate diei; sic humilibus patent coelestia. Si homo in altissimo et omnium editissimo monte, in ipso Olympo constitutus esset, [21] nec inde quidem videre posset in meridie ornamentum coeli, splendidas et fulgentes stellas, quas dicunt etiam in meridie videri ab homine constituto in profundissimo puteo, vel antro sine aqua. [22] Nisi arbor profundas radices egerit valdeque firmas, parum vel nihil affert fructus; optime autem radicata maximaque fructuum copia onusta, ramos demittit potius in terram quam exaltet; sic utique qui vere iustus est.

et nonnisi humilibus patent coelestia.

Ex hac radice, fratres, obedientia oritur Deo placens, haec basis et fundamentum verae obedientiae est. Hinc satanas a principio, ut virtutis arborem radicitus evelleret ex humano pectore, humilitatem impugnavit et expugnavit gloriae desiderio et divinitatis ambitione: *Eritis sicut dii.* [23]

Humilitas est basis obedientiae.

II. Proponit autem hodie Dominus non tantum simplicem virtutem obedientiae, sed etiam praemium obedientiae et inobedientiae supplicium dicens: *Qui ... se exaltaverit humiliabitur* cum satana, qui ait: *Ascendam in coelum, super astra* coeli *exaltabo solium meum ... similis ero Altissimo ;* [24] *Et qui se humiliaverit exaltabitur* cum Christo, qui cum in *forma Dei esset ... exinanivit semetipsum formam servi*

Proponit etiam Dominus praemium obedientiae et poenam inobedientiae.

16) Mt 23, 12. 17) Ibid. 18, 3. 18) Ps 118 (hebr. 119), 130. 19) Lc 10, 21. 20) Ps 24 (hebr. 25), 14. 21) Olympi altitudinem omnes totius orbis montes superare antiqui putabant; dicebant enim neque altitudinem montium neque profunditatem maris ultra decem stadia protendi. Cf. Plutarchus *Pauli Aemilii Vita*, f. 123ª. 22) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 2, cp. 14, pag. 4. 23) Gn 3, 5. 24) Is 14, 13. Vulg.: *In coelum conscendam*, etc.

accipiens, imo *humiliavit semetipsum . . . usque ad mortem . . . crucis ; propter quod . . . Deus exaltavit illum.* [25]

Humiles semper a Deo exaltantur, ut patet in Davide, in Abraham et Moyse;

D i v u s V a t e s ait cum Deo loquens: *Quoniam tu populum humilem salvum facies et oculos superborum humiliabis.* [26] Quare, cum experimento didicisset ipse quoniam Deus Saulem elegit et exaltavit cum humilis esset in oculis suis, abiecit cum factus rex in superbiam fuit elatus, [27] humiliabat seipsum rex sanctissimus coram arca Domini, et licet spreverit eum Michol filia regis Saul, uxor ipsius, [28] nam semper mundana vanitas sprevit christianam humilitatem, ipse tamen aiebat: Vivit Dominus quia *vilior fiam plusquam factus sum et ero humilis in oculis meis* et *gloriosior apparebo.* [29] Abraham quia humillimus erat, a Deo tantopere exaltatus fuit: *Loquar,* aiebat, *ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis;* [30] Moyses hanc ob causam Deo tantopere placuit, quia vir mitissimus ac humillimus erat, [31] ideo supramodum a Deo exaltatus fuit ac veluti deus in mundo constitutus fuit: *Constitui te deum Pharaonis.* [32]

ideo praemium obedientiae appellatur exaltatio.

Praemium autem virtutis Christus hodie simpliciter *exaltationem* dicit, supplicium autem et poenam superbiae et inobedientiae *humiliationem.* Quid enim [est] gloria paradisi nisi altissima divinaque exaltatio? Paradisus enim supra coelum positus est, infernus autem antrum est profundissimum in inferioribus partibus terrae. [33]

Non damnat hodie Dominus sacerdotium, sed vitia malorum sacerdotum.

III. Damnat hodie Dominus vitia malorum sacerdotum, nec tamen damnat aut tollendum sacerdotium iubet, imo obediendum malis etiam sacerdotibus praecipit: *Quaecunque dixerint vobis, servate et facite.* Nec enim tollendum est matrimonium, quia multi nascuntur mali filii, pessimi homines; non tollendae vineae, quia multi vino inebriantur; non tollenda ars medicinae, quia multi sunt medici imperiti; non tollendae artes omnes, quia in omnibus multae sunt fraudes. Tollendi sunt abusus, nam abusus malum est, vitium est; sic de sacerdotio Christus hodie docet: abusum damnat, non sacerdotium; neque enim quia multi sunt mali principes, propterea tollendus omnino est principatus; quia multi mali milites, tollenda militia

25) Phil 2, 5-9. Vulg.: *Semetipsum exinanivit,* etc. 26) Ps 17, 28. 27) Cf. 1 Rg 15, 17-23. 28) Cf. 2 Rg 6, 13. 29) Ibid. vr. 22. 30) Gn 18, 27. 31) Cf. Nm 12, 3. 32) Ex 7, 1. 33) Cf. supra, Feria Secunda Dom. Primae, pag. 106, not. 69-69*.

est omnisque armorum usus; quia multae naves pereunt in mari ob pericula, tollenda omnino navigatio est. Per Malachiam Dominus damnat sacerdotum vitia et, proposito Aaron sacerdote levitici generis, [34] ostendit quales oporteat esse sacerdotes, ut Deo grati sint et mundo honorabiles.

In figura supremae dignitatis Moysi repraesentat hodie Dominus sacerdotalem dignitatem.

IV. *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei... Quaecunque dixerint vobis, servate et facite, secundum vero opera,* etc. Ad mirabilem supra quam dici possit altamque et sublimem dignitatem evexit Deus Moysen, quem ex pastore ovium pastorem constituit hominum; [35] eum quodammodo divinitate donavit: *Constitui te deum Pharaonis; Ego ero tecum,* [36] *Ego ero in ore tuo et docebo te quid loquaris... virgam... hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* [37] Sacerdotem eum ipse instituit et consecravit: *Cum eduxeris populum... de Aegypto, immolabis Deo super montem istum ;* [38] *Moyses et Aaron in sacerdotibus eius.* [39] Divina quadam maiestate eum donavit, quasi numen coeleste splendebat, [40] erat coeleste oraculum et mundi miraculum. Suprema fuit Moysi dignitas in populo Dei, dignitas non naturalis, non humana, sed supernaturalis, coelestis, divina; Deus ipse ex homine veluti deum constituit. Hac imagine Christus hodie sacerdotalem dignitatem nobis repraesentat: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei,* quia sacerdotalis dignitas supernaturalis est, magna est, divina est, suprema omnium est.

Isaias in spiritu vidit Ecclesiam fundatam supra dignitatem sacerdotalem omnibus supereminentem.

Isaias Divino Spiritu afflatus vidit Ecclesiam Dei fundatam in cacumine montis, positi supra altos montes: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes et ibunt populi multi et dicent : Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem.* [41] De Ecclesia loquitur et ecclesiastica dignitate, montes nanque aliquando in Sacris Litteris sublimem dignitatem designant, sicut Ioannes in *Apocalypsi* ait: *Septem montes sunt... et septem reges sunt.* [42] Ecclesia igitur in

34) Cf. 1, 6-3, 1 sqq. 35) Cf. Ex 3, 7-10. 36) Ibid. 3, 12. 37) Ibid. 4, 12-17. Vulg.: *Doceboque te,* etc. 38) Ibid. 3, 12. 39) Ps 98, 6. 40) Cf. Ex 34, 29 sqq. 41) 2, 2-3. 42) 17, 9. Vulg.: *Et reges septem sunt.*

vertice montium fundata supremam dignitatem significat, omnes mundi dignitates excedentem, omnibus supereminentem.

Sacerdotalis dignitas suprema est,

In mitra magni sacerdotis erant tres coronae,[43] sicut nunc in mitra Summi Pontificis, ad designandam supremam dignitatem. Abraham patriarcha sanctissimus in Melchisedech veneratus fuit sacerdotalem dignitatem magis quam regalem maiestatem, nam tanquam sacerdoti Altissimi dedit decimas et ab eo benedictionem accepit, cum ille panis et vini sacrificium Deo obtulisset pro parta victoria.[44] In Christo Domino nostro, cuius Melchisedech typum et figuram gessit,[45] reperitur tum regalis tum sacerdotalis dignitas, nam summus imperator est: *Rex regum et Dominus dominantium,*[46] et summus ipse pontifex, qui *sempiternum habet sacerdotium;*[47] sed potior in eo dignitas sacerdotalis quam regalis est. Hoc Spiritus Sanctus Regio Vati manifestavit et per eum Ecclesiae: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.*[48] Deus dat primum apud se locum Christo, sed quam ob causam? *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*[49] Non dixit: Quia tu rex, sed quia sacerdos, sicut nunc Summus Pontifex Christi Vicarius simul rex et sacerdos est; cedunt autem ei reges et principes, cedit imperator, non quatenus rex et princeps est Romae, sed quatenus sacerdos est et princeps Ecclesiae. Hinc elucet eminentia sacerdotalis dignitatis: *Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles.*

sicut in Christo potior est sacerdotalis quam regalis dignitas.

Magnum Dei beneficium fuit Moyses populo israelitico divina virtute fultus,

V. *Supra cathedram Moysi.* Magnum Dei beneficium fuit Moyses populo israelitico; divina nanque virtute fultus domuit superbiam Pharaonis, humiliavit Aegyptum, liberavit populum Dei a captivitate et gravissimo iugo durissimae servitutis,[50] pavit manna in deserto,[51] potavit aqua de petra durissima,[52] aedificavit sanctuarium orationis et divinae propitiationis locum, veluti asylum,[53] dedit legem,[54] duxit in terram promissionis,[55] inter Deum et populum sequester et mediator fuit; magnam vim habuit apud Deum, ut eum cogere quodammodo potuerit ad dimittendum populo grave idololatriae peccatum,[56] cui

43) Cf. Ex 28, 4. 44) Cf. Gn 14, 14-20. 45) Cf. Ps 109, 4; Hebr 7, 1 sqq.
46) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 47) Hebr 7, 24. 48) Ps 109, 1. 49) Ibid. vr. 4.
50) Cf. Ex 14, 1 sqq. 51) Cf. ibid. 16, 13 sqq. 52) Cf. ibid. 17, 5-6; Nm 20, 8-11.
53) Cf. Ex 40, 14-32. 54) Cf. ibid. 24, 1 sqq. 55) Cf. Dt 33, 1 sqq.
56) Cf. Ex 32, 11-14.

Deus: *Dimitte me ut irascatur furor meus* [57] in populum; voluit Deus ut ipsius facies divina quadam luce splenderet, ut sciret populus quod non tam utilis et iucunda est mundo lux solis quam erat Moysi virtus synagogae, quae tunc erat Dei Ecclesia. Omnia autem beneficia, quae Moyses contulit populo, confert in spiritu sacerdos fidelibus.

Erat Moyses tunc veluti *mons in vertice montium,* nam populus erat veluti planities, levitae ut colles, sacerdotes ut montes, Moyses super omnes sacerdotes; sicut etiam in Ecclesia fidelis populus, turbae, quibus hodie loquitur Christus: ex his elegit septuaginta discipulos, [58] super hos erant Apostoli, super Apostolos Petrus princeps apostolici ordinis: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam . . . .et quodcunque ligaveris* aut *solveris super terram, erit ligatum* aut *solutum . . . in coelis.* [59] O divinam auctoritatem! *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* [60] Sed *constitui te deum Pharaonis ; Ego dixi : Dii estis.* [61]

repraesentat autem divinam sacerdotis dignitatem in ecclesiastica hierarchia.

Mons etiam *in vertice montium* Christus est: *Rex regum et Dominus dominantium.* Ipse autem fundamentum Ecclesiae est, ut Paulus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* [62] Ecclesia autem, ut Petrus ait, *genus electum, regale sacerdotium ;* [63] et Ioannes in *Apocalypsi : Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes,* [64] sicut in *Exodo* legimus: *Eritis mihi gens sancta, regnum sacerdotale,* [65] *populus acquisitionis.* [66]

Ecclesia est regnum sacerdotale Christi;

Non quod omnes christiani sacerdotes sint, nisi spirituales, exhibentes corpora sua *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem ;* [67] sed quod Ecclesia sacerdotalem dignitatem habet, sicut habuit synagoga; nec tamen omnes Hebraei sacerdotes erant, sed tantum filii Aaron; nec ipsi poterant sacerdotio fungi, licet essent ex genere sacerdotali, nisi prius sacris initiati et Deo consecrati essent. [68] Sic post Christum non omnes sunt sacerdotes, sed qui ordinati sunt et inaugurati, qui vocati sunt tanquam Aaron [69] et sicut Moyses, non qui sese introducunt ex ambitione aut avaritia, sicut Core, Dathan et Abiron. [70]

ideo omnes christiani debent esse spirituales sacerdotes, sed quoad dignitatem soli qui ordinati sunt.

57) Ibid. vr. 10. 58) Cf. Mt 10, 1-5; Mc 3, 13-19; Lc 10, 1. 17. 59) Mt 16, 18-19. Vulg.: *Et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in coelis.* 60) Lc 5, 21. 61) Ps 81, 6. 62) 1 Cor 3, 11. 63) 1 Petr 2, 9. 64) 5, 10. 65) 19, 6. Vulg.: *In regnum sacerdotale et gens sancta.* 66) 1 Petr 2, 9. 67) Rom 12, 1. 68) Cf. Ex 29, 1 sqq. 69) Cf. Hebr 5, 4. 70) Cf. Nm 16, 1-33.

Ostendit Christus dignitatem sacerdotalem venerandam esse etiam in malis sacerdotibus.

VI. *Super cathedram Moysi*, etc. Agit Dominus noster sicut pictor qui, pulcherrima aliqua imagine depicta, ut multo magis pulcritudo ipsius prospiciatur, tabulam circumcirca undequaque obscuris nigrisque coloribus efficit, quibus picturata imago veluti in prospectum magnopere tanquam verum corpus revelatur. Sic depingit sacerdotalem dignitatem venerabilem etiam in malis sacerdotibus: *Secundum opera... eorum nolite facere*, quia otio dediti sunt: *Dicunt enim et non faciunt;* [71] quia caritate et humanitate praediti minime sunt; nam caritas sibi aspera, proximis suavis est, hi, e contra, *imponunt... onera gravia et importabilia... in humeros hominum*, sibi autem indulgent, compatiuntur, mollissime blandiuntur: *Digito autem suo nolunt ea movere;* [72] vanitati, pompis et ostentationi ad gloriam laudemque captandam dediti sunt: *Dilatant... phylacteria sua et magnificant fimbrias;* [73] sensuales sunt cibisque lautioribus et delicatioribus delectantur: *Amant... primos recubitus in coenis;* [74] ambitioni dediti sunt: *Et primas cathedras in synagogis et salutationes in foro et vocari ab hominibus rabbi.* [75]

eadem enim est potestas in bono ac in malo sacerdote.

His tamen Dominus praecipit exhiberi honorem propter sacerdotii dignitatem, ut hinc sciamus qualis et quanta sit dignitas sacerdotis. Nam sicut aurum in fucina etiam inter nigros carbones splendet, sicut aurei vel argentei nummi in vili etiam marsupio eiusdem sunt pretii ac in serico, sicut in litteris regalibus et pontificiis character sigilli eiusdem est autoritatis, sive aureum sive argenteum sive ferreum sit sigillum, sic et sacerdotii dignitas etiam in sacerdote indigno; imo quod sicut pulcritudo coeli nonnisi in nocte spectatur et pyropi splendor in tenebris elucet, sic dignitas sacerdotii qualis et quanta suapte natura sit in sacerdote indigno magis resplendet.

Purgat et sanctificat hodie Dominus sacerdotium.

VII. Agere videtur hodie Dominus id quod per Malachiam ait: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis... Ipse... quasi ignis conflans et sicut herba fullonum, et sedebit conflans et mundans argentum, et purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et sicut argentum, et erunt Domino offerentes sacrificium in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda*

71) Mt 23, 3. 72) Ibid. vr. 4. Vulg.: *Alligant... onera*, etc. 73) Ibid. vr. 5.
74) Ibid. vr. 6. 75) Ibid. vrr. 6-7.

et Ierusalem sicut dies saeculi et sicut anni antiqui,[76] idest sicut sacrificia oblata antiquitus Deo ab Abele, Enoch, Abrahamo, Melchisedech. Sed ut grata sint Deo sacrificia, purus sanctusque sacerdos secundum legem requiritur.[77] Sic inquit: *Veniet ad templum suum... et purgabit filios Levi... sicut aurum et argentum,* nam ut Salomon ait: *Aufer rubiginem ab argento et egredietur vas purissimum.*[78]

Sicut enim prudens medicus totum corpus curaturus, ante omnia stomachum curat purgatque a malis humoribus, ita Christus, medicus coelestis, templum et sacerdotium in primis curare voluit. Hoc enim in Ecclesia est velut radix in arbore bona. Radix bona humore bono imbuta dat trunco ramisque bonum humorem ut fructificet arbor, alioquin squalet et arescit. Sic hodie Dominus sacerdotium igne divinae caritatis suae purgat a vitiis, sicut aurum et argentum. Sacerdos dum consecrabatur, oleo pretiosissimo ac odoratissimo unguento inungebatur,[79] ad designandum quod sicut oleum omnibus liquoribus supernatat, sic sacerdotii dignitas omnes alias dignitates excedit ac supereminet.

quia sacerdotium in Ecclesia est velut radix quae bonum humorem trunco dat ut fructificet.

VIII. *Super cathedram Moysi.* Erant Hebraei in deserto sicut stellae in coelo, sed Moyses inter eos sicut sol inter astra splendebat. Sacerdotium in Ecclesia lux est solis in mundo; utilius sacerdotium Ecclesiae quam sol mundo. Damnat hodie Dominus vitia sacerdotum, quia sacerdotium multam requirit et copiosam virtutum supellectilem, quod Dominus in vestimentis antiqui sacerdotii designavit: *Sacerdotes tui induant iustitiam.*[80] Sic Paulus in episcopo, idest in sacerdote curam animarum gerente, omnem requirit virtutum supellectilem. Sic ait *Tito: Reliqui te Cretae ut disponas per ecclesias presbyteros, ut ea quae desunt corrigas... Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.*[81] Et *Actis* legimus quod Apostoli constituerunt *per singulas ecclesias presbyteros.*[82] Sacerdos in Divinis Litteris *Angelus Domini exercituum*[83] dicitur, quare esse debet sicut Angelus Domini stans iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua et offerens Deo multa incensa.[84]

Dignitas sacerdotalis multas requirit virtutes.

76) 3, 1-4. Vulg.: *Quasi herba... quasi argentum,* etc. 77) Cf. Lv 21, 1 sqq.
78) Prv 25, 4. Vulg.: *De argento,* etc. 79) Cf. Ex 29, 7; Lv 8, 10-12. 80) Ps 131 (hebr. 132), 9. 81) 1, 5-7. Vulg.: *Ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros,* etc. 82) 14, 22. 83) Mal 2, 7. 84) Cf. Apc 8, 3.

FERIA QUARTA

POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte et tradent, etc. [1]

Homo naturaliter desiderat beatitudinem, quia haec finis eius est.

I. Natura insitus est homini appetitus felicitatis et beatitudinis, quoniam haec finis est ad quem conditus homo est. Hinc nanque Deus conditum hominem statim paradiso intulit; et sapientissimus Moyses, sapientum coryphaeus et corona, sicut simul iungit creationem coeli et terrae, ita formationem hominis et paradisi plantationem dicens: *Formavit... Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat... Tulit* nanque *Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.* [2]

ideo duplicem paradisum Deus pro homine creavit,

Verum non unum tantum paradisum creavit Deus, sed duos: alterum quidem in terra, alterum vero in coelo, quem Moyses *sabbatum* appellat a Deo sanctificatum et benedictum, in quo ipse cum Angelis quiescit. [3] Hominem vero duplici nomine in sua cosmogonia Moyses appellat: nunc quidem אָדָם, [4] quod humum significat, nunc vero אִישׁ, quod est ignis; אָדָם ratione corporis, carnis, sensus, אִישׁ ratione animae, spiritus, rationis, mentis, in qua Dei

1) Pericope huius diei Mt 20, 17-28. Cf. Missale Rom. 2) Gn 2, 7-15.
3) Cf. ibid. vrr. 2-3; Hebr 4, 9-11. 4) Ms.: *Adam, Isc* et infra: *Ben isc, ben Adam.*

imago et similitudo consistit, summa hominis nobilitas et excellentia. Hinc Hebraei virum nobilem appellant אִישׁ, aut בֶּן־אִישׁ, [5] ab ignis claritate et splendore, sicut nos appellamus viros nobiles clarissimos et illustrissimos, ignobilem vero אָדָם, aut בֶּן־אָדָם, [6] ab obscuritate terrae.

His igitur duobus nominibus appellatur homo ob duplicem substantiam, sicut patriarcha Iacob non tantum Iacob dicitur sed etiam *Israel*, [7] quod est princeps Dei, ob summam nobilitatem ad quam evectus a Deo fuit. Conditus fuit homo sicut lagena fictilis Gedeonis, in qua fax accensa erat abscondita; [8] conditus fuit homo partim quidem terrenus, sensibus corporis et appetitu carnis ad terrena mundanaque propensus, sicut terra suapte natura gravis deorsum tendit; partim coelestis, spiritu mentis ad coelestem divinamque gloriam suspirans et anhelans.

sicut duplici substantia homo constat: sensu ad terram propenso, spiritu ad coelestia anhelante.

II. Sed arte diaboli per peccatum extincta fuit flamma coelestis desiderii, extinctus ignis divini amoris, ardor divinae caritatis, dum voluit in terra, in mundo hoc deificari: *Eritis sicut dii.* [9] Hinc Paulus ait: *Primus homo de terra terrenus*, sed *secundus homo de coelo coelestis*, Christus; *qualis terrenus, tales et terreni, et qualis coelestis, tales et coelestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni*, ita *portemus et imaginem coelestis.* [10] Totus coelestis voluit esse Christus in mundo, semper instar ignis sursum tendens, ipse est enim rubus ardens, [11] *ipse . . . quasi ignis conflans*, [12] ipse homo igneus supra firmamentum apud Ezechielem, [13] hinc ait hodie: *Ecce ascendimus Ierosolymam.*

Sed per peccatum homo totus terrenus factus est, hinc Christus venit totus coelestis.

Descendens ab Iericho haec dicebat; Iericho autem symbolum extitit huius mundi, sicut Ierusalem paradisi coelestis. Praecepit Deus Hebraeis ne quid tollerent de spoliis Iericho; [14] sic Christus nihil voluit de bonis huius mundi, non divitias, non honores, non voluptates, sed potius affici voluit malis: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum . . . et tradent*

Noluit terrena bona, sed potius mala elegit;

5) Cf. Ps 4, 3; 48 (hebr. 49), 3. 6) Cf. Iob 25, 6; 35, 8; Ps 10 (hebr. 11), 4; 11 (hebr. 12), 2. 9; 30 (hebr. 31), 20; 61 (hebr. 62), 10. 7) Cf. Gn 32, 28. 8) Cf. Idc 7, 16-20. 9) Gn 3, 5. 10) 1 Cor 15, 47-49. 11) Cf. Ex 3, 2. 12) Mal 3, 2. 13) Cf. 10, 1-8. 14) Cf. Ios 6, 17-18.

cum gentibus ad illudendum, ad *flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget ;* [15] *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam ;* [16] *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* [17] Sic Christus totus ignis sursum tendens.

hoc autem non intelligentes filii Zebedaei, ab eo petunt regni gloriam,

Át non sic filii Zebedaei petentes regni gloriam, regni utique huius mundi, existimantes regnaturum esse Christum sicut David et Salomonem: *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.* [18] Sunt sicut filii Aaron incensum Domino offerentes, sed in igne alieno, profano, non sacro, quare divino igne absumpti fuerunt. [19] Sacer ignis est caritas, coelestis gloriae desiderium; profanus autem cupiditas, ambitio, desiderium gloriae mundanae. Filii sunt Zebedaei, viri ignobilis, filii Adam terreni, ignobili adhuc spiritu praediti, nondum Spiritu Sancto donati atque repleti, licet Christi discipuli ac veluti filii essent.

Christus vero tanquam ignorantes eos repellit.

Hinc Regius Vates una cum Christo eos veluti coarguens ait: *Filii hominum, usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium ? Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum.* [20] Christus tanquam ignorantes repulit: *Nescitis quid petatis:* [21] umbras bonorum expetitis fugacissimas, inanissimas larvas quaeritis. Hinc ait: *Filii hominum*, o homines, *ad imaginem et similitudinem Dei* et Christi conditi, [22] summa nobilitate spiritus donati et ad coelestem, aeternam, divinam gloriam destinati, *usquequo gravi corde* eritis, terreno corde praediti ad terrena mundanaque propenso? Usquequo coelestem gloriam contemnetis, flocci pendetis? Sic enim hebraice est: *Usquequo gloria mea vilipendio ? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium ?*

Gloria huius mundi vana, mendax et fallax est,

III. Gloria mundi huius vana, mendax et fallax est; hinc Christus *fallaces divitias* [23] appellavit, et Regius Vates: *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius et non respexit in vanitates et insanias falsas,* [24] idest fallaces. Hoc quoque sapientissimus Salomon dixit ac sapientissime in suo *Ecclesiaste* peroravit demonstravitque: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas ... Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et*

15) Mt 20, 18-19. 16) Lc 24, 26. 17) Act 14. 21. 18) Mt 20, 21.
19) Cf. Lv 10, 1-2; 16, 1; Nm 3, 4; 26, 61. 20) Ps 4, 3-4. 21) Mt 20, 22.
22) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. Cf. *Explanatio in Genesim*, pag. 198-199. 23) Cf. Mt 13, 22.
24) Ps 39, 5.

ecce... vanitas et afflictio spiritus,[25] sive pastura venti, quemadmodum vanitatis amatores et inanis gloriae cupidos vento pasci dicimus. Humanam gloriam hoc loco David רִיק et כָּזָב[26] appellat. Est autem רִיק idem ac vacuum, id quod intus vacuum est, uti est arundo, sicut vas vacuum, vagina sine gladio; כָּזָב vero mendacium, fallacia, uti adulterina falsaque moneta, uti sunt larvae, imagines, picturae, umbrae rerum.

Fallax et mendax est mundi huius gloria, sicut illa quam satanas ostendit promisitque Christo in deserto,[27] quam promisit serpens primis parentibus in paradiso;[28] sicut felicitas Pentapolis, quae Loth visa fuit *sicut paradisus Domini,*[29] et tamen vivum infernum ibi reperiit multaque mala ibi passus fuit, odia pessimorum hominum, captivitatem, bonorum expoliationem[30] et tandem salutis et vitae extremum periculum;[31] sicut Hebraei concupierunt in deserto carnes Aegypti, contempto manna, pane coelesti et angelico: *Quis dabit nobis... carnes?*[32] *Anima nostra... nauseat super cibo isto levissimo.*[33] Existimabant se beatos fore si carnes ad manducandum haberent: *Concupierunt concupiscentiam in deserto et tentaverunt Deum in inaquoso; et dedit eis petitionem eorum et misit saturitatem in animas eorum,*[34] idest repletionem, oppilationem, nauseam tollentem omnem cibi appetentiam, ita ut ab omni esca abhorrerent; unde ait: *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis,*[35] nam cibi fastidio affecti et ob inediam macie confecti, obesi perierunt,[36] cedente illis postulato edulio in letalem morbum repletionis et indigestionis; quare non attulit eis, ut sperabant, felicitatem, sed magnam infelicitatem.

sicut illa quam satanas Christo ostendit et primis parentibus promisit,

et sicut cibi quos Hebraei in deserto concupierunt, manna coelesti contempto.

Sic ait Dominus hodie: *Nescitis quid petatis,* nam bona huius mundi flores, rosae videntur, et tribuli ac spinae sunt. Primi parentes existimabant se in ligno scientiae boni et mali omnem felicitatem reperturos, et statim ut comederunt ex illo, thesaurum omnis infelicitatis invenerunt.[37]

Bona mundi huius spinae sunt,

25) 1, 2-14. 26) Cf. Ps 4, 3. Ms.: *Rich* et *Cazab* et infra. 27) Cf. Mt 4, 8; Lc 4, 6. 28) Cf. Gn 3, 1-6. 29) Ibid. 13, 10. 30) Cf. ibid. 14, 11-12. 31) Cf. ibid. 19, 1-26. 32) Nm 11, 4. 33) Ibid. 21, 5. 34) Ps 105, 14-15. Vulg.: *Petitionem ipsorum,* etc. 35) Ps 106, 18. 36) Cf. Nm 11, 31-34. 37) Cf. Gn 3, 6 sqq.

et mundana felicitas infelicitatem affert.

Nescitis quid petatis. Mundana prosperitas et fortuna arbor scientiae est, non felicitatem afferens sed infelicitatem, non vitam sed mortem, sicut caro Hebraeis in deserto non saginam attulit sed maciem, non felicitatem sed molestiam, fastidium, nauseam.

Pars ergo electorum Dei non est mundus, sed Deus.

Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, separavit pium sibi.[37a] Abraham unicum ac dilectissimum filium Isaac separavit a filiis concubinarum, his nanque munera dedit extra domum, Isaac autem totius facultatis heredem instituit.[38] Pars electorum Dei non est mundus, sed Deus: *Dominus pars hereditatis meae.*[39] Levitas, quos sibi specialiter Dominus elegit, noluit habere partem et hereditatem in terra. Sic Aaroni dixit Deus: *In terra eorum nihil possidebis, nec habebis partem inter eos; ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel;*[40] et in *Deuteronomio* 10: *Non habuit Levi partem neque possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius est;*[41] et capite 18: *Levitae... nihil... accipient de possessione fratrum suorum, Dominus enim ipse est hereditas eorum.*[42] Ait autem: *Non potestis Deo servire et mammonae,*[43] ideo: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra... sed thesaurizate vobis thesauros in coelo.*[44]

Petitio Apostolorum est sicut petitio Adoniae, quae in causa mortis ei cessit,

IV. Sed, quaeso, consideremus paulo diligentius tum Apostolorum petitionem, tum Christi responsionem. Quoad petitionem: *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.* Sicut Adonias amore captus reginae Abisag, a Salomone eam petiit, intercedente Bethsabee matre Salomonis, ita hodie hi duo Apostoli, affecti desiderio humanae gloriae, per matrem petunt eam a Christo vero Salomone. Verum Adoniae petitio in causa mortis ei cessit,[45] Apostolis autem gravis reprehensionis. Duo petunt: sessionem quietam, placidam requiem a laboribus, corporis commoda et voluptates, hoc primum est; alterum vero honores regni, non qualescunque, sed primos et supremos: *Unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.*

Haec duo sunt quae vel maxime cupiunt, esuriunt, sitiunt amatores huius saeculi: voluptates corporis et supremos honores, nam

37a) Ps 4, 4. Ex hebraico. 38) Cf. Gn 25, 1-6. 39) Ps 15, 5. 40) Nm 8, 20. Vulg.: *Nihil possidebitis nec habebitis*, etc. 41) Vr. 9. 42) Vrr. 1-2. 43) Mt 6, 24; Lc 16, 13. 44) Mt 6, 19-20. Vulg.: *Thesaurizate autem*, etc. 45) Cf. 3 Rg 2, 13-25.

divitiae propter haec quaeruntur et comparantur; cum enim pecuniae obediant omnia, [46] sine divitiis nemo potest vel voluptatibus frui vel consequi honores. In his putatur consistere quae summis votis optatur mundi felicitas, propterea duo haec petunt.

petunt enim mundi commoda et honores.

Et sapienter quidem ac prudenter petere videntur, nam potiora et meliora eligunt, non contenti bona qualiacunque petere. Nam cum verbis Christi contineatur et gloria resurrectionis et ignominia passionis, non petunt ipsi pati cum Christo – nam in passione duo sunt: ignominia maxima contra honores supremos summosque et poenae acerbissimae contra corporis voluptates: *Tradetur enim gentibus ad illudendum :* ecce ignominia, *et flagellandum et crucifigendum :* en poena et dolor acerbissimus, – non haec petunt, sed gloriam resurrectionis: *Tertia die resurget,* utique gloriosus, sicut in transfiguratione visus eis fuit solis instar fulgidus. [47] Quare arbitrati Christum sic esse in hoc mundo regnaturum, petunt regni consortium, ut sicut in transfiguratione *apparuerunt* cum Christo *Moyses et Elias visi in maiestate,* [48] sic ipsi essent gloriae Christi participes et consortes super omnes alios.

arbitrantes Christum post resurrectionem regnaturum esse;

Hic igitur eorum animus erat: principatum sibi quaerere, in quo et magnis voluptatibus frui possent et summis honoribus sublimari, non enim qualescunque honores petunt, sed supremos post Christum apud ipsum. Talis nanque est φιλοτιμία, [49] honoris cupiditas et ambitio: nisi ad summum pervenerit honorem, ita ut ulterius progredi et ascendere non detur, nunquam quiescit, ut in honoribus ecclesiasticis patet: licet multis sit dignitatibus et honoribus cumulatus quis in Ecclesia, si tamen ambitione quoquo modo infectus sit animus, semper ad maiora aspirat, ad summum usque Pontificatum.

petunt ergo voluptates et sublimes honores.

V. Sed quid ad haec Christus? *Nescitis,* inquit, *quid petatis.* Laudavit Deus Salomonem eo quod, data ei optione ut peteret quicquid magis liberet, sapientiam petiit, spiritualia divinaque bona, non mundana et temporalia. [50] Merito igitur arguit Christus filios Zebedaei non spiritualia sed temporalia appetentes atque petentes, ut aqua reprehensionis huius ignem ambitionis extingueret. Haec, in-

Sed merito Christus eos arguit non spiritualia sed mundana petentes.

46) Cf. Eccli 10, 19. 47) Cf. Mt 17, 1-2; Mc 9, 2-3; Lc 9, 28-29. 48) Lc 9, 30-31.
49) Ms.: *Philotimia.* 50) Cf. 3 Rg 3, 5-10; 2 Par 1, 7-12.

quit, qui Deum et divina aeternaque bona ignorant, summis votis expetunt, sicut alibi dixit: *Haec enim omnia gentes inquirunt.* [51] *Nescitis quid petatis :* videntur, inquit, vobis mundi huius bona vera et solida, utilia, honesta, voluptatibus plena; sed si ea vere agnosceretis, eligeretis potius mundi mala his opposita, ut ego feci. Mundus hic veluti arbor est fructus producens varios: hos quidem dulces et suaves, sed perniciosos et veneno dulci plenos, alios vero amaros, gravis odoris et saporis, sed tamen salubres et medicinales, comedentibus valde utiles et salutares, ut dici solet, deforme bonum, quod optimum habet saporem, licet non colorem.

bona enim huius mundi venena sunt.

II. ALIA HOMILIA

Deus creavit bona coelestia et terrena pro duplici substantia qua homo constat;

I. Ab initio, inquit Moyses, sapientum alpha [1] et coryphaeus, quod Deus coelum et terram creavit, bona coelestia et terrena, paradisum coelestem et terrestrem; [2] duo bonorum genera: visibilia et invisibilia, sicut Paulus ait: *Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt.* [3] Utraque autem propter hominem creavit, quem duplici substantia, corporali et spirituali, terrena et coelesti, animali et angelica constantem efformavit. Hinc homo dictus est אָדָם, terra, et אִישׁ, [4] ignis. Terra locum desiderat infimum, ignis supremum, hinc sursum ad coelestia volat.

sed quia terrena visibilia sunt, non autem coelestia.

Licet autem sicut coelum terra multo maius multoque nobilius est, sic bona coelestia multo sunt nobiliora multoque maiora terrenis, homo tamen multo ardentiori desiderio haec appetit quam illa, quoniam haec visibilia sunt, illa autem invisibilia; praesens autem obiectum vehementer movet, bonum autem quod non cognoscitur, non diligitur, nec desideratur. Si vir in campo suo ignoret thesaurum esse absconditum, aut magnam auri vel argenti venam, nihil pendit. Hanc ob causam hodie etiam Apostoli temporalium bonorum desiderio tenebantur.

51) Mt 6, 32.

1) Modus proverbialis, de quo cf. supra, pag. 182, not. 24. 2) Cf. Gn 1, 1-2, 1-14. 3) 2 Cor 4, 18. 4) Ms.: *Adam*, et: *Isc.*

Hanc ob causam, fratres, multi contemnunt bona coelestia et maximi faciunt terrena, quia haec oculis patent, illa vero minime. Sicut legimus de tribu Ruben et Gad quod, cum vidissent terram Galaad illisque optima ad habitandum visa fuisset, contempserunt terram promissionis et terram Galaad dari sibi petierunt in hereditatem ac possessionem perpetuam.[5] Nec mysterio vacat quod tribus Ruben, quod est filius visionis, et Gad, quod est felicitas, terram minime visam contempserunt et visam regionem Galaad appetierunt; nam qui nonnisi oculis reguntur et qui nonnisi praesentem appetunt felicitatem, facillime contemnunt bona coelestia.

ideo multi coelestia contemnunt et nonnisi terrena appetunt.

Deus per Oseam ait: *Ephraim vitula edocta diligit trituram;*[6] vitula est, inquit, laboribus assueta, iuvenca edomita ad portandum iugum; sed magis, inquit, diligit trituram quam arationem, quoniam in tritura est bonum praesens, in aratione vero futurum. Iuvenca libenter ferebat triturae laborem, quia pro libitu comedere poterat, cum iuxta legem[7] os ligatum minime haberet: *Non alligabis os bovi trituranti.*[8] Sic incusabat populum quod praesentia bona diligerent, non futura.

De hoc Osee etiam arguebat populum,

Apostoli hodie, cum essent in Iericho, figura mundi huius, moti splendore temporalium bonorum ea appetunt petuntque a Christo; Christus autem nonnisi coelestia appetebat: *Ascendimus Ierosolymam,*[9] *illa autem quae sursum est Ierusalem;*[10] in coelo enim thesaurizabat Christus et in coelo semper habebat cor, non in terra, non in mundo hoc.

et hanc ob causam Apostoli temporalia petunt a Christo;

II. Sed, quaeso, consideremus quidnam Dominus Apostolis responderit: *Nescitis,* inquit, *quid petatis.*[11] Et quidem non sine causa Christus sic respondit, qua quidem responsione eos partim excusavit, partim accusavit, sicut cum dicimus aliquem ex ignorantia peccasse. Huius autem responsi ac coelestis oraculi assignat causam Salomon dicens: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.*[12] Bona, inquit, temporalia et mundana non sunt vera bona, sed vana, sed ludicra, sicut in scena hic quidem regem agit, ille reginam, hic filium regis,

Christus autem ostendit bona temporalia vana esse.

5) Cf. Nm 32, 1 sqq. 6) 10, 11. Vulg.: *Docta diligere trituram.* 7) Cf. Dt 25, 4. 8) 1 Cor 9, 9. 9) Mt 20, 18. 10) Gal 4, 26. 11) Mt 20, 22. 12) Eccle 1, 2; 12, 8.

ille filiam, hic ducem, ille militem, doctorem alius; sed omnia finguntur, personas agunt, non sunt.

Vanitas mundi huius explicatur parabola cuiusdam astrologi.

Accidit semel cuidam astrologo, cum filium haberet, voluit ex decretis et canonibus astrologiae iudiciariae, ex hora nativitatis filii, ex constellationibus et planetarum aspectibus, coniunctionibus, domibus, dignoscere ac praesagire [13] futuram sortem fortunamque filii. Egit multo studio nativitatem, reperit quod filius futurus erat rex; miratus sortem nativitatis, iterum egit ne forte prima vice alucinatus fuisset; sed iterum et tertio reperit quod rex futurus erat. Accidit autem ut fieret in civitate quaedam tragicomoedia, in qua astrologi filius factus fuit rex sicque delusus fuit astrologus filiumque habuit regem.

Mundi bona somnia sunt, larvae, ipsissima vanitas.

Vanitas vanitatum et omnia vanitas: Cain et Abel fratres sunt, p o s s e s s i o et v a n i t a s; [14] somnia sunt bona mundi huius, sicut I s a i a s ait: *Somnium visionis nocturnae multitudo omnium gentium ... Sicut somniat esuriens et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius; et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit et anima eius vacua est ; sic erit multitudo omnium gentium.* [15] D i v u s P a u l u s ait quod *praeterit ... figura huius mundi ;* [16] rex D a v i d *: Quoniam in imagine pertransit homo ;* [17] *Omnis homo mendax,* [18] imo *mendacium,* nam *ostendit se aliquid esse ... cum nihil sit;* [19] *vanitas* est *omnis homo vivens ;* [20] *Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum,* [21] hebraice: *Vanitas, mendacium,* imo, inquit ex fonte, *in statera si ascendant, ipsi sunt pro vanitate simul,* vaniores sunt ipsa vanitate, vanissima vanitas.

nam nullo modo explere possunt desideria humani cordis.

Sitit quis aliquando, videt phialam vitream colore vini speciem referens, ad deridendos, ad decipiendos simplices arte sic factam; accurrit, accipit manu, sentit gravem esse, ori admovet ut bibat et delusum se reperit. Quis non videt, fratres, quod bona mundi huius non explent desideria hominum? Quod sitim non levant? non tollunt famem? Quis non videt quod nemo est sua sorte con-

13) Ms.: *Voluit* repetitur. 14) *Cain* enim latine p o s s e s s i o n e m, *Abel* autem v a n i t a t e m significant. 15) 29, 7-8. 16) 1 Cor 7, 31. 17) Ps 38, 7. Vulg.: *Veruntamen in imagine,* etc. 18) Ps 115 (hebr. 116), 11. 19) Gal 6, 3. Vulg.: *Existimat se.* 20) Ps 38, 6. 21) Ps 61 (hebr. 62), 10.

tentus? Saul ex pastore factus fuit rex,[22] contentus non fuit; Adam rex totius mundi,[23] contentus non fuit. Quis principum aut regum est sua sorte contentus? Ad quid ergo potum quaerere qui sitim non levat? Sunt bona mundi huius umbrae bonorum, imagines depictae; merito igitur ait: *Nescitis quid petatis.*

Bona temporalia maximo impedimento sunt virtuti et saluti.

III. Alteram causam aliquando Dominus assignavit dicens quod: *Nemo potest duobus dominis servire, non potestis Deo servire et mammonae,*[24] quod bona temporalia spinae sunt quae suffocant sementem patrisfamilias,[25] quod impedimento sunt virtuti atque saluti. Impossibile est divites intrare in regnum coelorum: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum.*[26] Hinc Regius Vates: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.*[27] Quis unquam magno onere pressus potuit iter asperum ac difficile valdeque longum peragere, in montem excelsum ascendere? Stultus autem valde esset qui veras gemmas pro adulterinis relinqueret, probatam pecuniam optimi auri et argenti pro falsis monetis; iure igitur ait: *Nescitis,* etc.

Apostoli appetunt supremos honores putantes nullum maius bonum dari posse;

IV. Sed tandem hodierni Evangelii causa ostenditur dum ait: *Ecce ascendimus Ierosolymam,* cum adhuc essent in Iericho. Christus mentis oculos in coelestem Ierusalem fixos tenebat. Noverat Christus sempiterna bona regni coelorum, bona invisibilia paradisi; Apostoli autem, cum nonnisi bona mundi huius adhuc nossent, existimabant nec maiora nec meliora his reperiri posse, maxime si principes summi in regno Christi essent constituti: *Ut sedeant... unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.*[28] Erant hodie Apostoli similes rusticis hominibus natis in silvis montibusque alpestribus, qui si aliquando in aliquam civitatem venerint, visa civitate illa, templis, palatiis, platea, vicis, existimant non reperiri in mundo meliorem civitatem, utique quia meliorem nunquam viderunt. Quod si cordato ac sapienti viro dicerent: O qualem civitatem! Videtur paradisus: non debet reperiri alia civitas aut locus huic similis; merito diceret eis: Nescitis quid dicitis.

22) Cf. 1 Rg 9, 1-10, 1. 23) Cf. Gn 1, 27-30. 24) Mt 6, 24; Lc 16, 13.
25) Cf. Mt 13, 22; Mc 4, 18-19; Lc 8, 14. 26) Mt 19, 24; Mc 10, 25; Lc 18, 25.
27) Ps 61, 11. 28) Mt 20, 21.

Christus autem exemplo suo ostendit eis quaenam sint vera bona appetenda.

Sic hodie Christus. Si, inquit, coelestia aeternaque bona mecum agnosceretis, haec mundi bona tanquam vilissima stercora contemneretis, sicut et ego. An existimatis vos esse me sapientiores ac prudentiores? Si ego mundana haec vera bona iudicassem, an non pro me elegissem? Num stultum me existimatis? Stultus enim esset gemmarius et artifex qui pretiosissimas gemmas aurumque optimum et argentum nihil faceret, sed tanquam quisquilia foras proiceret; sed si peritissimus est et prudentissimus videturque gemmas proicere, existimandum profecto est eas non veras, sed adulterinas esse gemmas, quas despicit proicitque.

contempsit enim terrena quia vana et occasiones vitiorum.

Sed enim Christus mundana despexit et ex alto contempsit, non tantum quia umbrae sunt vanissimae verorum bonorum, verum etiam quia occasiones sunt quam proximae vitiorum, superbiae, luxuriae, aliorumque malorum, ut luce clarius patuit in Saule, Davide, Salomone. Sicut enim qui per viam coenosam ambulat, vel leviter impulsus facillime labitur, sic accidit in via divitiarum et voluptatum: facillime homo, etiam iustus, cadit in peccatum, quod causa est aeternorum malorum, nam: *Impinguatus, incrassatus, dilatatus, recalcitravit.* [29] Hinc Salomon petiit a Domino ne divitias sibi daret, ne forte ditatus multis divitiis oblivisceretur Deum ipsumque negaret. [30] In prosperitate ac florenti fortuna facile obliviscitur Dei.

Hodie Christus Apostolos dirigit in veram felicitatem viamque ostendit.

V. *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?... Calicem quidem meum,* etc. [31] Naturalis est appetitus felicitatis, hinc mater hodie felicitatem appetit petitque filiis suis, sicut Rebecca procuravit benedictionem filio suo Iacob, quem unice diligebat. [32] Sed cum sit duplex felicitas: altera quidem vera, altera vero fallax, hodie Christus discipulos suos in veram dirigit felicitatem, quae in coelis est, viamque ostendit per poenitentiam et humilitatem, docens eundum esse in coelum per martyrium simile passioni Christi.

Nam omnis motus, fratres, ut ex naturali philosophia patet, est a contrario in contrarium. [33] Felicitas paradisi omne genus bonorum complectitur, quae vel in homine vel extra hominem reperiri possunt:

29) Dt 32, 15. Ordine inverso affert hunc vr. 30) Cf. Prv 30, 8-9. 31) Mt 20, 22-23. 32) Cf. Gn 27, 5-29. 33) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª 2ªᵉ, q. 23, a. 2.

vita, sensus, sanitas, membrorum integritas, pulcritudo, vires, ingenium, prudentia animi, quies, consolatio cordis, sensuum voluptas in homine est; divitiae, honores, dignitates, regna, imperia extra hominem. Haec duo bonorum genera in coelo sunt. Duo haec appetunt Apostoli: *Ut sedeant :* ecce quies dulcissima, *unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo :* ecce honores et divitiae.

Felicitas complectitur bona tum corporis tum animae;

Hanc felicitatem assecutus fuit Christus in resurrectione sua, de qua hodie: *Die tertia resurget*, vita aeterna et infinita gloria donatus, ut patuit in transfiguratione, [34] quae specimen fuit gloriae resurrectionis. Sed per quam viam assecutus est Christus gloriam regni sui? A contrario in contrarium: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum . . . et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.* [35] In passione Christi duo extitere: summus dolor et cruciatus totius corporis et summa ignominia ac vituperium; illud contra vitam Christi, hoc autem contra honorem. Flagellatio et crucifixio cruciatus sunt; illusio autem ignominia contra honorem.

hanc felicitatem Christus assecutus est, sed per summam poenam et ignominiam,

In Christo igitur duae virtutes quam maxime fuerunt conspicuae: humilitas et patientia, de quibus hodie: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam*, mortem subire in *redemptionem pro multis.* [36] Sic duo requirit a nobis: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Per imitationem crucis eundum in coelum est: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me ;* [37] *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.* [38]

ideo per summam patientiam et humilitatem.

Intelligimus hoc, fratres, quod per summam humilitatem ad summam gloriam peragendum nobis est et per summam patientiam summamque poenitentiam ad summam felicitatem et voluptatem, sicut Christus his mediis gloriam assecutus fuit regni coelestis. Si intelligimus haec, quid adhuc sectamur divitias, honores, voluptates, vanitates mundi?

Has virtutes a nobis quoque requirit,

Fratres mei, haec dicens Christus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* ostendit quod gloria paradisi est sicut corona in agone certantium et sicut bravium in stadio currentium, quod non datur nisi pro meritis, nisi legitime certantibus et optime curren-

nam gloria paradisi corona certaminis est et bravium.

34) Cf. Mt 17, 1-5; Mc 9, 2-7; Lc 9, 28-35. 35) Mt 20, 18-19. 36) Ibid. vr. 28.
37) Ibid. 16, 24; Lc 9, 23. Vulg.: *Si quis vult*, etc. 38) 1 Petr 2, 21.

tibus:[39] *Bonum certamen certavi, cursum cunsummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.*[40] Sic hodie Christus ait: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, nisi quibus paratum est a Patre meo,*[41] nisi electis, nisi praedestinatis secundum divinam praeordinationem et consilium divinae voluntatis. Nam, inquit, iudex constitutus a Patre sum; non possum nisi pro meritis coronas dare vincentibus; non est apud me personarum acceptio,[42] non iudico secundum carnem et sanguinem; corona gloriae non datur nisi in virtutis praemium, in coronam iustitiae.

Hoc docuit Christus verbis et exemplis;

VI. Docuit autem, fratres, Salvator non tantum verbis, sed etiam opere et exemplo hanc viam salutis. Quod si non movemur doctrina Christi, saltem moveat nos exemplum Christi, nam ipse tanquam dux noster ait: *Ecce ascendimus Ierosolymam;* praecedit ipse ante nos iter faciens. Quod si exemplum Christi non movet nos, quid movebit? Ipse est enim columna nubis et ignis, praecedens ac ducens populum per desertum.[43]

sed valde differunt cogitationes Christi et Apostolorum mundana quaerentium.

Fratres mei, ex hodierno Evangelio manifestum fit quam verum sit quod per Isaiam Dominus ait: *Sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris.*[44] Quam diversae sunt hodie cogitationes Apostolorum a cogitationibus Christi! Nam Christi cogitationes coelestes sunt, cogitationes autem Apostolorum terrenae, quia nondum Christi spiritu pleni erant, sed spiritu Adami: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis; qualis terrenus, tales et terreni, et qualis coelestis, tales et coelestes... Sicut portavimus imaginem terreni,* ita *portemus... imaginem coelestis.*[45]

39) Cf. 1 Cor 9, 24-25. 40) 2 Tim 4, 7-8. 41) Mt 20, 23. Vulg.: *Sed quibus*, etc.
42) Cf. ibid. 22, 26; Lc 10, 21; Act 10, 34; Rom 2, 11. 43) Cf. Ex 13, 21 sq.
44) 55, 9. 45) 1 Cor 15, 47-49. In *margine* haec adiecta fuerunt: « *Nescitis quid petatis.* Mundana omnia mendaciis et fallaciis *plena* sunt, veluti si in pharmacopolio vasa essent falsis nominibus insignita, mutatis *pharmacis*, ita ut ubi *mel* dicitur esse, insit fel; ubi manna, ibi toxicum; ubi theriaca, ibi *venenum. Sic* in *mundo* dicunt *malum bonum et bonum malum*, ponunt *amarum in dulce et dulce in amarum, tenebras in lucem et lucem in tenebras.*

Accessit ad eum mater filiorum Zebedaei adorans et petens aliquid ab eo, sicut Bethsabee, iam grandaevae aetatis, ad David *regem accessit adorans* et petens *regnum* pro Salomone filio suo. Non tamen *hodierna petitio gratiam a Christo consecuta* est finemque sortita et effectum, quem illa Bethsabee petitio *pro Salomone filio suo*, sed illum *quem* illa supplicatio, quam ipsa ad

Repellit Dominus petitionem Apostolorum

VII. *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram in regno tuo... Nescitis quid petatis.* Mirabile dictu est quod Apostoli hodie non reperiunt aquam in flumine paradisi, non lucem in sole: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* [46] *Sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.* [47] Inquiramus huius rei causam, cur non exaudiat hodie Dominus filios Zebedaei, matre intercedente, supplicationem praesentantes. Sed non gratificatur eis Christus, nec grate respondit, sed cum stomacho: *Nescitis quid petatis:* imprudentiae et ignorantiae eos accusat. Sicut Salomon indigne tulit petitionem Adoniae per Bethsabee, qua Abisag petebat dari sibi in uxorem, [48] sic et Christus hodie indigne tulit petitionem filiorum Zebedaei: *Nescitis quid petatis.*

eos arguens de imprudentia et ignorantia

regem Salomonem pro Adonia porrexit, quae in rege iram stomachumque contra Adoniam magnopere commovit. Sic hodie: *Nescitis*, inquit, *quid petatis.*

Accessit ad eum mater filiorum Zebedaei, mulier aetate et moribus venerabilis, honestissima, studio valde religiosa, nam ad Christum accessit *adorans: Accedite ad eum et illuminamini;* mater quae, licet filios tenerrime amaret, patiebatur tamen aequo animo se a filiis propter Christum derelictam ac desolatam. Ambo filii Christum sequebantur, Christo adhaerebant semper comites individui: signum est quod eos a tenera aetate optime educaverat in timore Dei, bonis sanctisque moribus imbuerat, nam: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Mulier devota, ad orandum accessit ad Christum, ad petendam gratiam pro filiis, nam filios quodammodo magis quam seipsam diligebat. O viscera materna! maternam caritatem! Discant matres pro filiis ad Deum, ad Christum preces orationesque ferventes fundere. Veneratus fuit Christus mulierem hanc; licet enim ipsius petitio indecens et minus conveniens fuerit, non tamen eam Christus obiurgat, sicut Salomon matrem Bethsabee; non dicit ei: Nescis, mulier, quid petas; sed filiis dicit: *Nescitis quid petatis.* Condonandum aliquid est honestae mulieri, venerandae matronae, nam filia Evae ostenditur mulier ista. Gloriam illa desideravit: *Eritis sicut dii*, haec autem: *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.* Sed si errat ex affectu immoderato, ex nimio filiorum amore errat. Pictor excellentissimus amor est; etiam quae turpissima sunt suis coloribus pulcherrima ac plane divina reddit amantium oculis. Erant hi duo filii humili loco nati, ex ignobili genere, simplices, idiotae, piscatores, pauperes, absque litteris, sine scientia, usum rerum non habentes; eos tamen mater aptos iudicat ad regni gubernacula, ad sceptra et coronas, dignos primis honoribus, gradibus et officiis regni et imperii Christi, qui est *Rex regum et Dominus dominantium.*

Nescitis quid petatis. Mundi huius bona a filiis Adae multa sollicitudine quaeruntur, procurantur, sicut ab Hebraeis paleae per universam terram Aegypti; quod si a multis non procurantur, desiderantur tamen; si autem nec desiderantur, magni tamen fiunt, plurimi aestimantur, maxime honores, gradus, dignitates magnae. Christus hodie ad radicem mittit securim, ut haec nullo in pretio habeantur, nam sic nec desiderari, nec procurari poterunt, si vilipendantur: *Arbitror ut stercora.* Hoc est quod ait: *Nescitis quid petatis:* si nosceretis mundana haec, ut ego novi, una mecum nihili penderetis. Amor mundi huius saepe impedit ne orationes nostrae exaudiantur a Deo. Filii Israel in Aegypto non fuerunt exauditi, nisi mortuo rege Aegypti; tunc clamaverunt ad Deum et exauditi sunt. Utinam moriatur in nobis rex iste, qui animorum nostrorum tyrannus est! An non melior nobis Deus est quam decem mundi? Elcana dixit Annae: *An non melior ego tibi sum quam decem filii?* Sic Christus vult dicere hodie: *Nescitis quid petatis;* melior ego vobis sum quam decem regna ». 46) Iac 1, 17. 47) Ps 83 (hebr. 84), 12. 48) Cf. 3 Rg 2, 13-25.

Creavit Deus a principio bona coelestia et terrestria;

Huius autem rei causa est, quoniam sicut ab initio Deus coelum et terram creavit, [49] ita bona coelestia et terrestria: paradisum coelestem in quo posuit Angelos, et terrestrem in quo hominem collocavit; [50] et sicut in homine animam et corpus condidit, ita bona spiritualia et corporalia, visibilia et invisibilia, temporalia et aeterna, bona mundi huius et bona saeculi futuri.

sed terra creata fuit inanis et vacua,

Mundum hunc Deus bonum quidem creavit, sed tamen non omnino perfectum; non est in mundo lux sine tenebris. Cum creasset terram ait: *Terra autem erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi.* [51] Videtis imperfectiones? De coelo nil tale dixit: וְהָאָרֶץ הָיְתָה תֹהוּ וָבֹהוּ וְחֹשֶׁךְ עַל־פְּנֵי תְהוֹם: [52] *Erat vana et vacua.* Vanum dicitur quod non consequitur finem quo tendit opus; in vanum aedificata dicitur domus sine tecto, quae habitari non potest, in vanum laborat qui seminat in arena. Sic Isaias ait: *In vanum laboravi ;* [53] et: *Non in vanum creavit eam, ad habitandum formavit eam.* [54] Vacuum dicitur vas in quo nihil est; domus sine habitatore vacua dicitur, dolium sine vino, hydria sine aqua. Ieremias ait: *Vidi terram, et ecce vacua . . . et nihil,* [55] hebraice: תֹהוּ וָבֹהוּ. [56] Sed etiam in *Genesi* quod Septuaginta transtulerunt: 'Αόρατος καὶ ακατασκεύαστος, [57] *invisibilis et incomposita,* Aquila vertit: Κένωμα καὶ οὐδέν, [58] *inanis et nihil;* similiter Theodotion: Κενὸν καὶ οὐδέν, [59] *inanis et nihil ;* nam vacuum esse dicimus ubi nihil est. Sed quomodo terra inanis, vacua, vana dicitur? Quia si eam Deus reliquisset uti creavit, totam sub aquis, in tenebris, sine plantis, sine animalibus, frustra, in vanum creata fuisset.

quia nihil continet quod possit cor hominis satisfacere.

Sed quomodo Ieremias ait: *Vidi terram, et ecce inanis et nihil?* Quia talis utique est si ad hominis animum referatur; si enim ad perfectam hominis felicitatem terra creata fuisset, utique in vanum condita esset, nam Adam constitutus universae terrae dominus,

49) Cf. Gn 1, 1. 50) Cf. ibid. 2, 9-15. 51) Ibid. 1, 2. 52) Ms.: *Vehaarez haiethah thohu vabohu vehoscech hal pene theom.* 53) 49, 4. Vulg.: *In vacuum laboravi.*
54) Ibid. 45, 18. Vulg.: *Ut habitaretur formavit eam.* 55) 4, 23. Vulg.: *Respexi terram, etc.* 56) Ms.: *Thohu vabohu.* 57) Ms.: *Aorathos che acathoschevasthos.*
58) Apud Origenem *Hexapla*, (P. G. 15, 144). Ms.: *Chenoma che uthen.* 59) Apud Origenem *Hexapla*, (P. G. 15, 146). Ms.: *Chenon che uthen.*

contentus minime fuit. *Inanis* est *et vacua*, nihil continet quod possit animum hominis perfecte satisfacere, cor hominis perfecta voluptate replere. Hoc est quod Salomon ait: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.*

VIII. In vanum curatur a medicis qui sanitatem non consequitur: age nunc igitur, quoniam meliora sunt coelestia bona terrenis et Deus optionem dat homini ut petat eligatque quod libet magis, sicut Salomoni dixit: *Pete* a me *quod vis*, [60] sicut Ezechiae regis piissimi patri[61] Achaz impio dixit Isaias: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra.* [62]

Praeferenda sunt ergo bona coelestia;

Et quidem laudavit Deus Salomonem vehementer eo quod, accepta optione, petiit a Deo non corporalia sed spiritualia, non mundana sed divina, petiit divinam sapientiam. [63] Et hoc est quod arguuntur hodie Apostoli tanquam imprudentes, quia mundana petunt non divina, terrena non coelestia: *Nescitis quid petatis;* sicut Moyses arguit vehementer rubenitas et gaaditas, eo quod videntes in deserto terram Galaad aptam pascendis pecoribus, eam petierunt in habitationem, nihil curantes terram promissionis. [64] Abraham dedit Loth ius eligendi regionem sive ad dexteram sive ad sinistram; elegit autem Loth Sodomam, eo quod regio illa *sicut paradisus Domini* visa est illi, [65] sed tamen multa ibi passus est: [66] *Omnia vanitas et afflictio spiritus.* [67]

ideo arguuntur tanquam imprudentes Apostoli terrena non coelestia petentes;

Nam Furias finxere poetae filias esse Plutonis et Proserpinae, sive terrae aut noctis, [68] Pluto autem divitiarum deus habebatur. [69] Oriuntur ex divitiis et abundantia terrenarum divitiarum multae curae atque molestiae, sicut ex terra inculta spinae oriuntur; invidiae dissecantes animos, nam, ut ille ait: Invidia serra est animorum; [70] oriuntur aemulationes, irae, rixae, contentiones, divisiones animorum, sicut inter Abraham et Loth: [71] *Nescitis quid petatis.*

ex abundantia enim terrestrium bonorum multae oriuntur molestiae.

Imprudentiae est deteriora eligere, relictis melioribus. Si inve-

60) 3 Rg 3, 5; 2 Par 1, 7. Vulg.: *Postula quod vis.* 61) Cf. 4 Rg 18, 1-6. 62) 7, 11. 63) Cf. 3 Rg 3, 5-10; 2 Par 1, 7-12. 64) Cf. not. 5 huius hom. 65) Gn 13, 9-10. 66) Cf. ibid. 14, 11-12; 19, 1-26. 67) Eccle 1, 14. Vulg.: *Universa vanitas*, etc. 68) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 3, cp. 10, pag. 184-185. 69) Cf. ibid. lib. 2, cp. 9, pag. 149-152. 70) Socratis dictum. Cf. S. Maximus *Loci Communes*, serm. 54, (P. G. 91, 962). 71) Cf. Gn 13, 1-7.

Fuit ergo valde imprudens eorum petitio.

nirentur fodinae auri et argenti hic, ibi vero aurichalchi et stanni, imprudens esset qui hanc fodinam eligeret, illam vero copiosissimam relinqueret; qui gemmas empturus, non veras sed adulterinas eligeret, adulterinos nummos, eo quod pulcriores videntur. Sapiens aurifex et gemmarius diceret hoc videns: Nescitis quid agatis. Sic Christus: *Nescitis* inquit, *quid petatis.*

cum ipse Christus ea contempserit, imo potius contraria elegerit.

Et quidem solent esse principes stomacho valde delicato, facile negant cum petitur quod valde displicet et quod indignum est ut concedatur. Sic Christus in bonis temporalibus nil sibi complacuit; ostendit quod potius displicebant ei: noluit divitias mundi huius, noluit honores, noluit voluptates; haec omnia ex alto contempsit, opposita his potius elegit, sicut in hodierno Evangelio patet, in quo de passione et morte sua loquitur.[72]

Sed Christus homo coelestis erat, Apostoli autem terreni.

Et quidem mirum est quam differant humana ingenia a divino: *Sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltantur viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris. Primus homo de terra terrenus ; secundus homo de coelo coelestis ; sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus et imaginem coelestis.* Hodie Apostoli adhuc videntur cum imagine terreni et animo ad terrena, ad mundana propensi, diligentes Iericho non Ierusalem: *Nescitis quid petatis,* quoniam bona mundi huius sunt irritamenta malorum[73] et seminaria vitiorum, occasiones peccatorum, via lubrica in qua facile labitur homo et difficile surgit; patet in Adam, in Saul, in David, in Salomone.

Si Deus sapientissimus nihili pendit bona mundi huius, ei ergo credendum est.

IX. *Nescitis quid petatis,* quoniam apud Deum, aequissimum et sapientissimum rerum omnium iudicem et aestimatorem, haec nullius sunt pretii ac valoris; in paradiso, in regno Dei haec nihili fiunt, sicut aurum apud Indos gemmaeque nihil fiunt: *Nescitis quid petatis.* Cum Deus creavit coelum et terram, duos thesauros duasque fodinas condidit: terram quidem ferri fodinam, coelum fodinam argenti et auri. An non coelum argenteum videtur, stellae autem aurum fulgidissimum? *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra . . . thesaurizate autem vobis thesauros in coelo.*[74] Mundus aurifex et gemmarius quidem

72) Cf. Mt 20, 18-19. 73) Cf. Ovid. *Metamorph.*, lib. 1, vr. 140. 74) Mt 6, 19-20.

est fallax, vendens adulterinas gemmas pro veris et magno pretio: honorem et gloriam mundus supra modum aestimat, carissime vendit; Christus autem ait gemmas has adulterinas esse. Cui magis credis? cui adhibes fidem? Christus ait: *Nescitis quid petatis*, de mundanis honoribus et divitiis agens; nos quomodo credimus?

Nescitis quid petatis. Arguit Moyses filios Ruben, Gad et Manasse eo quod terram Galaad petierunt; sic hodie Christus filios Zebedaei mundi gloriam cupientes, non Dei. Ruben filius visionis interpretatur, Gad felicitas, fortuna, Manasses oblivio. Obliti gloriae Dei fortunam et felicitatem desiderant quae oculis videtur.

Arguuntur Apostoli a Christo gloriam mundi cupientes,

Per Ezechielem Dominus ait se non exauditurum eos qui adorabant versa facie ad ortum solis.[75] Quid, quaeso, Deo referebat quod vel ad ortum vel ad occasum solis adorarent? Sed quia templum ipsum divinitatis hieroglyphicum erat; ipsum autem templum ad orientem respiciebat, non ad occidentem; quare necesse erat ut oraturi ad divinum propitiatorium respicerent ad occidentem, non ad orientem. Hoc est mysterium. Non vult Deus ut ab eo diurnam, manifestam, praesentem mundi huius felicitatem respicientes mentis intuitu Deum adoremus, sed potius ad occidentem: Deo relinquamus prospectum felicitatis nostrae, nos autem potius in poenitentiam et passiones poenarum propter Deum oculos figamus, sicut vult hodie Dominus: *Potestis bibere calicem?*

quia non vult Deus ut illi serviamus intuitu felicitatis praesentis, sed futurae,

Nescitis quid petatis. Videtur hodierna petitio sicut quae in fabulis legitur petitio Midae, ut quicquid tangeret aurum fieret, hoc enim a diis petiit; quare cibus omnis in aurum convertebatur tactus ab eo, unde compulsus fuit fame perire;[76] sicut petitio Phaetontis, ut solis cursum regeret, quod perditionis ipsius extitit causa.[77] Sic ait: *Nescitis quid petatis*: bonum videtur vobis quod petitis, vobis tamen perditionis causa est.

Apostoli autem petebant quod ipsis in perditionen cedebat.

X. *Nescitis quid petatis*. Non omnino talis est principum felicitas qualis videtur, nam, ut Cicero ait, cum Damocles Dionysium tyrannum beatum praedicaret, Dionysius ut Damocli ostenderet qualis esset principum felicitas et beatitudo, iussit regale convivium

In mundo nemo est vere beatus,

75) Cf. 8, 15 sqq. 76) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 9, cp. 15, pag. 855.
77) Cf. ibid. lib. 6, cp. 1, pag. 466-467.

instrui, Damoclem regalibus vestibus indui et regali pompa ornari, regio cultu et ministris in regia mensa ei deserviri, sed tantum ut supra caput ipsius gladius evaginatus equina seta suspensus lapsum et interitum ei comminaretur. Talem autem ac tantum timorem gladius ille Damocli incussit, ut summis precibus a Dionysio peteret a periculo liberari, nam ob timorem nihil eum regius ille cultus oblectabat, nihil solatii ex regali illo convivio desumebat. [78] Sic non est quisque beatus in mundo.

Ideo vult Christus terrenum amorem Apostolorum in coelestem convertere.

Apostoli hodie *filii Zebedaei* dicuntur; Zebedaeus autem d o s interpretatur. Qui dotis causa uxorem ducunt, felices putantur si bonam magnamque dotem consecuti sunt; quoniam vero dotis causa uxorem ducere effectus avaritiae est, cupiditas est, nil mirum si hi filios gignunt sibi similes, cupidos et terrenarum rerum amatores. Sed hoc miraculum quod dicens Christus: *Nescitis quid petatis*, terrenum omnem in coelestem convertit amorem.

Bona mundana spinae sunt et fomenta vitiorum.

Nescitis quid petatis ; Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus. [79] Christus Dominus noster divitias et bona mundi huius *spinas* appellavit. [80] Poetae finxerunt infernales Furias filias esse Plutonis et Proserpinae, sive terrae aut noctis. Ex divitiis multa oriuntur incommoda. Hodie legimus quod *audientes decem indignati sunt de duobus fratribus ;* [81] quare Christus ad sedandam indignationem hanc multis verbis ad Apostolos usus est. [82] Sic appetitus bonorum mundi huius multa parit mala.

Gloria paradisi praemium virtutis est.

Nescitis quid petatis. Veluti dilemmate Christus hodie discipulos perstringit: Vel, inquit, gloriam mundi huius petitis, vel gloriam paradisi; si gloriam mundi huius, *nescitis quid petatis*, quoniam gloria haec fallax est et mellitum venenum est, lac quod dedit Iahel Sisarae, [83] blanditiae Dalilae Samsoni, [84] gustus ligni scientiae; [85] si vero gloriam petitis paradisi, *non est meum dare*, nisi *quibus paratum est a Patre meo*, secundum aeternam Patris mei dispositionem, sicut in cursu stadii non datur a iudicibus bravium et certantibus corona, nisi iis qui meruerint: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit.* [86]

78) *Tuscul.*, lib. 5, vol. 4, col. 158-159. 79) Eccle 1, 14. 80) Cf. Mt 13, 22; Mc 4, 18-19; Lc 8, 14. 81) Mt 20, 24. 82) Cf. ibid. vrr. 25-28. 83) Cf. Idc 4, 18-21, 84) Cf. ibid. 16, 1-21. 85) Cf. Gn 3, 6 sqq. 86) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur.* etc. *Non coronabitur* lect. cod.

FERIA QUINTA

POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam, etc. [1]

Accidit hodie sicut Nabal et David, sicut Aman et Mardochaeo, sicut duobus eunuchis Pharaonis.

I. Accidit hodie sicut Nabal carmelo, homini ditissimo, sed insipienti et crudeli, et Davidi pauperi, sed tamen ad regnum Israelis praeordinato et destinato: ille omnibus abundabat bonis, iste omnibus egebat; sed tamen paulo post ille vita bonisque omnibus privatus fuit [2] et David bonis omnibus cumulatus; sicut Aman, principi ditissimo et honoratissimo, et pauperi Mardochaeo; [3] sicut duobus eunuchis regis Pharaonis, pincernae et pistori, quorum somnia interpretatus fuit Ioseph in carcere, praedicens quod pincerna sublimandus gloria erat in regis palatio, pistor vero suspendendus ac magna cum ignominia ultimo supplicio afficiendus.

Somnia pincernae et pistoris Pharaonis causas indicant salutis et perditionis.

Sed forte etiam somnia eorum non vacant mysterio, ad indicandas causas salutis et perditionis. Somniavit pincerna et videre sibi visus fuit vitem cum tribus propaginibus, qualis est vitis in hieme, sed paulatim oriri gemmas, ut in vere fit, et post folia et flores, uvas maturescere, quibus iam maturis acceptis et expressis in poculo, sive calice Pharaonis, vinum regi propinasse. Hoc somnium fuit salutis praesagium et indicium. Pistor autem videre sibi visus fuit portare se supra caput tria canistra et in superiori canistro omne genus conditorum ciborum, cupediarum et irritamentorum gulae, quae summa

1) Pericope huius diei Lc 16, 19 sqq. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 1 Rg 25, 1-38.
3) Cf. Est 7, 1 sqq.

arte ac diligentia confecta erant, sed aves parata illa cibaria comederunt. Hoc autem somnium perditionis et damnationis praemonstrabat causam.[4]

sicut videmus hodie in Lazaro et epulone.

Vinum ponitur causa salutis, cibaria arte composita, supra caput posita, causa perditionis; illud propinatum regi, haec avibus exposita. Vitis gratia est; tres propagines fides, spes, caritas; gemmae orientes primitiae spiritualis vitae; expressio uvarum in calice vinumque regi propinatum perfectio caritatis amorisque divini. Haec in Lazaro patiente, nam: *Caritas patiens est.*[5] Hanc ob causam salvatus est pincerna. Epulo autem damnatus cum pistore, quoniam supra caput gestabat gulae irritamenta et avium edulia: *Epulabatur quotidie splendide*, ad pompam, ad vanitatem, hinc *mortuus est... et sepultus*, sed *in inferno*:[6] *Recepisti bona in vita tua*, inquit Abraham, propterea cruciaris; *Lazarus similiter mala*, propterea consolatur.[7]

Duplex proponitur mundus et vitae status: temporalis et aeternus.

Haec sunt, fratres, veluti in summa et pericope sacrosancti hodierni Evangelii mysteria nobis diligenter enucleanda. Nam duplex hic nobis proponitur mundus: praesens in tempore et futurus in aeternitate; duplex vitae status: temporalis in hoc saeculo et aeternus in futuro.

Multi divinam providentiam accusant ob differentem bonorum distributionem;

II. Multi considerant humanae reipublicae dispositionem nonnisi carnis oculis, ita ac si nec alius mundus nec alia vita esset in universo constituta a Deo. Accusant divinam providentiam moderatricem mundi quod hic quidem montes constituerit, ibi vero valles; hic mare, ibi aridam arenam; quod huic tribuat ingentes divitias, illi extremam paupertatem summamque egestatem, ut in duobus hisce hominibus conspicuum est. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide :* en montes et maria temporalium bonorum; *et erat quidam mendicus... ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat:*[8] ecce valles et aridissimae solitudines arenae arabicae.

et etiam Regius Vates parum abfuit ne scandalizaretur.

Qua quidem in re parum abfuit ne R e g i u s V a t e s scandalizaretur de tali administratione divinae providentiae, parum abfuit ne a fide excideret, ait enim: *Utique bonus est Deus Israeli, his qui*

4) Cf. Gn 40, 1-22. 5) 1 Cor 13, 4. 6) Lc 16, 22. 7) Ibid. vr. 25.
8) Ibid. vrr. 20-21.

recto sunt corde; attamen *mei . . . pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei :* parum, inquit, abfuit ne accideret mihi sicut iis qui in lubrico et tenebris ambulant; sed quam ob causam? *Quia zelavi super iniquos, pacem,* idest prosperitatem *peccatorum* epulonum *videns,* quia nullis afficiuntur malis. *Non est respectus morti eorum,* nullis afficiuntur incommodis, quod mortem desiderare cogantur, nec *firmamentum* est *in plaga eorum :* si quis eos morbus vexat, mille habent remedia. *Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate eorum,* sive, ut est in hebraico, *in modum torquis circumdabit eos, sublimitas involvet :* ornatus violentia sive potentia est eis, omnibus abundant bonis. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas, oculus eorum, transierunt affectus,* desideria, *cogitationes cordis :* opulentiores proventus accipiunt quam desiderant aut cogitant. Ideo, inquit, *posuerunt in coelum os suum et lingua eorum transivit in terra ; cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt :* mali, inquit, cum sint, bonis omnibus abundant. Hinc pii veluti scandalizantur. *Ideo convertetur populus meus huc :* circa hoc sese mente et cogitatione convertunt, *dixerunt : Quomodo scit Deus ? et si est scientia in excelso ? Ecce ipsi peccatores abundantes in saeculo obtinuerunt divitias,* opulentissimi sunt. *Et dixi : Ergo sine causa iustificavi cor meum et lavi inter innocentes manus meas :* sine causa iustitiam et virtutem colui, siquidem magnis ac pene perpetuis calamitatibus vexor; *fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis :* singulis diebus nunquam sol oritur quin aliquam afferat mihi calamitatem; a primo mane, ab ipso diluculo me vexatio corripit. *Existimabam ut cognoscerem hoc,* cur impius epulo bonis affluat, circumfluat opibus, tranquillam vitam ducat, et iustus Lazarus malis perpetuo vexetur, et *labor est ante me,* non possum divinae providentiae rationem penetrare, *donec intrem in sanctuarium Dei,*[9] sciens quod praeter corporales et animales carnis et sensus consolationes et delicias, sunt etiam spirituales et divinae, quibus a Deo pius animus mirifice reficitur, sicut populus Dei coelesti manna in deserto.[10] Etenim in sanctuario Dei, quod mortuorum animalium pellibus opertum erat,[11] vas plenum manna asservabatur[12] et mensa

videns prosperitatem impiorum et calamitates iustorum,

et rationem divinae providentiae penetrare non valens.

Sed praeter corporales delicias, sunt etiam spirituales, quae reservantur electis;

9) Ps 72 (hebr. 73), 1-17. Ordine inverso affert vrr. 8-9. 10) Cf. Ex 16, 13 sqq.
11) Cf. ibid. 26, 14; 36, 19. 12) Cf. ibid. 16, 33-34; Hebr 9, 4.

panum propositionis iuxta altare incensi;[13] spiritus enim noster coram Deo orans reficitur et voluptate expletur: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!* [14]

deinde finis inspiciendus est iustorum et impiorum.

Deinde *intelligam novissima eorum,* [15] finem videamus iustorum et improborum, inspiciamus finem epulonis et Lazari, nam hic forte videbitur merces iustitiae et improbitatis. *Mortuus est... dives*: ecce finis, *et sepultus est in inferno:* ecce iniquitatis merces; *Factum est... ut moreretur mendicus:* [ecce finis], *et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae:* [16] [ecce merces probitatis].

Bona terrena cito finiuntur, spiritualia nunquam deficiunt.

III. Caro est sicut arbor, quae cito fructus edit et ad maturitatem perducit, uti arbores quae ipso vere fructificant, sicut cerasa et malus armeniaca, [16a] sicut A m o s 8 legimus quod ostendit Dominus Vati uncinum sive canistrum pomorum, sive fructuum aestatis, dixitque ei: *Quid tu vides?* Cui V a t e s : *Uncinum*, inquit, *pomorum*, sive *canistrum fructuum aestatis.* Cui Dominus: *Finis venit super populum meum Israel,* [17] allusione facta ad hebraicum nomen, nam aestas hebraice קיץ [18] dicitur, finis vero קץ. Fructus ostendit ei qui cito finiuntur et licet suaves sint gustui, tamen vere parum salubres sunt. Sed fructus spiritus sunt fructus autumnales; spiritus arbor est quae autumno fructificat, ut vitis et ficus, quarum fructus vere insuaves sunt et iniucundi, autumno autem suavissimi et iucundissimi. Cum arbores illius generis divites essent et onustae fructibus, arbores huius generis pauperes erant, absque ullo fructu; sed adveniente autumno hae quidem arbores suavissimis fructibus abundant, illae autem omni fructu sunt destitutae. Sic Lazaro accidit et epuloni: cum hic esset dives bonisque omnibus abundans, Lazarus pauperrimus erat: *Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* [19]

et quo magis terrena desunt eo magis spiritualia affluunt, ut cernitur in Lazaro.

Insuper bona terrena indigna sunt quae dentur pro corona virtutis.

Deinde vero ostendit R e g i u s V a t e s indigna esse mundi huius bona, quae iustis dentur pro corona iustitiae, nam, sicut P a u l u s ait: *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora;* [20] ita haec D a v i d *coenum* appellat: *Posuisti eos in lubrico*, ut ambularent per viam coenosam, ita ut facile sit lapsus; hoc est quod ait: *Propter dolos*

13) Cf. Ex 25, 23-30; 35, 13-15; Lv 24, 5-9. 14) Ps 30, 20. 15) Ps 72 (hebr. 73), 17. 16) Lc 16, 22. 16a) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 15, cp. 25, pag. 166; lib. 16, cp. 25, pag. 173. 17) Vrr. 1-2. Vulg.: *Venit finis.* 18) Ms.: *Kaitz* et *ketz*. 19) Lc 16, 25. 20) Phil 3, 8.

posuisti eos, nam dolosa sunt haec bona; cum pretiosissima videantur, vilissima sunt, quoniam terrena sunt: *Deiecisti eos dum allevarentur,* tolluntur in altum ut casu graviore ruant. Cito finiuntur bona huius saeculi suosque amatores in infernum veluti deiciunt; sunt inania: *Velut somnium surgentium imaginem eorum,* larvam felicitatis eorum, *ad nihilum rediges,* ut nec memoria quidem sit eorum in mundo.

quia vilissima et inania sunt;

Quod ego malis mundi huius affectus sum – *si inflammatum est cor meum et renes mei commutati sunt,* [21] ac si in fornacem babylonicam essem iniectus, [22] *et ad nihilum fere redactus sum et nescivi,* – causam ignoravi; tu tamen *tenuisti manum dexteram . . . duxisti me* quasi iumentum tuum, *et in voluntate tua deduxisti me* ne caderem, ne perirem et cum impiis ad nihilum redigerer, et tandem *cum gloria suscipies me,* [23] sicut Lazarum, qui tamen animo et spiritu non adeo erat infelix ut corpore videbatur. Nam animi cruciatus ex amore et nimia affectione ortum habent, ita ut amor sit mensura doloris; [24] iustus autem cor suum non in terra, sed in coelo, imo in Deo collocatum tenet: *Ubi . . . est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* [25] Ait autem: *Quid . . . mihi est in coelo ? et a te quid volui super terram ? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum.* Penuria ergo temporalium rerum iustos viros non admodum affligit, cum eorum animus his rebus minime sit impense affectus, sed in Deum toto spiritu semper suspiret et anhelet.

iustus autem cor suum non in terra, sed in Deo collocatum tenet;

Hinc tandem concludit: *Mihi . . . adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* [26] Sic bonum fuit Lazaro, eritque in aeternum beatus et felix, eo quod adhaesit Deo semper, ita ut unus spiritus esset [27] cum eo; hinc quasi alter Iob in angustia sua aequanimiter adversa corporis tulit nihilumque contra Deum locutus fuit. [27a] Accidit ei sicut Paulus ait: *Momentaneum et leve tribulationis nostrae in praesenti, supra modum . . . aeternum gloriae pondus operatur in coelis,* [28] et quod Beatus Iacobus ait: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* [29] Instar auri probatus fuit in fornace

ideo adversa patienter fert et postea in aeternum consolabitur.

21) Ps 72 (hebr. 73), 18-21. 22) Cf. Dn 3, 19. 23) Ps 72 (hebr. 73), 22-24.
24) Axioma philosophicum, de quo cf. S. *Thomas S. Theolog.*, 1a 2ae, q. 36, a. 3; 2a 2ae, q. 28, a. 1. 25) Mt 6, 21. 26) Ps 72 (hebr. 73), 25-28. 27) Cf. 1 Cor 6, 17.
27a) Cf. Iob 1, 22; 2, 10. 28) 2 Cor 4, 17. Vulg.: *In praesenti . . . momentaneum . . . operatur in nobis.* 29) 1, 12.

tribulationis, sed nunc in aeternum consolatur in sinu Dei tanquam carissimus filius ab amantissimo patre eblanditus.

Sic patiens Lazarus tribulationibus probatus in regnum Dei intravit,

Per viam arctam et angustam portam intravit in regnum Dei, epulo vero per latam viam ad aeternam damnationem[30] devenit quam citissime, nam: *Omnis caro foenum et omnis gloria eius sicut flos foeni; exiccatum est foenum et flos* eius *decidit*, ait Isaias;[31] totus erat caro, sicut foenum brevissimo tempore exiccatus est et omnis gloria eius ad nihilum redacta, sicut Oseas ait: *Sicut mane transit, pertransiit rex Israel,*[32] idest gloria regis Israel quam citissime evanuit: *Praeterit... figura mundi huius;*[33] *Transit mundus et concupiscentia eius.*[34] Iob ait, de tempore felicitatis suae verba faciens, cum ad extremam calamitatem redactus esset: *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt et non viderunt bonum, pertransierunt quasi naves poma portantes*, hebraice: *Quasi naves desiderii*, idest desiderata aura navigantes, secundis ventis, nam sequitur: Et *sicut aquila volans ad escam,*[35] volatus enim hic pernicissimus et concitatissimus est; sic pertransierunt dies felicitatis infelicissimi huius hominis.

epulo autem post delicias mundanas ad aeternam damnationem devenit.

Figura huius epulonis impius Doeg, contra quem invehitur David,

IV. Regius Vates *Psalmo 51* invehitur contra Doeg, hominem valde divitem, apud regem Saul gratia et auctoritate florentem, nam princeps erat pastorum Saul; sed tamen homo impius, semiiudaeus, homo idumaeus genere, impius et scelerum maculis notatus.[36] Praedicit extremam illius perditionem, quod iusto Dei iudicio damnandus erat, causasque damnationis edicit, quae quidem omnia in epulonem adamussim quadrant: *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate?* Hebraice: *Quid male gloriaris qui potens es misericordia Dei?*[37] *Quid... habes*, homo, *quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*[38] Declarat hoc idem Vates eodem *Psalmo: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum et praevaluit in vanitate sua.*[39] Haec prima causa perditionis, Deum auctorem omnium

vaticinans illius damnationem ob impietatem in Deum

30) Cf. Mt 7, 13-14. 31) 40, 6-7. Vulg.: *Quasi flos agri... et cecidit flos.* 32) 11, 1. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg.. cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Transiit.* 33) 1 Cor 7, 31. Vulg.: *Huius mundi.* 34) 1 Io 2, 17. Vulg.: *Mundus transit*, etc. 35) 9, 25-26. 36) Cf. 1 Rg 21, 7; 22, 9 sqq. 37) Hebraice Ps 52, 3. 38) 1 Cor 4, 7. Vulg.: *Si autem accepisti*, etc. 39) Ps 51 (hebr. 52), 9.

bonorum non agnovit, nec cogitavit quod potens factus erat a Deo, multis divitiis cumulatus ad pietatem et misericordiam erga pauperes exercendam.

Altera causa est: *Tota die iniustitiam*, sive *divitias, cogitavit lingua tua ; sicut novacula acuta fecisti dolum :* [40] nimius divitiarum amor: *Ubi . . . est thesaurus . . . ibi . . . et cor ; Ex abundantia* autem *cordis os loquitur.* [41] Peccatum linguae hic specialiter commemoratur et in Evangelio dicitur quod in inferno specialiter lingua divitis in flamma ignis aeterni cruciatur. Nam cum epularetur quotidie splendide, non poterat non multa per linguam peccare, murmurando et detrahendo, nedum vana loquendo; nam hoc speciale fuit Doegi peccatum: detulit Achimelech sacerdotem apud Saul quod Davidi panem et arma dedisset, quasi cum David contra regem coniurasset. [42]

et amorem divitiarum,

Tertia causa est: *Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui aequitatem,* [43] vitia carnis magis quam virtutes, mundum quam coelum, voluptates carnis magis quam Deum, male loqui potius infamando et detrahendo quam bene loqui; sic semper mala bonis praetulisti, luxum carnis eleemosynae et operibus pietatis, naturali pietati et caritati erga mendicum Lazarum: *Vae qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes lucem* in *tenebras et tenebras* in *lucem, ponentes dulce in amarum et amarum in dulce!* [44]

ob vitia carnis et defectum caritatis in proximum,

Et tandem quarta causa: *Dilexisti . . . verba praecipitationis,* sive absorptionis, devorationis, perditionis, *lingua dolosa,* idest quaecunque perniciem et interitum afferunt; *propterea Deus destruet te in finem,* in perpetuum, *evellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo et radicem tuam de terra viventium.* [45] Tandem, quia non in Deum spem suam reposuit, sed in divitiis: *Videbunt iusti et timebunt et super eum ridebunt et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum et praevaluit in vanitate sua.* [46]

ob peccata linguae et spem in vanitate sua.

Ex consideratione autem perditionis infelicissimi hominis erudi-

40) Ibid. vr. 4. 41) Mt 12, 34; Lc 6, 45. 42) Cf. 1 Rg 22, 9-10. 43) Ps 51 (hebr. 52), 5. 44) Is 5, 20. Vulg.: *Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum.* 45) Ps 51 (hebr. 52), 6-7. 46) Ibid. vrr. 8-9.

Ex consideratione perditionis Doeg ostendit Regius Vates divinam iustitiam timendam esse.

tionem sumit Regius Vates dicens: *Ego* igitur *sicut oliva* ero *fructifera*, virens, frondosa, *in domo Domini; sperabo in misericordia Dei in aeternum.* [47] Videns, inquit, ex hac punitione quantopere displiceat Deo vitium placeatque virtus, hoc semper agam, studebo semper ut omne vitium fugiens virtuti pro viribus operam dem. Ex consideratione nanque divinae iustitiae oritur timor Domini, expellens omne malum; [48] hanc ob causam a temporali iustitia publico spectaculo suspenduntur in patibulo scelerosi homines, ut ceteri timorem habeant et a vitiis temperent atque abstineant, ne in similia facinora prolapsi similes cogantur poenas dare. Hanc ob causam ergo proponitur nobis hodie damnatio infelicissimi epulonis; a divina nanque iustitia damnatus est ad aeternam mortem perpetuasque poenas inferni ob vitia sceleraque patrata.

Scopus hodierni Evangelii est ostendere viam salutis et viam perditionis.

V. Principalis autem scopus hodierni Evangelii, fratres, est utique ostendere viam salutis et viam perditionis, praemium virtutis et poenam in vitiorum punitionem paratam, ut quisque nostrum agat sicut egisse legitur Hercules fortissimus monstrorum domitor. Refert enim de eo Xenophon in ipsius vita quod, cum iuvenis esset, secessit in desertum locum, cumque solus ibi esset, videre sibi visus est duas vias: alteram quidem virtutis, alteram vero voluptatis, sibique tum virtutem tum voluptatem apparuisse: voluptas promittebat ei genus omne sensualium delectationum, virtus autem labores et pericula, sed tandem aeternum praemium inter divos in coelo. [49]

de qua re agunt etiam Moyses

Haec autem nos in Scripturis Sacris habemus. Moyses ait: *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quae ego . . . praecipio vobis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri;* [50] et alibi: *Testes invoco hodie coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem.* [51]

et Divus Ioannes in *Apocalypsi.*

Habemus etiam in Sacris Litteris hieroglyphicum virtutis, mulierem coelestem in *Apocalypsi,* [52] et hieroglyphicum voluptatis, mulierem illam, Babylonem, purpura, auro gemmisque ornatam, equitantem super bestiam coccineam, manu gestantem vas aureum, sed abomi-

47) Ibid. vr. 10. 48) Cf. Eccli 1, 27. 49) *Memorabilia*, lib. 2, cp. 1, pag. 547-550.
50) Dt 11, 26-28. 51) Ibid. 30, 19. 52) Cf. 12, 1.

natione plenum.[53] En via voluptatis in hodierno Evangelio: *Homo quidam erat dives, qui induebatur*, etc.; sed et via etiam virtutis ostenditur: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus*, etc. Laboriosa quidem via, navigatio periculis plena. Verum: *Factum est . . . ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae*, ibi consolatur; *mortuus est autem et dives et sepultus est in inferno*, ibi cruciatur: *Cum esset in tormentis . . . crucior in hac flamma.*[54]

Non praeparavit Deus, fratres, in praemium virtutis temporalia bona, nec in vitii poenam temporalia mala, nam haec patitur iustus et illis fruitur peccator; sed in virtutis praemium aeterna bona, in vitii poenam aeterna mala. Hinc agitur in hodierno Evangelio de animarum immortalitate, qua in corporali morte anima separata ac soluta a carne in aeternum vivit, sicut Angeli. Sed quodnam praemium virtutis? Aeterna consolatio in sinu Abrahae, in coelo, in paradiso. Quodnam vitii supplicium? Aeternus cruciatus perpetuaque tormenta in igne infernali.

Deus in praemium virtutis praeparavit aeterna bona, et in poenam vitii aeterna mala.

VI. Sed cum saepe multa de virtutum praemio, imo praemiis dixerimus, operae pretium est ut hodie aliquid de vitii poena atque supplicio dicamus, nam hodiernum Evangelium multo plura dicit de cruciatu divitis quam de solatio Lazari.

Poena vitii consideratur in damnatione epulonis.

Mortuus est . . . dives : en privatio omnium bonorum, non tantum mundi huius, sed etiam coeli et paradisi, quae profecto infinita est poena, infinitum damnum; deinde privatus est in aeternum gratia et misericordia paternaque Dei caritate; hinc a patre Abrahamo ne guttam quidem aquae obtinere potest.[55]

Epulo moriendo omnia bona terrena et aeterna amisit,

Sepultus est in inferno, ibi est in tormentis: *Crucior in hac flamma.* Est infernus carcer Dei, in quo omnes sceleratos detrudit, tradens eos in manus tortorum daemonum; carcer est perpetuus, aeternus, absque ulla spe libertatis: *Chaos magnum firmatum est, ut . . . non possint . . . inde . . . transmeare.*[56]

sepultus est in carcere aeterno,

Deinde, *cum esset*, inquit, *in tormentis*, nec dicit quae tormenta, quoniam ineffabilia sunt; ab igne autem – *crucior in hac flamma*, – et a tortoribus conicere utcunque possumus tormenta haec. Tortores

53) Cf. ibid. 17, 3-5. 54) Lc 16, 23-24. 55) Cf. ibid. vrr. 24-25. 56) Ibid. vr. 26.

in ineffabilibus tormentis, a daemonibus tortoribus excruciatus.

daemones sunt; satanas primus tortorum est, qui cum a Deo potestatem accepisset super Iob, infinitis eum affecit malis, omnibus expoliavit bonis et ad extremam deduxit miseriam et infelicitatem, et tamen: *Tange*, inquit, parum *pellem eius.* [57] O infinitam crudelitatem tortoris huius! Maxima ac plane infinita mala quibus Iob in animo et in corpore affecerat, cum die una eum omnibus fortunis nudaverit, filios omnes filiasque occiderit eumque toto corpore pessimis ulceribus doloribusque repleverit, [58] parum ac fere nihil ei videntur. Quid igitur aget in inferno, cum plenissimam habebit potestatem torquendi pro libito omnes damnatos?

Infernus non tantum carcer est, sed etiam fornax ignis aeterni.

Cum esset in tormentis . . . crucior in hac flamma. Si nihil aliud esset infernus, fratres mei, nisi carcer perpetuus, an non extremum malum nobis esset, cum libertatis simus amantissimi? Sed quid? Non tantum carcer est, sed fornax babylonica, cuius flamma sursum cubitis quadraginta novem ascendit, ad quinquagesimum remissionis nunquam pertingens? [59] Haec poena peccati, hoc vitii supplicium, fratres, est: una cum aeterna fame aeternaque siti, aeterno animi cruciatu, aeternis totius corporis membrorumque omnium doloribus. Sic punit Deus vitia, non in hoc mundo sed post mortem.

In morte ergo reperiuntur praemia virtutum et supplicia vitiorum.

Ad portam templi vidit Ieremias duo canistra ficuum, sed unum continebat *ficus bonas, bonas valde*, alterum vero *malas, malas valde.* [60] Porta, per quam egrediendum nobis est ex hoc mundo, mors est. Hic reperiuntur suavissima virtutum praemia et amarissima vitiorum supplicia.

Agitur in hodierno Evangelio de poenitentia, de gloria coelesti et de poena infernali.

VII. *Factum est . . . ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives*, etc. Hodiernum Evangelium, fratres, est sicut liber E z e c h i e l i s, in quo *scriptae erant . . . lamentationes et carmen et vae.* [61] Agitur enim de lamentationibus poenitentiae, de carmine gloriae, de vae infernalis poenae; iussusque fuit Vates ut totum librum devoraret; [62] nam

57) Iob 2, 5. Vulg.: *Tange os eius.* 58) Cf. ibid. 1, 12-19; 2, 6-8. 59) Cf. Dn 3, 19. Alludit ad annum Iubilaei, qui quinquagesimo quoque anno celebrabatur, in quo omnia debita, quibus unus alteri adstringebatur, remittebantur; unde quinquagenarius numerus remissionis, veniae et indulgentiae est indicativus. Hinc cum peccatum in inferno nunquam dimittatur, ignis ille infernalis per omnem aeternitatem durabit. 60) Ier 24, 3. 61) 2, 9. 62) Cf. ibid. 3, 1.

haec omnia firma fide credenda sunt: non tantum quod sit paradisus, quod sit infernus, sed quod etiam via virtutis, vel saltem poenitentiae, necessaria est ad salutem.

Dives epulo poenitentiam non egit sed in deliciis vitam duxit;

Hoc forte minime credebat dives, et propterea *epulabatur quotidie splendide.* Hoc enim insinuatur in eo quod ipse ait: Mitte Lazarum ut testetur fratribus meis, *ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum,* [63] nam *si quis ex mortuis* resurrexerit ieritque ad eos, *poenitentiam agent.* Ait autem Abraham: *Habent Moysen et Prophetas: audiant illos... si* enim *Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* [64] Si vere credidisset, egisset poenitentiam. Fidelis erat, credebat in Deum, non negabat aliquem articulorum fidei; sed in misericordia Dei confisus existimabat poenitentiam minime necessariam esse ad salutem. Hanc ob causam vivebat in deliciis: *Epulabatur quotidie splendide,* sicut Balthassar rex Chaldaeorum. Accidit autem ei sicut et illi: dum esset in convivio, divinitus lata fuit contra eum mortis sententia, scribente manu in pariete contra candelabrum: [65] *Mane, thecel, phares... Numeravit Deus regnum tuum et complevit illud... appensus es in statera et inventus es minus habens... divisum est regnum tuum et datum est Persis et Medis.* [66] *Mortuus est... dives:* en regnum completum, en finis omnium bonorum ipsius; in morte autem *appensus* est *in statera* divini iudicii et *inventus* est *minus habens,* non sunt inventa in eo bona opera necessaria ad salutem, non caritas in Deum, non misericordia in pauperes, non virtutum merita; hinc *divisum* fuit *regnum* ipsius, divisa anima a corpore, datumque fuit Persis et Medis, datum inimicis.

accidit autem ei sicut Balthassar regi Chaldaeorum,

Hanc ob causam damnatus fuit, quia inventus fuit minus habens, quia seminavit in carne, non in spiritu: *Qui* autem *seminat in carne... de carne... metet corruptionem; quae enim seminaverit homo, haec et metet.* [67] Seminas hordeum et vis metere triticum? Plantas spinas et tribulos et vis colligere uvas et ficus? *Nunquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus?* [68] Fratres mei, *si... secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis;* [69]

et quia destitutus bonis operibus damnatus fuit;

63) Lc 16, 28. 64) Ibid. vrr. 29 sqq. 65) Cf. Dn 5, 1-5. 66) Ibid. vrr. 25-28. Vulg.: *Medis et Persis.* 67) Gal 6, 7-8. Ordine inverso affert hos vrr. 68) Mt 7, 16. 69) Rom 8, 13.

Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. [70] Homo iste damnatus est quia minime credidit necessariam esse poenitentiam, necessaria opera bona ad salutem, a satana, a mundo, a carne deceptus.

accidit ei sicut navi quae secundis ventis navigans, naufragium prope portum patitur;

Accidit homini huic sicut navi, quae semper secundis ventis magna cum maris tranquillitate navigat, sed prope portum naufragium patitur atque demergitur; non illisa scopulis, non syrtibus impingens, non tempestate demersa, sed quia nunquam sentinam evacuavit, tantum aquarum sensim imbibit, quod tandem in profundum absorpta fuit: *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno.*

sicut accidit Adamo et Achan et ficulneae cui maledixit Dominus, quia sine fructu reperta fuit.

Accidit infelici huic sicut Adamo, qui contra divinum praeceptum comedere voluit de ligno vetito scientiae. [71] *Divitiae si affluant, nolite cor apponere;* [72] *Recordare, fili, quia recepisti bona* tua *in vita tua.* Existimavit infelix non reperiri aliud bonum nisi deliciis frui et oblectamentis omnibus mundi huius. Accidit sicut Achamo, qui contra fas accepit de anathemate Iericho aurum et pretiosam vestem, quamobrem damnatus ad mortem fuit. [73] Deum iubemur super omnia diligere, fratres, non mundum. Accidit sicut ficulneae, cui maledixit Dominus et continuo exaruit [74] et eradicata fuit, quoniam sine fructu fuit reperta: *Omnis... arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur; facite ergo fructus dignos poenitentiae,* [75] nam: *Nisi poenitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.* [76] *Iam... securis ad radicem arborum posita est.* [77] Bone Deus! Possibile ne est, fratres mei, quod divinam hanc veritatem nolimus intelligere?

Mundana felicitas vapor est vanescens, praemium virtutis in aeternum manet.

Accidit huic sicut Regius Vates ait: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani: et transivi, et ecce non erat... quaesivi eum et non est inventus locus eius;* [78] sicut etiam Oseas ait: *Sicut mane transit, pertransiit rex Israel,* [79] nam mundana felicitas *vapor est ad modicum parens;* [80] hinc iussus fuit Isaias ut clamaret: *Omnis caro foenum et omnis gloria eius quasi flos foeni;* gloria tantum Domini, quam iustus ob virtutis meritum assequitur, manet in aeternum.

70) Io 6, 64. 71) Cf. Gn 3, 6. 72) Ps 61, 11. 73) Cf. Ios 7, 13 sqq.
74) Cf. Mt 21, 19. 75) Ibid. 3, 8-10. Vulg.: *Fructum dignum*, etc. Ordine inverso affert hos vrr. 76) Lc 13, 3. 5. Vulg.: *Nisi poenitentiam habueritis omnes similiter peribitis.*
77) Mt 3, 10. 78) Ps 36, 35-36. 79) Cf. not. 32 huius hom., pag. 288.
80) Iac 4, 15.

VIII. Amos propheta hominibus epuloni similibus ait: *Vae qui opulenti estis in Sion .... optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel ... qui separati estis in diem malum.... qui comeditis agnum de grege et vitulos de medio armenti, bibentes vinum in phialis et optimo unguento delibuti et nihil patiebantur super contritione Ioseph,* [81] idest pauperibus in necessitate positis non compatiebantur, nullo pietatis affectu movebantur: *Qui* autem *viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* [82] *Qui .... non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* [83]

Tandem epulo damnatus est, quia luxuriose vivens, pauperibus eleemoysnam negabat,

Moyses in *Deuteronomio* ait populo: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, recessitque a Deo salutari suo;* [84] *Eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio cordisque laetitia, propter rerum omnium abundantiam, servies inimico tuo, quem Dominus immettet tibi, in fame et siti .... et ponet iugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat.* [85] Sic infelici huic accidit omnibusque similibus accidet: accidit epuloni sicut Nabal carmelo: misit ad eum David modicum panis quaerens, ille autem totus crapulae deditus negavit dicens: *Quis est David et quis est filius Isai? ... Tollam ... panes meos ... et carnes* meas *et dabo viris quos ignoro,* [86] cum ea paraverim tonsoribus meis? Simili ratione permotus negabat hic pauperibus eleemosynam; sed sicut ille iusto Dei iudicio bonis omnibus privatus fuit. [87]

et sic accidet omnibus qui similes ei erunt.

II. ALIA HOMILIA

I. Splendidum et regale convivium instruit nobis hodie Salvator, sicut Assuerus principibus et heroibus regni sui,[1] sicut manna coelesti [2] et aqua mirabili [3] Hebraeos in deserto nutrivit. In regale autem convivio non requiruntur tantum panis et vinum, sed etiam splendidae epulae atque bellaria ante pastum et post pastum, nobiles

Veluti splendidissimum convivium instruit nobis hodie Dominus,

81) 6, 1-6. 82) 1 Io 3, 17. 83) Ibid. 4, 20. 84) 32, 15. Vulg.: *Et recessit*, etc. 85) Ibid. 28, 47-48. Vulg.: *Immittet tibi Dominus*, etc. 86) 1 Rg 25, 10-11. Vulg.: *Quos nescio.* 87) Cf. ibid. vrr. 36-38.

1) Cf. Est 1, 1-4. 2) Cf. Ex 16, 13 sqq. 3) Cf. ibid. 17, 5-6; Nm 20, 8-11.

etiam ministri. Habemus panem et vinum: *Habent Moysen et Prophetas, audiant illos;*[4] *Cibavit illos pane vitae et intellectus et aqua sapientiae... potavit eos.*[5] Semel[6] et iterum[7] Christus in deserto paucis panibus miraculo pavit ex quinque panibus et duobus piscibus; sed hodie ad instruendum convivium hoc occidit ex suis gregibus agnum et haedum: *Statuet oves... a dextris... haedos autem a sinistris.*[8] Rebecca ex haedo paravit prandium Isaac viro suo, ut Iacob filio suo benediceret.[9] Christus Ecclesiae hodie convivium instruit ex agno et haedo ad recreandos filios suos.

refertum copiosis epulis et magnifico apparatu.

Instructum est autem convivium hoc magnifico et opiparo apparatu, refertum copiosis epulis, splendidis dapibus, obsoniis opulentis et valde delicatis; nobiles ministri deferunt ad mensam epulas, nam: *Factum est... ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.*[10] Abraham tribus Angelis convivium paraturus, misit ad armentum et inde tulit vitulum tenerrimum optimumque;[11] Rebecca paratura cibos Isaaco viro suo, misit Iacob ad gregem ut duos haedos acciperet; Christus ex suis gregibus agnum tollit et haedum, sed haedum valde pinguem, nam: *Homo quidam erat dives qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide;*[12] vitulus erat saginatus, sicut ille quem occidit pater filii prodigi ad instruendum laetum convivium pro laetitia filii domum reversi.[13]

Nam multa mysteria continet hodiernum Evangelium:

Sunt in hoc convivio praeludia mensae, sunt dapes splendidae mensae et post mensam bellaria; hoc est, ut dicam, multis refertum est mysteriis hodiernum Evangelium, quorum quaedam spectant ad Deum, ante mundum, ante vitam hanc; quaedam in mundo, in hac vita; quaedam in futuro saeculo, post hanc vitam.

proponitur mysterium praedestinationis et reprobationis,

Proponuntur duo homines: alter electus, alter reprobus; ille praedestinatus, hic praescitus; Iacob dilectus, Esau odio habitus;[14] duo vasa: alterum in honorem, alterum in contumeliam;[14a] vas argenteum aureumque pro mensa regali et vas terreum pro vilibus servitiis ac sordidis ministeriis: haec sunt praeludia mensae. Bellaria vero secundae

4) Lc 16, 29. 5) Eccli 15, 3. Vulg.: *Cibabit illum... potabit illum.* 6) Cf. Mt 14, 16-21; Mc 6, 37-44; Lc 9, 13-17; Io 6, 5-13. 7) Cf. Mt 15, 32 sqq.; 16, 9-10; Mc 8, 19-20. 8) Mt 25, 33. 9) Cf. Gn 27, 6-10. 10) Lc 16, 22. 11) Cf. Gn 18, 2-7. 12) Lc 16, 19. 13) Cf. ibid. 15, 22 sqq. 14) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 14a) Cf. Rom 9, 21; 2 Tim 2, 20.

mensae: contemplationes gloriae paradisi et poenarum inferni: *Sepultus est in inferno... portaretur... in sinum Abrahae.* [15] Quid infernus sit ostenditur: locus tormentorum: *Crucior in hac flamma;* [16] paradisus vero locus consolationum: *Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris;* [17] quod impossibilis est transitus a paradiso in infernum et contra. Nam secundum legem domus intra moenia civitatis vendita praescriptum habebat tempus quo redimi poterat, ad duodecim menses a venditione; elapso autem anno, redimi amplius nullatenus poterat. [18] In superna civitate Ierusalem, cuius muri in *Apocalypsi* describuntur, [19] domus et mansiones multae sunt, [20] tum secundum divinam praedestinationem, tum secundum praesentem iustitiam. Si per peccatum vendatur domus, redimi potest intra annum praesentis vitae; elapso autem hoc anno, nequaquam: ubi ceciderit lignum ibi manebit: [21] *Chaos magnum inter vos et nos firmatum est.* [22]

ostenditur quid sit infernus et quid paradisus,

Quod infernus adeo locus tormentorum est, ut ibi nulla penitus in aeternum vel minima sit consolatio: *Cum esset in tormentis,* [23] petiit guttam aquae in extremo digiti ad refrigerandam linguam, et obtinere non potuit; [24] paradisus vero locus consolationum, ubi nulla penitus afflictio. Quod temporariam carnis voluptatem sequuntur aeterna supplicia et momentaneam poenitentiam aeterna consolatio; quod poena respondet culpae et *iuxta mensuram delicti erit et plagarum modus.* [25] Peccavit Pharao necando infantes Hebraeorum in aquis, [26] ipse quoque aquis maris Rubri necatus interiit: [27] *Si quis fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis ipsius;* [28] *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* [29] Peccavit epulo splendide epulando, specialiter cruciatur; per totam vitam peccavit, per totam aeternitatem cruciatur. Diei peccati assignavit Deus annum poenae: quoniam quadraginta diebus explorantes terram promissionis exploratores Israel peccaverunt, in peccati illius poenam voluit Dominus ut quadraginta annis errarent in deserto. [30] Peccavit in Lazarum impie-

infernus locus tormentorum aeternorum, paradisus locus aeternarum deliciarum;

ibi poena pro mensura respondet culpae, hic praemium pro mensura respondet virtuti.

15) Lc 16, 22. Ordine inverso affert hunc vr. 16) Ibid. vr. 24. 17) Ibid. vr. 25. 18) Cf. Lv 25, 29-30. 19) Cf. 21, 10. 31. 20) Cf. Io 14, 2. 21) Cf. Eccle 11, 3. 22) Lc 16, 26. Vulg.: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est.* 23) Ibid. vr. 23. 24) Cf. ibid. vrr. 24-25. 25) Dt 25, 2. Vulg.: *Pro mensura peccati erit,* etc. 26) Cf. Ex 1, 22. 27) Cf. ibid. 14, 24 sqq. 28) Gn 9, 6. Vulg.: *Quicunque effuderit... sanguis illius.* 29) Ex 21, 24; Lv 24, 20; Dt 19, 21; Mt 5, 38. 30) Cf. Nm 14, 33-34.

tate et immisericordia, nullam ipse misericordiam percipit: *Eadem ... mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*[31]

Ostenditur etiam in hoc Evangelio immortalitas animae,

II. Sed nihil ne dicendum de convivii epulis? *Homo quidam erat dives.* Proponuntur duo homines, eiusdem quidem naturae, sed non eiusdem virtutis; uterque homo erat, *ad imaginem et similitudinem Dei*[32] conditus, uterque immortali anima donatus. Quis non videt hodie immortalitatem animorum? Immortalis anima Lazari in paradiso, immortalis epulonis in inferno; utraque in aeternum sicut Deus et Angeli vivet.

dignitas humanae naturae quae patrem habet Deum,

Quis etiam non videt dignitatem humanae naturae, quae patrem habet Deum? *Pater Abraham, miserere mei,*[33] cui Angeli serviunt: *Portaretur ab Angelis in sinum Abrahae; Angelis suis* Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te.*[34]

sapientissima providentia Dei quae in praesenti aliqua bona praemiat et aliqua mala punit,

Duo homines proponuntur: alter peccator, alter iustus et sanctus; ille bonis omnibus abundans, iste malis omnibus pressus sicut Iob.[35] Ecce scandalum mundi de divina providentia: *Quomodo scit Deus? et si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias.*[36] Sed hodiernum Evangelium tollit omne scandalum, ostendens vera virtutum praemia et vitiorum supplicia. Deus non punit mala omnia nec bona omnia praemiat in hac vita, ne putarent homines non esse aliam vitam, nec alia praemia aut alias poenas; nec mala omnia relinquit impunita aut bona irremunerata, ne existimarent terrigenae filii Adam non curare Deum humana, non esse divinam providentiam; sed quaedam mala punit et bona praemiat in hoc mundo in argumentum et demonstrationem divinae providentiae, multa autem in futurum relinquit punienda mala et praemianda bona, ut sciamus aliam esse vitam post hanc, alia bona et alia mala praeter ea quae in mundo sunt.

multa autem in futurum relinquit punienda mala et praemianda bona;

ostenditur summam dignitatem humanae naturae in virtute consistere,

Supra mensam hanc Lazarus defertur agnus in aquis tribulationis decoctus, epulo autem haedus igne assatus: *Quia crucior in hac flamma.* Quoniam vero sapidior est haedina caro igni assa, quam caro agni cocta in aqua, age, comedamus de carne huius haedi pinguis et saginati: videbimus quod summa dignitas humanae naturae in

31) Lc 6, 38. 32) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 33) Lc 16, 24. 34) Ps 90, 11-12.
35) Cf. Iob 1, 13-2, 1-8. 36) Ps 72, 11-12.

virtute consistit, experiemur multo sapidiorem esse carnem agni aqua coctam, nam Lazarus solius virtutis et patientiae causa ab Angelis portatus est in paradisum. Videbimus quam vana sit, absque vera animi virtute, omnis mundi felicitas, quam nihili a Deo pendatur: *Homo quidam:* [37] non nominat eum sicut Lazarum mendicum; nihili facit mundanam gloriam et nobilitatem summorum etiam principum et regum, absque virtutis splendore; quam perniciosa sit, nam: *Mortuus est... dives et sepultus est in inferno; Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam;* [38] *Si... secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* [39]

omnem mundi felicitatem vanam esse et perniciosam virtuti

Videbimus quam brevis etiam sit mundana ista felicitas: *Mortuus est... dives;* non dicit: Mortuus est homo, quia melior hominis pars in aeternum vivit, sed: *Mortuus est... dives*, quia mortuus ipse est divitiis, pompis, voluptatibus; sine his in infernum descendit.

et brevissimam.

Si causam inquiramus damnationis huius hominis, ne nobis quoque idipsum contingat, cum apud Deum non sit acceptio personarum, [40] triplicem causam invenimus: una est quam Christus assignat, impietas in mendicum Lazarum; altera quam Abraham: *Recordare*, fili, *quia recepisti bona in vita tua*, propterea *cruciaris,* [41] hoc est: quia secundum carnem vixisti, poenitentiam non egisti. *Si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent.* [42] Ego, inquit, damnatus sum quia non egi poenitentiam: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis;* [43] *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [44] Tertia est incredulitas, tarditas cordis ad credendum Divinis Scripturis: *Habent Moysen et Prophetas, audiant illos... Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* [45]

Triplex est causa damnationis epulonis: immisericordia in Lazarum, vita carnalis, tarditas cordis.

III. In hodierni Evangelii convivio etiam veluti sacra quaedam tragicomoedia agitur. Convivium quod pater filii prodigi instruxit, ut laetum valde esset, cum musica, symphonia et choro celebratum fuit. [46] Sic hodie. Non est haec praesentatio comica, quia morte termi-

Evangelium hodiernum veluti quaedam tragicomoedia est,

37) Lc 16, 19. 38) Gal 6, 8. 39) Rom 8, 13. 40) Cf. Dt 10, 17; 2 Par 19, 7; Act 10, 34; Rom 2, 11; Gal 2, 6. 41) Lc 16, 25. 42) Ibid. vr. 30. 43) Ibid. 13, 3. 5. 44) Mt 3, 2; 4, 17. 45) Lc 16, 29 sqq. 46) Cf. ibid. 15, 22-27.

natur, nec vilium personarum est, sed valde illustrium, etiam Angeli interveniunt; non est tragica, quia finis Lazari laetissimus est: *Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.* Tragicomoedia quaedam est, personae intervenientes multae sunt: epulo, Lazarus, Abraham, Angeli, Moyses et Prophetae. Epulo Bacchum, [47] Epicurum agit, [48] Lazarus hominem infelicem, Abraham regis personam induit, Angeli ministri sunt regis, Moyses paedagogus est, Prophetae magistri morum et a secretis Dei.

In qua repraesentantur mundus, locus bonorum et malorum,

In hac tragicomoedia repraesentantur veluti imagines in speculo mundus, paradisus et infernus. Mundus in epulone et Lazaro: quod mundus hic locus est bonorum atque malorum, divitiarum et paupertatis, voluptatum et poenarum, sanitatis et infirmitatis, vitae et mortis, vitiorum et virtutum, locus lucis et tenebrarum, ubi dies et nox, aestas et hiems; paradisus autem locus tantum voluptatum, ubi omnia bona et nullum malum, congregatio electorum Dei cum Angelorum tum hominum; tandem infernus, locus tormentorum omniumque malorum, ubi nullum bonum, congregatio reproborum hominum et daemonum, ubi tenebrae et non lux, locus *miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* [49] Sic mundus, paradisus et infernus repraesentantur.

paradisus locus tantum voluptatum, infernus locus tantum tormentorum;

Habet haec tragicomoedia duas tantum scenas et duos actus. Prima scena est: *Homo quidam erat dives* et *quidam mendicus;* personae sunt caro et spiritus, virtus et vitium, homo mundanus et divinus, servus Dei et servus mundi. Interveniunt etiam divitiae et paupertas, pompae et nuditas, opulentia et penuria, sanitas et infirmitas, vita ipsa et tandem mors. Sic primus finitur actus et prima scena, in qua totus iste mundus praesentatur. In secunda scena et secundo actu

sed habet tantum duas scenas et duos actus: in hoc mundo et in futuro prorsus diverso.

47) Bacchus tripudiorum deus et laetitiae inventor, cui inter calcandas uvas et inter pocula antiqui laudes canebant. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 5, cp. 13, pag. 419-420.

48) Epicurus felicitatem in beata vita ducenda consistere docebat. In Epist. Menicoeo sententiam suam sic exponit: « Voluptatem finem dicimus ac principium beatae vitae ». At voluptatem hanc non in effrenata sensuum libidine ponebat, sed in eo eligendo vel fugiendo, quod sit ad bonam corporis valetudinem et quietem tuendam: « Cum itaque dicamus voluptatem finem esse, non luxuriosorum et nepotum voluptates, easque quae in gustu et ingluvie sunt positae, ut quidam ignorantes, aut a nostra sententia dissentientes, aut male accipientes arbitrantur, sed non dolere corpore animoque tranquillum esse, et perturbatione vacare dicimus ». Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum* lib. 10, pag. 448-449. Discipuli autem eius doctrinam magistri ita perverterunt, ut Epicurum fecerint synonymum hominis libidinosi.

49) Iob 10, 22.

praesentatur alter mundus diversa admodum facie; interlocutores introducuntur, Abraham et epulo infelix, sicut homo dives in extremam miseriam a fortuna deiectus, veluti supplicationem principi porrigit: *Pater Abraham, miserere mei.* Sed omnis negatur gratia, non exauditur, reicitur supplicatio.

Ostenduntur etiam mysteria divinae praedestinationis, praescientiae, misericordiae et iustitiae.

In hoc convivio praeludia mensae sunt mysteria divinae praedestinationis et praescientiae; fercula dapesque mensae primae[50] [sunt] mysteria divinae providentiae, qua homines regit tum iustos tum iniustos; bellaria vero et secundae mensae sunt mysteria divinae misericordiae et iustitiae post hanc vitam, in resurrectione bonorum et malorum.

50) Ms.: *Mensae plenae.*

FERIA SEXTA

POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam et sepem circumdedit ei et fodit in ea torcular et aedificavit, etc. [1]

Ab initio mundi Deus agricola ostenditur in S. Scriptura

I. Cum M o y s e s, sanctissimus pariter et sapientissimus, in sua cosmopoeia ostendisset nobis Deum universi conditorem in coeli et terrae creatione, [2] postea veluti agricolam eum nobis proponit: *Plantavit... Dominus Deus paradisum voluptatis a principio*, sive, ut est in hebraico, *plantavit hortum in Eden*, [3] amoeno videlicet et deliciosissimo situ, ab oriente, a plaga orientali illius provinciae, in qua deliciarum hortum plantaverat; pars nanque mundi orientalis melior habetur, unde oriens dicitur dextera pars mundi, [4] unde incipit motus et oritur lux, causa omnium bonorum quae natura gignuntur.

et talis proponitur etiam in in hodierno Evangelio, sicut iam in Isaia.

Sic in hodierno Evangelio Deus vineae plantator proponitur: *Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam.* Sed quonam loco? I s a i a s ait: *Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei, super collem*, [5] nam, ut ille ait:

« Colles amat Bacchus; » [6]

collem autem optimum, pinguem ac fertilissimum, hinc dicit eum filium olei. *Vinea* autem *Domini exercituum*, ait I s a i a s, *domus Israel est, et vir Iuaa germen eius delectabile.* [7] Christus etiam declarans hodie quid per vineam intellexerit, ait: *Auferetur a vobis regnum Dei*

1) Pericope huius diei Mt 21, 33-46. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 1, 1 sqq. 3) Ibid. 2, 8. Vulg. *Plantaverat*, etc. 4) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 102, a. 1. 5) 5, 1. Ex hebraico. 6) Virg. *Georgica*, lib. 3, vr. 113. 7) 5, 7.

et dabitur genti facienti fructus eius,[8] idest, ut I s a i a s ait, *iudicium* et *iustitiam,*[9] divinae legis perfectam observantiam.

Saepe Ecclesia vinea appellatur optima et magna

Et quidem saepe in Sacris Litteris Ecclesia vineae hieroglyphico designatur, quoniam omnes electi membra sunt Christi qui ait: *Ego sum vitis et vos palmites.*[10] Nec tantum vinea, sed electa: *Plantavit eam electam,* ait I s a i a s,[11] שׂרק,[12] *optimam;* et per I e r e m i a m Dominus: *Ego . . . plantavi te vineam electam, omne semen verum*[13] in ea: *plantavi te* שׂורק, *vineam optimam,* nam ab una vite, Christo, tota haec vinea propagata est. Vinea etiam magna; sic apud E z e c h i e l e m: *Ecce vinea ista quasi mittens radices suas,* et *palmites suos extendit . . . in terra bona super aquas multas plantata est, ut faciat frondes et portet fructum et sit in vineam grandem.*[14] R e g i u s P s a l t e s vineam hanc longe lateque diffusam scribit: *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, plantasti radices eius et implevit terram. Operuit montes umbra eius et arbusta eius cedros Dei. Extendit palmites suos usque ad mare et usque ad flumen propagines eius.*[15] Quis unquam tam magnam vineam vidit?

et optime instructa.

Sed tandem vinea dicitur optime instructa, nam I s a i a s ait quod *sepivit eam et lapides elegit ex ea,* sive lapidavit eam, lapidum maceria munivit, et fodit in ea torcular *et aedificavit turrim in medio eius,* ita ut nihil penitus deesset ei eorum quae ad optimam vineam requiruntur, unde ait: *Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci?*[16] Sic etiam Christus optime instructam describit dicens: *Plantavit vineam et sepem circumdedit ei et fodit in ea torcular et aedificavit turrim et locavit eam agricolis.*[17]

Scopus Salvatoris est ostendere infinitam Dei bonitatem erga homines

II. Scopus autem Salvatoris est ostendere infinitam Dei erga homines caritatem et bonitatem; e contra, vero, infinitam hominum in Deum ingratitudinem et impietatem, ac tandem severam quidem, sed iustissimam Dei iram contra impios et ingratos. Graphice describit Salvator Dei bonitatem, dum eum hominem patremfamilias appellat: *Homo erat paterfamilias. Homo* ab humanitate, a bonitate: *Apparuit*

8) Mt 21, 43. 9) 5, 7. 10) Io 15, 5. 11) 5, 2. 12) Ms.: *Sorek,* et infra. 13) 2, 21. 14) 17, 7-8. 15) Ps 79, 9-12. 16) 5, 2-4. Vulg.: *Elegit ex illa,* etc. 17) Mt 21, 33.

dum Deum vocat patremfamilias,

benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei ;[18] *homo*, quia infinitus thesaurus omnium bonorum universi: *Ego ostendam tibi omne bonum,*[19] sicut homo μικρόκοσμος[20] est, universi compendium. Apparuit Deus Moysi super montem in humana specie, quem ut vidit, Moyses clamare coepit, vel forte, ut Hebraicus Textus indicare videtur, Deus ipse clamavit: וַיִּקְרָא יְהוָה׃[21] *Et clamavit Dominus: Dominus Deus misericors et clemens, patiens et multae misericordiae et verax ; custodiens misericordiam in millibus, auferens iniquitatem et scelera atque peccata,*[22] nec impune dimittens, sed *visitans iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem.*[23]

sicut saepissime appellatur in S. Scriptura;

Cum Deus in humana specie videtur, infinita eius bonitas et misericordia praedicatur. Sic *homo . . . paterfamilias,* qui humanum genus paterna prosequitur caritate, qua excogitari non potest maior, verior, solidior. Sic Moyses in suo *Deuteronomio* Deum patremfamilias universo populo praedicat: *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit . . . et fecit et creavit te ?*[24] Patrem autem amantissimum: *Circumduxit eum et docuit et custodivit sicut pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum filios suos et super eos volitans, extendit alas suas et assumpsit eum atque portavit in humeris suis.*[25] Infinita in populum suum contulit beneficia, ut patet in deserto, in mari Rubro, in Aegypto ac tandem in terra promissionis: *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra oleumque de saxo durissimo ; butyrum de armento et lac de ovibus cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan et hircos cum medulla tritici et sanguinem uvae biberet meracissimum.*[26] En populum divinis beneficiis ornatissimum et ditissime cumulatum a divina bonitate eiusque plusquam paterna caritate in homines.

ostendere etiam hominum ingratitudinem erga Deum

Sed ecce hominum summa in Deum impietas et ingratitudo: *Incrassatus est dilectus et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus,* et oblitus est Domini creatoris sui, *recessit a Deo salutari suo. Provocaverunt eum in diis alienis et in abominationibus ad iracun-*

18) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit*, etc. 19) Ex 33, 19. Vulg.: *Omne bonum tibi.* 20) Ms.: *Microcosmos.* 21) Ms.: *Vaicra Iehovah.* 22) Ex 34, 6-7. Vulg.: *Domine Deus... ac verax; qui custodis... in millia; qui aufers*, etc. 23) Ibid. 20, 5, Vulg.: *In filios*, etc. 24) 32, 6. 25) Ibid. vrr. 10-11. Vulg.: *Quasi pupillam... ad volandum pullos suos... expandit alas*, etc. 26) Ibid. vrr. 13-14.

diam concitaverunt; [27] quare *vidit Dominus et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui et filiae. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis et considerabo novissima eorum; generatio enim perversa est et infideles filii . . . Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima.* [28] En ira Dei contra ingratos iustissime concitata ad sumendam vindictam.

et severam Dei iram contra ingratos.

III. Tria haec etiam Isaias in suo cantico prosequitur. Primum: *Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei*, etc.; secundum: *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas;* [29] *Expectavi . . . iudicium et ecce iniquitas . . . iustitiam et ecce clamor;* [30] tertium: *Nunc ergo, habitatores Ierusalem et viri Iuda, iudicate*, quaeso, *inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae: auferam sepem eius, et erit in direptionem; diruam maceriam eius, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam; non putabitur, et non fodietur et ascendent* super eam *vepres et spinae, et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* [31] Magnus plane vineae huius dominus, qui nubibus mandare potest, sicut Eliae tempore factum legimus. [32] Destruam, inquit, eam et relinquam, ut non sit apta nisi ad ignem.

Tria haec Isaias quoque declarat

Sic Regius Vates, praevidens in spiritu synagogae ruinam, deflevit dicens: *Ut quid destruxisti maceriam eius et vindemiant eam omnes qui praetergrediuntur viam? Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus*, idest *fera agrestis, solivaga agri*, fera crudelis et immanis, *depastus est eam. Deus virtutum, convertere, respice de coelo et vide et visita vineam istam et perfice eam quam plantavit dextera tua, et super filium* ancillae tuae. *Incensa igni et suffossa* est. *Non discedemus a te, vivificabis nos et nomen tuum invocabimus.* [33] Haec ruinarum causa, quoniam a Deo discesserat, sicut Moyses ait, Deum dereliquerant.

et etiam Regius Vates praevidens ruinam synagogae.

Tria haec adamussim etiam Salvator in hodierno Evangelio prosequitur: *Homo erat paterfamilias*, nobilissimus et potentissimus, quia rex, *qui plantavit vineam* regia maiestate dignam, qualis fuit

27) Ibid. vrr. 15-16. 28) Ibid. vrr. 19-22. 29) 5, 4. Vulg.: *Et fecit labruscas*, etc.
30) Ibid. vr. 7. 31) Ibid. vrr. 3-6. 32) Cf. 3 Rg 18, 41-45; Lc 4, 25; Iac 5, 17-18.
33) Ps 79 (hebr. 80), 13-19.

Sic et Christus tria haec ostendit in hodierno Evangelio, id est bonitatem Dei,

vinea Salomonis, de qua in *Cantico* legimus: *Vinea fuit pacifico Salomoni in ea quae habet populos, in Bahalhamon . . . Tradidit eam custodibus ; vir affert pro fructu suo mille argenteos. Vinea mea coram me est; mille tibi, pacifice, et ducenti his qui custodiunt fructus eius.* [34] Vinea, inquit, fuit regi Salomoni, plantata in commodissimo loco, solo fertilissimo ac feracissimo fundo, ut esset fructuosissima ac pretiosissima; vinea non parva, sed magna valde, ita ut multis custodibus eam elocarit, ita ut quisque custodum et colonorum per singulos annos regi mille argenteos solveret ac pensitaret et quisque eorum ducentorum argenteorum ex vineae fructibus lucrum faceret.

ingratitudinem hominum

Sic inquit quod *locavit eam agricolis ;* non dono dedit, sed *locavit*, custodiendam et colendam tradidit, magno tamen cum lucro et emolumento: *Ducenti his qui custodiunt eam.* Sed fructus debitos reddere minime volunt, sed servis missis ad percipiendos fructus iniuriam inferunt, in eos grassantur, verberibus onustos dimittunt, multos etiam occidunt, et tandem unicum filium interficiunt dicentes: *Hic est heres, venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.* [35]

et iustam Dei iram contra ingratos.

Hinc tandem paterfamilias cogitur malos male perdere et vineam suam aliis agricolis locare, qui fructus ei reddant temporibus suis. [36] Sic praedicat nobis hodie Christus infinitam Dei tum misericordiam tum iustitiam, sicut Propheta ait: *Dulcis et rectus Dominus.* [37]

Huic mysterio alludit etiam Ioannes in Apocalypsi.

Hoc est quod Ioannes in *Apocalypsi* Deum vidit similem *aspectui lapidis iaspidis et sardinis:* [38] iaspis, viridis coloris, oculorum aciem mirum in modum recreat, sardius autem, rubei coloris, ignem refert. Vidit etiam circa sedem Dei iridem, [39] quam etiam circa thronum eiusdem Dei vidit Ezechiel ; [40] iris autem posita fuit a Deo in nubibus coeli in signum misericordiae; [41] sed *de throno,* inquit, *procedebant fulgura . . . atque tonitrua,* [42] quae timorem terroremque incutiunt. Sic Deus columna nubis est per diem, sed ignis per noctem. [43] Sic in sanctuario Dei reposita asservantur et vas plenum manna [44] et virga Moysi quae flagellavit Aegyptum. [45]

34) 8, 11-12. Ex hebraico. 35) Mt 21, 38. 36) Cf. ibid. vr. 41. 37) Ps 24, 8. 38) 4, 3. 39) Cf. ibid. 40) Cf. 1, 13-14. 41) Cf. Gn 9, 13-16. 42) Apc 4, 5. Vulg.: *Et tonitrua.* 43) Cf. Ex 13, 21 sq. 44) Cf. ibid. 16, 33-34; Hebr 9, 4. 45) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. Cf. *Quadragesimale Secundum*, part 1, pag. 462, not. 68.

IV. Consideremus, fratres, quod quisque nostrum vinea est a Deo plantata; pater est omnium nostrum, ipse fecit et creavit nos,[46] ipse in matris utero membra nostra formavit animaque et spiritu vivificavit. Nec tantum plantavit, sed etiam ad custodiendam servandamque eam sepe et maceria cinxit, duplici custodia munivit: custodia angelica et protectione divina: *Urbs fortitudinis nobis*, ait Isaias, *Salvator ponetur in ea murus et antemurale*,[47] nam non solum legimus: *Angelis suis mandavit de te*, etc.,[48] et: *Angelus Domini in circuitu timentium eum*, sive, ut est in hebraico, *castrametatur circa timentes eum*,[49] sicut de Eliseo legimus quod exercitu angelico circumdatus fuit et protectus a Syrorum exercitu,[50] sed etiam quod Deus ipse murus Ecclesiae sit: *Ierusalem montes in circuitu eius et Dominus in circuitu populi sui*.[51] Hinc per Zachariam ait: *Ego ero eis... murus ignis in circuitu*.[52] Sic Abrahae dixit: *Ego protector tuus*, sive *scutum pro te*:[53] *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno*,[54] ne, inquit, te dormiente, quicquam mali tibi a principibus tenebrarum contingat, nam: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios propter timores nocturnos*.[55] Sic circa tabernaculum Domini in deserto omnis exercitus Israel castrametabatur,[56] quare nihil timebat ab hostibus, tutissimo loco positum et collocatum. Fodit in te torcular conscientiae in medio cordis tui, in pectore tuo; aedificavit in te turrim David *cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*:[57] haec humana mens est prudentia et fide instructa atque munita, ita ut animus hominis veluti turris sit inexpugnabilis; nisi sponte inimicis se dedat, vi capi non potest.

Quisque nostrum vinea Domini est duplici custodia munita,

idest angelica et divina,

insuper munita conscientia et intellectu fide et prudentia illuminato.

V. Scopus hodierni Evangelii, fratres, est demonstrare reprobationem synagogae Iudaeorum et electionem Ecclesiae Gentium, nam tandem Dominus ait: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius*.[58] Quare, sicut Isaias interpretatus fuit parabolam suam dicens: *Vinea... Domini exercituum domus Israel est et vir Iuda germen eius delectabile; et expectavi... iudicium et ecce*

Ostendit etiam hodiernum Evangelium reprobationem synagogae

46) Cf. Dt 32, 6. 47) 26, 1. Ex hebraico. 48) Ps 90, 11. 49) Ps 33 (hebr. 34), 8. 50) Cf. 4 Rg 6, 15-17. 51) Ps 124, 2. 52) 2, 5. Vulg.: *Ero ei*, etc. 53) Gn 15, 1. 54) Ps 90, 5. 55) Ct 3, 7. 56) Cf. Nm 2, 2. 57) Ct 4, 4. 58) Mt 21, 43.

et electionem Ecclesiae Gentium.

iniquitas . . . iustitiam et ecce clamor, sic etiam Dominus interpretatur hodie parabolam suam dicens: *Auferetur a vobis regnum Dei,* idest Ecclesia, fides, per quam pastores estis animarum, principes et rectores Ecclesiae; amissa autem fide, non est amplius Ecclesia regnum Dei. Ostenditur ergo in hodierno Evangelio reprobatio Iudaeorum et electio Gentium; quod sicut Assuerus abiecit reginam Vasthi et elegit Esther, [59] et sicut ipse Deus repulit tabernaculum Moysi et elegit templum Salomonis, [60] abstulit regnum Israel a domo Saulis et dedit illud domui Davidi; [61] sic ait: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius.*

Deus consilium non mutat sed sententiam,

Licet enim scriptum sit: *Ego . . . Deus et non mutor,* [62] *Ego sum qui sum,* [63] est enim Deus sicut sol, qui nunquam mutatur, semper est idem – homo autem sicut luna mutabilis est, hinc legimus: *Deus non homo est ut mutetur, nec filius hominis ut mentiatur ;* [64] et alibi: *Porro triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur, neque homo est ut poenitentiam agat;* – [65] novit tamen Deus mutare sententiam, etsi non novit mutare consilium. Regius Vates cum Deo verba faciens ait: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, cum perfecto perfectus eris, cum electo electus eris, cum puro purus,* cum pio pius, sed *cum perverso perverteris ; quoniam tu populum humilem salvum facies et oculos superborum humiliabis:* [66] cum perverso pervertes tete, luctatorem ages ut colluctatorem tuum et antigonistam deicias in terram. Sic Dominus ait: *Si . . . ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam;* [67] si contra me contendere volueritis veluti in agone, ego quoque contendam contra vos. Ex hebraico verti potest: Si ambulaveritis mecum a casu, ego quoque ambulabo vobiscum a casu; quales eritis mecum, talis ero vobiscum, instar speculi quod pulcram ornatamque mulierem pulcram et ornatam ostendit, deformem autem et sordidam similiter repraesentat, unumquodque quale est: *Eadem . . . mensura qua mensi fueritis,* ait Dominus, *remetietur vobis.* [68]

quia haec pendet a voluntate humana:

Sic Deus reprobavit Iudaeos quos elegerat, motus impietate

59) Cf. Est 2, 15-17. 60) Cf. 3 Rg 9, 3; 2 Par 7, 12-16. 61) Cf. 1 Rg 13, 13-34; 15, 26-28; 28, 16-17. 62) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego... Dominus,* etc. 63) Ex 3, 14. 64) Nm 23, 19. Vulg.: *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur.* 65) 1 Rg 15, 29. Vulg.: *Ut agat poenitentiam.* 66) Ps 17 (hebr. 18), 26-28. 67) Lv 26, 23-24. 68) Lc 6, 38.

eorum. Sicut quaesivit Sara ab Abrahamo ut a domo sua eiceret ancillam Agar una cum filio Ismaele, eo quod Ismael persequebatur Isaacum, fuitque voluntas Sarae divina sententia coelestique oraculo comprobata, [69] sic tandem divina iustitia institit ut Deus eiceret a domo sua synagogam una cum populo Iudaeorum propter impiam persecutionem et mortem illatam unigenito Filio Dei: *Hic est heres, venite, occidamus eum et habebimus hereditatem eius.* Sed ecce sententia: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* [70]

hinc elegerat synagogam, sed ob impiam voluntatem Iudaeorum postea reprobavit.

VI. Habemus in hodierno Evangelio opera tum misericordiae et bonitatis Dei, tum etiam opera iustitiae et severitatis. Primo quidem opera bonitatis et misericordiae, nam propterea dicitur Deus *homo... paterfamilias*, quia *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei*; *paterfamilias* propter bona naturae: *Nunquid non ipse est pater tuus qui possedit... et fecit et creavit te?* [71] Sed *qui plantavit vineam* conferens bona gratiae: fidem, spem, caritatem, divinam legem, sic fide et spe eduxit populum de Aegypto legemque dedit in deserto, [72] *sepem circumdedit ei*, Angelorum custodiam, sicut legimus quod, Pharaone cum potentissimo exercitu insequente populum, Angelus Domini nubem opposuit tanquam murum in Israelis defensionem securamque custodiam; [73] *aedificavit turrim* tabernaculi ac templi, domum orationis dedit: *Turris fortissima nomen Domini*; [74] torcular sacrificiorum et sacramentorum legis, *et locavit eam agricolis*, Moysi et Aaroni, principibus et sacerdotibus. Haec omnia magna fuerunt beneficia populo divinitus collata.

Ostendit quoque opera Dei tum misericordiae tum iustitiae erga synagogam.

Et quidem in hodierno Evangelio, fratres, videre licet divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis Dei, ut P a u l u s ait divinam ostendens benignitatem, qua peccatores expectat ad poenitentiam; [75] divitias bonitatis in multis magnisque beneficiis, divitias vero patientiae et longanimitatis et benignitatis in longas sufferentias talium ac tantarum iniuriarum.

Sed adhuc magis elucet patientia et longanimitas divinae bonitatis

Dominus huius vineae princeps est, rex est: *Auferetur a vobis regnum Dei.* Principes et reges sunt sicut leones. Caveat quis ne eos

69) Cf. Gn 21, 9-14. 70) Mt 21, 41. 71) Dt 32, 6. 72) Cf. Ex 19, 16-20, 1 sqq. 73) Cf. ibid. 14, 8-20. 74) Prv 18, 10. 75) Cf. Rom 2, 4.

In perpessione talium ac tantarum iniuriarum,

tangat! quia nec minimam ferre possunt iniuriam, statim crimen laesae maiestatis tanquam divinum numen obiectant. Non sic Deus: locaverat vineam agricolis; advenit autumnus fructuum tempus; expectat ut agricolae afferant ei fructus: proventus vineae non afferunt; mittit servos ad percipiendos fructus: dimittunt vacuos et maletractatos. Quis principum hanc ferre potuisset iniuriam? Ut princeps mittat ministros suos in aliquam civitatem ad percipienda tributa regia, rectores autem civitatis nullo cum honore recipiant principis ministros, imo vacuos, inhonoratos, dedecore affectos dimittant, et princeps hanc ferat iniuriam?

ut nonnisi ad extremum provocatus de improbis et ingratis vindictam sumere decernat.

Tulit autem Deus semel atque iterum; tardus namque ad iram est,[75a] sicut de rhinoceronte naturales dicunt; sed cum ita valde irritatus exarserit, ferocissimus est ac pene implacabilis.[76] Sic, inquam, Deus. Sic hodie primam quidem, licet magnam, tulit aequo animo iniuriam, tulit et alteram multo maiorem; tertiam tamen ferre non potuit, maximam, insupportabilem: crudelem occisionem unici filii. Hinc ait: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis.* Sic P a u l u s homini in peccatis perseveranti ait: *An divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis eius contemnis... quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te expectat? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.*[77]

Hanc divinae irae severitatem considerare debemus, ne abutamur infinita Dei bonitate.

Considerans P a u l u s *ad Romanos* mysterium hodierni Evangelii, reprobationem, inquam, Iudaeorum et electionem Gentium, ait: *Vide... bonitatem et severitatem Dei, severitatem quidem in eos qui ceciderunt, bonitatem autem in te... si tu permanseris in bonitate; alioquin et tu excideris.*[78] Bonitatem Dei, idest maximam et infinitam, considera, inquit, o homo, natura gentilis, per gratiam et misericordiam Dei fide donatus, et vide ne abutaris gratia et misericordia Dei; alioquin, inquit, sicut cum Iudaeis egit Deus, ita tecum quoque aget, si operibus malis similis eis fueris.

75a) Cf. Iac 1, 19. 76) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 2, cp. 20, pag. 21; Aldrovandus Ulysses *De Quadrupedibus Solipedibus*, lib. 1, cp. 6, pag. 402. 77) Rom 2, 4-6. Vulg.: *An divitias bonitatis eius... ad poenitentiam te adducit*, etc. 78) Ibid. 11, 22. Vulg.: *In eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem*, etc.

VII. Ostendit quidem hodiernum Evangelium, fratres, quod Deus invitus ac veluti per crines, ut dici solet, [79] trahitur ad indignationem et vindictam; sed tamen, cum iratus fuerit, *horrendum est incidere in manus* [80] eius. Quo ostendit hodiernum Evangelium de Christo: alterum est quod pater est piissimus, infinitae humanitatis et benignitatis; deinde quod lapis durissimus est: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli ... Qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem vero ceciderit conteret eum.* [81] Saepe nanque Deus in Scripturis Sanctis appellatus est *lapis;* [82] simul et Christus Deus est misericors et clemens, multae misericordiae et veritatis, sed tamen *visitans iniquitatem ... in tertiam et quartam generationem,* [83] sceptrum habet ferreum ad confringenda vasa fictilia. [84]

Tandem ostendit hodiernum Evangelium Deum patrem piissimum, sed simul lapidem durissimum.

Cum Isaias locutus fuisset de vinea Domini faciente pro uvis labruscas divinamque contra eam tulisset sententiam, post pauca ait: *Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis ... et quasi vinculum plaustri,* sive plaustrum vinculo, *peccatum.* [85] Sciendum autem quod per iniquitatem et peccatum aliquando poena peccati intelligitur, sicut dixit Saul pythonissae. [86] Plaustrum autem onustum magna vi trahitur a bobus; sic, inquit, multi veluti per vim trahunt ad se indignationem et iram Dei: *Thesaurizas tibi iram in die irae,* perseverando in peccatis: *Expectavi ut faceret uvas et fecit labruscas,* iniquitatem pro iudicio et clamorem, querelam pro iustitia.

peccatum enim iram et indignationem Dei provocat.

Declarat autem praecipuum fructum iniquitatis esse avaritiam, hinc statim subiungit: *Vae qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci! Nunquid habitabitis vos soli in terra?* [87] Avaritiae autem carnis voluptates adiungit: *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et portandum usque ad vesperam ... cithara et lyra ... in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opus manuum eius consideratis.* [88]

Primus fructus iniquitatis avaritia est.

Sic in hodierno Evangelio avaritia proponitur causa malorum omnium: *Hic est heres, venite, occidamus eum et habebimus hereditatem*

79) Modus vulgaris loquendi italicus. 80) Hebr 10, 31. 81) Mt 21, 42-44.
82) Cf. Ps 117, 22; Is 8, 14; 28, 16; 30, 30; Zach 3, 9; Mt 21, 41-44; Eph 2, 20; 1 Petr 2, 4-7.
83) Ex 20, 5. 84) Cf. Ps 2, 9; Apc 2, 27. 85) 5, 18. 86) Cf. 1 Rg 28, 10.
87) Is 5, 8. Vulg.: *Soli in medio terrae?* 88) Ibid. vrr. 11-12. Vulg.: *Nec opera manuum*, etc.

quae est causa malorum omnium, sicut fuit reprobationis Iudaeorum.

eius. Isaias veluti causam aperire videtur cur agricolae non dederunt fructus servis patrisfamilias, quare traxerunt contra se iram Dei: *Malos male perdet,* sicut plaustrum funibus trahitur: quia servos Dei, Prophetas, divini verbi ministros ,contemnebant dicentes: *Festinet et cito veniat opus eius ut videamus, et appropiet et veniat consilium Sancti Israel et sciemus,* [89] imo quia totum oppositum tenebant eorum quae Prophetae praedicabant, hinc ait: *Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras* in *lucem et lucem* in *tenebras,* etc. [90]

II. ALIA HOMILIA

Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam et sepem circumdedit ei et fodit in ea torcular. [1]

Deus hodie agricola dicitur et Ecclesia eius vinea.

I. Sicut de sancto Noe duo praecipue legimus: alterum quod aedificavit arcam pro salute mundi, [2] alterum vero quod vineam plantavit vinumque ex ea bibit, [3] sic etiam de Deo Moyses duo singularia scribit: quod mundum creavit [4] et quod paradisum plantavit. [5] In hodierno Evangelio Deus *agricola* dicitur: *Qui plantavit vineam,* et *aedificator: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes.* [6] Ecclesia dicitur *vinea Dei* et *aedificium Dei,* sicut Paulus ait: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.* [7] Hinc Ieremias missus a Deo fuit ad aedificandum et plantandum. [8] Quatenus autem vinea est, curat satanas eam destruere, sicut Achab qui vineam Naboth voluit in hortum convertere, promittens ei multo meliorem vineam. [9] Hoc satagit diabolus convertere vineam hanc in hortum deliciarum et voluptatum carnalium. O utinam reperiatur quis sicut alter Naboth, qui mortem potius subire voluit quam vineam suam dare impio regi! [10] Curat satanas et pro viribus satagit convertere vineam Dei in vineam Sodomorum, cuius uva est *uva fellis* et botrus amarissimus, vinum autem *venenum aspidum insanabile.* [11]

quam satanas subvertere conatur.

89) Ibid. vr. 19. 90) Ibid. vr. 20.

1) Mt 21, 33. 2) Cf. Gn 6, 14 sqq. 3) Cf. ibid. 9, 20. 4) Cf. ibid. 1, 1 sqq. 5) Cf. ibid. 2, 8-14. 6) Mt 21, 42. 7) 1 Cor 3, 9. 8) Cf. Ier 1, 10. 9) Cf. 3 Rg 21, 1-2. 10) Cf. ibid. vrr. 3-14. 11) Dt 32, 32-33.

Quilibet nostrum vinea Domini est.

II. Quilibet nostrum, fratres, vinea Domini est, quilibet nostrum Dei opus, Dei factura est. Apostolus ait: Quis unquam plantavit vineam et fructus eius non comedit?[12] Deus est, o homo, qui corpus tuum formavit, qui animam inspiravit, qui vitam, qui sensus, qui membra omnia dedit; ipse plantavit cor in pectore, cerebrum in capite, oculos in facie, linguam in ore, manus in corpore, intellectum mentemque in anima. An non dignum est, fratres, ut de fructibus vineae huius percipiat comedatque?

reddere ergo debemus fructus ei qui nos plantavit.

Sed ad quid vineam hanc plantavit? *Expectavit ut faceret uvas,* expectavit *iudicium . . . et iustitiam.*[13] Sic enim ad similitudinem Dei conditus homo est,[13a] ut virtutibus Deo sit similis. Qui iustificat se, *iustus est, sicut et ille iustus est;*[14] qui iustificat se, sanctus est, *sicut et ille sanctus est.*[15] Mittit servos suos Deus unicuique nostrum ad percipiendos fructus iustitiae; quid enim aliud sunt divinae inspirationes cordi immissae? quid voces praedicatorum? quid monitiones sacerdotum ac patrum spiritualium? quid lectiones sanctorum librorum? Et tandem Christus ipse ad ostium stat et pulsat.[16] Utinam, fratres, aperiamus ei, utinam ei fructus reddamus, ne eum rursum crucifigamus et ostentui habeamus![17] Ne conqueratur de nobis Deus quod vinea nostra labruscas fecit, non uvas dulces et suaves, ne tandem contra nos damnationis et mortis sententiam ferat: *Malos male perdet . . . Auferetur a vobis regnum Dei!*[18]

Cavendum nobis est a peccatis quae cum gratia fidem etiam aliquando auferunt.

III. Aliquando, fratres, peccata eo ducunt homines, ut una cum gratia fidem etiam auferant, nam: *Impius cum in profundum venerit . . . contemnit.*[19] Sunt enim in peccatis gradus. Regius Vates ait: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,* sive improborum, *et in via peccatorum non stetit et in cathedra pestilentiae non sedit,* sive *in habitatione irrisorum non habitavit.*[20] Gradus sunt: ambulavit, stetit, habitavit, sive sedit; improbos, peccatores, irrisores. Siquidem eo devenit aliquando homo, ut omnia rideat, sanctos divini verbi ministros doctoresque et magistros vitae spiritualis irrideat. Hanc ob causam Apostolus *Timotheo* scribit dicens: *Hoc praeceptum commen-*

12) Cf. 1 Cor 9, 7. 13) Is 5, 2-7. 13a) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 14) 1 Io 3, 7. 15) Ibid. vr. 3. 16) Cf. Apc 3, 20. 17) Cf. Hebr 6, 6. 18) Mt 21, 41-43. 19) Prv 18, 3. 20) Ps 1, 1. Ex hebraico.

do tibi, fili Timothee . . . ut milites . . . bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt. [21]

amissa autem fide, nulla relinquitur spes salutis.

Auditis, fratres, auditis quod mala conscientia fidem destruit, arefacit, eradicat? Sic haeretici libertatem carnis adamantes omnia rident atque irrident, cum gratiam Dei in luxuriam converterint. [22] Quandiu radix, fides, viret vivitque, spes aliqua salutis est, sicut mercatori, licet bona sua dilapidaverit, si tamen fidem apud alios mercatores in foro non amisit, spes aliqua est ut in pristinam redeat fortunam.

Colenda ergo haec vinea est, recognoscendo Dei beneficia naturalia et supernaturalia,

Ne igitur, fratres, perseveremus in peccatis, ne tradat nos Deus *in reprobum sensum,* [23] in potestatem satanae; sed colamus vineam animae nostrae, agamus dignos fructus poenitentiae, [24] agnoscamus divinam erga nos bonitatem, humanitatem, beneficia creationis et conservationis, generalia et particularia omnia, quae tum ad naturam, ad corpus et animam vitamque naturalem spectant, nam sic est *paterfamilias ;* deinde quae ad gratiam, qua plantavit vineam fidei in optimo solo animae, animi et cordis nostri custodiam angelicam et protectionem divinam, Sacramenta gratiae et donum orationis. An non magnum, imo maximum beneficium est Poenitentiae sacramentum, quod nos Deo reconciliat? Gratia semel amissa apud principem ob crimen laesae maiestatis vix reparari potest; Deus autem cum sit *rex regum et Dominus dominantium,* [25] *praestabilis* est *super malitia.* [26]

ne sicut agricolae hodierni Evangelii in malo perseverantes in manus Dei incidamus.

O utinam fratres, agricolae isti hodie post primam et secundam iniuriam resipuissent, petissent veniam! Salvi fuissent. Sed quoniam in peius semper profecerunt, lata fuit contra eos perditionis sententia: *Malos male perdet.* Si quando vel per infirmitatem carnis, vel per ignorantiam peccas, frater, ne perseveres in peccato, surge protinus et confuge ad poenitentiam; nam si perseveraveris, tandem incides in manus Dei: *Secundum . . . duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae.* [27]

IV. Similem parabolam proposuit D i v i n u s v a t e s I s a i a s dicens: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei ; et sepivit eam et*

21) 1 Tim 1, 18-19. 22) Cf. Iud vr. 4. 23) Rom 1, 28. 24) Cf. Mt 3, 8.
25) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 26) Ioel 2, 13. 27) Rom 2, 5.

lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam et aedificavit turrim in medio eius et extruxit in ea torcular, et expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. [28] Declaravit autem V a t e s ipse parabolam suam dicens: *Vinea . . . Domini exercituum domus Israel est et vir Iuda germen eius delectabile; et expectavit ut faceret iudicium et ecce iniquitas . . . iustitiam et ecce clamor.* [29] Sic et Christus hodie: *Auferetur a vobis regnum Dei,* idest Ecclesia, in qua Deus per fidem regnat; ubi autem vera fides non est ibi non potest vera esse in hoc mundo Ecclesia, sed *synagoga satanae.* [30]

Similem parabolam proposuit Isaias,

Per I s a i a m Deus, proposita vineae parabola, ab ipsis Iudaeis quaesivit ut iudicarent ferrentque sententiam quid agendum esset de vinea: *Nunc ergo, habitatores . . . et viri Iuda, iudicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci . . . ? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas ?* [31] Sic Christus hodie a Iudaeis petit iudicium proposita parabola: *Quid faciet* dominus *agricolis illis ?* [32]

et sicut Christus ab ipsis Iudaeis quaesivit sententiam;

Sed in hoc differunt, quod per I s a i a m Dominus tulit sententiam contra vineam: *Ostendam vobis quid ego faciam vineae meae : auferam sepem eius, et erit in direptionem ; diruam maceriam eius, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam; non putabitur et non fodietur et ascendent vepres et spinae, et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* [33] Sed in hodierno Evangelio sententia fertur contra agricolas: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* [34] Sed sicut idem Christus vitis et agricola est, ita spiritualiter idem homo vitis huius vineae et vinitor est, sicut idem homo templum Dei est, altare, sacrificium et sacerdos. Idem ergo est, sive contra vineam sive contra vinitores feratur sententia.

sed Isaias tulit sententiam contra vineam, Christus vero contra agricolas.

V. Inter haec autem hoc mihi quaerendum videtur: quid est quod I s a i a s ait: *Vinea . . . Domini exercituum domus Israel est, et vir Iuda germen eius delectabile :* [35] נְטַע שַׁעֲשׁוּעָיו [36] *plantatio deliciarum eius ?* sicut: *Deliciae meae esse cum filiis hominum;* [37]

Vinea haec ab Isaia dicitur vinea deliciarum Dei,

28) 5, 1-2. Vulg.: *Et torcular construxit in ea,* etc. 29) Ibid. vr. 7. 30) Apc 2, 9.
31) 5, 3-4. 32) Mt 21, 40. 33) 5, 5-6. 34) Mt 21, 41. 35) 5, 7.
36) Ms.: *Nethah scahaschuau.* 37) Prv 8, 31.

וְשַׁעֲשֻׁעַי אֶת־בְּנֵי אָדָם.[38] Quid est *vinea deliciarum* Dei? Paradisus terrestris dicitur quidem locus voluptatis,[39] hortus deliciarum, sed non Dei; vinea autem haec *vinea deliciarum* Dei, paradisus Dei: *Hortus conclusus... emissiones tuae paradisus.*[40] Dicitur *vinea deliciarum* Dei, quia pro voluptate et ad voluptatem, non pro necessitate plantata est a summo rege; sicut etiam de mundi creatione ait Divina Sapientia: *Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum;*[41] non enim pro necessitate creavit Deus mundum: *Bonorum meorum non eges,*[42] sed pro voluptate. *Vinea deliciarum* Dei, quia vinea magna, in loco pulcherrimo et optimo, ex optimis propaginibus vitibusque plantata: *Ego... plantavi te vineam electam;*[43] *Plantavit eam electam;* vineam cuius aspectu et cultu maxime delectatur.

quia magna et in loco pulcherrimo pro voluptate plantata et optime instructa.

Magnifice Divina Scriptura loquitur de Ecclesia Dei: si coelum, dicitur *coelum Dei: Videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti;*[44] si mons, *mons Dei: Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus... mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo;*[45] si civitas, *civitas Dei: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei;*[46] *Fundatur exultatione universae terrae... civitas regis magni;*[47] si paradisus, *paradisus Domini;*[48] si tandem vinea, *vinea deliciarum* Dei. In vinea regia prope regale palatium, qua rex magnopere delectatur, summa adhibetur diligentia ut reperiantur omnia quae vel ad commoditatem, vel ad pulcritudinem et ornatum requiruntur.

Magnifice S. Scriptura de Ecclesia loquitur;

Vinea multitudo vitium est uno in fundo plantatarum; sic Ecclesia multitudo fidelium. Quilibet fidelis vitis est: *Vir Iuda germen eius delectabile, plantatio deliciarum.* Si vitis quaelibet deliciarum plantatio est, idest pulcherrima optimaque, quid erunt omnes simul? Si quaelibet fidelis et sancta anima hominis iusti, Deo cari, sponsa pulcherrima et ornatissima est, quale spectaculum videre tot sponsas ad miraculum pulcras et muliebri mundo ornatas? Quale spectaculum videre tot stellas in coelo? Sic *vinea* est *deliciarum* Dei.

sed quilibet fidelis debet esse vitis pulcherrima huius vineae,

38) Ms.: *Veschahascuhai et bene Adam.* 39) Cf. Gn 2, 8. 40) Ct 4, 12-13. 41) Prv 8, 29-31. 42) Ps 15, 2. 43) Ier 2, 21. 44) Ps 8, 4. 45) Ps 67, 16-17. 46) Ps 86, 3. 47) Ps 47, 3. 48) Cf. Ez 28, 13; 31, 8-9; Ap 2, 7.

quia sicut delectatur princeps in aspectu vineae suae et in spe vindemiae,

Magna afficitur delectatione princeps cum videt a se suis manibus plantatas cultasque vites crevisse evenisseque pulcherrimas, summoque cum desiderio uvas expectat: *Expectavit*, inquit, *ut faceret uvas*. Recreatur princeps in vinea sua aspectu plantarum, viriditatis florum, auditu cantus avium, odore, nam: *Vineae florentes dederunt odorem suum;* [49] sed supramodum spe nutritur uvarum futurae vindemiae et musti quae ex ea percepturum se sperat.

sic summopere delectatur Deus virtutibus nostris;

Deus summopere virtutibus delectatur: expectavit *ut faceret iudicium* et *iustitiam;* vitia et peccata [50] odit et execratur: *fecit labruscas*, uvas putidas, quas homo abominatur: *ecce iniquitas* ... *ecce clamor*, hinc ait: *Auferam sepem eius, et erit in direptionem ; diruam maceriam eius, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam.*

odit autem peccatum, quod destruit regnum eius.

Auferetur a vobis regnum Dei. Ostendit Dominus quod peccatum aliquando in causa est ut homo ad talem tantamque mentis caecitatem deveniat, talibus tenebris obscuretur cor, ut fidem etiam amittat, sicut fidem amisit synagoga Iudaeorum: *Auferetur a vobis regnum Dei*, idest fides vera per quam Deus in nobis regnat; ablato autem hoc regno, *malos male perdet.*

III. ALIA HOMILIA

Exhibetur hodie velut arena certaminis ubi

I. Vinea hodierni Evangelii Circus Flaminius vel Campus Martius videtur pro monomachiis, ubi athletae valentissimi mirando confligebant et contendebant duello; [1] sicut paradisus duelli campus fuit Adamo et serpenti antiquo, [2] desertum Christo et satanae. [3] Aer

49) Ct 2, 13. 50) Ms.: *Peccatos.*

1) Circus Flaminius Romae erectus a C. Flaminio a. 583 post U. C., ludis plebeis et tauriis habendis. Cf. Io. Perin *Onomasticon*, sub voce: *Flaminius*. Campus Martius locus planus extra Urbem, prope delubrum Martis paratus, ubi campestres exercitationes et gymnasticae fiebant, et interdum maiora comitia popularia ad eligendos magistratus et consules convocabantur. Cf. Forcellini *Lexicon Tot. Latin.*, sub voce: *Campus*. 2) Cf. Gn 3, 1-6. 3) Cf. Mt 4, 1-11; Mc 1, 13; Lc 4, 1-13. In margine haec adiecta fuerunt: « Sicut vallis Terebinthi, in qua David cum gigante philisthaeo pugnavit vicitque. Multis sacris symbolis et hieroglyphicis designatur Ecclesia in Divinis Scripturis. Nunc *coelum* dicitur: *Multiplicabo semen tuum sicut stellae coeli; Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum*, etc., nunc *terra promissionis*, nunc *paradisus deliciarum* Dei, nunc *palatium*, nunc *civitas regis magni*, *regnum Dei: Auferetur a vobis regnum Dei*. Sed praecipue *vinea* appellatur, sed vinea quae regnum valet, ideo vinea et regnum dicitur ».

contendunt Dei bonitas et humana perversitas.

in aurora campus est quo lux et tenebrae invicem confligunt; et vere aestas et hiems intrant hodie ut in agone contendant, duae valentissimae et bellicosissimae Amazones,[4] quarum altera est Dei bonitas, altera mundi malitia, humana perversitas; patronus illius Christus est, patronus huius satanas.

Pugnat divina bonitas primo armis misericordiae,

Cernitur in hodierno Evangelio summa Dei bonitas erga mundum et infinita mundi malitia hominumque perversitas contra Deum. Pugnat divina bonitas contra mundi malitiam armis primo quidem misericordiae, deinde vero armis iustitiae; mundi autem malitia pugnat contra Deum armis iniustitiae et impietatis. Egreditur in campum hunc divina bonitas infinita cum humanitate: *Homo erat paterfamilias;*[5] *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus;*[6] ostendit divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis suae,[7] his enim armis usus est hodie ad humanum cor evincendum. Sed quod misericordia et clementia efficere minime potuit, effecit severa iustitia: *Malos male perdet;*[8] *Secundum . . . duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei.*[9]

deinde severae iustitiae.

Homo necesse est ut vincatur: vel voluntarie cedit misericordiae, vel vincetur a iustitia.

Omnis homo necesse est ut vincatur a Deo in hoc agone; qui non vincitur nec cedit armis misericordiae totum se Deo dedens, procul dubio vincetur armis iustitiae: *Malos male perdet.* Lapis est durissimus et potentissimus ad confringenda atque conterenda omnia vasa fictilia: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes hic factus est in caput anguli . . . Qui ceciderit super lapidem istum confringetur* malis temporalibus in hac vita, *super quem vero ceciderit conteret eum*[10] malis aeternis in futuro saeculo, sicut lapis durissimus magnusque potest vasa omnia fictilia perdere, si in eum allidantur. Sic utique Deus omnes homines.

II. Divus Paulus ostendit nos omnes positos esse in certamine: *Non coronabitur nisi* qui *legitime certaverit;*[11] *Induite vos*

4) Alludit ad mythologiam quae finxit quasdam feminas viribus potentissimas et bellicosas, quae in Graeciam irruperant, sed a Theseo postea debellatae fuerunt. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 7, cp. 9, pag. 626; Plutarchus *Illustrium Vitae*, f. 4ᵃ. 5) Mt 21, 33.
6) Tit 3, 4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit*, etc. 7) Cf. Rom 2, 4.
8) Mt 21, 41. 9) Rom 2, 5. 10) Mt 21, 42-44. 11) 2 Tim 2, 5. Vulg.: *Non coronatur*, etc. *Non coronabitur* lect. cod

armaturam Dei, ut possitis stare contra insidias diaboli, quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, etc. [12] Imo mundus iste vallum certaminis est, in quo pugnat divina bonitas contra mundi malitiam: *Sensus enim et cogitatio cordis humani ad malum prona sunt ab adolescentia.* [13] Dedat se homo in hoc certamine, cedat, vinci se sinat a divina misericordia, ne vincatur a divina iustitia.

Omnis homo certator est; vinci se sinat a misericordia, ne vincatur a iustitia.

Magna adeo ostenditur hodie humana perversitas, ut Deus ipse miretur: *Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci . . .? Quare expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas?* Expectavit *iustitiam, et ecce clamor*, quaerelae, lamentationes; *iudicium, et ecce iniquitas,* [14] iniqua oppressio, perversum iudicium. *Ego,* inquit per I e r e m i a m , *plantavi te vineam electam, omne semen verum ; quomodo . . . conversa es mihi in pravum, vinea aliena?* [15] Quomodo facta es ex *vinea Domini exercituum* [16] *vinea Sodomorum?* [17] I s a i a s ait: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua; principes tui infideles, socii furum.* [18] Tam magna est hominum in hoc mundo malitia, quae cum divina bonitate contendit, ut Deus ipse miretur. Mirabile est quomodo possit homo abuti donis et beneficiis Dei iugiter contra Deum, et diu in impietate hac perseverare. [19]

Adeo magna ostenditur hodie humana perversitas, ut Deus ipse mirari videatur.

12) Eph 6, 11-12. Vulg.: *Adversus insidias diaboli, quoniam*, etc. 13) Gn 8, 21. Vulg.: *Humani cordis in malum*, etc. 14) Is 5, 4-7. Vulg.: *An quod expectavi... et fecit labruscas*, etc. 15) 2, 21. 16) Is 5, 7. 17) Dt 32, 32. 18) 1, 21-23.
19) Codex hic habet: « Sabbato post Dominicam Secundam Quadragesimae », sed tribus foliis albis relictis, transitur ad Dominicam sequentem.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, etc. [1]

Magnam virtutem habuerunt Moyses contra Pharaonem, Samson contra Philisthaeos, David contra gigantem;

I. Sicut arca Dei in Palaestina Dagon, deum Philisthaeorum, deiecit ac prostravit in terram, [2] ita Christus hodie, arca Dei viventis, prosternit satanam principem daemoniorum, principem mundi huius: *Nunc iudicium* huius *est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras.* [3] Arca nanque illa divinitatis locus erat, thesaurus erat virtutis divinae. Sic Christus divina potestate plenus videtur hodie contra satanam. Magnam virtutem dedit Deus Moysi contra Pharaonem et Aegyptum in salutem Hebraeorum: *Constitui te deum Pharaonis;* [4] sic Pharaonem et Aegyptum universam humiliavit Moyses; [5] magnam virtutem dedit Davidi contra gigantem philisthaeum; [6] magnam virtutem, mirabilem, supernaturalem, divinam Samsoni adversus Allophylos; [7] soli magnam virtutem ad pellendas tenebras.

sed maiorem habuit Christus contra principes tenebrarum.

Christus verus est Samson, qui sol interpretatur, unde Christi facies resplenduit ut sol; [8] daemones autem *principes tenebrarum* dicuntur. [9] Ita potens Christus contra daemones sicut sol contra tenebras, ventus contra fumum, sicut turbo vehementissimus in mari contra navium classem: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* [10]

In Sacris Litteris magna praedicatur potentia Dei, magna et potentia satanae. Appellatur Deus אֵל שַׁדַּי, [11] Deus omnipotens, Deus sufficiens: *Non erit impossibile apud Deum*

1) Pericope huius diei Lc 11, 14-28. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 3) Io 12, 31. 4) Ex 7, 1. 5) Cf. ibid. 14, 22 sqq. 6) Cf. 1 Rg 17, 40-51. 7) Cf. Idc 15, 3-16, 1 sqq. 8) Cf. Mt 17, 2. 9) Cf. Lc 22, 53; Eph 6, 12; Col 1, 13. 10) Ps 47, 8. 11) Cf. Gn 17, 1; Ex 6, 3. Ms.: *El sadai.*

In S. Scriptura magna praedicatur potentia Dei,

omne verbum. [12] Angelus Abrahamo dixit, cum ei centenario ex Sara nonagenaria filium promisit: הֲיִפָּלֵא מֵיְהוָה דָּבָר: [13] *An mirabile* vel *difficile erit Deo aliquid?* [14] Sic appellatur *Dominus exercituum,* [15] idest multo potentior quibusvis exercitibus potentissimis vel hominum vel Angelorum. Ostendunt divinam potentiam innumera Dei opera et miracula.

magna etiam potentia satanae, sed comparatione Dei nulla est;

In Sacris Litteris praedicatur etiam magna satanae potentiae: *Non est potestas super terram quae comparetur ei ;* [16] appellatur *gigas,* [17] dicitur *leo rugiens ;* [18] in hodierno Evangelio *princeps daemoniorum,* [19] *fortis armatus.* [20] Sed tamen Dei comparatione nulla est ipsius potentia. Christus homo divinus multo fortior satana est: *Fortior eo superveniens vicerit eum.* [21]

Christus enim eum expulit de paradiso coelesti et terrestri, de mundo et de homine

Magna ostenditur potentia satanae, sed contra regnum Dei, in perniciem hominum, ut patet in historia Iob, [22] patet etiam hodie in miserabili hoc daemoniaco; sed, contra, Christi potentia magna est, verum in salutem hominum et contra satanam, sicut hodie luce clarius cernimus: *Erat eiciens daemonium.* Eiecit illum de paradiso coelesti, [23] eiecit de terrestri, [24] eiecit de mundo per destructionem idololatriae, eiecit ex animabus hominum per iustificationem, eiecit ex corporibus obsessis per sacros exorcismos, tandem in infernum deiciet.

Cithara David figura sacratissimae humanitatis Christi,

II. Videtur hodie Christus Dominus mystica illa Davidis cithara esse, cuius sonus spiritum nequam, qui Saul regem vexabat, mirabiliter eiciebat. [25] O mirabilem virtutem! Erat sonus ille veluti sacratissimus et efficacissimus exorcismus contra daemonem, sed a David pulsata, David enim hebraice interpretatur a m o r . *Deus caritas est,* [26] et nomen David arithmetica ratione, iuxta secretiorem Hebraeorum theologiam, virtute continet divinum nomen tetragrammaton, sicut quaternarius denarium continet. [27] Cithara illa sacratissimam

12) Lc 1, 37. 13) Ms.: *Hippale meiehovah dabar.* 14) Gn 18, 14. 15) Saepe in Scriptura saepissime in Ieremia. 16) Iob 41, 24. Vulg.: *Non est super terram potentia,* etc. 17) Ps 32, 16. 18) Cf. Ps 7, 3; 21, 22; 2 Tim 4, 17; 1 Petr 5, 8. 19) Cf. Lc 11, 15. 18-19. 20) Cf. ibid. vr. 21. 21) Ibid. vr. 22. 22) Cf. Iob 1, 9-2, 1-8. 23) Cf. Is 14, 12; Lc 10, 18; 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 24) Cf. Gn 3, 14-15. 25) Cf. 1 Rg 16, 41 sqq. 26) 1 Io 4, 8. 16. 27) Ut hoc intelligatur, resolvenda sunt nomina יהוה et דוד, et arithmetica ratione iterum componenda. Arithmetice enim utrunque nomen idem

humanitatem Christi designabat; nam si satanas sacram musicam odit, quia imaginem refert concentus Angelorum in paradiso – *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te!* [28] *Audivi vocem in coelo .... sicut citharoedorum citharizantium in citharis suis,* [29] – Christi sacratissima humanitas verus paradisus erat. Vox animae Christi divinis auribus dulcior erat atque suavior omni Angelorum concentu. Sic hodie sonus divinae huius citharae eiciebat daemonium: *Erat Iesus eiciens daemonium.*

quae verus paradisus erat coelestium concentuum.

Gentium poetae finxerunt Apollinem cum lyra ad designandam coelestem harmoniam; [30] Mercurio etiam lyram dederunt trichordem, aut quatrichordem, propter quattuor anni tempora. [31] Mundus hic nonnisi lyra quaedam est in manu Dei; magnus mundus magna lyra, parvus mundus parva cithara. Novem chordae magnae lyrae novem ordines Angelorum. Satanas chorda fuit dissona, nimium acuta, dissonantiam faciebat, disrupta fuit proiectaque in terram. In *Apocalypsi* legimus quod viginti quattuor seniores citharas in manibus tenebant, quibus Deum laudabant. [32]

Mundus etiam quaedam cithara est, cuius satanas chorda dissona fuit.

Significat autem cithara beatitudinem, quae septem dotibus constat: tribus animae et quattuor corporis; nam ipsa etiam humana vita lyra est et cithara septichordis: vegetativa, motiva, sensitiva, aestimativa, intellectu, memoria et voluntate constat; gratia item cithara septichordis constans septem virtutibus et septem Spiritus Sancti donis. De beatitudine Christus septem dixit: *Ipsorum est regnum coelorum ... ipsi possidebunt terram ... ipsi consolabuntur ... saturabuntur ... misericordiam consequentur ... Deum videbunt, filii Dei vocabuntur,* et ad primam redit: *Ipsorum est regnum coelorum.* [33]

Cithara mystice significat naturam, gratiam et gloriam.

Christus autem cithara erat mirabilis, triseptichordis, quoniam et naturam et gratiam et gloriam perfectissime, in summo perfectio-

valet. Nomen יהוה arithmetice valet 26; nam:

י = 10, ה = 5, ו = 6, ה = 5; s. t. = 26.

Nomen דוד constat ex duplici quaternario denarium continente et senario, nam:

ד = 4 (10), ו = 6, ד = 4 (10); = s. t. 26.

Dicitur autem quaternarius numerus virtute denarium continere, forte quia antiquitus numerus quaternarius latine signabatur quattuor lineis verticalibus: IIII; aliter autem his lineolis dispositis perficitur denarius: X. Hoc est quod ait etiam Lud. Caelius: « Denarius numerus est quaternarii compositio ». *Lect. Antiq.*, lib. 22, cp. 9, col. 1237. 28) Ps 83, 5. 29) Apc 14, 2. Vulg.: *De coelo*, etc. 30) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 10, pag. 309; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 9, cp. 3, col. 443. 31) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 5, cp. 5, pag. 375; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 9, cp. 1, col. 440-441. 32) Cf. 5, 8. 33) Mt 5, 3-10.

nis gradu continebat. Quam suavem ergo harmoniam reddebat tacta et pulsata a Spiritu Sancto!

Christus cithara mirabilis pulsata a Spiritu S.

Nam Christus Spiritui Sancto tribuit opus hoc eiectionis daemonum: *Si in Spiritu Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* [34] Et hoc est quod ait: Qui peccaverit in *Filium hominis, remittetur ei, qui autem* peccaverit in *Spiritum Sanctum, non remittetur ei nec in hoc saeculo, nec in futuro,* [35] *quia dicitis in Beelzebub eicere me daemonia.* [36] Hoc est peccatum in Spiritum Sanctum, daemoni attribuere divina opera Christi.

David singularis Christi figura fuit.

De David, cum vocatus fuit ad Saul ut eum a spiritu nequam liberaret, septem legimus: *Vidi filium Isai bethlehemitem, scientem psallere et fortissimum robore . . . virum bellicosum et prudentem in verbis, . . . virum pulcrum et Dominus est cum eo.* [37] Filius Isai, qui interpretatur e n s, e x i s t e n s: *Ego sum qui sum;* [38] bethlehemites, d o m u s p a n i s, thesaurus bonorum omnium, qui dat hodie caeco visum, surdo auditum, muto affatum; sciens psallere, quia etiam Angelos in paradiso musicen docuit; fortis robore: *Cum fortior eo superveniens vicerit eum;* vir bellicosus, pugnans contra daemones: *Erat eiciens daemonium;* prudens in verbis: convincit doctissima apologia scribas et Pharisaeos; pulcher aspectu, cuius pulcritudine mota hodie sancta quaedam anima dixit: *Beatus venter qui te portavit;* [39] *Dominus est cum eo: Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit;* [40] et I s a i a s de Christo septem dicit: *Factus est principatus super humerum eius et vocabitur . . . admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater,* [41] etc.; vir sciens psallere: peritus musices Christus, qui novit etiam instrumenta facere et reficere.

Homo etiam cithara quaedam est a satana confracta, sed a Christo refecta.

III. Homo cithara quaedam est septichordis, ex quaternario corporis et ternario animae. [42] Deus formavit hominem: Christus Deus est; sed a satana divinum hoc instrumentum dissolutum fuit, quoniam inimicus est musices sacrae et divinae; dissolvit hanc citharam ne

34) Lc 11, 20. 35) Mt 12, 32. Vulg.: *Neque... neque.* 36) Lc 11, 18. Vulg.: *Me eicere daemonia.* 37) 1 Rg 16, 18. 38) Ex 3, 14. 39) Lc 11, 27. 40) Ibid. vr. 23. 41) 0, 6. 42) Alludit ad veterum philosophorum sententiam iuxta quam corpus componitur quattuor elementis: terra, aqua, aere, igne, quibus respondent quattuor qualitates: siccitas, frigus, humor, calor. Cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim*, pag. 217-219.

eam Spiritus Sanctus in Dei laudem pulsaret; sed Christus refecit hanc citharam. En cithara dissoluta, homo a daemonio obsessus, caecus, surdus, mutus,[43] ad omne bonum impotens, ineptus; sed *cum eiecisset daemonium, locutus est mutus et admiratae sunt turbae.*[44]

Ecclesia quoque cithara est,

Ecclesia etiam Gentium ante conversionem cithara dissoluta erat, incomposita, confracta, Deum verum minime colebat, non agnoscebat, blasphemabat; hodie vero quam dulciter pulsata a Spiritu Sancto auditur: *Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti!*[45] Facta est sicut lyra Apollinis, sicut coelum lyra septiformis per septem planetas,[46] Ecclesia cum septem Sacramentis, septem virtutibus, septem donis.

et Christus mysticus David hanc citharam pulsans,

Vir pulsans citharam David, Christus pulsans citharam Ecclesiae, Deus pulsans citharam mundi cum novem chordis. Erat Lucifer chorda suprema huius citharae, sed valde dissona, nimis alta: *Ascendam in coelum, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo super montes testamenti ... conscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.*[47] Videns summus citharoedus quod ad consonantiam minime reduci poterat, indignatione iusta motus detraxit eum ac in terram proiecit. Hanc ob causam cacodaemones inimici sunt spiritualis ac sacrae musices, quae imaginem refert paradisi.

in eo enim sunt omnes thesauri pulchritudinis et bonitatis divinae.

Pulcher aspectu David; Christus vero est *in quem desiderant Angeli prospicere,*[48] *Splendor gloriae et imago substantiae Dei,*[49] viva effigies veraque ac naturalissima bonitatis ac pulcritudinis Dei, imo thesaurus totius pulcritudinis et bonitatis divinae, veluti si sol vase vitreo ac chrystallino esset inclusus, talis ac tantus esset chrystalli ipsius splendor qualis et quantus solis ipsius. Sic Christus Deus noster, etiam quatenus homo, quoniam thesaurus divinitatis est, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,*[50] summopere amandus ac diligendus est tanquam thesaurus summae ac infinitae beatitudinis.

43) Cf. Mt 12, 22. 44) Lc 11, 14. 45) Ibid.vr. 27. 46) Idest: Sol, Luna, Iupiter, Mars, Mercurius, Venus, Saturnus. 47) Is 14, 13-14. Vulg.: *In coelum conscendam... in monte testamenti... ascendam super,* etc. 48) 1 Petr 1, 12. 49) Hebr 1, 3. Vulg.: *Figura substantiae eius.* 50) Col 2, 9.

II. ALIA HOMILIA

Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus et admiratae, etc. [1]

I. Sicut arca Domini exercituum idolum Dagon, deum Philisthinorum, de loco suo dimovit ac in terram deiecit capite manibusque truncatum, sola praesentia sua, [2] quoniam Deus omnipotens in ea speciali modo inhabitabat eratque divinitatis incomparabilis thesaurus, unde etiam *gloria Domini* et *arca potentiae Dei* dicebatur – cum capta fuit arca a Philisthaeis, ait sancta illa mulier: *Translata est gloria ab Israel, quia capta est arca Domini;* [3] ad quod alludens Regius Vates ait: *Tradidit in captivitatem virtutem suam, potentiam suam, et pulcritudinem, gloriam suam in manus inimici;* [4] arcam Dei appellans *potentiam* et *gloriam Dei*, sicut alibi: *Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam*, idest *potentiam tuam, et gloriam tuam;* [5] et iterum: *Surge Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis, potentiae, tuae,* [6] hinc nanque deducta fuerat in castra ut salvaret exercitum Israel a potentia inimicorum, [7] – sic hodie arca viva omnipotentis Dei daemonium, imo Beelzebub principem daemoniorum, eicit de loco suo; expellit fortem armatum, quoniam fortior eo Christus: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet... et spolia... diripiet.* [8]

Sicut arca Domini in terram Dagon deiecit, quia in ea Deus omnipotens inhabitabat,

sic Christus, arca viva Dei omnipotentis, hodie daemonium expellit.

II. Arca Dei veluti thesaurus erat potentiae et sapientiae Dei, nam in ea tabulae legis asservabantur. [9] Cum enim Deus, qui in ea veluti residebat, potentissimus et sapientissimus praedicetur, sicut de eo Iob ait: *Apud ipsum est sapientia et fortitudo; ipse habet consilium et intelligentiam,* [10] merito arca illa in figura Christi sic dicebatur. Nam haec duo praecipue de Christo praedicantur: *Orietur stella*

Arca figura Christi, de quo praecipue praedicantur potentia et sapientia.

1) Lc 11, 14. 2) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 3) Ibid. 4, 21. Vulg.: *De Israel... arca Dei.* 4) Ps 77 (hebr. 78), 61. 5) Ps 62, 3. 6) Ps 131, 8. 7) Cf. 1 Rg 4, 3-4. 8) Lc 11, 21-22. Vulg.: *Ea quae... distribuet.* 9) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 10) 12, 13.

ex Iacob et exurget virga ex Israel; [11] *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis;* [12] *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis;* [13] *Praedicamus Christum . . . Dei virtutem,* idest potentiam, *et Dei sapientiam.* [14] Hinc praefiguratus fuit in serpente aeneo fugante ac superante venena ignitorum serpentium; [15] in virga Moysi potentissima, quae in serpentem versa devoravit omnes serpentes magorum Pharaonis; [16] praefiguratus in Samsone fortissimo [17] et Salomone sapientissimo; [18] appellatus sol [19] qui simul est splendidissimus et potentissimus, ad naturalia procreanda mirabili virtute praeditus.

De satana etiam duo haec praedicantur.

De satana etiam duo haec praedicantur: sapientia: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terrae;* [20] potentia: *Circuit tanquam leo rugiens;* [21] *Conculcabis leonem et draconem,* [22] sive serpentem. In *Apocalypsi* draco dicitur *habens capita septem et cornua decem,* [23] in capite nanque sapientia consistit et in cornibus potentia; hinc a Christo hodie *fortis* dicitur et *armatus,* fortis potentia et armatus sapientia, astutia. Eius potentia cernitur hodie in misero daemoniaco; eum nanque nedum male vexabat, sicut filiam chananitidis, [24] sed praeter

Ideo vocatur a Christo *fortis* et *armatus;*

ea surdum, mutum et caecum effecerat; [25] astutia in scribis et Pharisaeis, qui spiritu satanico agitati miracula Christi calumniabantur: *In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia,* [26] sicut patres eorum eodem satanae spiritu acti miracula ab omnipotente Deo in salutem populi patrata idolo tribuerunt, dicentes de vitulo aureo: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* [27] Erant hi scribae et Pharisaei sicut serpentes magorum Pharaonis; sed devoravit eos virga Moysi in serpentem versa.

sed ad illum eiciendum venit Christus maiori potentia ac sapientia armatus.

Cum igitur ad hoc venisset Christus in mundum ut satanam de mundo eiceret: *Princeps mundi huius eicietur foras;* [28] *In hoc apparuit Filius* in mundum, *ut dissolvat opera diaboli,* [29] hinc venit sicut arca Dei, thesaurus potentiae et sapientiae: *In ipso complacuit*

11) Nm 24, 17. Vulg.: *Consurget virga de Israel.* 12) Is 11, 2. 13) Ibid. 9, 6. 14) 1 Cor 1, 23-24. 15) Cf. Nm 21, 8-9; Io 3, 14. 16) Cf. Ex 7, 10-12. 17) Cf. Idc 15, 3-16, 1-30. 18) Cf. 3 Rg 3, 11-12; 2 Par 1, 11-12. 19) Cf. Mal 4, 2. 20) Gn 3, 1. 21) 1 Petr 5, 8. Vulg.: *Tanquam leo rugiens circuit.* 22) Ps 90, 13. 23) 12, 3. 24) Cf. Mt 15, 22. 25) Cf. ibid. 12, 22. 26) Ibid. 9, 34; Mc 3, 22; Lc 11, 15. 27) Ex 32, 4. Vulg.: *Hi sunt,* etc. 28) Io 12, 31. Vulg.: *Huius mundi,* etc. 29) 1 Io 3, 8.

omnem plenitudinem inhabitare.[30] Hinc in *Apocalypsi* agnus dicitur habens *cornua septem et oculos septem.*[31]

III. Cum movebatur arca Dei, dicebat Moyses, ut in *Numeris* legimus: *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui et fugiant qui oderunt te a facie tua.*[32] Sic Regius Vates cecinit: *Exurgat Deus et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum a facie eius. Sicut deficit fumus deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Et iusti epulentur et exultent in conspectu Dei et delectentur in laetitia.*[33] Verba illa dicebat Moyses proficiscente arca Dei contra Chananaeos, ad deturbandos expellendosque eos a suis sedibus, cum Israeli promisisset Deus terram ab illis inhabitatam;[34] sed David ad vivam Dei arcam oculos convertens ac figens, Christum contra daemones praecinctum a Deo de mundanis sedibus propulsandos eiciendosque canit.

Christum pugnantem contra daemones cecinit Regius Vates;

Non enim venit Christus ad pugnandum contra homines, *sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.*[35] *Exurgat Deus* humanatus in proelium contra satanam et angelos eius, nam dissipabuntur, fundentur hostes et fugient a facie eius, nec aspectum quidem eius ferre poterunt, sicut nec tenebrae faciem solis; et sicut fumus depellenti vento ut cedat necesse est, nec cera virtuti ignis resistere potest, sic, inquit, *sicut deficit fumus* deficient, sic peribunt *peccatores a facie Dei*, a facie Christi, qui Deus humanatus est. Hinc ait quod *erat eiciens daemonium*, generico nomine, sicut alias daemonum legionem ab obsesso eiecit.[36] *Cum eiecisset daemonium*, principem daemoniorum, fortem armatum, stipatum exercitibus daemonum, sicut Goliath gigas cum a Davide prostratus fuit Philisthaeorum exercitu et copiis munitus erat;[37] nam ad illum forte alludens Christus satanam *fortem* dicit *armatum.* Sic ostendit potentiam suam Christus in satanam, sic illum prostravit.

nam ad hoc venit, ut diabolum de mundo eiceret.

IV. Arca autem Dei non tantum deiecit in terram Dagonem, sed etiam manibus et capite truncavit. In manibus fortitudo et operatio

Sapientissimis rationibus Christus Pharisaeos confutat.

30) Col 1, 19. 31) 5, 6. 32) 10, 35. 33) Ps 67, 2-4. 34) Cf. Ex 3, 17; 6, 4. 35) Eph 6, 12. 36) Cf. Mc 5, 9; Lc 8, 30. 37) Cf. 1 Rg 10, 3-4. 50-51.

consistit, in capite iudicium et sapientia. Christus hodie satanae manus amputavit, non habuit manus ut se defenderet ne a sua habitatione deturbaretur. Sic in *Apocalypsi* legimus satanam ab Angelo ferrea catena ligatum missumque in abyssum. [38] Privavit illum Christus potestate sua, ne posset amplius operari quae ante Christum operabatur signa, mendacia oracula edere; sed et capite truncavit, astutias diaboli vicit, errores confutavit, mendacia ipsius convicit.

a) In regno satanae non sunt divisiones; ergo si ipse satanam eicit, contra satanam est.

Sic hodie Christus sapientissimis rationibus scribas et Pharisaeos satanico spiritu loquentes divinaque ipsius miracula calumniantes confutavit. *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur,* [39] stare non potest; sed stat regnum satanae stetitque ab ipso mundi initio; ergo non sunt divisiones in regno ipsius, non pugnant contra se invicem daemones, sed contra regnum Dei, sicut Chaldaei contra Iudaeos; [40] Philisthaei non in se invicem pugnabant, sed contra Hebraeos ut eos perderent. [41] Alludit Christus ad tibias pedesque statuae Danielis, quae Romanorum monarchiam designabant, [42] perituram propter dissensiones et bella civilia, nam, ut ille ait: « Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur ». [43]

b) Nullus princeps a sua sede deturbatur nisi a potentiore;

Deinde: Num etiam, inquit, exorcistae vestri virtute Beelzebub eiciunt daemonia? De similibus idem necesse est ut sit iudicium, [44] quare iniquitatem vestram ipsi iudicabunt atque damnabunt, cum vos divinitatis opera satanae tribuatis, quod est peccare in Spiritum Sanctum, in ipsum Deum, qui spiritus sanctissimus est. Et quis, inquit, nesciat quod nemo principum a sua sede deturbatur, cum sit magna potentia et vi armorum exercituumque munitus, nisi ab hoste capitali inimico, et quidem potentiore ac callidiore? Sed ego, inquit, daemonia cuiusvis generis eicio ac suis sedibus vi et potentia expello; ergo hostis illorum sum, illis multo fortior et potentior. Omnes Prophetae, omnes Sancti pugnarunt quidem contra satanam, sed de mundo eicere minime potuerunt, mundum idololatria purgare et ad verum Dei cultum perducere, quoniam viribus illis minime praevalebant, sicut nec omnes stellae coeli noctem possunt fugare et in diem convertere; id unus tantum sol potest. Si ergo, inquit, *in spi-*

sed solus Christus daemones quosque expellit;

38) Cf. 20, 1-3. 39) Lc 11, 17. 40) Cf. 4 Rg 25, 1-21; 2 Par 36, 6-21. 41) Cf. 1 Rg 3, 1 sqq. (et alibi in multis locis). 42) Cf. 2, 31-43. 43) Salustius *De Bello Iugurthino*, n. 10. 44) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Beda *Sententiae Philosophicae* ex Arist. collectae (spuria), (P. L. 90, 990).

ritu Dei, virtute et auctoritate, iussu et imperio *daemonia eicio, profecto pervenit in vos regnum Dei*, [45] fatendum est quod *digitus Dei est hic*, [46] quod Messias venit, rex Israel, *Sol iustitiae*, [47] unicus Filius Dei, nam ab effectibus causa cognoscitur: [48] stella quae noctem fugat sol est; ego noctem fugo infernalem, elimino tenebras malignorum spirituum; ergo *Sol iustitiae* sum, faciens solus quod omnes simul Prophetae et Sancti facere minime potuerunt.

ergo ipse fortior satana est et verus Messias.

Et tandem inquit: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.* [49] Qui non est cum Deo, necesse est ut sit contra Deum, et qui non est cum satana, ut sit contra satanam, siquidem inter Dei et satanae regnum non datur medium, sicut nec inter lucis regnum et tenebrarum. Totus mundus secundum spiritum in duo regna divisum est: in regnum Dei et in regnum satanae. Qui Dei servus non est, satanae servit; qui autem cum satana non est, cum Deo necesse est ut sit. At ego, inquit, opera facio quae luce clarius sunt contra satanam, cum daemonia quaecunque a suis sedibus deturbem atque dispellam. Quomodo ergo partes satanae sequor?

c) Non potest esse cum satana qui contra satanam agit; Christi autem opera contra satanam erant.

V. Sic Christus sapientissimis optimisque rationibus convicit scribas et Pharisaeos, ita ut conclusi atque confusi obmutuerint. Hinc sancta quaedam anima admirata cum turbis Christi miracula, infinitam Christi potentiam divinamque sapientiam, extollens vocem ait: *Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti*, [50] beata mater quae mundo Redemptorem et Salvatorem peperit! Sensit haec mulier Spiritum Sanctum per Regium Vatem dicentem post expressam contra daemones victoriam: *Cantate Domino, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei qui ascendit super occasum*, sive *exaltate equitantem coelos, Dominus nomen est illi.* [51] Cecinit sicut Maria soror Moysi cum mulieribus hebraeis canticum Domino, videns Pharaonem cum exercitu suo demersum in mari Rubro: [52] *Dominus dabit verbum evangelizantibus*, sive evangelizatricibus *virtute multa.* [53] Mos erat antiquitus et consuetudo quod mulieres solebant principum victorias

Hinc bene eius potentia ac sapientia laudatur hodie a sancta muliere,

quae Spiritu S. afflata canit eius victoriam contra satanam.

45) Lc 11, 20. Vulg.: *Eicio daemonia*, etc. 46) Ex 8, 19. 47) Mal 4, 2.
48) Axioma philosophicum, de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ᵃ, q. 45, a. 7.
49) Lc 11, 23. 50) Ibid. vr. 27. 51) Ps 67 (hebr. 68), 5. 52) Cf. Ex 15, 20-21.
53) Ps 67 (hebr. 68), 12.

choris et cantibus publice celebrare, sicut fecit Maria soror Moysi cum hebraeis mulieribus, sicut mulieres de Ierosolyma Davidi triumphanti occurrerunt canentes chorosque ducentes;[54] sic mulier haec hodie canit Christi victoriam et triumphum contra satanam et angelos eius afflata Spiritu Sancto, sicut Debora cecinit victoriam Barach contra Sisaram, principem exercitus Moabitarum,[55] sive ait: *Cantate Domino equitanti* בָּעֲרָבוֹת,[56] *in solitudinibus*, idest in deserto, nam ait: *Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.*[57]

Hunc Christi triumphum cecinit etiam Regius Vates, describens triumphum arcae in deserto ob liberatum populum de Aegypto;

Erat namque arca Dei veluti currus triumphalis ipsius Dei, super quam inequitans instar victoris ac triumphantis ducis praecedebat populum: *Currus Dei decem millibus*, μυριοπλάσιον,[58] *decemmillecuplex millia laetantium, Dominus in eis in Sinai, in sancto.*[59] Triumphum Dei describit in deserto ob partas victorias hostesque superatos ac prostratos in Aegypto et in mari Rubro. Multae autem miriades Hebraeorum arcam comitabantur[60] exultantes et sequebantur tanquam invictissimum ac fortunatissimum fortissimumque ducem, nam ecce causa triumphi: *Ascendisti in altum*, לַמָּרוֹם,[61] *in excelsum*, ex humili ac depressa Aegypti regione, *cepisti captivitatem*, liberasti captivitatem, populum in Aegypto captivum sub tyrannide Pharaonis, *accepisti dona in hominibus*,[62] spoliato Aegypto. Sic hodie videmus liberatum hominem a servitute diaboli.

sic enim Christus liberat hominem de potestate diaboli.

Accidit autem huic sicut ait: *Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in pallore auri. Dum discernit coelestis reges super eam nive dealbabuntur in Selmon*,[63] hebraice: *Si iacueritis inter terminos, inter chytripodes*, in maximis angustiis, quales erant Hebraei in Aegypto, nam dicuntur educti de *fornace ferrea*,[64] sordidissimo loco iacebant, sordidissimo ministerio occupati, in maximo vitae et bonorum omnium periculo versantes, liberati a Deo eritis, sicut nitidissima ac pulcherrima columba.

54) Cf. 1 Rg 18, 6-7. 55) Cf. Idc 5, 1-31. 56) Ms.: *Beharaboth*. 57) Ps 67 (hebr. 68), 8. 58) Ms.: *Mirioplasion*. 59) Ps 67 (hebr. 68), 18. Ex Translat. Septuaginta Ps 68, 17. 60) Ms.: *Et adicitur*. 61) Ms.: *Lamaron*. 62) Ps 67 (hebr. 68), 19. 63) Ibid. vrr. 14-15. 64) Dt 4, 20.

III. ALIA HOMILIA

Proponitur hodie mortalis inimicitia inter Christum et satanam,

I. Proponitur in hodierno Evangelio, fratres, antiquum dissidium et mortalis inimicitia inter Christum et satanam, sicut inter Iacob et Esau, [1] Saulem et Davidem regnandi causa. [2] Constitutus fuerat satanas a Deo princeps Angelorum in paradiso, dux et imperator coelestium exercituum; [3] Christus autem homo heres universalis totius regni et imperii Dei: *Gloria et honore coronasti eum... omnia subiecisti sub pedibus pius,* [4] etiam Angelos: *Adorent eum omnes Angeli Dei.* [5] Hoc ferre non potuit Lucifer, sed ait: *In coelum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo,* [6] idest aequalis Deo, sicut Christus homo propter hypostaticam unionem *sedet a dextris Dei.* [7] Hanc ob causam satanas, quoniam rebellionem ac seditionem magnam bellumque civile movit in paradiso, pulsus a Christo fuit cum apostatis angelis, cum omni multitudine cacodaemonum qui adhaeserunt ei. [8]

qui a Christo pulsus de coelo fuit.

De coelo autem eiectus fecit sibi regnum in terra;

Eiectus autem de coelo venit et regnum sibi quaesivit in terra ac per fraudem et dolum, stratagemate usus, occupavit regnum humanae naturae factusque fuit mundi huius princeps, nam: *Venit,* ait, *princeps mundi huius,* [9] et: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eicietur foras.* [10] Sicut autem tyrannus, occupata arce aliqua per fraudem, custodibus pecunia ac promissis corruptis, ingressus in eam omni ex parte fortificat atque communit, ita ut nullus pateat aditus naturali domino eam recuperandi, ita egit satanas, occupato per fraudem homine: *Cum fortis armatus custodit atrium suum.* [11]

At homo iste a satana possessus et obsessus, caecus, surdus et

1) Cf. Gn 27, 41. 2) Cf. 1 Rg 18, 9 sqq. 3) Cf. Ez 28, 12-14; Apc 12, 7; S. Io. Damascenus *De fide Orthodoxa*, lib. 2, cp. 4, (P. G. 94, 875); S. Gregorius M. *In Evangelia*, hom. 34, (P. L. 76, 1250); Rupertus Abbas *De Victoria Verbi*, lib. 1, cp. 8, ibid. 169, 1223; S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 63, a. 7. 4) Ps 8, 6-8. 5) Ps 96, 7; Hebr 1, 6. 6) Is 14, 13-14. Vulg.: *In coelum conscendam*, etc. 7) Mc 16, 19. 8) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6; Apc 12, 3-4. 9) Io 14, 30. 10) Ibid. 12, 31. Vulg.: *Huius mundi*, etc. 11) Lc 11, 21.

sed ut etiam de hac ipsum eiceret Christus venit.

mutus est.[12] Sed: *Erat Iesus eiciens daemonium.*[13] Christus rex universi venire voluit personaliter ad eiciendum hostem hunc suum ex hac arce per fraudem occupata, proditione et dolo; noluit mittere aliquem, noluit mittere principem aliquem regni coelestis cum exercitu Angelorum quoniam cum fortissimo et potentissimo hoste contendendum ac dimicandum erat.

Ostenditur etiam fortitudo et potentia satanae.

II. Ostenditur in hodierno Evangelio fortitudo et potentia satanae: *Cum fortis*, inquit, *armatus custodit atrium suum.* Fortem dicit naturalibus viribus, sicut magnus gigas, et armatum omni armorum genere, quae vel ad defensionem suam vel ad inimici offensionem comparantur, qualis describitur Goliath gigas philisthaeus, contra quem pugnavit singulari certamine David eumque divina virtute prostravit. Fortis ille erat et armatus, universo Hebraeorum exercitui terribilis et formidabilis.[14] Sic satanas *fortis* dicitur et *armatus.*

Satanas omnium Angelorum fortissimus est valore naturali,

Quis scire potest quanta sit fortitudo unius Angeli? Unus tantum Angelus fortior ac potentior est omnibus exercitibus regum omnium; unus tantum Angelus una nocte ad nihilum redegit exercitum Sennacherib,[15] universam Aegyptum afflixit, occisis omnibus primogenitis;[16] unus daemon posset mundum hunc nostrum, civitates omnes subvertere omniaque mundi huius bona ad nihilum redigere, sicut fuit satanas a Deo permissus cum Iob.[17]

armatus insuper innumeris daemonum copiis;

Nec tantum fortis est, omnium Angelorum ac spirituum fortissimus robore naturali, sed etiam armatus innumeris daemonum copiis et exercitibus. Quare in hodierno Evangelio describitur non ut privata persona, sed ut rex: *Si ... satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius?*[18]

regnum suum in mundo constituit contra regnum Dei.

Nec describitur ut rex qualiscunque, sed magnus, ita ut mundus universus in duo tantum regna divisus sit: alterum regnum Dei est, alterum regnum satanae, capitalis inimici Dei. Hoc est quod Christus ait: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, spargit.*[19] Ex omni hominum genere duos tantum componit exercitus,

12) Cf. Mt 12, 22; Lc 11, 14. 13) Lc 11, 14. 14) Cf. 1 Rg 17, 4-51.
15) Cf. 4 Rg 19, 35; Is 37, 36. 16) Cf. Ex 12, 29-30. 17) Cf. Iob 1, 13-19.
18) Lc 11, 18. Vulg.: *Regnum eius?* 19) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Dispergit.*

ita ut quisquis non est cum imperatore huius exercitus, nec cum eo militat, contrarius sit et contra eum pugnet armaque exerceat. Ostendit Sacra Scriptura quod in mundo nullam fere vel minimam partem habuit Deus; hanc ob causam [satanas] dicitur *princeps mundi huius*, quia *mundus totus in maligno positus est.* [20] Non regnat autem in homine satanas nisi per peccatum, sicut Deus per gratiam. Ex omni hominum genere ante adventum Christi nonnisi pauci Hebraei Deum agnoscebant eumque utcunque colebant

Christus tamen venit in mundum multo fortior satana eumque eiecit per fidem et Baptismum.

Christus tamen venit in mundum multo fortior satana, quare vicit eum sicut David Goliath vicit: Eiciebat daemonium, *et cum eiecisset daemonium.* [21] Adeo fortior satana est, ut dicat: *In digito Dei eicio daemonia :* [22] *in digito*, inquit, non brachio aut manu, sed *in digito*, in quo nisi vis minima consistit. Per fidem, per Evangelii praedicationem, per crucem, per Apostolos eiecit satanam de mundo, deleto idolorum cultu, fundata per universum orbem Ecclesia, per fidem et per Baptismi sacramentum. Ab unoquoque nostrum eiectus est daemon in Baptismo, nam hanc ob causam ante Baptismum fit exorcismus, creatura baptizanda exorcizatur priusquam baptizetur. [23]

Quisque baptizatus est de regno Christi.

Nos igitur baptizati non sumus de regno satanae, sed Christi: *Eripuit nos de potestate tenebrarum*, idest de regno satanae, *et transtulit in regnum Filii dilectionis suae*,[24] idest in regnum Christi, qui Dei Filius dilectissimus est. De regno satanae nunc sunt omnes infideles, omnes haeretici atque schismatici; fideles autem verique catholici regnum sunt Christi per susceptum Baptisma et fidem.

Homo semel liberatus a satana, potest in manus eius reincidere;

III. Sciendum tamen est, fratres, quod non ita liberati sumus, quin iterum possimus in diaboli manus incidere. Sumus sicut nautae capti a Turcis, a piratis, postea per gratiam principis sui liberati a captivitate; sed tamen non ita liberati sunt ne possint iterum in manus piratarum incidere, nisi cautissime et magna cum circumspectione navigent.

sed tunc in peiorem servitutem redigitur

In hodierno Evangelio luce clarius dicitur quod, *cum immundus spiritus exierit ab homine*, non invenit requiem, sed dicit: *Revertar in domum meam unde exivi ;* revertitur autem cum septem aliis spiri-

20) 1 Io 5, 19. 21) Lc 11, 14. 22) Ibid. vr. 20. 23) Cf. *Rituale Rom.*, tit. 2, cp. 2, n. 7. 24) Col 1, 13.

tibus nequioribus se, *et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* [25] D i v u s P a u l u s ait quod malus christianus, qui nulla caritate aut pietate praeditus est, deterior est infideli: *Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* [26] D i v u s P e t r u s similiter ait: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri . . . Iesu Christi, his . . . superati implicantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis rursus ad vomitum suum et sus lota in volutabro luti.* [27] Si damnatur christianus, multo maiores poenas dabit in inferno quam paganus; multo gravius est apud Deum peccatum christiani quam pagani.

et multo maiores poenas dabit quolibet infideli.

Regnat Christus in homine per gratiam, satanas per peccatum: *Qui facit peccatum, servus est peccati,* [28] servus est satanae: *A quo enim quis victus est, illius et servus est.* [29] Cum igitur adhuc in mundo nonnisi duo sint regna: Christi et satanae, et omnis homo sit vel de Christi regno vel de satanae, hoc satagendum nobis est, fratres, ut intelligamus de quo regno sit unusquisque nostrum. D i v u s P a u l u s ait quod qui *non habet spiritum Christi, hic non est eius,* [30] quod qui *spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei;* [31] nam qui habet spiritum hominis, homo est, nec potest esse homo sine spiritu hominis; sic qui spiritum habet Dei et Christi, hic vere christianus est; qui autem spiritum habet satanae, filius diaboli est: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere.* [32] Haec autem occulta sunt; veniamus ad manifestiora: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* [33]

Regnat Christus in homine per gratiam, regnat satanas per peccatum.

IV. Legimus in *Apocalypsi* signatos omnes esse tum servos Dei [34] tum servos satanae. [35] Ecce signa in hodierno Evangelio: homo obsessus a satana, mutus erat, surdus, caecus; liberatus autem a Christo et spiritu Dei plenus, *locutus est mutus,* [36] auditu etiam et

Signa exhibentur servorum Dei et satanae;

25) Lc 11, 24-26. Vulg.: *De homine.* 26) 1 Tim 5, 8. Vulg.: *Si quis suorum,* etc.
27) 2 Petr 2, 20 sqq. Vulg.: *Implicati superantur... reversus ad suum vomitum,* etc.
28) Io 8, 34. 29) 2 Petr 2, 19. Vulg.: *Quis superatus est, huius,* etc. 30) Rom 8, 9. Vulg.: *Spiritum Christi non habet,* etc. 31) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Ii sunt,* etc.
32) Io 8, 44. Vulg.: *Desideria patris.* etc. 33) Mt 7, 20. Vulg.: *Ex fructibus,* etc.
34) Cf. 7, 3. 35) Cf. ibid. 13, 16-17; 19, 20. 36) Lc 11, 14.

visu donatus fuit.[37] In hoc ipso Evangelio dicitur: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.*[38] Hi igitur sunt servi Christi.

opera videnda sunt et cuius iussa executioni mandentur: Dei an satanae.

Nunc dicas mihi, homo: Habes tu linguam solutam ad accusandum teipsum, ad laudandum Deum? habes apertas aures ad divinas voces audiendas, ad obediendum Deo? Dicas mihi: Tu cui obedis? cuius iussa exequeris: Dei et Christi, an satanae? Deus praecipit, o homo, ut declines a malo et facias bonum,[39] ut diligas *proximum tuum sicut teipsum*,[40] ut inimicos etiam tuos diligas eisque benefacias,[41] ut dimittas iniurias,[42] ut reconcilieris cum eis pacemque cum eis facias.[43] Satanas totum suadet oppositum. Tu cui obedis? cui morem geris? Praecipit tibi Deus ut poenitentiam agas, ut ad eum ex toto corde convertaris, ut viam iniquitatis dimittas,[44] ut peccata tua confitearis. Quid agis? Ne post confessionem revertaris ad vomitum; tu autem post confessionem redis ad pristina vitia. Quaenam reconciliationes hae sunt quas cum Deo facimus? Num Deum irridemus? Sed *Deus*, fratres, *non irridetur*,[45] tandem *unicuique dabit secundum opera sua:*[46] *Qui ... sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, et qui ... in lege peccaverunt, per legem condemnabuntur.*[47]

Cavendum est ne iterum in potestatem satanae incidamus,

Cave, homo, si semel per Christum liberatus a daemone es, ne iterum in satanae potestatem cadas, nam fient novissima tua *peiora prioribus*, multo peius damnaberis quam infidelis. Nam si infidelis Christo non obedit, excusationem quandam habebit, quod Christum non novit, veluti si rex venationis causa reperiatur solus in silva ignotus ibique a rusticis repertus iniuria afficiatur, puniet eos quidem postmodum in iudicium vocatos, sed multo mitius quam si cognovissent eum regem esse. Infidelis dicere poterit quod non novit Christum; si eum iniuria affecit, si blasphemavit, habet aliquam excusationem. Tu autem quid dices? An nesciebas, inquiet Dominus, cum te ad tribunal iudicii vocabit, an nesciebas quia *ego sum Dominus Deus tuus?*[48] Cur ergo non obedisti mihi? Cur leges et mandata mea contempsisti? Cur me blasphemasti et iniuria affe-

nullam enim excusationem habebimus.

37) Cf. Mt 12, 22. 38) Lc 11, 28. 39) Cf. Ps 33, 15; 36, 27; 1 Petr 3, 11. 40) Mt 22, 39; Mc 12, 31; Lc 10, 27. 41) Cf. Mt 5, 44; Lc 6, 27. 35. 42) Cf. Mt 18, 21-22; Lc 17, 3-4. 43) Cf. Mt 5, 24-25. 44) Cf. ibid. 3, 2-8; 4, 17; Lc 3, 8; 13, 3-5; Rom 2, 4. 45) Gal 6, 7. 46) Cf. Ps 27, 4; 61, 13; Mt 16, 27; Rom 2, 6; Apc 22, 12. 47) Rom 2, 12. Vulg.: *Iudicabuntur.* 48) Ex 20, 5; Is 48, 17.

cisti? Cur mundo servire potius et satanae morem gerere quam mihi voluisti?

Veri servi Dei sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt.

Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud, [49] nam: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;* [50] *qui audiunt ... et custodiunt illud; Qui in corde bono et optimo audientes verbum* Dei *retinent et fructum afferunt in patientia;* [51] *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* [52] Hinc ait: *Estote ... factores verbi et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo; consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectae libertatis ... non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* [53] Hi tantum, ait Christus, beati erunt, hi tantum ex Deo sunt; qui autem verbum Dei non audiunt, ex Deo non sunt, satanae filii, imo servi, mancipia sunt.

* * *

Fidem a nobis requirit Dominus et opera bona;

V. I o a n n e s in *Apocalypsi* ait: *Beatus qui audit verba prophetiae ... huius* et servat ea; [54] Dominus apud M a t t h a e u m: *Qui audit,* inquit, *verba mea ... et servat ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam super petram,* in quam licet venti ac flumina irruerint, non cecidit quia supra petram fundata erat; *qui* autem *audit verba mea ... et non facit ... similis est viro stulto, qui aedificavit domum suam supra arenam.* [55] Fidem a nobis requirit Dominus, fratres, et opera bona, nam: *Fides sine operibus mortua est,* [56] sicut corpus sine spiritu.

sed super omnia caritatem et fugam omnis peccati.

Quae autem verbum Dei praecipiat ostendit P a u l u s in hodierna Epistola: *Imitatores Dei estote sicut filii carissimi et ambulate in dilectione, sicut ... Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* [57] Caritatem ante omnia requirit a nobis, deinde ut fugiamus omne vitium: *Fornicatio autem aut ..., immunditia ... nec nominetur*

49) Lc 11, 28. 50) Io 8, 47. 51) Lc 8, 15. 52) Rom 2, 13. 53) Iac 1, 22-25. Vulg.: *In legem perfectam,* etc. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Qui perspexerit in legem,* etc. 54) 22, 7. Vulg.: *Qui custodit,* etc. 55) 7, 24-26. Vulg.: *Supra petram... similis erit viro stulto... super arenam,* etc. 56) Iac 2, 26.
57) Eph 5, 1-2. Vulg.: *Estote ergo imitatores Dei,* etc. Cf. Missale Rom.

in vobis; [58] bonitatem vitae: *Eratis . . . aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino ; ut filii lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni iustitia et bonitate et veritate.* [59] Haec insignia sunt, fratres, militum et servorum Christi, e contra, servorum satanae surditas ad vocem Dei.

Movere autem nos debet, fratres, vel ipsa Dei infinita bonitas erga nos, qua non usus est erga malos angelos, nam ob unicum tantum peccatum eos in aeternum damnavit; [60] in illos *Deus exercituum* et *ultionum,* [61] erga nos *Deus uberum,* [62] parens piissimus, dulcissima mater. Maxima bonitate usus est Christus hodie erga hunc daemoniacum: nullis ipsius meritis permotus, magna in eo beneficia contulit; sic erga nos. Vae nobis, fratres, si in nos Deus uti voluisset severitate, qua in peccantes angelos usus est! Sed in nos misericordia sua uti voluit, nam cum in Adam peccassemus, per Baptismi sacramentum liberare nos voluit a satanae potestate, licet nos peccaturos praenoverit.

Ad hoc movere nos debet infinita Dei bonitas, qua a potestate satanae nos liberavit

Alia etiam nobiscum uti misericordia voluit: nam licet cum peccamus omni malo digni reddamur satanasque promptissimus ac paratissimus sit ad malum omne inferendum, Deus tamen illi prohibet ne malum nobis inferat, sicut Abrahamo prohibuit ne manus suas in Isaac extenderet, cum evaginatum gladium teneret ad illum iugulandum, [63] et sicut Labano inhibuit ne Iacobo nocumentum aliquod inferret. [64]

et protegere prosequitur.

IV. ALIA HOMILIA

Erat Iesus eiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus, etc. [1]

I. Ad magnum frigus eiciendum magnus requiritur ignis, magnus calor; ad magnas tenebras eliminandas magna lux; ad fortem poten-

Fortissimus est satanas.

58) Eph 5, 3. Vulg.: *Et... immunditia* etc. 59) Ibid. vrr. 8-9. Vulg.: *In omni bonitate,* etc. 60) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 61) Ps 93, 1. 62) Cf. Gn 17, 1; Ex 6, 3; Is 66, 2. 63) Cf. Gn 22, 10-12. 64) Cf. ibid. 31, 22-24.

1) Lc 11, 14.

sed eo fortior Christus

temque inimicum superandum magnum robur. Est satanas natura quidem fortissimus, mente sagacissimus ac perspicacissimus, voluntate pessimus. Venit contra eum Christus, qui appellatus est יְהוָה צְבָאוֹת,[2] *Deus exercituum,*[3] sive Deus qui est multi exercitus simul, qui in seipso robur habet multorum exercituum, sicut sol lucem stellarum omnium; qui dictus est יְהוָה אֱלֹהִים,[4] *Deus deorum,*[5] sive *iudicum;*

infinita potentia, sapientia et caritate armatus.

iudices enim quarumcunque rerum necesse est naturas rerum quas iudicant agnoscere, nam caecus de coloribus non iudicat, nec surdus de sonis; Deus autem cum iudex sit rerum omnium, omnium rerum scientiam habet; tandem *Deus uberum,*[6] אֵל שַׁדַּי,[7] propter infinitam bonitatem suam erga nos, qualis est optima et amantissima parens erga unicam prolem, ubera habens lacte plenissima.

Sic venit Christus infinita potentia, sapientia et bonitate caritateque armatus contra satanam. Novit enim ipse potentiam satanae, sciens quod natura coelestis est: *Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer, filius aurorae?*[8] Periphrasis est solis, is enim filius dicitur aurorae. Erat Lucifer inter Angelos in paradiso sicut sol inter stellas in coelo.[9] Quis autem ignorat quod superiora elementa semper sunt multo potentiora? Quis non videt potentiam aquae super terram in inundationibus et diluviis? Quis non potentiam aeris super aquam, potentiam coeli et planetarum super aerem? Sic spiritus coelestes potentiam habent super coelestes sphaeras omniaque elementa.

Satanas omnium spirituum potentissimus est, quia omnium supremus;

Satanas autem suapte natura spirituum omnium fortissimus ac potentissimus est, nec amisit potentiam suam peccando; nam gratiam per peccatum amisit, non naturam, hinc adhuc *princeps* dicitur *daemoniorum,*[10] princeps vero *fortis* et *armatus*[11] exercitibus daemonum et malorum hominum; nam hodie scribae et Pharisaei partes tuentur daemonis contra Christum, dum calumniantur opera Christi, quos Dominus dicit sub velo daemoniacos a septem nequioribus spiritibus obsessos. Nam per circumcisionem, quae peccatum originale delebat,[12]

nam per peccatum amisit gratiam, non naturam.

2) Ms.: *Iehovah zebaoth.* 3) Saepe in Scriptura, saepissime in Ieremia. 4) Ms.: *Iehovah Elohim.* 5) Ps 49 (hebr. 50), 1. 6) Cf. Ct 1, 3; Is 66, 2. 7) Gn 17, 1; Ex 6, 3. Ms.: *El sadai.* 8) Is 14, 12. Ex hebraico. 9) Cf. not. 3 praec. hom., pag. 331, 10) Cf. Mt 9, 34; Mc 3, 22; Lc 11, 15. 11) Lc 11, 21. 12) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 3ª, q. 38, a. 3; q. 62, a. 6; q. 70, a. 4.

iam liberati semel fuerant a daemonis potestate, sed sua culpa relapsi in daemonis potestatem multo peius erant.

Erat Iesus eiciens daemonium, satanam, qui peccavit contra Christum per invidiam,[13] sicut fratres Ioseph invidia moti contra eum fuerunt, ne rex eorum fieret; hanc ob causam contra sanctum iuvenem, patris eorum dilectissimum filium moti fuerunt eumque acri odio persecuti fuerunt.[14] **Satanas peccavit invidia contra Christum.**

Erat eiciens daemonium. Multi negant daemones esse,[15] eo quod A r i s t o t e l e s nihil de eis egerit; sed nec de lapidibus et gemmis, nec de mineralibus, nec de plantis egit; num nec ista quidem reperiuntur? Non egit de antipodibus, ergo non sunt? Quaenam haec consecutio? **Multi insipienter negant daemones esse.**

II. *Cum eiecisset daemonium, locutus est mutus et admiratae sunt turbae.*[16] Homo nobis proponitur hodie duplici cum facie: altera quidem turpissima, altera vero pulcherrima et mirabili. Prima facies daemoniaca est, foedata caecitate; hominis est, sed daemoniaci, surdi, muti, caeci,[17] vexati ac male torti a spiritu nequam; altera vero facies pulcherrima, mirabilis, angelica est: *Locutus est mutus, cum eiecisset daemonium, et admiratae sunt turbae.* Omnis autem homo necesse est ut sub alterutra harum facie Dei oculis appareat, nam impossibile est hominem plures facies habere. Hanc ob causam Christus in hodierno Evangelio duos principes statuit ac duo regna, ita ut necesse sit quemvis hominem sub alterutro contineri, cum principes sint capitales inimici: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit.*[18] Nam omnis homo vel divino spiritu plenus est, vel satanico; igitur quilibet nostrum sub alterutra facie continetur. **Omnis homo vel spiritu Dei plenus est vel satanae:**

Verum est quod a daemonio liberati sumus in Baptismo, in quo fidem et gratiam Spiritus Sancti recepimus et filii Dei regenerati sumus; sed sicut homo primus in natura instituta formatus fuit mortalis et immortalis, quatenus mori et non mori poterat, erat in eo moriendi potentia, sed tamen poterat non sequi actus,[19] licet moriendi potentia **semel autem liberatus a daemonio per Baptismum, potest gratiam amittere,**

13) Idest nolens eum adorare cum revelatum fuit Angelis incarnationis mysterium. Cf. Corn. A Lapide *Comment. in Isaiam*, 14, 14. 14) Cf. Gn 37, 3-34. 15) Haeretici Georgiani, Davidivi et Andreas Osiandrus apud Seraph. Capponi in S. Thomae *S. Theolog.*, 1ª, q. 73, a. 1, appendice. 16) Lc 11, 14. 17) Cf. Mt 12, 22. 18) Lc 11, 23. Vulg.: *Dispergit.* 19) Cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 87, a. 4.

sed tunc in peiorem servitutem incidit.

defectus sit potius et impotentia quam potentia, morti tamen obnoxius factus est peccati causa; ita homo in Baptismo regeneratus et reformatus Spiritus Sancti opera, regeneratus est quoad gratiam mortalis et immortalis, recipit gratiam ut possit perpetuo non peccare et gratiam Spiritus Sancti amittere; sed si amittat, erunt, inquit Christus, *novissima hominis illius peiora prioribus*, nam spiritus immundus *vadit et assumit septem alios spiritus ... nequiores se.* [20]

20) Lc 11, 26. Ordine inverso affert hunc vr.

FERIA SECUNDA

POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Quanta audivimus facta in Capharnaum fac et hic in patria tua... Amen dico vobis, etc. [1]

I. Cum divina iustitia, videns mundi scelera et iniquitates, *quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore,* [2] decrevisset aquis diluvii impium mundum perdere, misericordia tamen motus *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,* [3] ne universum hominum genus interiret ac pene deleretur, iussit ut Noe, homo sanctissimus Deoque acceptissimus, qui invenit gratiam in oculis Domini, quoniam iustus et perfectus erat, [4] arcam fabricaret, in qua saltem reliquiae humani generis asservarentur; nec tantum homines, Noe cum uxore et filiis eorumque uxoribus, sed etiam omnis generis animalia: *Ingredieris,* inquit, *in arcam tu et filii tui* et *uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animantibus universae carnis, bina induces in arcam ut vivant tecum, masculini sexus et feminini.* [5] Quare nullum genus, nullam speciem animalium exclusit Deus a salute. Sic Regius Vates ait: *Homines et iumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* [6]

Sicut Deus iussit ut Noe arcam fabricaret pro salute hominis et omnis generis animalium,

Hoc illud est quod ait Apostolus, quod Deus *vult omnes homines salvos fieri.* [7] Sic pro salute omnium hominum instituit Ecclesiam, quae mystica arca Dei est, Christum unigenitum Filium

sic Filium suum misit in mundum ut Ecclesiam institueret

1) Pericope huius diei Lc 4, 23-30. Cf. Missale Rom. 2) Gn 6, 5. 3) 2 Cor 1, 3. 4) Cf. Gn 6, 8-9. 5) Ibid. vrr. 18-19. 6) Ps 35, 7-8. 7) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc.

pro salute omnium hominum.

suum, mysticum Noe, pro salute omnium hominum misit in mundum. Hinc Petrus ait: *In veritate comperi quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi.* [8] Hinc Ioannes ait: *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* [9] et alibi: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* [10] et Paulus *ad Timotheum: Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium.* [11]

Christus Salvator est omnium, quia vult omnes salvos fieri, modo velint;

II. Hanc ob causam appellatus est Christus *Sol iustitiae,* [12] quia sicut sol conditus fuit positusque in coelo ad illuminandum totum mundum, [13] ita Christus: Nos *audivimus et scimus quod hic est... Salvator mundi,* [14] sicut Ioseph *salvator* dictus est *mundi,* [15] quia pro salute omnium frumenta servavit iustoque pretio omnibus frumenta vendebat, modo emere vellent. [16] Abraham non tantum Isaac, verum etiam Ismaelem diligebat, non tantum Saram, sed etiam Agar; [17] sic diligit Deus omnia.

Iniuste ergo Nazareni conqueruntur de Christo ac si Capharnaum magis diligeret quam Nazareth.

Iniuste ergo hodie conqueruntur Nazareni de Christo, iniuste calumniantur et crimen inurunt ac si Capharnaum magis diligeret quam Nazareth patriam suam, et Capharnaitis beneficia impenderet, non Nazarenis domesticis et concivibus suis. Nam Christus est serpens aeneus in deserto exaltatus pro salute omnium qui ab ignitis serpentibus morsi fuerant, [18] lapis percussus factusque fons copiosissimarum aquarum ad explendam sitim omnium tum hominum tum iumentorum: [19] *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris;* [20] *Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel;* [21] *in medio,* inquit, sicut tabernaculum in deserto positum erat in medio populi quasi cor, ad quodlibet quattuor laterum ipsius tribubus collocatis, [22] et candelabrum aureum cum septem lucernis ardentibus in medio tabernaculi positum fuit ut totum illuminare posset, [23] et lignum vitae plantatum dicitur *in medio paradisi.* [24]

8) Act 10, 34. Vulg.: *Quia non est,* etc. 9) 1, 9. 10) 1 Io 2, 2. 11) 1 Tim 4, 10. 12) Mal 4, 2. 13) Cf. Gn 1, 14-18. 14) Io 4, 42. Vulg.: *Quia hic est,* etc. 15) Cf. Gn 41, 45 sqq. 16) Cf. ibid. vrr. 54 sqq.; 47, 13-20. 17) Cf. ibid. 21, 1-11. 18) Cf. Nm 21, 8-9; Io 3, 14. 19) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 20) Is 12, 3. 21) Ibid. vr. 6. 22) Cf. Nm 2, 1 sqq. 23) Cf. Ex 37, 17-23; 40, 22-23. 24) Gn 2, 9.

Videbatur tamen Christus Capharnaum magis diligere.

Diligebat Dominus non solum Capharnaum, sed etiam Nazareth, sicut Iacob et Rachelem et Liam diligebat; videbatur autem Dominus magis diligere Capharnaum quam Nazareth, sicut Iacob Rachelem magis quam Liam diligebat, [25] Ioseph magis quam Ruben; [26] Abraham diligebat magis Saram quam Agar, Isaac quam Ismaelem, et sicut Deus maiorem lucem dedit soli quam lunae.

quia Deus dona sua cui magis libet largitur.

Hoc est autem quod multi quaerunt cur Deus huic quidem maiora conferat beneficia, illi autem minora; cur non omnes aequaliter tractet. Quam ob causam Christus plura in Capharnaum quam in Nazareth miracula in salutem hominum edebat? O hominum stultitiam et temeritatem! *O homo*, inquit P a u l u s , *tu quis es qui respondeas Deo?* qui cum Deo contendas velisque competere ac veluti disputare? *Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Cur sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* [27] *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* [28]

Sic vult ut in Ecclesia varii gradus et ordines sint,

Num debuit Deus aequalia omnia facere? Omnes stellas aequales soli? terram claram limpidamque ut aquam? aquam tenuem spiritualemque ut aerem? aerem calidum clarumque ut ignem? Quis nescit quod summa mundi pulcritudo in rerum iucundissima varietate consistit? Si corpus nostrum uno tantum constaret membro, totum nonnisi caro esset, an non esset monstrum deforme? Si universa terra aurum esset et aqua argentum, quid inutilius? Si omnes homines masculi essent aut omnes feminae, si omnes unius essent status et fortunae, unam eandemque vivendi rationem tenerent, eandem exercerent artem, ubi esset humanae reipublicae forma, ornatus, ordinis pulcritudo, statuum, fortunarum, disciplinarum, artium iucundissima varietas?

sicut etiam in humana republica;

Voluit Deus ut humana respublica esset instar humani corporis, sicut universalis natura plurimis variisque partibus veluti membris constat, sicut arbor illa mirabilis Nabuchodonosor regis, [29] et sicut etiam statua illa caput habens aureum, pectus et brachia argentea, ventrem et femora aenea, tibias cum pedibus ferreas, spectaculum erat mirabili varietate compositum ornatumque. [30] Si omnes essent

25) Cf. ibid. 29, 16 sqq. 26) Cf. ibid. 37, 3. 27) Rom 9, 20-21. Vulg.: *Quid me fecisti sic?* etc. 28) Mt 11, 26. 29) Cf. Dn 4, 7-14. 30) Cf. ibid. 2, 31-35.

divites, quinam essent horum servi et ancillae? Quinam artifices et mechanicarum artium cultores? Et si omnes pauperes, quinam egenis in necessitatibus subvenirent? Sic magna stultitia est aequalitatem hanc quaerere, quae universi ordinem et pulcritudinem tollit.

Ideo enim Ecclesia humano corpori comparatur.

Sic voluit Deus in Ecclesia varios ordinum gradus statusque personarum, ut esset Ecclesia sicut ordinatissima domus Salomonis, quam regina Saba usque ad extasim admirata fuit;[31] ut esset sicut humanum corpus, sicut ait Apostolus: *Vos . . . estis corpus Christi et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes . . . gratias curationum . . . genera linguarum . . . Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetae? Nunquid omnes doctores?*[32] Et iterum: *Sicut . . . corpus unum est . . . membra* autem *multa* sunt, *unum tamen corpus sunt, ita et Christus . . . In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus . . . nam et corpus non est unum membrum, sed multa . . . Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque . . . sicut voluit in corpore; quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus* organicum? *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.*[33] Sic contra stultam hanc aequalitatem invehitur Paulus.

Deus omnibus necessaria providit ad salutem,

III. Quod spectat autem ad aeternam salutem consequendam, sufficit quod Deus *omnes . . . vult salvos fieri*, omnibus providit utilia, necessaria, sufficientia ad finem aeternae felicitatis consequendum, nam propterea conditi sumus. Finis creationis sabbatum fuit, dies quietis, sanctificationis et benedictionis perpetuae,[34] nam non habet finem, non legimus de sabbato: Factum est sero, sicut de aliis diebus.[35]

et ad hoc tria media praebuit generalia: *a*) legem naturalem,

Pervenit autem Deus ad perpetuam sabbati quietem labore, ut ita dicam, et operibus sex dierum. Sic in Divinis Litteris sex media legimus divinaque auxilia hominibus data ad aeternam salutem consequendam: tria quidem generalia et tria specialia. Generalia omnibus communia sunt. Primo quidem lex naturalis, de qua rex David quaestioni multorum dicentium: *Quis ostendit nobis bona?* respondens ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti laetitiam*

31) Cf. 3 Rg 10, 4-9; 2 Par 9, 3-7. 32) 1 Cor 12, 27-29. 33) Ibid. vrr. 12-20. Vulg.: *In corpore sicut voluit*, etc. 34) Cf. Gn 2, 1-3. 35) Cf. Ibid. 1, 5. 8. 13. 19. 23. 31.

in corde meo; [36] bona nanque opera et virtutes cordi et animo laetitiam afferunt, mala autem tristitiam et conscientiae perturbationem. De hac etiam Paulus: *Cum enim gentes, quae legem non habent* mosaicam, *naturaliter ea quae legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente conscientia ipsorum.* [37]

Secundum generale medium est naturalis philosophia vel naturae ipsius magisterium, doctrina, instructio: *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annunciat firmamentum; dies diei* comparatus *eructat verbum et nox nocti* collata *indicat scientiam,* dat cognitionem ex ordinatissima dispositione naturae, ita ut non sint *loquelae neque sermones:* [38] nulla gens aut natio cuiusvis linguae et sermonis non potest non audire voces creaturarum Dei gloriam praedicantium. Sic Paulus ait: *Invisibilia* Dei *a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* [39]

b) naturae magisterium,

Tertium vero est sacra theologia, supernaturalis cognitio divinarum rerum, Sacra Scriptura, de qua ait: *Lex Domini immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda; praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos:* [40] praedicatio Evangelii, Sacramenta Ecclesiae; haec enim pro omnibus instituta sunt, ut sint omnibus communia sicut lux solis.

c) S. Scripturam;

Specialia vero sunt primo quidem particularia beneficia, quibus veluti satagit Deus ut hominem sibi devinciat, quomodo sibi devinxit Abrahamum, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysen, Davidem, Salomonem, universum populum hebraicum prae aliis nationibus. His enim veluti vinctus homo non potest manus extendere ad peccandum, sicut Ioseph dixit quod non poterat peccare in dominum suum, a quo multis erat beneficiis affectus. [41] Sic etiam sunt particulares correptiones tribulationesque a Deo immissae, ut iis tacti resipiscamus a peccatis; nam saepe « mala quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt », [42]

et tria specialia: *a)* particularia beneficia ipsasque tribulationes.

36) Ps 4, 7. 37) Rom 2, 14-15. 38) Ps 18, 2-4. 39) Rom 1, 20-21.
40) Ps 18, 8-9. 41) Cf. Gn 49, 9. 42) Verba haec a plerisque auctoribus afferuntur tanquam propria S. Gregorii M., cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª q. 21, a. 4, ad 3; S. Bonaventura *De Purificatione*, serm. 4, vol. 9, pag. 652; sed in operibus S. Gregorii nullibi inveniuntur

quemadmodum filius prodigus necessitate compulsus, ad patrem reversus fuit. [43]

b) particulares inspirationes,

Secundo loco sunt particulares vocationes per internas inspirationes: Ego *sto ad ostium et pulso;* [44] *Vox dilecti mei ... aperi mihi, soror mea.* [45] Sic per singulares mentis illustrationes suavemque gustum spiritualium rerum multi trahuntur ad Deum abstracti a mundo, sicut Magi ductu coelestis stellae venerunt ad Christum adorandum et venerandum. [46]

c) particularissimas vocationes.

Postremo sunt particularissimae quaedam simulque efficacissimae vocationes, qualis fuit vocatio Abrahae [47] et Moysi, [48] vocatio Apostolorum [49] et maxime Pauli, [50] quae singularia sunt magnaque privilegia, non omnibus passim concessa, sed quam rarissime, cum Deus magnum aliquod opus peracturus est, sicut patet in Moyse et in Paulo; nam ille vocatus fuit ad Hebraeos ab aegyptiaca servitute liberandos perducendosque ad verum Dei cultum, iste ad eruendos Gentiles de potestate tenebrarum et ad Christi fidem regnumque transferendos. Insignia plane divinaque facinora, quae raro contingunt, nisi forte cum nova aliqua erigenda est Religio, sicut insigniter patuit in seraphicis viris Francisco et Dominico, sanctissimis Patriarchis Praedicatorum et Minorum.

Deus omnibus dat media sufficientia, paratus dare etiam efficacia, si abusi non fuerint;

IV. Licet autem possit Deus omnes vocare ad se efficaci hac vocatione ad salutem, divina tamen sapientia aliter disposuit. Neque enim voluit ut omnes stellae in coelo essent aequales, nec omnes artus et membra corporis nostri essent oculi, nec totum corpus caput aut cor; sed dare vel offerre omnibus media necessaria et sufficientia ad salutem, paratus etiam dare efficacia, si non abusi fuerint sufficientibus naturalem legem transgredientes. Sicut ignis paratus est non tantum calorem, et quidem magnum communicare, sed etiam naturae suae singularem participationem ferro ita ut illum igniat; sed si

prout afferuntur. Ad sensum autem saepissime occurrunt, ex. g. cf. *Moral.*, lib. 10, cp. 18-20, (P. L. 75, 941-942); cp. 28, ibid. col. 946; lib. 23, cp. 27, ibid. 76, 279; lib. 26, cp. 12, ibid. col. 358-359; lib. 26, cp. 13, ibid. col. 360; lib. 29, cp. 17, ibid. col. 493; *Hom. 4 in Ezechielem*, ibid. col. 975; *In 1 Regum*, lib. 2, cp. 3, ibid. 79, 124; lib. 5, cp. 3, ibid. col. 345; *In septem Psalmos Poenit.*, ps. 31, ibid. col. 566; ps. 101, ibid. col. 622.

43) Cf Lc 15,13-18.
44) Apc 3, 20.
45) Ct 5, 2.
46) Cf. Mt 2, 1-2.
47) Cf. Gn 12, 1-3.
48) Cf. Ex 3, 1 sqq.
49) Cf. Mt 4, 18-22; 10, 2-5; Mc 1, 16-20; 3, 13-19; Lc 6, 13-16.
50) Cf. Act 9, 1-20.

post modici participationem caloris elongatur ab igne, non augetur calor, sed minuitur et amittitur; sic non potest ignis longe distans ferrum ignire, non quod ei desit calor, sed quia ferrum distans non potest percipere calorem.

Sic ait D i v u s M a r c u s quod Christus non potuit in Nazareth virtutes, idest miracula facere, quia ipsi apti non erant ea percipere; ait tamen quod pauca quaedam miracula ibi fecit, impositis manibus infirmos curando. [51] Sed quia paucis his male usi sunt in incredulitate persistendo, indigni facti sunt pluribus et maioribus gratiis beneficiisque divinis. Nemini tamen negat Deus auxilia mediaque ad salutem necessaria ac sufficientia, sicut sol nulli mundi huius parti lucem suam denegat et coelum nulli parti terrae suum influxum; haec tamen pars terrae, accepto coelesti influxu, fecunda redditur et fructificat, bono semine iacto, illa autem minime, cum sit tota arenosa ac petricosa, sed tantum spinas tribulosque producit sua culpa, suo vitio, inefficacem reddens virtutem coelestis influxus.

hoc enim pendet a dispositione uniuscuiusque

Sicut autem unus idemque solis radius, una eademque pluvia, unus idemque coeli influxus hanc quidem terram fructificare facit, illam vero minime, sicut semen Abrahami in Agar fecundum, in Sara autem minime, [52] semen Iacob fecundum in Lia, non autem in Rachele, [53] ita Dei operatio in salutem hominum in hoc quidem sortitur effectum suum, in illo vero minime; patet in latronibus crucifixis cum Christo. [54]

hinc Dei operatio in uno effectum sortitur, in alio vero minime.

Docuit hoc Christus in parabola invitatorum ad coenam: aequaliter omnes invitati fuere, sed hi quidem venerunt ad nuptias et convivium, illi vero venire noluerunt; [55] sicut idem cibus, idem potus movet huius appetitum, illius vero minime, pro varia complexionis vel stomachi dispositione. Docuit etiam hoc Christus dicens: *Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent.* [56] Non fecit tamen, tum quia miracula non sunt simpliciter ad salutem necessaria, cum Ninivitae sine miraculis crediderint, [57] nec semper efficacia, nam Aegyptii multis visis miraculis minime crediderunt, [58]

Hoc mysterium pluries Christus docuit;

51) Cf. 6, 5. 52) Cf. Gn 16, 1-4. 53) Cf. ibid. 29, 31-30, 1-2. 54) Cf. Lc 23, 39-42. 55) Cf. Mt 22, 2-6; Lc 14, 16-20. 56) Mt 11, 21. Vulg.: *Factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere*, etc. 57) Cf. Ion 3, 1 sqq. 58) Cf. Ex 7, 10-12, 1 sqq.; Ps 104, 27-36.

sicut et Iudaei; deinde, quia prioribus auxiliis abutebantur, quare indigni erant; sed tamen, inquit, efficacia fuissent ad permovendos Tyrios Sidoniosque ad poenitentiam.

patet etiam in Pharaone et Nabuchodonosor, in Iudaeis et Ninivitis, et hodie in Capharnaum et Nazareth;

Sic una eademque operatio huic quidem efficax est, illi vero minime; imo aliquando maior gratia minorem sortitur effectum, licet non loquamur de interiori gratia efficaciter operante. Patet in Pharaone et Nabuchodonosor: uterque rex, uterque idolorum cultor, uterque captivum tenuit populum Dei, uterque miracula vidit et flagella Dei sensit, sed maiora Pharao, minora Nabuchodonosor; tamen iste misericordiam consecutus fuit, [59] ille vero minime; [60] patet in Iudaeis et Ninivitis: *Ecce plus quam Ionas hic ;* [61] patet hodie in Capharnaum et Nazareth, nam in Nazareth quidem Christus multis annis ab infantia usque ad virilem aetatem permanserat, [62] in Capharnaum vero paucis diebus vel mensibus; Nazareth Christus seipsum dederat totum, Capharnaum opera quaedam sua; illi arborem semper fructibus onustam, huic fructus tantum aliquos; et tamen illi credebant in Christum eumque honorabant ut prophetam Dei, Nazareni vero increduli eum spernebant et tanquam fabri filium contemnebant: [63] *Nemo propheta acceptus est in patria sua;* [64] *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua.* [65] Quare voluit dicere Salvator: Quod quidem spectat ad me, promptissimus sum ad salutem vestram operandam, sicut Capharnaitarum. Nam Deus neminem vult perire, ut Petrus ait: *Non tardat Deus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti ;* [66] et Christus: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina,* etc. [67]

Deus enim neminem vult perire.

Pauci tamen salvantur

V. Sciendum, fratres, quod licet Deus velit omnes homines salvari, pauci tamen salvantur, multi pereunt, non tantum ex peccatoribus, sed etiam ex iustis qui vitam innocentem ac sanctam ducere videntur; nam ex decem virginibus quinque perierunt, licet vitam duxerint virginalem. [68] Ex omni statu multi pereunt, nullus reperitur

59) Cf. Dn 4, 30 sqq. 60) Cf. Ex 14, 23 sqq. 61) Mt 12, 41; Lc 11, 32. 62) Cf. Lc 2, 39 sqq. 63) Cf. Mt 13, 55; Mc 6, 3. 64) Lc 4, 24. 65) Mt 13, 57. 66) 2 Petr 3, 9. Vulg.: *Non tardat Dominus*, etc. 67) Mt 23, 37. 68) Cf. ibid. 25, 1-12.

status tam securus in quo homo perire non possit: *Duo erunt in agro uno: unus assumetur et unus relinquetur;*[69] *Duo in lecto uno: unus assumetur et unus relinquetur;*[70] *Duae molentes in mola: una*, etc.[71]

Multi etiam ex religiosis viris, non tantum ex saecularibus, pereunt; pauca animalia salvata fuerunt in arca, sed tamen ex animalibus mundis *septena et septena*, ex immundis vero *bina et bina.*[72] Salvantur etiam ex peccatoribus, qui per immunda animalia designantur; siquidem per poenitentiam finalem salvari possunt peccatores, sed tamen *bina et bina;* paucis prodest finalis poenitentia.

et nullibi homo adeo securus vivit ut non possit perire.

Quare satagendum nobis est ut iuste et sancte vivamus. Ad salutem requiritur fides Naaman syri,[73] fides viduae sareptanae, quae magna admodum fuit et magna cum caritate coniuncta, nam Eliam hospitio recepit.[74] Caveamus, fratres; nam ait quod *multae viduae erant ... in Israel ... et ad nullam illarum missus est Elias ... Multi leprosi ... sub Elisea ... et nemo illorum mundatus est.*[75] Quid est hoc nisi manifeste dicere quod multi sua culpa pereunt? Semen Abrahae Deus divisit in stellas coeli et arenam maris;[76] multo plures sunt qui pereunt quam qui salvantur.

Quare satagendum nobis est ut sancte vivamus.

...

II. ALIA HOMILIA

Quanta audivimus facta in Capharnaum fac et hic in patria tua. Sed nemo propheta acceptus, etc.[1]

I. Eduxit Deus omnes Hebraeos ex Aegypto ut omnes salvos introduceret in felicissimam ac beatissimam terram promissionis,[2] quoniam omnes tanquam filios diligebat. Quisnam pater, natura ipsa urgente, filios non diligit? Sic Deus *vult omnes homines salvos fieri;*[3] hinc hodie aegre fert querelam Nazarenorum, quasi nollet eos salvare sicut Capharnaitas. Aemulatio intercedit hodie inter duas has civitates qualis olim intercessit inter Rachelem et Liam; nam Rachel invidebat Liae eo quod plures haberet filios, ipsa vero sterilis

Deus vult omnes homines salvari.

69) Ibid. 24, 40. 70) Lc 17, 34. 71) Mt 24, 41. 72) Gn 7, 2. Ex hebraico. 73) Cf. 4 Rg 5, 9-18. 74) Cf. 3 Rg 17, 10 sqq. 75) Lc 4, 25-27. Vulg.: *Nemo eorum*, etc. 76) Cf. Gn 22, 17.

1) Lc 4, 23-24. 2) Cf. Ex 12, 37. 3) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc.

sed hoc pendet etiam ab uniuscuiusque voluntate.

esset; quare dixit Iacob viro suo: *Da mihi liberos*, quasi diceret: Cur plures filios dedisti Liae, mihi autem nullum? *Cui iratus respondit Iacob* dicens: *Num pro Deo ego sum qui privavit te fructu ventris tui ?* [4] Dare liberos, inquit, Dei est, per me non stetit, non enim minus te quam Liam dilexi. Sic Christus hodie civitati Nazareth respondit, quam non minus quam Capharnaum diligebat; sed sicut Deus Israeli dixit: *Perditio tua, Israel; tantum in me auxilium tuum,* [5] sic hodie Christus Nazarenis.

Quod Deus velit omnes salvari patet ex duplici tribunali quod constituit ad compescenda peccata: iustitiae et misericordiae.

Quod Deus velit omnes homines salvari hinc patet: nam homo nonnisi per peccatum damnatur; peccatum vero iniuria est divinae maiestati illata, transgressio divinarum legum, contemptus divinae maiestatis, laesio divini honoris; nemo est autem cui placeat, imo cui non valde displiceat illata iniuria. Deinde sciens quod homo carne fragilis est: *Sensus ... et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt*[6] *omni tempore,* [6a] posuit quidem in terra tribunal iustitiae ad puniendа et compescenda peccata. Sed non solum tribunal iustitiae sicut in coelo, ubi peccato Angeli nullatenus pepercit, sed magna iustitiae severitate punivit; [7] posuit etiam tribunal misericordiae, de quo Paulus: *Adeamus ... cum fiducia ad thronum gratiae* eius, *ut misericordiam consequamur.* [8] Punivit quidem peccatum hominis, sed cum misericordia dans homini spatium poenitentiae. [8a] Haec sunt altaria in templo Domini: altare sacrificiorum, ubi pro peccatis mactabantur victimae, et altare incensi, ubi petebantur gratiae, imo divinum propitiatorium non erat nisi tribunal gratiae et misericordiae. [9]

Ad tribunal misericordiae appellari concedit a tribunali iustitiae.

Nec tantum voluit Deus constituere tribunal misericordiae et gratiae, sed voluit ut esset tribunal superius, ad quod posset fieri appellatio a tribunali iustitiae: *Superexaltat... misericordia iudicium;* [10] *Misericordiam volo magis quam sacrificium;* [11] *Miserationes ... super omnia opera eius.* [12] In tribunali iustitiae lata fuit sententia mortis contra David propter patratum adulterium et homicidium, sed appellavit ad tribunal misericordiae et gratiam consecutus fuit; [13] lata fuit sententia mortis contra Ezechiam regem: *Dispone domui tuae,*

4) Gn 30, 1-2. 5) Os 13, 9. Vulg.: *Tantummodo in me*, etc. 6) Gn 8, 21. Vulg.: *In malum prona sunt.* 6a) Ibid. 6, 5. 7) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 8) Hebr 4, 16. *Gratiae eius* lect. cod. 8a) Cf. Gn 3, 6 sqq. 9) Cf. 3 Rg 8, 1 sqq. 10) Iac 2, 13. 11) Os 6, 6. Vulg.: *Volui et non sacrificium.* 12) Ps 144, 9. 13) Cf. 2 Rg 12, 1-13.

quia morieris tu et non vives, [14] sed appellavit et gratiam vitae consecutus fuit; [15] lata fuit sententia contra civitatem Ninive: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur,* [16] sed appellavit ad tribunal misericordiae et salutem consecuta fuit. [17] Sic per Ieremiam Dominus ait: *Repente loquar adversum gentem et adversus regnum ut eradicem et destruam et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.* [18] Datur appellatio ad tribunal superius.

ut patet in David, in Ezechia et in Ninive.

II. Loquuntur saepe Sacrae Litterae de misericordia et iustitia Dei; sed misericordiam magis magnificant. Sic ipse in *Decalogo* ait: *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.* [19] Et alibi Moyses: *Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis ac verax; qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata... qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam et quartam generationem.* [20] Et Regius Vates: Quoniam *in coelo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa.* [21] Sic multa legimus opera divinae iustitiae; sed multo plura multoque maiora opera misericordiae.

Loquuntur saepe S. Litterae de iustitia Dei, sed saepius de eius misericordia.

In hodierno Evangelio adducuntur Elias et Eliseus. Elias ardentissimus zelator divini honoris, homo severissimus, occidit omnes prophetas et sacerdotes Baal, [22] iussit descendere ignem de coelo semel et iterum ad cumburendos milites missos a rege, [23] clausit coelum ne plueret *annis tribus et mensibus sex;* [24] erat veluti tribunal divinae iustitiae, potens Deus, [25] ad puniendum peccata. Sed Eliseus, qui Deus salvator, sive potens salvator interpretatur, veluti tribunal extitit divinae misericordiae.

Elias symbolum iustitiae Dei, Eliseus misericordiae.

Si non appellat homo a tribunali iustitiae ad tribunal misericor-

14) 4 Rg 20, 1; Is 38, 1. 15) Cf. 4 Rg 20, 2-6; Is 38, 2-6. 16) Ion 3, 4. 17) Cf. ibid. vrr. 5 sqq. 18) 18, 7-8. 19) Ex 20, 5-6. Vulg.: *Eorum qui oderunt... in millia his... praecepta mea,* etc. 20) Ibid. 34, 6-7. Vulg.: *Ac nepotibus in tertiam et quartam progeniem.* 21) Ps 35, 6-7. 22) Cf. 3 Rg 18, 37-40. 23) Cf. 4 Rg 1, 10-12. 24) Lc 4, 25. 25) Sic enim *Elias* latine interpretatur.

Si non appellat homo a tribunali iustitiae ad tribunal misericordiae, culpa ipsius est.

diae, culpa ipsius est. Periit Cain quia non appellavit.[26] Daniel propheta, cum novisset sententiam latam a tribunali divinae iustitiae contra Nabuchodonosor, regem monuit ut appellaret ad tribunal misericordiae: *Rex, consilium meum tibi placeat... peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas miserationibus pauperum ; forsitan ignoscet delictis tuis.*[27] Non appellavit Balthassar cum lata fuit contra eum sententia: *Mane, thecel, phares,* ideo periit;[28] non appellavit Saul, ideo periit.[29]

Haec autem appellatio fit per veram poenitentiam.

Fit autem appellatio per veram poenitentiam. Elias motus lacrimis viduae sareptanae suscitavit filium eius;[30] sic per poenitentiam suscitatur homo a morte peccati: *Surge qui dormis et exurge,* etc.[31] De rege David legimus quod, superatis Moabitis, extendit *duos funiculos, unum ad occidendum et unum ad vivificandum;*[32] id quod ad vivificandum extendit, erat veluti asylum, locus refugii. Sic Deus posuit non solum tribunal iustitiae, sed etiam gratiae et misericordiae tanquam asylum.

Patet etiam desiderium salutis nostrae in Deo ex mansuetudine qua venit ad nos salvandos.

III. Adhuc autem duplici ex capite in hodierno Evangelio elucet magnum salutis nostrae desiderium in Christi pectore. Altero quidem, quoniam *propheta* dicitur: *Nemo propheta acceptus est in patria sua;*[33] tanquam propheta sermonem habuit in synagoga et vaticinium Isaiae interpretatus fuit magna cum laude: *Omnes testimonium illi dabant.*[34] Non venit in mundum unigenitus Filius Dei in gloria et maiestate, sed in mansuetudine et humilitate, *formam servi accipiens... habitu inventus ut homo,*[35] et homo contemptibilis, pauper humilisque fortunae, qui *fabri filius*[36] habebatur. Quid est autem praedicare nisi ad salutem movere, invitare? nisi salutem vitamque aeternam offerre? Quod cum per Prophetas prius egisset, tandem per unigenitum Filium suum praestare voluit, ut ad salutem consequendam homines multo vehementius permoverentur. Sic Deus omnibus fere modis quibus potuit salutem hominum procuravit.

Alterum vero caput est ipsius patientia; nam cum repleti ira hodie Nazareni Christum a civitate eiecissent ac in supercilium montis

26) Cf. Gn 4, 13-14. 27) Dn 4, 24. Vulg.: *Placeat tibi... misericordiis pauperum,* etc. 28) Ibid. 5, 25-30. 29) Cf. 1 Rg 15, 1 sqq. 30) Cf. 3 Rg 17, 17-22. 31) Eph 5, 14. 32) 2 Rg 8, 2. 33) Lc 4, 24. 34) Ibid. vr. 22. 35) Phil 2, 7. 36) Mt 13, 55.

duxissent ut inde praecipitarent eum, patientissime tulit talem tantamque iniuriam, nec vindicare voluit,[37] cum posset sicut Elias coelesti igne inimicos suos conflagrare, vel sicut Eliseus de saltu eos perdere.[38] Patiens Deus et longanimis, tardus ad iram, multa cum benignitate expectat ad poenitentiam peccatores, ait enim: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur... et vivat.*[39]

et ex patientia qua peccatores ad poenitentiam expectat.

Per Eliam hodie designatur, quoniam vere potens Deus est cumque potentissimus sit ad nocendum et iuvandum, sicut Moyses divina praeditus potestate nocuit Aegyptiis, iuvit autem Hebraeos, in mundum veniens unigenitus Filius Dei, exercere voluit potentiam suam non ad nocendum, sed ad adiuvandum, ad salvandum, ut esset verus Eliseus, potens salvator. Sic enim omnia Christi miracula fuerunt salutis, misericordiae et gratiae opera.

Per Eliam et Eliseum Christus Salvator designatur

Designatur hodie Christus per Eliam et Eliseum, illum zelantissimum, hunc autem piissimum, sicut in transfiguratione medius visus fuit inter Moysen mitissimum et Eliam,[40] ad designandam in eo tum misericordiam divinam tum iustitiam, quae sunt apud poetas lyra et sagittae Apollinis.[41] Multa opera egit in Capharnaum ex misericordia, non egit in Nazareth ex iustitia, quia indigni erant, quia Christum inhonorabant, in eum minime credebant, minime diligebant, nec honorabant: *Nemo propheta acceptus est in patria sua; Non est propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua.*[42]

eiusque iustitia et misericordia,

Designatur Christus per Eliam et Eliseum ut sciamus quod potest et vult salutem nostram operari sicut potuit et voluit mundum creare: potens Deus, potens Salvator; quod si non omnes salvat, hominum culpa est, qui salutem respuunt, qui iniquitatem et peccata dimittere nolunt: potens Deus, potens Salvator.

quia potest et vult salutem nostram operari, modo velimus.

Ioseph in Aegypto appellatus est *salvator mundi,*[43] nam si ipse non fuisset, mundus fame periisset; ipse pro salute mundi frumenta servavit, tempore autem famis aperuit thesauros frumenti, et ad succurrendum necessitati ne mundus fame periret, his quidem vendebat frumenta, ut Aegyptiis et Chananaeis, aliis autem donabat,

Deus omnibus dat media necessaria ad salutem,

37) Cf. Lc 11, 28-29. 38) Cf. 4 Rg 7, 1-15. 39) Ez 33, 11. Vulg.: *Mortem impii*, etc. 40) Cf. Mt 17, 3; Mc 9, 4; Lc 9, 30-31. 41) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 10, pag. 291-312. 42) Mt 13, 57; Mc 6, 4. 43) Cf. Gn 41, 45.

ut sacerdotibus Aegyptiorum; familiam autem suam, filios suos, fratres suos, servos et ancillas domus suae, pane alebat;[44] non omnibus hominibus panem iam factum dabat; salva or tamen dicitur quia necessaria victui suppeditabat. Sic Deus dicitur *Salvator mundi*, quia omnibus dat necessaria ad salutem consequendam: nobis dat panem, sicut Hebraeis in deserto manna de coelo pluit,[45] Hebraeis et haereticis dat frumenta Sacrarum Scripturarum, paganis omnibus lumen naturale: *Quis ostendet nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti laetitiam in corde meo.*[46] Sic *vult omnes homines salvos fieri.*

ideo vere praedicatur Salvator mundi, quia omnes vult salvari.

Felix faustumque nuncium, vere evangelicum! *Fidelis sermo et omni acceptione dignus . . . Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere ;*[47] *Hic est vere Salvator mundi.*[48] Non venit sicut Elias ad claudendum coelum, sed ad aperiendum, sicut idem Elias clausum coelum aperuit; venit sicut Eliseus ad sananda fluenta Iordanis:[49] *Praedicate Evangelium omni creaturae,*[50] *baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*[51] *Omnes vult salvos fieri*, sed tamen multae cum essent viduae, ad unam tantum missus est Elias; multi cum essent leprosi, unus tantum mundatus est.[52]

Licet Deus cupiat omnium hominum salutem, non tamen omnes salvantur,

IV. Ostendit hodiernum Evangelium, fratres, quod licet Deus tanquam *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis*,[53] cum omnium hominum sit clementissimus pater, qui diligit omnia et nihil odit eorum quae fecit,[54] licet, inquam, Deus cupiat omnium hominum salutem, non tamen omnes salvantur, sed multi pereunt. Multae viduae erant in Israel, multi leprosi, et nemo eorum mundatus est, non ex defectu potentiae aut bonae voluntatis in Elia et Eliseo, sed ob incredulitatem.

ob abusum naturalium affectuum concupiscibilis et irascibilis.

Ostendit autem Dominus quod abusus naturalium affectuum et supernaturalium effectuum divinae erga nos gratiae et caritatis in causa potissimum est perditionis nostrae. Videmus hodie Nazarenos plenos invidia et ira: en abusus naturalium affectuum. Oritur invidia ex cupiditate; sicut autem oriuntur ex radice rami, ita ex corde nostro

44) Cf. ibid. vrr. 54 sqq.; 47, 12-22. 45) Cf. Ex 16, 13 sqq. 46) Ps 4, 6-7. Vulg.: *Ostendit nobis*, etc. *Ostendet* lect. cod. 47) 1 Tim 1, 15. 48) Io 4, 42. 49) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 50) Mc 16, 15. 51) Mt 28, 19. 52) Cf. Lc 4, 25-27. 53) 2 Cor 1, 3. 54) Cf. Sap 11, 25.

cupiditas et ira, vires concupiscibilis et irascibilis, quarum illa quidem sequitur bonum, ista persequitur malum tanquam armatus miles intrepidus ac valentissimus, qui hostem nil timet, sed audax ardensque impetit aggrediturque.

Boni causa posuit Deus hos affectus in anima nostra, quibus veluti acutis calcaribus pungatur ad prosequendum bonum et fugiendum malum; nam spes et fuga prae nimio timore, desiderium et abominatio, amor et odium suapte natura magna et efficacia sunt incitamenta. Non sunt data a Deo [55] haec ad subvertendam rationem atque virtutem; sed sicut in bilancibus accidit ut parti alteri onus appositum bilancem illam deprimat et deorsum inclinet, sic inordinatus affectus prava cupiditate a recto et aequitate deorsum deprimitur, ad iniqua propendit.

Affectus hos Deus posuit in anima nostra ad prosequendum bonum et fugiendum malum;

Irato nanque iusta videtur ira, licet sit iniustissima; avaro pecunia optima videtur, ita ut in ea summum quodammodo bonum ultimumque finem constituat, eam pro sua cupiditate dimetiens, cum tamen nonnisi vilissima sit materia, vilis terrae portio; sic *cupiditas radix est omnium malorum.* [56] Ex φιλαυτία [57] tanquam ex radice pravi omnes oriuntur affectus; hinc inordinata propensio ad voluptates, ad honores, ad divitias, denique ad mundi huius bona, quae vel utilia vel honesta vel delectabilia videntur.

sed in aequitate contineri debent,

Hi autem inordinati affectus in causa sunt ut animus difficile rationi ac virtuti cedat, sicut equus in campo educatus et saginatus, cum sit natura ferox, difficile subicitur sessori; freno et calcaribus [opus est], ut ad nutum sessoris obediat. Sic animus passionibus deditus difficile admodum rationi et virtuti obedit, difficile etiam sanctis superiorum mandatis paret et institutis regitur, nam pravis affectibus, cum nimium ardentes ac vehementes sunt, mens quodam modo excaecatur; unde a poetis amor dictus est caecus et vitta oculis veluti orbatus. [58] Hinc fit ut parcat animus affectibus, sicut mobilis arundo ventis et cuilibet vel tenui aurae.

nam animus passionibus deditus difficile rationi et virtuti obedit.

Sic hodie cum Christus concionem habuisset in synagoga et vaticinium I s a i a e interpretatus fuisset, *omnes testimonium illi*

55) Ms.: *A Deo* repetitur. 56) 1 Tim 6, 10. Vulg.: *Radix... omnium malorum est cupiditas.* 57) Ms.: *Philauthia.* 58) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 14, pag. 346-350.

Hoc cernitur hodie in Nazarenis, qui prius Christum laudibus efferunt, et postea replentur ira contra eum;

dabant, omnes laudant, magna delectatione affecti ex auditu divini illius sermonis. Sed ubi Christus vitia eorum coarguit et Gentibus peiores ostendit, vidua sareptana et Naaman syro, tunc *repleti sunt omnes in synagoga ira*, [59] similes facti mari quod ex tranquillo flante aura suavi, mox, turbine excitato, spiritu vehementi agitatum magna procella conturbatur, mugit, fremit ira magna. Turbato autem fluctibus mari, in media tempestate nauclero magna opus est prudentia et animi fortitudine, ne fluctibus cedat navis et naufragium patiatur, quod facile eveniet, pugnantibus mari et ventis contra navim, nisi clavum optime regat et procellis prudenter obsistat.

Inordinatus enim affectus mentem obnubilat ne possit discernere rectum.

Quod autem in mari fluctus et procellae sunt, hoc utique in animo vehementes ac turbulenti affectus. Sicut enim flatibus mare vehementer concitatur, ita animus affectibus, ut mentis nostrae, imo virtutis navicula hisce fluctibus facile obruatur. Quam facile universa Nazareth hodie contra Christum commota insurrexit! Utique sicut mare turbulentissimum contra navim.

De ira dixit ille quod

« Impedit animum ne possit cernere verum », [60]

sicut caligo et nebula saepe meridianum solis splendorem ita obscurat, ut penitus videri non possit quonam loco consistat. Ita inordinatus affectus mentem obnubilat et lumen rationis obscurat, ita ut fiat homo similis iumentis insipientibus: [61] *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* [62] Animus ira perturbatus canis rabidus est, serpens ignitus, homo phrenesi laborans; nam sicut sanitas in temperie et harmonia consistit primarum qualitatum, elementorum atque humorum in corpore nostro, quae ubi mensuram excesserint, morbos inducunt, ita virtus animi, vera sanctitas in moderatis ac regulatis affectibus.

Cavendum ergo est ab abusu horum affectuum,

Cavendum est ne hisce affectibus abutamur; nam sicut vinum natura bonum in noxium commutatur acetum, quod potari aptum non est, potatum stomacho officit, ita affectus animi suapte natura bonus, extra virtutis normam pravus fit et valde noxius, sive sit boni desiderium et amor, sive mali odium et fuga.

59) Lc 4, 28. 60) Dionysius Cato *Dysticha de Moribus*, lib. 2, vr. 98. Ms.: *Ne possit discernere verum.* 61) Cf. Ps 48, 13. 21. 62) Ps 31, 9.

Cavendum etiam ne divinis ac supernaturalibus beneficiis abutamur cum Nazarenis, qui audito a Christo sanctissimo sermone, auditis divinis verbis ex Isaia, in tale tantumque irae peccatum et sacrilegium contra Christum prolapsi sunt.. Cavendum ne verbo Dei abutamur, ne Christus iure de nobis queri possit quod contemnatur a nobis: *Nemo propheta acceptus est in patria sua; Non est propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua.* Nunc enim Ecclesia patria Christi est; ne prophetas contemnamus, sicut Israelitae Eliam et Eliseum contemnebant.

cavendum etiam ab abusu beneficiorum supernaturalium Dei.

FERIA TERTIA

POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus, etc. [1]

Praecipit hodie Christus ut fratrem cum caritate corripiamus, a) quia Deus totus caritas est;

I. Cum peccasset homo, statim venit Deus ad corripiendum eum, ad convertendum eum ad poenitentiam, ad procurandam ipsius salutem. [2] Licet contra divinam maiestatem peccasset et dicere vere potuisset: *Tibi soli peccavi et malum coram te feci,* [3] Deus tamen infinita caritate sua motus, venit ad eum corripiendum, ut a peccato resipiscens per poenitentiam, veniam obtineret salutemque consequeretur; nam Deus ad lucrandam animam, ad quaerendam ovem perditam, ad inveniendam drachmam amissam sic iubet. [4] Sic praecipit hodie Christus ut, cum natura *ad imaginem et similitudinem Dei* [5] conditi simus, opere et virtute similes esse velimus: *Estote . . . perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est,* [6] in procuranda hominum, licet peccatorum, salute, infinita misericordia et caritate sua motus; totus enim caritas est, vere πάμφιλος, [7] t o t u s a m o r .

b) quia frater noster homo est, natura fragilis et tentationibus subiectus;

Si peccaverit, sicut peccavit homo a satana seductus et a muliere persuasus et inductus; [8] *frater tuus:* homo est natura fragili constans, non est confirmatus in gratia, sicut Angeli in coelo, non est Deus, qui peccare non potest; homo est in peccato conceptus et natus; [9] sensus autem cordis humani ad malum natura proclivis et propensissimus est. [10] *Si* ergo *peccaverit,* nam quis est homo, inquit S a l o m o n ,

1) Pericope huius diei Mt 18, 15-22. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 3, 1-9. 3) Ps 50, 6. 4) Cf. Mt 18, 12-13; Lc 15, 4-10. 5) Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 6) Mt 5, 48. 7) Ms.: *Panphilos.* 8) Cf. Gn 3, 1-6. 9) Cf. Ps 50, 7. 10) Cf. Gn 8, 21.

qui ... non peccet? [11] *Septies* in die *cadit iustus.* [12] Vita haec nostra via est coenosa et lubrica, in qua homo vel modice impulsus facile cadit: *Impulsus, eversus sum ut caderem.* [13] Impellit autem ad lapsum tum satanas tum caro, sicut homo a serpente per mulierem impulsus ad peccatum fuit. Sic etiam frater tuus peccare potest.

Quod si in Deum peccare potest, in infinitam aeternamque maiestatem summi Regis, quid mirum si etiam *in te* homuncionem aliquando peccet? si quomodo aliquando te laedat? *Si* ergo *peccaverit in te*, sicut homo in Deum et contra Deum peccavit, imitare, sequere exemplum divinae caritatis, *vade et corripe eum inter te et ipsum solum*, sicut Deus egit cum Adam, cum Eva, [14] cum Caino; [15] ne iram concipias, quae postea vertatur in odium; ne vindictam expetas aut sumas, ne animo sis implacabili, inflexibili, inexorabili; sed caritate motus *vade et corripe*, vel saltem per internuncium aliquem, sicut egit Deus cum David.

c) quia et Deus infinita semper usus est caritate cum peccatoribus,

Cum enim in adulterium et homicidium turpiter lapsus fuisset et poenitentiam dissimularet, [16] misit ad eum Dominus Nathan prophetam, virum prudentem, sanctum et pium, qui eum corriperet et ad poenitentiam provocaret; cumque audisset David correptionem sibi factam in spiritu mansuetudinis, ac peccatum suum agnoscens resipuisset ad poenitentiam peccatumque suum cum lacrimis confessus fuisset dicens: *Peccavi Domino,* statim audivit: *Dominus ... transtulit peccatum tuum*, noli timere, *non morieris.* [17] Sic Nathan Davidem lucratus fuit a perditione et periculo aeternae damnationis et mortis, quae a divina iustitia ei imminebat.

et maxime cum David, post magna scelera patrata.

II. *Lucratus eris fratrum tuum*, nam peccatum occidit animam coram Deo, sicut de filio prodigo ait clementissimus pater: *Frater tuus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.* [18] *Mortuus erat:* sic Deus dixit homini: *In quocunque ... die comederis ex eo, morte morieris,* [19] ac si mortiferissimum hauseris venenum – nec tamen ea die qua peccavit mortuus fuit homo, – non quidem carne sed spiritu, non corpore sed animo, non mundo sed Deo.

Peccatum animam coram Deo interimit;

11) Eccle 7, 21. 12) Prv 24, 16. Vulg.: *Cadet iustus. In die* lect. cod. 13) Ps 117, 13. 14) Cf. Gn 3, 10 sqq. 15) Cf. ibid. 4, 6-15. 16) Cf. 2 Rg 11, 1-12, 1-15. 17) Ibid. 12, 13. 18) Lc 15, 32. 19) Gn 2, 17.

Deus tamen ad salvandum primum peccatorem Filium suum misit post multos Prophetas.

Deus autem summo iudicio et sapientia praeditus, rerum omnium aequissimus aestimator, tanti fecit animae interitum per peccatum, ut ad perditum hominem lucrandum non Angelum miserit, non aliquem ex Cherubim aut Seraphim, sicut misit ad purgandum Isaiam, [20] sed ipsemet venit ad corripiendum hominem in spiritu mansuetudinis: Audierunt *vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, ad auram diei ;* [21] non cum terribili maiestate venit, qualem se praestitit legem dans in deserto, [22] sed cum aura leni atque suavi, qualis est quae aestivo tempore meridie excitatur et gratissima est; venit sine strepitu, sine terroribus, sine ira et indignatione. Et sic tandem misit unigenitum Filium suum ad corripiendum mundum eumque ad salutarem poenitentiam perducendum, quemadmodum misit Moysen in Aegyptum, [23] Ionam in Niniven, [24] Prophetas in populum suum ante Christum;[25] post Christum vero Apostolos praedicare Evangelium et poenitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes. [26]

Christus pluris fecit animarum salutem quam vitam propriam.

Pro animarum salute venit unigenitus Filius Dei in mundum, praedicavit Evangelium, operatus fuit miracula, instituit Sacramenta, elegit Apostolos et replevit Spiritu Sancto, passus et mortuus fuit in cruce; ita ut Deus nihil aliud unquam cogitare visus sit nisi animarum salutem, nihil magis aestimarit, ac si anima nostra lamina esset illa aurea divino nomine insignita, quam summus pontifex Aaron supra caput gestabat. [27] Sic Christus salutem animarum pluris fecit quam sua commoda, quam vitam honoremque suum. Hinc ait quod pretiosior est anima regno et imperio totius universi: *Quid . . . prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ?* [28]

Satanas etiam pluris facit animam quam totum mundum.

Satanas etiam, mirabile dictu! pluris facit unius hominis animam quam universum mundum. Sic enim legimus quod Christo in deserto *ostendit . . . omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit . . . Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me,* [29] si animam tuam mihi dare volueris. O infiniti pretii gemmam! *Inventa . . . una pretiosa margarita,* [30] « dedit omnia sua et comparavit eam »[30a] prudentissimus negotiator

20) Cf. Is 6, 6-7. 21) Gn 3, 8. 22) Cf. Ex 19, 16-24. 23) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 24) Cf. Ion 3, 1 sqq. 25) Cf. Act 7, 52-53. 26) Cf. ibid. 10, 40-43. 27) Cf. Ex 28, 36. 28) Mt 16, 26. 29) Ibid. 4, 8-9. 30) Ibid. 13, 46. 30a) S. Gregorius M. *Liber Responsalis sive Antiphonarius*, (P. L. 78, 828).

bonas margaritas quaerens. Nos autem, ut est in fabulis, gallo similes sumus, qui si in quisquiliis pretiosissimam summique valoris gemmam reperiat, contemnit, nihili facit, sed vilissima granula ad comedendum quaerit;[31] hinc lucra animarum nihili facimus, ita ut animam quoque nostram saepe pro vilissimo lucro satanae vendamus.

Pluribus parabolis ostendit Christus quanti faciat salutem animae;

Non sic Christus, sed ad comparandam pretiosissimam margaritam dedit omnia sua, ad inveniendam drachmam amissam ovemque perditam venit in mundum. Hinc apud Matthaeum, ante hodierni Evangelii lectionem immediate legimus: *Venit . . . Filius hominis salvare quod perierat. Quid vobis videtur ? Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus et vadit quaerere eam quae erravit ? Et si contigerit ut inveniat eam, amen dico vobis quia gaudet super eam magis quam super nonaginta novem quae non erraverunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis.*[32] Et statim subiungit: *Si . . . peccaverit in te frater tuus*, etc. Quoniam, inquit, Deus summopere animarum salutem cupit, ita ut propterea unicum Filium suum in mundum miserit, ut pastor esset quaerens errantem ovem, propterea iubeo ut, quoniam anima per peccatum perit, si frater tuus peccaverit etiam contra te, tu caritate divina praeditus, ut Deo gratum facias et morem geras, statim vadas et corripias eum; nam *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum,* invenisti ovem errantem pastorique optimo restituisti gratissimum munus. Imo quid dico ovem? Dico filium: reduxisti in domum clementissimi optimique patris carissimum filium, qui misere perierat mortuusque erat; tu illum invenisti ac vivificasti patrique vivum et incolumem reddidisti. Hoc autem praecipio tibi quoniam *frater tuus* est: *Omnes* enim *vos fratres estis* unusque est *Pater vester qui in coelis est,*[33] Deus. Tu autem teneris bonus frater esse, non sicut Cain impius qui dixit: *Nunquid custos fratris mei sum ego ?*[34]

ideo nil Deo gratius correptione fraterna,

qua anima salvari potest.

III. Duplici de causa praecipit Christus ut fiat fraterna correptio: prima quidem, ut Christo similes simus, qui venit *quaerere et salvum*

31) Fabula Phoedri, de qua cf. Leopoldus Hervieux *Les Fabulistes Latins*, t. 2, lib. 5, fab. 7, pag. 190. 32) 18, 11-14. 33) Ibid. 23, 8-9. 34) Gn 4, 9. Vulg.: *Num custos*, etc.

Praecipitur ergo nobis correptio fraterna ut Deo Christo similes simus,

facere quod perierat, [35] sicut pastor ovem errantem; secunda vero, ut divinae voluntati morem geramus: *Non est voluntas apud Patrem vestrum, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis.* [36] Nihil Deo carius salute animarum; siquidem propter hominem mundum creavit, corporalia quaeque propter corpus, corpus autem propter animam, propter quam constituit Ecclesiam, instituit Sacramenta, dedit Scripturas, misit Patriarchas et Prophetas ac tandem unicum Filium suum et Spiritum Sanctum, cum etiam ad animarum custodiam Angelos destinavit: *Angelis suis* Deus *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* [37] *Omnes sunt administratorii spiritus.* [38] Quid amplius agere potuit pro salute animarum? Gratissima igitur illi est summoque tenetur desiderio salutis peccatorum.

et ut animam fratris lucremur.

Addit autem tertiam: *Lucratus eris fratrem tuum,* magnum lucrum facies. Paulus huic lucro intentissimus erat: *Omnibus,* inquit, *omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam;* [39] et iterum: *Cum liber essem... omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem;* factus sum Iudaeis iudaeus, quasi essem sub lege, ut eos lucrifacerem; *iis qui sine lege erant, quasi essem sine lege... ut eos lucrifacerem... factus sum infirmis infirmus, ut eos lucrifacerem,* [40] additque quod ea diligentia ad hoc utebatur, qua utitur qui in stadio currit ut accipiat bravium et qui in agone contendit ut recipiat coronam. [41] Magna nanque corona debetur homini qui fratrem suum de manu diaboli liberaverit salvaritque a peccato: *Lucratus eris fratrem tuum,* acquires Deo filium et tibi amicum verum ac fratrem, qui thesaurus est incomparabilis. [42]

quod est maximum opus caritatis.

Sed teneris, inquit, diligere eum, quia frater tuus est; amor autem in tempore necessitatis cognoscitur: *Qui... viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* [43] Sed quae maior necessitas egestate filii prodigi? [44] necessitate hominis qui incidit in latrones ac bonis omnibus spoliatus vulneratusque, semivivus relictus fuit? Ne sis tu sicut pharisaeus et levita inhumanus, sed clementem samaritanum age. [45] Si frater tuus ab inimico impetitus in periculo mortis versaretur, an non accurreres

35) Lc 19, 10. 36) Mt 18, 14. Vulg.: *Ante Patrem,* etc. 37) Ps 90, 11. 38) Hebr 1, 14. 39) 1 Cor 9, 22. Vulg.: *Ut omnes facerem salvos.* 40) Ibid. vrr. 19-22. Vulg.: *Tanquam sine lege essem... ut lucrifacerem eos.* 41) Cf. ibid. vrr. 24-25. 42) Cf. Eccli 6, 14-15. 43) 1 Io 3, 17. Vulg.: *Manet in eo?* 44) Cf. Lc 15, 14-16. 45) Cf. ibid. 10, 30-35.

ad liberandum eum? Sed dum frater tuus in peccato est, versatur in magno periculo aeternae damnationis et mortis; quare quam citissime potes succurre ei.

Praeceptum hoc pendet a praecepto caritatis etiam erga inimicum.

IV. Praeceptum hodiernum pendet a magno illo legis praecepto, quo iubemur proximum sicut nos ipsos diligere, etiam inimicum odio habentem ac persequentem ac calumniantem, ut illi ex caritate qua eum diligimus, etiam benefaciamus ac pro illo apud Deum pias preces ex animo fundamus.[46] Si igitur inimici iubemur salutem quaerere, quanto magis amici et fratris? Super omnia caritatem a nobis requirit Deus: *Super omnia*, inquit, *caritatem habete;*[47] caritas nanque ignis est quem Deus super altari suo semper ardentem requirit.[48] Ex hac autem amor oritur fraternus, pax, concordia, bonitas et benignitas, sicut ait: *Fructus autem spiritus est caritas*, idest amor, *pax, patientia,*[49] nam *caritas patiens est* et *benigna est,*[50] Deum aemulatur convertentem tenebras in lucem, ex malis bona eruentem. Sic ait: *Si peccaverit in te frater tuus ... corripe eum ....et lucratus eris fratrem tuum.*

Proponit S. Scriptura paucis verbis omnes utilitates correptionis fraternae.

Quod quam magnum sit lucrum ostendit dicens: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo ... Ubicunque enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*[51] *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron* et *in oram vestimenti eius; sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion.*[52] Salomon ait: *Frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma:*[53] *Ecce quam bonum.* Idem ait Ecclesiastes: *Melius est ... duos esse simul quam unum, habent enim emolumentum societatis suae: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo; unus quomodo calefiet? Et si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistunt ei.*[54] Sic bonum

46) Cf. Mt 5, 43-44; Lc 6, 26-31. 47) Col 3, 14. 48) Cf. Lv 6, 12-13.
49) Gal 5, 22. 50) 1 Cor 13, 4. 51) Mt 18, 18-20. Vulg.: *Ubi enim sunt duo.*
52) Ps 132, 1 sqq. 53) Prv 18, 19. 54) 4, 9-12.

est fratres habitare in unum, fraterna uti caritate, non dicere cum impio Caino: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* [55] Sed occiderat eum. [56]

Iussit Deus in Lege ut si quis vidisset asinum inimici sui quod sub onere cecidisset, adiuvaret ad sublevandum eum; et si asinum vidisset inimici sui errantem, reduceret in domum illius. [57] Si asinus qui cecidit sublevandus est, quanto magis homo?

Fraterna caritas impellere debet ad adiuvandum proximum in periculo,

V. Sciendum est autem, fratres, quod homo cadens in peccatum, similis est puero in ignem cadenti. Dicas mihi: si fratrem tuum tenera aetate adhuc videres quod in ignem cecidit, non accurreres quam citissime posses ad adiuvandum eum? Sic, inquit, *si peccaverit in te... vade... corripe eum... Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Si videres quod in aquam cecidit cum magno periculo praefocationis, non accurreres ad salvandum eum? Fraterna caritas non te moveret? non urgeret? *Qui... non diligit fratrem... quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*[58] *Qui... viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?*

omnes enim fratres sumus;

Hoc nobis cogitandum semper est, quod fratres sumus, omnes eodem patre eademque matre progeniti. Deus dixit: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* [59] Et utinam tunc, fratres, servasset Adam divinum hoc praeceptum, quod utique a naturali lege est! Utinam corripuisset Evam, cum vidit eam a serpente deceptam immittere ac extendere manum ad vetitum lignum orique admovere! Corripere eam enim debuisset ac si vidisset eam cibum venenatissimum velle comedere: Cave! quid agis? Venenum mortiferum vis comedere? Sed, infelix, non egit, ne contristaret delicias suas. [60]

sed multi carnali affectione detenti non corripiunt quos diligunt.

Sic multi carnali quadam affectione detenti nolunt corripere quos diligunt, ne eos contristent, similes Davidi qui noluit corripere, inquam, ut tenebatur, filium suum Amnon ob stuprum per vim admissum cum Thamar, ne contristaret eum, quoniam diligebat eum; unde postea iusto Dei iudicio amisit eum, nam occidit eum Absalom; [61]

55) Gn 4, 9. 56) Cf. ibid. vr. 8. 57) Cf. Ex 23, 4-5. 58) 1 Io 4, 20.
59) Gn 2, 18. Vulg.: *Esse hominem*, etc. 60) Cf. ibid. 3, 6. 61) Cf. 2 Rg 13, 1-29.

imo duos amisit filios, nam etiam Absalom interfector interfectus postea fuit a Ioab. [62]

Vult Dominus ut unusquisque nostrum sit ille Seraph qui Isaiam calculo ignito purgavit: *Ecce tetigi hoc labia tua et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur;* [63] nam hoc est quod a nobis vel maxime requirit Deus, ut seraphica praediti simus caritate. Lingua caritate mota ignitus est calculus, nam a Divo Iacobo lingua dicta est ignis modicus sed magnam silvam incendens. [64] Lingua mala igne infernali ardet, lingua autem bona igne coelesti; hinc descendit Spiritus Sanctus super Apostolos in linguis igneis, [65] nam ad hoc destinabantur Apostoli, ad corripiendos purgandosque peccatores mundi ab omnibus delictis per praedicationem Evangelii, per fidem, per Poenitentiam sacramentalem.

Deus vult ut lingua nostra a caritate mota sit ad corripiendos peccatores.

Multi sunt autem quibus placet adulatio, non autem correptio, sicut Achab diligebat falsos prophetas, verum autem prophetam Dei, Michaeam, odio habebat, dicens quod non prophetabat ei nisi malum. [66]

Multi adulationem diligunt, non correptionem.

« Veritas odium parit »; [67]

similes Nazarenis, qui non ferentes Christi increpationes sanctissimas, *eiecerunt eum extra civitatem* et de monte praecipitem dare voluerunt [68] Non sic Regius Vates, sed aiebat: *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* [69] *Oleum peccatoris* dicit adulationes et assentationes; acceptavit ipse correptionem sibi factam a Nathan propheta. [70] Magnum salutis signum est cum peccator audit correptionem, sicut egit samaritana mulier cum Christo; [71] e contra, vero, magnum reprobationis et damnationis signum contemnere correptionem, sicut Pharao egit cum Moyse, [72] Saul cum Samuele. [73]

sed hoc signum reprobationis est.

62) Cf. ibid. 18, 10-15. 63) Is 6, 7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Tetigit hoc*, etc. 64) Cf. 3, 5. 65) Cf. Act 2, 3-4. 66) Cf. 3 Rg 22, 6-23.
67) Terentius *Andria*, act. 1, scena 1, vr. 41. 68) Lc 4, 29. Vulg.: *Eiecerunt illum.*
69) Ps 140, 5. 70) Cf. 2 Rg 12, 1-13. 71) Cf. Io 4, 7-26. 72) Cf. Ex 14, 5 sqq. 73) Cf. 1 Rg 15, 16-30.

II. ALIA HOMILIA

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris, etc. [1]

Proponit hodie Christus praemium illi qui ex caritate peccatorem corripuerit.

I. In paradiso lignum fuit arbor vitae veluti praemium virtutis, si homo in officio constitisset. [2] Saepe nanque in Sacris Litteris una cum virtute praemium quoque proponitur: *Faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.* [3] Hodie Dominus praemium proponit homini qui caritate motus peccatorem corripuerit, coronam utique divinam: *Si te audierit* frater tuus, *lucratus eris fratrem tuum.* Exponit Iacob apostolus: *Si quis... a veritate erraverit et converterit quis eum, scire debet quod qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam suam.* [4] Quid est autem anima nisi pretiosissima margarita, nisi thesaurus absconditus in agro corporis nostri? [5] Thesaurus est infiniti valoris, pro quo satanas Christo in deserto mundum totum obtulit: *Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit ei: Haec omnia tibi dabo.* [6] Sed Christus cariorem habuit animam, nam ait: *Quid... prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* [7]

Summa pretiositas animae designatur in S. Litteris multis figuris.

Sed libet, fratres, hodie de magnitudine lucri huius verba facere: *Lucratus eris fratrem tuum*, salvabis animam. Dum animam humanam contemplor, videre mihi videor lunam plenam, pulcherrimam, soli simillimam, videre aeris elementum purum, clarum, sereno coelo quam simile. Sed in Sacris [Litteris] videtur mihi mirabilis ille thronus Salomonis ex auro et ebore fabrefactus, ad quem per sex ascendebatur gradus; [8] nam ad rationem ascenditur per vegetativam, per sensitivam vim exteriorem, per sensum communem, per phantasiam, per aestimativam et per memoriam, ut naturalis docet philosophia. Videtur arca Testamenti, in qua positae fuerant tabulae legis, [9] urna mannae [10] et virga virtutis Dei. [11] Anima thesaurus est virium naturalium,

1) Mt 18, 15. 2) Cf. Gn 2, 9. 3) Ex 20, 6. Vulg.: *In millia his... praecepta mea.* 4) 5, 19 sq. Vulg.: *Erraverit a veritate... quoniam qui converti... animam eius.* 5) Cf. Mt 13, 44-45. 6) Ibid. 4, 8-9. 7) Ibid. 16, 26. 8) Cf. 3 Rg 10, 18-20; 2 Par 9, 17-19. 9) Cf. Ex 2. 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 3, 9; Hebr 9, 4. 10) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 11) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4.

thesaurus scientiarum et thesaurus coelestium consolationum, capax felicitatis aeternae.[12] Et singulariter videtur lamina illa aurea supra caput magni sacerdotis, in qua scriptum erat: קֹדֶשׁ לַיהוָה,[13] *sanctum Domino*,[14] ineffabili Deo; licet etiam per scalam Iacob designari potest,[15] nam mente coelos tangit; per currum Eliae,[16] nam ipsa corpus vehit in coelum.

Sed philosophari liceat circa auream laminam, in qua tria videntur contemplatione digna: quod aurea erat, quod divino nomine insignita et quod supra mitram summi pontificis gestabatur.[17] Designari etiam potest per *Rationale iudicii* in pectore magni sacerdotis, quod duplum erat, quadratum et gemmis duodecim ornatum.[18] Quadrata est anima ob quattuor gradus entis quos continet: esse, vivere, sentire et intelligere; dupla, quia homini vitam praebet et terreorum animalium et Angelorum coelestium; duodecim gemmas habet: quinque sensus exteriores, quattuor interiores et tres potentias rationales. Sed laminam contemplemur auream, metallum nobilissimum, fulgidissimum, solare, omnium pretiosissimum. Cum enim anima natura sit intellectualis, nobilissimum habet gradum entis, in quo Deus ipse collocatur. Sed anima luna est, Deus sol; eiusdem tamen generis est lunae substantia cum substantia solis, utraque substantia coelestis est. Deus, Angeli et anima rationalis in genere sunt entium intellectualium.

sed speciatim lamina aurea supra mitram sacerdotis divino nomine insignita.

Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.[19] Tribus nominibus anima hebraice dicitur: נֶפֶשׁ, רוּחַ et נְשָׁמָה;[20] נֶפֶשׁ a n i m a , רוּחַ s p i r i t u s , נְשָׁמָה m e n s ; נֶפֶשׁ ratione corporis quod informat

Anima tribus nominibus hebraice dicitur.

12) In margine haec adiecta fuerunt: « Sic anima similis Deo et homo, ratione animae. Nobilissimus ostenditur homo in Sacris Litteris, sed utique ratione divinae imaginis et similitudinis. Dedit Deus homini imperium mundi: Dominetur universae terrae; *Omnia subiecisti sub pedibus eius*. Sed in hodierno Evangelio dat hominibus claves regni coelorum: *Quaecunque solveritis*, etc. Et an parum illud: *Si duo ex vobis consenserint super terram*, idest caritate praediti fuerint, *de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo?* Tantum potest homo apud Deum, ut ab eo obtinere possit quicquid voluerit; imo: *Ubi fuerint duo vel tres congregati*, etc., nam: *Deliciae meae esse cum filiis hominum*. Propitiatorium in medio cherubim, spiritus enim hominis pulcherrimus et gratissimus est oculis Dei, luna pulcherrima solis sponsa: Ad hoc condita fuit anima, ut per gratiam Dei sponsa esset ». 13) Ms.: *Kodesc laiovah*. 14) Ex 28, 36. 15) Cf. Gn 28, 12. 16) Cf. 4 Rg 2, 11. 17) Cf. Ex 28, 36-38. 18) Cf. ibid. vrr. 15-20. 19) Gn 2, 7. 20) Cf. Gn 1, 20; 2, 7; Iob 27, 3. Ms.: *Nephes, ruach nessamah*, et infra.

quatenus est forma corporis, spiritualis et intellectiva.

et vivificat; רוּחַ ratione inferioris portionis qua mundana omnia contemplatur; נְשָׁמָה ratione superioris portionis qua contemplatur divina. *Inspiravit :* substantia non terrena est, non corporea, non materialis; coelestis est, divina est, quoniam spiritus est; spiritualem autem et intellectualem naturam Deus supra coelum collocavit. Angelica natura caput aureum est statuae quam vidit Nabuchodonosor in somnis;[21] aurum metallum est incorruptibile, nec terra nec aqua nec aer nec ignis potest aurum corrumpere; sic anima immortalis est sicut Angeli, sicut Deus. *Spiritum inspiravit vitarum ;* sicut arbor vitae dicitur hebraice: עֵץ הַחַיִּים, [22] *lignum vitarum*, eo quod homini vitam perpetuam conferebat, sic et anima dicitur *spiritus vitarum* ob immortalitatem. Sic Divinae Litterae.

Animam immortalem esse docet divina theologia

II. Universa sacra theologia docet animam nostram immortalem esse, nunquam interituram;[23] hinc statuitur paradisus, locus sanctarum animarum cum Angelis, cum Deo viventium, supra coelum, et infernus, locus iniquarum animarum post mortem una cum daemonibus et satana, sub terra.[24]

et etiam humana philosophia;

Nec tantum divina theologia docet animae nostrae immortalitatem, sed etiam humana philosophia. Hoc docet Trismegistus,[25] hoc pythagorica philosophia quae palingenesiam docebat, transmigrationem animarum;[26] hoc Platonis philosophia luce clarius, apud quem Socrates cicutam sumpturus, agens de animae immortalitate post corpus, venenum magna cum hilaritate sumpsit et tanquam cygnus cum hilari cantu extremam horam clausit.[27] Docuit etiam Plato post mortem loca animarum tum sanctarum tum iniquarum,[28] sicut post eum Virgilius docuit, dum sybilla Aeneam ducit in infernum ostenditque varia genera poenarum, quibus afficiuntur qui vitam sceleribus contaminatam duxerunt; postea vero ducit ad Campos Elysios, in amoenissima loca sanctarum ani-

21) Cf. Dn 2, 31-32. 22) Gn 2, 9. Ms.: *Hez chaiim.* 23) Cf. *Lib. 6 Decretalium Clement.*, lib. 1, tit. 1; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 480. 738.
24) Cf. supra, Feria Secunda Dominicae Primae, pag. 106, not. 69-69ª. 25) *Asclepius*, cp. 1, pag. 474. 26) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 8, pag. 338; Plutarchus *Ethica sive Moralia*, *De Placitis Phil.*, lib. 4, cp. 7, pag. 392.
27) Lib. 29, *Phaedo* vel *De Anima*, pag. 291-300. 28) Ibid. pag. 287-290.

marum.[29] Sic etiam peripatetica philosophia, licet perplexa loquatur de immortalitate animae, dicit tamen quod intellectus est divinum quid et impassibile, quod separari potest a sensu, sicut perpetuum a corruptibili.[30]

Sola Epicuri schola, quae brutaliter vitam instituebat, ut per sensualium voluptatum viam laxatis habenis liberius curreret, divinam hanc veritatem negavit.[31] Hanc multi peripateticorum sunt consectati, duce Alexandro,[32] cum tamen princeps peripatus nullibi scriptum reliquerit animam esse mortalem, sed ab actionibus indagandam esse immortalitatem: si habet operationes separatas, a corpore minime dependentes, nam quod per se operari potest, per se etiam potest subsistere, nam operatio naturam sequitur cuiuscunque rei.[33] Quis autem tam caecus est ut non videat separatas actiones animae, dum contemplatur et cognoscit supernaturalia, divina, substantias separatas, universalia ipsa quae nullo modo sub sensu cadunt? Quis non videt operationes separatas in amore virtutum et odio vitiorum, cuius causa corpus a sensibilibus voluptatibus a piis viris saepe refrenatur, non secus ac equus ab equite? Sic enim sensus regitur ratione. Quis non videt operationes separatas in amore Dei, in contemptu mundi propter Deum, propter fidem, propter religionem et pietatem, opibus etiam, honoribus et vita contemptis? Num actiones hae divinarum harum virtutum a corpore pendent? fides in Deum, spes, timor, caritas, reverentia, cultus, amor iustitiae, temperantiae, castitatis, sobrietatis, patientiae et ceterarum virtutum?

sola Epicuri schola et multi quoque peripatetici hanc negarunt;

sed stulte et insipienter, anima enim per se operatur, ergo per se subsistere potest.

III. Sed in sacra hac lamina triplex proponitur ratio veritatis huius: una in aurea substantia, altera in inscriptione divini nominis, tertia in loco ubi collocata fuit: supra tiaram, in capite summi pontificis qui Christum figurabat.

Triplici ex capite ostendit Moyses animae nostrae immortalitatem: ex divina imagine et similitudine: *Faciamus hominem ad*

Triplici ex capite ostendit etiam Moyses animae immortalitatem,

29) *Aeneid.*, lib. 6, vrr. 540 sqq. 30) Cf. Aristot. *De Anima*, lib. 1, cp. 1, t. 1, pag. 380; lib. 2, cp. 2, ibid. pag. 388; lib. 3, cp. 5, ibid. pag. 402; *Metaphysic.*, lib. 12, cp. 3, t. 2, pag. 559-560. 31) Cf. supra, Feria Secunda Dominicae Secundae, pag. 109, not. 89; Plutarchus *Ethica sive Moralia*, *De Placitis Phil.*, lib. 4, cp. 7-8, pag. 392. 32) *Enarratio De Anima* ex Aristotelis institutione, lib. 1, sine numeratione foliorum. 33) Axioma philosophicum: « Operatio sequitur esse », de quo cf. S. Thomas *S. Theolog.*, 1ª, q. 89, a. 2; Georgius Reeb *Thesaurus Philosophorum*, part. 2, *Axiomata*, pag. 327-331.

imaginem et similitudinem nostram ; [34] ex excellentia animae humanae supra omnes animantes: *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae,* [35] quoniam substantia spiritualis est: *Insufflavit spiritum vitarum;* tertio, ex magno amore et singulari honore quo Deus hominem affecit, cum eum in paradiso mundi principem constituit: [36] *Quid est homo quod memor es eius ? aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum ; omnia subiecisti sub pedibus eius.* [37]

praeter quam quod et ipse posuerit actiones separatas:

Et quidem posuit etiam Moyses actiones separatas ad indicandam animae immortalitatem dum, formata muliere et adducta ad hominem, ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea : haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* [38] Multa hic futura prognosticatus ac vaticinatus fuit homo, quae sensibus adhuc expertus non fuerat, sed divino quodam splendore illustratus futura cognovit.

primo ex divina imagine et similitudine in anima impressa;

Sed videamus tria haec. Imaginem et similitudinem tribuit soli homini, non ceteris animantibus. Deus incorporeus est, spiritus est, intellectus est, unus et trinus est, infinitus est; et anima. Quis non videt infinitam capacitatem animae tum quoad intellectum tum quoad voluntatem? Mens habilis est ad cognoscenda omnia, voluntas ad appetenda omnia bona in infinitum; libera est domina suarum actionum. Aeternus Deus est: *Qui solus habet immortalitatem ;* [39] animus noster nonnisi aeternam desiderat et expetit immortalitatem, vitae aeternitatem.

secundo ex ipsa excellentia naturali hominis;

Ex ipsa excellentia naturali hominis. Divus Moyses, cum primo introducit nomen Dei ineffabile, nominat illud in mundi maioris formatione: *In die qua creavit Dominus Deus coelum et terram ;* [40] postea statim cum secundo illud nominat est in formatione hominis minoris mundi: *Formavit . . . Dominus Deus hominem :* [41] *Dominus Deus,* יְהֹוָה אֱלֹהִים, [42] ens omnipotens, nam אֱלוֹהַּ a potentia dicitur. Ostendit omnipotentiam suam in hominis formatione

34) Gn 1, 26. 35) Ibid. Vulg.: *Praesit piscibus*, etc. 36) Cf. ibid. 2, 15-20. 37) Ps 8, 5-8. 38) Gn 2, 23-24. 39) 1 Tim 6, 16. 40) Gn 2, 4. Vulg.: *Quo fecit Dominus*, etc. 41) Ibid. vr. 7. 42) Ms.: *Iehovach Elohim*, et infra: *Eloha*.

nihilo minorem ac in mundi creatione ostenderat; nam si homo mole minor est, non tamen virtute minor, ratione animi cui totus mundus parvus est. [ita ut] novos etiam desideraret ac multos mundos, ut somniavit Democritus.[43]

Tandem collocata fuit lamina supra caput pontificis. Christus summus pontifex ac verus Deus, cuius iudicium errare non potest, animam nostram supra omnia aestimavit, supra honorem, supra vitam, nedum supra commoda vitae suae. Fuit lamina illa nobilis ab artifice, quia a Beseleel facta fuit, artifice sapientissimo, divina sapientia pleno;[44] sic anima nostra opus est non naturae, sed Dei. Nobilis illa a fine, quoniam soli Deo consecrata fuit; sic anima ad hunc finem facta fuit, ut soli Deo serviret, solum Deum coleret, agnosceret, amaret et frueretur, ut thronus esset Dei, locus divinae habitationis per gratiam et gloriam.

tertio e singulari amore et honore quo Deus hominem affecit.

IV. *Lucratus eris fratrem tuum.* Magnum lucrum, quia anima magnus thesaurus et inaestimabilis. Unde homini vita? unde sensus? unde lux oculorum? unde sanitas, pulcritudo, vires, ingenium, iudicium, omne bonum? Ab anima quae in corpore est veluti lux in lanterna, unde Petrus: *Velox est,* inquit, *depositio tabernaculi mei.*[45] Corpus dixit animae tabernaculum. Discedat anima a corpore, ubi sensus? ubi vita? ubi pulcritudo? ubi vires? Sed quanti fit vita! quanti lux oculorum! Quis hominum, si iudicio praeditus sit, commutabit vitam suam aut lucem oculorum suorum cum quovis mundi thesauro?

Pretiositas animae ostenditur etiam ex iis quae operatur in corpore.

Et tamen hi effectus sunt animae et effectus infimi. Quid si animam ipsam videre possemus? Appareret mirabilis illa mulier sole amicta, cum luna sub pedibus eius et in capite habens coronam stellarum duodecim:[46] summa nobilitas supra omnem corpoream creaturam. Duodecim lumina sunt cognitio Dei, Angelorum, coeli, elementorum istorum, inanimorum, plantarum, animalium, hominum, Ecclesiae Dei, synagogae satanae, gloriae paradisi, poenarum inferni. Haec sunt duodecim lumina splendidissima. Videretur anima Cherub cum flamma ignis et gladio,[47] nam triplex est vis animae: rationalis, concupiscibilis et irascibilis.

et praesertim ex intellectione.

43) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 9, pag. 379.
44) Cf. Ex 31, 2-5. 45) 2 Petr 1, 14. 46) Cf. Apc 12, 1. 47) Cf. Gn 3, 24.

Vult Deus ut animus noster sit Seraph caritate ardens,

V. *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe*, etc. Vult Deus ut animus noster sit sicut Seraph apud Isaiam, qui sex alis volabat, et videns Isaiam peccato pollutum, venit ad purgandum eum calculo ignito sumpto de altari Domini, nam ait: *Vae mihi quia tacui:* כי־נדמיתי, *quia perii, quia vir pollutus labiis ego sum.* Sed, inquit, venit *ad me unus de Seraphim et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari*, et veniens tetigit os eius et labia eius dicens: *Ecce tetigi hoc labia tua et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur.* [48] Sic Isaias seraphico ministerio purgatus, factus est salvus. Animus divina caritate praeditus vere seraph est, nam caritas ignis est divini amoris; sed Seraph cum sex alis, quia caritas in praesenti saeculo non potest esse sine fide, spe et sine quattuor virtutibus cardinalibus.

caritas enim ignis est extinguens peccatum

Videns autem Seraph Isaiam peccato pollutum, statim venit et purgavit eum ne periret. Sic Christus iubet: *Vade .... corripe* fratrem qui peccavit, nam *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Si in domo fratris tui accensus fuerit ignis peccati domum et omnia comburens, accurre, inquit, statim ad aquam ut ignem extinguas, nam peccatum ignis est omnia devorans.

et semper quaerit salutem proximi;

Vult Deus armatos nos esse gladio spiritus, *quod est verbum Dei*, [49] contra peccatum; ut sit quisque nostrum sicut Seraph, sicut Cherub, ferro et igne armatus *ad custodiendam viam ligni vitae.* [50] Nam hoc est quod requiritur in homine christiano: amor, caritas, desiderium salutis peccatoris et odium peccati. Salutis desiderium ignis est, odium peccati gladius acutus est. *Si peccaverit in te frater tuus :* ecce caritas, *frater tuus, vade.... corripe eum :* ecce odium peccati.

haec est quae nos Deo similes reddit.

Caritas nos Deo similes efficit, nam: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo.* [51] Calor nanque ignis, ferrum reddit igni quam simile. In Deo autem duo sunt: summus amor erga peccatorem et summum odium contra peccatum, ut destruat peccatum et salvet peccatorem. Sic requirit a nobis.

VI. Magnam vim contulit Deus linguae ad animos permovendos tum in bonum tum in malum; potentissima lingua est, ut patet in re-

48) 6, 5-7. Ms.: *Chi nidmethi.* Cf. not. 63 praec. hom., pag. 365. 49) Eph 6, 17.
50) Gn 3, 24. 51) 1 Io 4, 16.

buspublicis, in exercitibus, in concionibus, in gymnasiis. Vult autem Dominus ut lingua nostra sit gladius Gedeonis contra Madianitas, [52] armata sit in destructionem vitiorum. Lingua gladius acutissimus est, sed aliquando in manu Dei, aliquando in manu satanae; in manu Dei, cum mota a Spiritu Sancto arguit, corripit peccatores; sic lingua Christi dicta est *gladius* ex *utraque parte acutus,* [53] sic verbum Dei dicitur acutius *omni gladio ancipiti.* [54]

Vult etiam Deus ut lingua nostra gladius sit in destructionem vitiorum,

De Christo Isaias ait: *Percutiens terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium,* [55] sive perdet impietatem. Ad hoc enim venit Christus in mundum, ut lingua eius vere esset gladius Dei et Gedeonis contra daemones, contra vitia et peccata. Sed aliquando lingua gladius est in manu satanae, cum spiritu satanico mota murmurat, maledicit, perverse loquitur. O quot linguae spiritu satanico moventur ad murmurandum, non spiritu Dei ad corripiendum, eo quod refriguit caritas et abundavit iniquitas! [56] Diligitur enim, non odio habetur iniquitas.

sicut lingua Christi,

Vult hodie Dominus ut unusquisque nostrum sit pius ille samaritanus erga hominem, qui descendens *ab Ierusalem in Iericho . . . incidit in latrones.* Ne simus nos sicut sacerdos et levita qui, viso miserabili homine, pertransierunt. [57]

et ut simus omnes pii samaritani.

VII. *Si peccaverit . . . vade et corripe,* sicut Deus Adamum et Evam corripuit. [58] Non tamen semper necessaria est correptio, nam non corripuit Christus Magdalenam, [59] non clementissimus pater filium prodigum. [60] Aliquando requiritur, si peccatum emendatum non est, sicut Christus Thomam corripuit: *Noli esse incredulus, sed fidelis ;* [61] sicut filios Zebedaei: *Nescitis quid petatis.* [62] Aliquando acris correptio: *Vade post me, satana, scandalum mihi es,* [63] dixit Petro; *O stulti et tardi corde ad credendum!* [64] dixit duobus discipulis post resurrectionem suam; sic etiam increpavit *incredulitatem* Apostolorum *et duritiam cordis;* [65] acriter scribas et Pharisaeos corripiebat: *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae ;* [66] sicut et Ioannes Baptista in morem

Non semper necessaria est correptio, aliquando tamen requiritur et quidem acris.

52) Cf. Idc 7, 15 sqq. 53) Apc 1, 16. 54) Hebr 4, 12. 55) 11, 4. Vulg.: *Percutiet terram,* etc. 56) Cf. Mt 24, 12. 57) Lc 10, 30-37. 58) Cf. Gn 3, 8-13. 59) Cf. Lc 7, 37 sqq. 60) Cf. ibid. 15, 20-24. 61) Io 20, 27. 62) Mt 20, 22. 63) Ibid. 16, 23. Vulg.: *Scandalum es mihi.* 64) Lc 24, 25. 65) Mc 16, 14. 66) Mt 23, 14-15. 23. 25. 27. 29.

Eliae severus arguebat eos dicens: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura ?* [67] Sic Herodem corripuit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* [68]

et prudens medicus imitandus est, qui tantum desperatos morbos sine cura relinquit.

In correptionibus imitandus est prudens ac diligens medicus in curandis morbis; nunc enim dulcibus, nunc acribus et amaris pharmacis utitur, nunc ferrum etiam habet paratum et ignem in salutem infirmi. Hanc diligentiam a nobis hodie Christus requirit, donec videatur salus desperata, quod etiam medici faciunt, incurabiles enim et desperatos morbos sine cura relinquunt, ne oleum et operam perdant: [69] *Si . . . Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* [70]

67) Lc 3, 7. Vulg.: *A ventura ira.* 68) Mc 6, 18. 69) « Oleum et operam perdere », proverbium, de quo cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 255-257. 70) Mt 18, 17.

FERIA QUARTA

POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus suas cum panem, etc. [1]

Veri servi Dei similes sunt Angelis ministrantibus et assistentibus circa thronum Dei;

I. Veri et fideles servi Dei, qui *in sanctitate et iustitia* serviunt ei *coram ipso omnibus diebus* [2] vitae suae, similes Angelis ministrantibus, quos circa thronum Dei vidit Daniel, [3] aut Seraphim stantibus et volantibus, quos vidit Isaias, [4] elegantissima figura et hieroglyphico nobis sunt designati in cherubim aureis, quos ex divina ordinatione fecit Moyses ex auro purissimo intulitque in sanctum sanctorum cum propitiatorio et arca Dei. [5] Duos cherubim effecit ad designandam electorum multitudinem in duplici vitae statu; nam hi quidem sunt veluti Angeli administrantes, illi autem uti assistentes; aureos, ex metallo nobilissimo, splendido, fulgido, lucido: *Lux estis in Domino ; ut filii lucis ambulate.* [6] Erant veluti duo brachia aut duae manus divini propitiatorii: sunt hi veluti manus Dei, nam fidelis servus dicitur manus dextera domini sui: *Manus eius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis,* [7] quoniam perfectis insistunt operibus ex caritate, quae aurum ignitum est, igne probatum, purificatum, perfectum: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum . . . ut locuples fias;* [8] his autem operibus insistunt magno cum ornamento virtutum. Se invicem et divinum propitiatorium intuebantur propter geminam caritatem, alisque praediti alas tenebant extensas quasi parati ad volandum:

1) Pericope huius diei Mt 15, 1-20. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Traditionem seniorum*, etc. *Traditiones* lect. cod. 2) Lc 1, 75. 3) Cf. Dn 7, 10. 4) Cf. Is 6, 2-4. 5) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 7-9. 6) Eph 5, 8. 7) Ct 5, 14. Vulg.: *Manus illius*, etc. 8) Apc 3, 18.

promptissimo sunt animo ad divina exequenda mandata, sicut de Seraphim legimus. Haec sunt veluti exemplaria et vivae imagines fidelium servorum Dei.

qui autem ficte Deo serviunt similes sunt Pharisaeis hypocritis.

Qui autem ficte Deo serviunt, ut scribae et Pharisaei, qui hodie a Christo *hypocritae* appellantur, qui hominis personati larvam gestantes virtutis, simiae servorum Dei, hi sunt veluti cherubim quos fecit Salomon et in sanctuario Domini posuit absque divina ordinatione, valde differentes a cherubim Moysi; nam cherubim quidem Moysi toti erant ex solido optimoque auro, sed cherubim Salomonis statuae erant ligneae, sed exterius deauratae: [9] ecce hypocrisis hieroglyphicum, quae imago satanae est, cum *se transfigurat in Angelum lucis,* [10] nam Christus hypocritas *sepulcra dealbata,* [11] idest illustria splendidaque principum ac nobilium virorum, appellavit *vulpesque* [12] in quibus praeter pellem nil boni est; statuae sunt ligneae, sed deauratae in templo Dei: *Speciem quidem pietatis habentes,* ut ait Apostolus, *virtutem autem eius abnegantes.* [13]

Hypocritae externe tantum pietatem profitentur.

II. Est hypocrisis uxor Ieroboam, quae mutato habitu venit ad prophetam Dei, aliam se esse dissimulans; [14] templum est idolorum, specie templo Dei simile. Hinc ait ad hos Christus hodie: *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. In vanum autem colunt me.* [15] En aurum exterius: *Labiis me honorat,* multis Psalmorum cantilenis, longam orationem orantes, [16] sed intus lignum est aridum: *Cor ... eorum longe est a me,* ideo *in vanum ... colunt me.*

veri fideles in spiritu Deo serviunt;

Cherubim Moysi ex divina ordinatione positi fuerunt in sanctuario, non autem cherubim Salomon: veri servi Dei vocati ab ipso sunt ad religionem et cultum Dei, sicut Samuel, [17] siquidem: *Quos ... praedestinavit, hos et vocavit ... et iustificavit ... et magnificavit;* [18] non sic autem hypocritae, hinc ait hodie: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.* [19] Multi ad Ecclesiam ducuntur ex ambitione et avaritia, non ut Deo serviant, sed ut sint

9) Cf. 3 Rg 6, 23-28; 2 Par 3, 10. 10) 2 Cor 11, 14. Vulg.: *Transfigurat se,* etc. 11) Cf. Mt 23, 23. 12) Cf. Lc 13, 32. 13) 2 Tim 3, 5. Vulg.: *Habentes speciem quidem pietatis,* etc. 14) Cf. 3 Rg 14, 1-2. 15) Mt 15, 7-9. Vulg.: *Sine causa autem,* etc. 16) Cf. ibid. 23, 14; Mc 12, 40; Lc 20, 47. 17) Cf. 1 Rg 3, 1 sqq. 18) Rom 8, 30. Vulg.: *Et glorificavit. Magnificavit* lect. cod. 19) Mt 15, 13.

honoratiores et locupletiores: *Caeci sunt et duces caecorum ; si autem caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* [20]

Cherubim Moysi parvi erant veluti duo pueri, cherubim autem Salomonis veluti duae statuae gigantum, decem cubitorum altitudinis et similiter latitudinis, extensis in latum alis: veri servi Dei humiles sunt, nam ait: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum ;* [21] hypocritae autem tumidi sunt, superbi, elati, gloriae avidissimi: *Omnia ... opera ... faciunt ut glorificentur ab hominibus ;* [22] magna superbia hodie audent Christum Filium Dei arguere: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* **isti humiles sunt, illi autem tumidi;**

Tandem cherubim Moysi divinum propitiatorium intuebantur et in se invicem respiciebant propter geminam servorum Dei caritatem; cherubim autem Salomonis neutrum horum faciebant, sed *versae*, inquit, *erant facies eorum ad exteriorem domum :* [23] servi Dei interiora semper respiciunt ut summa cum cordis puritate, *cum conscientia bona et fide non ficta* Deo ex caritate serviant, nam: *Finis ... praecepti est caritas ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta;* [24] hypocritae autem nonnisi ad exteriorem cultum respiciunt, ut manus habeant mundas: *Non ... lavant manus suas cum panem manducant,* [25] cum Deus potius pedum munditiam requirat; Abraham nanque peregrinis omnibus pedes abluebat, pedes lavabat; [26] Dominus etiam pedes discipulorum suorum lavare voluit, et Petro renuenti dixit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* [27] **isti summa puritate interiore nitent, illi nonnisi ad cultum externum respiciunt.**

III. Deus, cum Moysen ad se primo vocavit de rubo ardenti, dixit ei: *Solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est ;* [28] similiter Iosue mandavit. [29] Difficilis est locus ad quid Deus caeremoniam hanc Moysi mandavit, cum Deus nihil frustra faciat aut iubeat. Forte in signum quod Aegyptum spoliaturus erat bonis, sicut ob hanc causam iussit Isaiam per civitatem ire discalceatum ac fere nudum. [30] Vel quia, cum pedes animi affectus **Cum Deus Moysen vocavit, primo praecepit ei ut calceamenta solveret,**

20) Ibid. vr. 14. Vulg.: *Caecus autem, si caeco,* etc. 21) Ibid. 18, 3. 22) Ibid. 23, 5. Vulg.: *Ut videantur ab hominibus.* 23) 2 Par 3, 13. Vulg.: *Facies eorum erant versae,* etc. 24) 1 Tim 1, 5. Vulg.: *De corde puro,* etc. 25) Mt 15, 2. 26) Cf. Gn 18, 4. 27) Io 13, 8. 28) Ex 3, 5. Vulg.: *Solve calceamentum.* 29) Cf. Ios 5, 16. 30) Cf. Is 20, 2-3.

designent, animum requirit Deus solutum, liberum, carnalibus curis minime obvolutum. Vel ad designandum quod Deus finis noster est, quem cum invenerimus, quiescendum nobis est nec ultra progrediendum; hinc nanque iussit Hebraeos agnum calceatos comedere, baculos tenentes in manibus, quoniam profecturi erant in terram promissionis et per desertum peregrinaturi, egressi ex Aegypto.[31] Cum igitur invenitur Deus, abiciuntur calceamenta, quoniam deventum ad finem est, quiescendum est. Vel quoniam caritatem et spiritus fervorem a nobis maxime requirit Deus; animus autem noster saepe friget, ideo iubetur solvere calceamenta de pedibus suis Moyses, ut ad divinum ignem frigidos pedes calefaceret,[32] erat enim tunc hiems.[33] Vel etiam quia, ut in libro *Ruth* legimus, mos erat antiquitus ut qui iuri suo cedebat et alteri concedebat, pedes suos discalcearet;[34] sic vult Deus ut qui Deo accedit, cedat iuri mundi et carnis; vel quia accedenti ad Deum necessaria poenitentia est et carnis afflictio, sicut David in afflictione sua ad placandam iram Dei nudis pedibus incedebat ad montem Oliveti;[35] sic iubetur Moyses nudis pedibus ad Deum accedere in deserto senticoso, ut sentiret spinarum aculeos: *Qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.*[36]

multa mystice significans,

Sed specialiter hanc ob causam iussisse caeremoniam hanc Deus mihi videtur, ut sciamus quod accedenti ad Deum summa diligentia intuendi sunt pedes affectuum animi, ut videantur mundi ne sint an immundi, ne immundo corde et impura conscientia accedamus ad Deum, summum puritatis et sanctitatis amatorem. Scribae autem et Pharisaei hypocritae pedum munditiam nihil curabant, sed tantum manuum, cum tamen Ieremias defleat synagogae ruinam eo quod *sordes eius in pedibus*, nec sit recordata finis sui.[37] Non curant leges Dei, sed tantum mandata hominum et leges mundi: *Timuerunt me*, idest coluerunt, *mandato hominum et doctrinis*,[38] inquit per Isaiam; hac tantum in re existimaverunt cultum Dei et sacram religionem consistere; non delectabantur nisi externa specie sancti-

sed specialiter quod accedenti ad Deum intuendi sunt affectus animi;

Pharisaei autem nonnisi externam sanctitatem curabant.

31) Cf. Ex 12, 10. 32) Ms.: *Calcearet.* 33) Non dicitur in Scriptura quonam anni tempore Dominus in rubo Moysi apparuerit. Sed cum egressus Israel de Aegypto in mense Martio advenerit, arguitur apparitionem rubi hiemali tempore evenisse. Insuper ex Ex 9, 31-32 eruitur plagam grandinis sub finem Ianuarii vel initio Februarii immissam fuisse. Cf. etiam Aug. Calmet *Comment. in Exodum, Tabula Chronologica*, pag. 307. 34) Cf. 4, 7. 35) Cf. 2 Rg 15, 30. 36) Gal 5, 24. 37) Thr 1, 9. 38) 29, 13.

tatis, sicut adulterinae gemmae falsaeque monetae, cherubim foris aurei, intus ignei: *Quare ..... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?..... Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* [39] Ficta praediti estis iustitia, falsa sanctitate.

IV. Hinc scribas et Pharisaeos hos Regius Vates *Psalmo 57* sic alloquitur dicens: *Si vere utique iustitiam loquimini,* si vero iustitiae zelo praediti estis, *recta iudicate, filii hominum,* homines terreni, mundani, filii Adam - sic appellantur ignobiles obscenique homines, - recta iudicate, bene agite, divinas servate leges; *etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniustitias manus vestrae concinnant,* transgredientes legem Dei propter traditionem vestram. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero:* ab incunabulis, a teneris unguiculis, a matrum visceribus alienati sunt a vero Dei cultu et iustitia, *locuti sunt falsa. Furor,* venenum, *illis secundum similitudinem serpentis:* similes, inquit, serpentibus sunt, foris quidem pulcra colorum varietate oculos pellicientes, intus autem pleni veneno mortifero, non qualicunque, sed nocentissimo: *Sicut aspidis surdae et obturantis aures suas, ut non exaudiat vocem incantantis et venefici incantantis sapienter.* [40] Sic describit hos hypocritas sycophantas, calumniatores Christi, obturantes cordis aures ne salutaria Christi monita susciperent, sed a Christo abeunt scandalizati.

Hos alloquitur Regius Vates

vocans eos similes serpentibus.

Christus autem praedicens futuram illorum damnationem ait: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur. Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum; caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* Duplici parabola, aut, si mavis, mataphora, describit perditionem eorum, sicut et Regius Vates eodem *Psalmo: Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus. Ad nihilum devenient sicut aqua decurrens; intendit arcum suum donec infirmentur,* sive tendat sagittas suas Deus et statim excidentur, peribunt; *sicut cera quae fluit auferentur, supercecidit ignis et non viderunt solem,* hebraice: *Limax colliquescens,* [41] idest in limum abiens, abibit quisque eorum, sicut abortivum mulieris quod non vidit solem; perdentur, inquit, ac si nun-

Christus autem duplici metaphora praedicit duplicem futuram illorum perditionem,

39) Mt 15, 3-6. 40) Hebraice Ps 58, 2-6. 41) Ibid. vrr. 7-9.

quam extiterint, sicut abortivus qui in matris utero moritur. Et tandem: *Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum, sicut viventes sic in ira absorbet eos:* priusquam spinae malitiae et perversitatis intelligerent se adolevisse et crevisse in rhamnum perfectae malitiae, *in ira absorbet eos*, vel ex hebraico: *Priusquam intelligerent ollae vestrae rhamnum,* [42] idest ignem ex rhamno spinisque; nam spinae tunc adhibebantur ad ignem, unde ait: *Exarserunt sicut ignis in spinis,* [43] et Salomon: *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.* [44] Ait ergo: priusquam ollae sentirent ignem spinarum, in ira sua Deus quasi viventes, idest crudas carnes comedet; sumpta similitudine ab homine magna fame laborante, ita ut fame stimulatus ferre non possit moram ut coquatur caro, sed crudas prope carnes extrahit ex olla, sicut nos dicere solemus de homine crudeli odio aliquem persequente, quod vivum illum comederet, quod in veneni poculo illum biberet; [45] sic inquit facturam Dei iram cum ipsis hypocritis inimicis Christi, sub specie tamen et larva amicitiae, quod proditionis est genus sub amici persona inimicum animum gerere, sicut Ioab cum Abner, [46] Iudas cum Christo. [47]

sicut idem Vates describit terribilem iram Dei contra illos;

Tales erant scribae et Pharisaei: in specie quidem religiosi viri ac servi Dei, vere autem inimici Dei et transgressores divinarum legum: *Transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram:* foris iusti, intus, inquit, pravo animo et corde; hinc ait: *De corde... exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae: haec sunt quae coinquinant hominem.* [48]

erant enim vere inimici Dei,

His autem vitiis contaminatos notavit Dominus scribas et Pharisaeos, qui Davidi olim peccatori similes erant: magnum iustitiae zelum ostendit contra hominem qui rapuerat ovem, adeo ut morte dignum iudicarit, cum tamen ipse adulterio et homicidio contaminatus esset, gravissima facinora contra sanctissimas Dei leges admisisset; [49] sic, inquam, Pharisaei.

iustitiae zelum ostendentes, sed gravissima facinora contra legem Dei admittentes.

Severe Dominus hodie corripuit hypocritas eorumque detexit occultam malitiam, quoniam summopere hypocrisim abominatur Deus. Hinc semper Christus, cum in alios quidem peccatores clemen-

42) Ibid. vr. 10. 43) Ps 117, 12. 44) Eccle 7, 7. 45) Modi populares loquendi nunc quoque vulgatissimi. 46) Cf. 2 Rg 3, 27 sqq. 47) Cf. Mt 26, 47-50; Mc 14, 43-45; Lc 22, 47-48. 48) Mt 15, 19-20. 49) Cf. 2 Rg 11, 1-12, 1-9.

tissimum patrem ageret, in hypocritas semper iudicem egit severissimum: *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae!* [50] *Utinam esses calidus aut frigidus! Sed quia tepidus es et nec calidus nec frigidus, incipiam te evomere ex ore meo.* [51] Quia licet status hypocritarum minus videatur malus quam status peccatorum, est tamen multo periculosior, cum non cognoscant infirmitatem suam, quod ad damnationem sufficit tantum caritatis defectus. Habet quis aliquando ulcus internum quod non cognoscitur. Occultum apostema multo periculosius est quam si manifestum esset, manifestum enim facilius, adhibito cataplasmate, curari potest. Hypocrisis pestis occulta est.

Severe Christus arguit hypocritas, quia summopere Deus eos abominatur.

V. Duo legum genera proponuntur in hodierno Evangelio: leges divinae et leges humanae, mandata Dei et traditiones hominum. Lex Dei arbor vitae est, lex autem mundi lignum est scientiae boni et mali; [52] lex Dei sicut sol, lex mundi sicut luna; lex Dei scala coeli est: *Si . . . vis ad vitam ingredi, serva mandata;* [53] duo stipites sunt timor et spes: *Ego sum Dominus Deus tuus,* Deus *zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios . . . his qui oderunt me, et faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me et custodiunt mandata mea.* [54] Gradus autem sunt divina praecepta; per hanc scalam ascendunt Angeli, [55] spiritus angelici, animae sanctae in coelum.

Duo legum genera proponuntur hodie: lex divina, quae coeli scala est,

Lex autem mundi turris est Babel per quam homines ascendere volebant in coelum. [56] Displicuit autem Deo aedificium illud, sic hodie Christo displicet scribarum et Pharisaeorum traditio quam destruit. Alta videbatur turris: *Munus quodcunque est ex me tibi proderit,* [57] sed tamen contra caritatem erat, contra legem Dei, contra pietatem erga parentes.

mundana, quae est contra legem Dei.

Docet Christus quod leges Dei praeferendae sunt legibus mundi, mandata Dei traditionibus humanis, et hoc quidem multis de causis. Primo, propter summam Dei auctoritatem, nam Deus *Rex regum* est *et Dominus dominantium:* [58] *Deus dixit.* [59] Utinam hoc percepissent parentes nostri cum satanas dixit: *Cur praecepit vobis Deus ne come-*

Docet Christus praeferendam esse legem divinam propter summam Dei, auctoritatem,

50) Mt 23, 13-15. 23. 25. 27. 29. 51) Apc 3, 16. Vulg.: *Utinam frigidus esses aut calidus! . . . nec frigidus nec calidus, incipiam,* etc. 52) Cf. ibid. 2, 9. 53) Mt 19, 17. 54) Ex 20, 5-6. Vulg.: *Eorum qui oderunt . . in millia his qui . . . custodiunt praecepta mea.* etc. 55) Cf. Gn 28, 12. 56) Cf. Gn 11, 6-9. 57) Mt 15, 5. 58) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 59) Mt 15, 4.

deretis de omni ligno paradisi?[60] atque dixissent: Sufficit nobis divina auctoritas, praecepit Deus, obediendum nobis est. Sicut Deus infinitis partibus maior est homine, ita divina auctoritas omni humana, licet suprema imperiali aut pontificia auctoritate.

propter ipsius legis sanctitatem et iustitiam,

Secundo, ratione eorum quae divinis legibus continentur, nam: *Lex Domini immaculata, convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda; praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos, timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi; iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.*[61] Leges Domini omnes iustissimae et sanctissimae sunt, leges autem humanae saepe iniustae sunt, divinis legibus contrariae: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

dum leges humanae saepe iniustae sunt et impiae;

Saepe mundi principes ferunt leges iniquas avaritia excaecati, sicut erant scribarum et Pharisaeorum traditiones. Lex Dei est arcus in manu Christi, sedentis super equum album in *Apocalypsi;* lex autem mundi saepe bilanx est in manu satanae sedentis super equum nigrum;[62] saepe autem bilancibus et stateris multae fiunt iniustitiae, fraudes, doli, ob inaequalia et iniusta pondera.

insuper lex divina universalis est et perpetua,

Lex divina est volumen illud volans, quod in spiritu vidit Zacharias propheta, quod erat veluti diphthera, nam descriptae erant in eo poenae omnium peccatorum eratque decem cubitorum latitudinis et viginti cubitorum longitudinis.[63] Lex enim Dei universalis est et perpetua: *Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi;* sed lex mundi amphora illa est apud eundem Vatem, mensura iustitiae, sed in medio eius erat iniquitas.[64]

et levis, quia legi naturali conformis, humanae autem leges saepe gravissimae sunt,

Deinde, mandata quidem Dei levia sunt: *Iugum... meum suave est et onus meum leve;*[65] humanae autem leges saepe gravissimae sunt, mosaica lege multo graviores; hinc ait Zacharias quod magnum talentum, magna plumbi massa immissa fuit in os amphorae.[66] Levis lex est Dei, nam legi naturali summe conformis est: *Deus dixit: Honora patrem* tuum *et matrem* tuam,[67] quod quidem ipsa natura docet et ante legem latam natura ducti hoc servaverunt Sem et Iaphet,[68] Isaac,[69] Iacob,[70] Ioseph[71] et alii; imo tunc temporis

60) Gn 3, 1. 61) Ps 18, 8-10. 62) Cf. 6, 2-5. 63) Cf. 5, 1-3. 64) Cf. ibid. vrr. 6-8. 65) Mt 11, 30. 66) Cf. 5, 8. 67) Mt 15, 3-4. 68) Cf. Gn 9, 21-23. 69) Cf. ibid. 25, 9. 70) Cf. ibid. 35, 29. 71) Cf. ibid. 50, 1-3.

filii paternam benedictionem ante mortem maximi faciebant tanquam inaestimabilem thesaurum.[72]

Leges humanae imperfectae admodum sunt, nonnisi manuum lotionem praecipiunt, manus respiciunt, non animum; manuum exigunt munditiam et saepe sub larva iustitiae latet iniquitas, sicut Zacharias ait quod latebat iniquitas intra amphoram. Et saepe humanae leges nonnisi ab avaritia et gloriae cupiditate tractantur, sicut Vates ait quod amphora illa elevata in altum fuit a duobus mulieribus, quae milvi alas habebant, delataque fuit in Babylonem ut ibi aedificaretur ei domus.[73] A Babylone coepit mundi regnum;[74] multa sunt autem regna quae nonnisi humanis legibus, quas dicunt rationes status, gubernantur.[75] Leges autem Dei perfectae sunt, nullam permittunt iniquitatem, perfectam exigunt a nobis iustitiam, ut sit unusquisque *innocens manibus et mundo corde.*[76] In primis requirit a nobis animi candorem, cordis puritatem, bonam sanctamque conscientiam; hinc de cordis puritate seriose loquitur hodie Salvator cum Apostolis, declarans quod a corde pravo et perverso ortum habent mala omnia, quae hominem in oculis Dei inquinant et sordidum immundumque reddunt.

imperfectae et multas iniquitates permittunt,

lex autem Dei perfectam exigit iustitiam;

Tandem, humanae quidem leges transgressoribus graves minantur et intentant poenas, nulla autem praemia iustis servatoribus [promittunt]. Non sic autem divinae, sed transgressoribus supplicia minantur: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur,*[77] et servatoribus magna praemia ingentesque coronas promittunt: *Honora patrem tuum et matrem ... ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.*[78] Urget Dominus hodie acutissimis

leges humanae poenas intentant, sed praemia non dant,

lex divina servatoribus praemia

72) Cf. ibid. 27, 1-41. 73) Cf. 5, 9 sqq. 74) Cf. Gn 10, 10 sqq. 75) S. Auctor evidenter alludit hic ad nequissimum systema quod primus videtur exposuisse Marsilius Patavinus, qui in opere *Defensor Pacis* docens Statum habere supremam et absolutam potestatem in mundo, supra ipsam quoque Ecclesiam, licitum illi faciebat omne libitum, dummodo aliqua specie boni publici cohonestari potuisset. Hunc secutus est Nicolaus Macchiavelli. Theoria haec, ait Lud. Pastor, quae potestati civili quandam omnipotentiam tribuens omnem libertatem individualem et ecclesiasticam destruit, ausu, novitate et violentia omnes impetus excedit quos Ecclesia ad illum diem sustinuerat. Executioni mandata ordinem tunc existentem funditus evertisset et tam Ecclesiam quam imperium ad extremum exitium propulisset; ita ut dici possit Marsilius praecursor fuisse Wicleffi, Huss, Lutheri et Calvini. *Storia dei Papi*, vol. 1, lib. 1, pag. 69. Cf. etiam Gius. Hergenröther *Storia Universale della Chiesa*, vol. 5, part. 3, cp. 2, pag. 32-33; Baldassare Labanca *Marsilio da Padova;* Giov. Botero *Della Ragion di Stato*, cum *Praefatione* C. Morandi. 76) Ps 23, 4. 77) Ex 21, 17; Lv 20, 9; Mt 15, 4. 78) Ex 20, 12; Dt 5, 16.

et transgressoribus poenas proponit.

calcaribus timoris et spei ut divina praecepta servemus, propositis aeternis praemiis aeternisque suppliciis servatoribus aut transgressoribus.

Lex divina a suprema Dei auctoritate, sapientia et iustitia est;

VI. *Deus dixit : Honora patrem* tuum. In legislatore requiritur summa quidem auctoritas ut obediatur, sed cum summa sapientia ac summa iustitia et integritate coniuncta, ut lata lex iusta sit sanctaque, et sapientissime ac prudentissime lata. Talem Deus Moysen legislatorem instituit, talem postea Christum misit. Sed: *Deus,* inquit, *dixit.* Quid sublimius? Quae maior auctoritas, sapientia, iustitia aut sanctitas desiderari potest? *Deus dixit, Deus deorum,* [79] *Rex regum et Dominus dominantium.*

nos autem insipienter mundi leges magis quam divinas servamus;

Cum Israelitae divino miraculo per Eliam cognoverunt Deum esse potentiorem Baal, Deum verum adoravere et coluere. [80] Nos autem, fratres, cur non unius summi Dei, quem solum agnoscere et credere dicimus, mandata servamus, scita custodimus? Similes videmur Philisthaeis, qui agnoverunt quidem Deum Israel in arca testamenti potentiorem esse deo ipsorum Dagone, sed tamen cultum Dei Israel suscipere noluerunt, dicentes quod dura erat manus ipsius contra eos et contra Dagonem deum ipsorum. [81] Nos adhuc, fratres, mundum magis quam Deum colere volumus? Mundi leges, imo, quid dico leges? dico vitia, servamus, quam sanctissimas leges Dei. Patet luce clarius in pompis et vanitatibus mundi, patet in legibus duelli et iis quae ad honorem spectare videntur.

sed cum ad tribunal Dei statuemur, nullas excusationes habebimus.

Sed advertite, fratres, quod cum Dominus hodie scribis et Pharisaeis dixerit: *Quare . . . vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ?* obmutuerunt, sicut ille cui dixit rex: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ?* [82] obmutuit, excusationem quam afferre posset non invenit. Nunc autem multas excusationes habemus, sed umbrae sunt vanissimae. Hi qui longe sunt ab ecliptica corpore, magnas efficiunt umbras; qui autem sub ecliptica sunt, nullas. Fratres mei, nunc longe sumus a Deo, hinc Deus parvus est in oculis nostris; mundum maximi facimus, honor mundi res maximi videtur momenti; sed cum ad Dei tribunal statuemur, non sic erit; tunc clare videbimus

79) Ps 49, 1. 80) Cf. 3 Rg 18, 19-39. 81) Cf. 1 Rg 5, 1-8. 82) Mt 22, 11-12.

quod mundus nihil est nisi umbra, propterea respondere non poterimus.

VII. *Deus dixit : Honora patrem* tuum *et matrem.... et : Qui maledixerit patri vel matri, morte*, etc. [83] Servantibus divinum hoc praeceptum in Sacris Litteris multa magnaque praemia promittuntur; e contra, vero, non servantibus multa supplicia. In *Deuteronomio* Dei voce et totius populi *maledictus* est *qui non honorat patrem suum et matrem* suam, [84] nam vere non potest Dei amicus esse; qui enim non honorat nec diligit patrem, quem videt, *Deum, quem non videt, quomodo diligere potest* [85] et honorare?

Magna praemia promittuntur honorantibus parentes.

Multi sunt parentes qui de filiis conqueruntur, sed: *Quae... seminaverit homo, haec et metet.* [86] Verum quidem est quod aliquando filii pessimae cuiusdam naturae videntur esse, ita ut licet a parentibus sint optime educati, quales fuerunt filii David, tamen lupus non potest non esse lupus, licet domi sit a pastore educatus. Verum enimvero, ut plurimum vitia filiorum parentibus imputantur. Quandiu filii in aetate sunt tenera, instar terrae sunt aptae ad semen omne recipiendum, in qua plantarum omne genus plantari possit. Videte, parentes, quid seminetis, quid plantetis, quae exempla filiis vestris praebeatis. Agendum vobis est sicut Deus egit cum populo Israel, de quo ait: *Filius meus primogenitus Israel;* [87] cum enim de terra Aegypti eduxisset, non statim in terram promissionis introduxit, sed multis annis in deserto retinuit, legem dedit, divinam religionem cultumque docuit, moralem utique et divinam philosophiam, optimos mores, vitam filiis Dei dignam.

Multi parentes de filiis conqueruntur,

sed, ut plurimum, vitia filiorum ipsis parentibus imputanda sunt.

VIII. *Honora patrem* tuum *et matrem.* Quia pater imago quaedam Dei est viva et naturalis, ostendens nobis divinam erga nos caritatem et providentiam, ideo sicut imago Dei honore et reverentia digna est, adoramus sacras imagines Christi, sic pater honorandus est. Tria accepimus a parentibus: esse, vivere et bene vivere secundum virtutem; generationem, conservationem et educationem; ideo tria debemus eis: amorem, honorem et obedientiam veram, ut uno dicam verbo,

A parentibus tria accepimus: vitam, conservationem et educationem;

83) Ibid. 15, 4. 84) 27, 16. 85) 1 Io 4, 20. Vulg.: *Potest diligere?*
86) Gal 6, 8. 87) Ex 4, 22.

Ideo tria illis debemus: amorem honorem et obedientiam.

gratitudinem, veram grati animi exhibitionem, nam nonnisi impares gratias referre possumus pro acceptis beneficiis, magnis illis quidem et magna cum caritate praestitis. Quis verbis assequi possit caritatem et beneficia parentum erga filios? Parentes post Deum summi sunt benefactores nostri, maxima ab eis accepimus beneficia; quare summopere diligendi nobis sunt et pro viribus beneficiis afficiendi. Ingratitudo nanque Deo supra quam dici potest odio est, fontem divinae misericordiae exiccat. Cham propter iniuriam Noe patri factam maledictus fuit;[88] Absalom infelicissima morte interiit.[89] Salomon ait: *Oculum qui subsannat patrem... effodiant... corvi.*[90] Sic: *Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur :* lapidibus obrui iniquus filius divina lege iubetur.[91]

II. ALIA HOMILIA

Quare... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum, etc.[1]

In hodierno Evangelio duae leges reperiuntur: divina et humana;

I. Sicut in terrestri paradiso inter multas arbores duae memorantur insignes: arbor vitae et arbor scientiae boni et mali,[2] et in coelo inter astra innumera duo luminaria magna: sol et luna,[3] in domo Abrahae duae mulieres: Sara et Agar,[4] quas Apostolus allegorice interpretatus dixit significare duo Testamenta: legem Moysi et Evangelium Christi,[5] sic in hodierno Evangelio reperiuntur duae leges: divina et humana; illa Sara est domina, haec Agar ancilla.

sed lex humana saepe cum divina contendit.

Sed sicut Agar cum Sara de primatu contendebat, in domo ipsa dominari volebat, quare opus fuit ut eam Abraham, Dei etiam iussu, e domo eiceret,[6] sic homo, lex humana de primatu cum divina contendit legemque divinam contemnit, sicut Agar Saram contemnebat:[7] *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*[8] Quandiu Agar in domo Abrahae humilis mansit et obediens ancilla, dilexit eam Sara, Abrahamo eam dedit uxorem ut ex ea filios procrearet; sed

88) Cf. Gn 9, 20-27. 89) Cf. 2 Rg 18, 6-15. 90) Prv 30, 17. 91) Cf. Dt 21, 18-21.

1) Mt 15, 3-4. 2) Cf. Gn 2, 9. 3) Cf. ibid. 1, 16-18. 4) Cf. ibid. 16, 1-3. 5) Cf. Gal 4, 22 sqq. 6) Cf. Gn 21, 9-14; Gal 4, 30. 7) Cf. Gn 16, 4-6. 8) Mt 15, 6.

cum ipsa dilectam honoratamque se videns, in superbiam elata fuit cóepitque cum ea contendere, tunc domo pulsa fuit.

Lex divina non prohibet leges humanas, imo favet eis, praecipiens ut regibus et principibus debitus honor et obedientia praestetur; sed iniustas damnat et divinae legi contrarias. Sic Christus hodie non omnes humanas traditiones damnat, non dicit malas fuisse traditiones seniorum, sed damnat traditiones scribarum et Pharisaeorum iniustas et impias, contrarias divinae legi: *Transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras; Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram ; Oportet* autem *Deo magis obedire quam hominibus.* [9]

Lex divina favet legibus humanis iustis, damnat iniustas.

Sed philosophemur, quaeso, parumper et videamus qualis sit natura harum legum et quid discriminis sit inter eas. Necessariae sunt leges reipublicae sicut moenia civitatibus, sepes et maceriae hortis ac vineis, imo sicut anima corpori, nam lex veluti anima reipublicae est. Sed ob defectum caritatis introducta est lex; si enim vera caritas vigeret, lex necessaria non esset. Prudens paterfamilias ad regendam domum legibus non habet opus, si filii fraterna se diligunt caritate.

Leges necessariae sunt reipublicae ob defectum caritatis,

Hoc est quod dixit Apostolus : *Plenitudo . . . legis est dilectio* [10] Qui enim vere diligit amicum, minime laedit, sicut nec parentes familiam suam ob naturalem caritatem. Hinc etiam Paulus ait quod *lex iusto non est posita,* [11] iusto et sapienti viro. Qui ex animo virtutem diligit, sicut mater unicam prolem, non expectat praecepta legis aut superioris ad excercenda opera virtutum. Agit omnia amor; sed quoniam peccati causa ab initio defecit caritas, Cain odio habuit occiditque fratrem suum Abel, [12] propterea introducta est lex et duplex lex : divina et humana ; duo luminaria : sol in potestatem et moderatorem diei et luna ad moderandum regnum tenebrarum.

nam verus iustus non eget praecepto ut virtutem exerceat.

II. De lege divina verba faciens Regius Vates ait: *Lex Domini immaculata, convertens animas ; testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis.* [13] Quattuor dicit, nam utique quattuor sunt munera iustissimarum et sanctissimarum legum. extirpare vitia puniendo peccata, regulare mores hominum praecipiendo virtutum

Regius Vates quattuor affert munera divinae legis:

9) Act 5, 29. Vulg.: *Obedire oportet Deo magis*, etc. 10) Rom 13, 10. 11) 1 Tim 1, 9. 12) Cf. Gn 4, 8. 13) Ps 18 (hebr. 19), 8.

opera, procurare bonam pacem et felicitatem reipublicae, ac tandem dare veram et facilem cognitionem virtutum et vitiorum, bonorum quae agenda sunt et malorum quae fugienda. Ergo *lex Domini immaculata*, quoniam vitam, mentem, conscientiam immaculatam requirit, nullum vitium aut peccatum permittit impune; *convertens animam*, reducens eam ad veram virtutem vitaeque sanctitatem internam et externam; *praeceptum Domini fidele*, verum in minis atque promissis; et tandem *sapientiam praestans parvulis*, doctrina facilis est: *Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Lex Domini immaculata*, quia *timor Domini sanctus*, purus, *permanens in saeculum saeculi ; iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa:* vera et iusta, pariter, tum quoad intellectum tum quoad voluntatem, nam: *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum. Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa ;* cognitionem dat virtutum et vitiorum: *Delicta quis intelligit ? Ab occultis meis munda me et ab alienis, a praesumptionibus, parce servo tuo*, nam *si mei non fuerint dominati* errores, *tunc immaculatus ero et emundabor a delicto maximo*, multo, a multitudine peccatorum; *et erunt ut complaceant eloquia oris mei et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper:* [14] placebunt tibi preces et orationes meae, si vitam duxero immaculatam iuxta regulam sanctissimae legis tuae: *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia.* [15] Regula est norma iuste sancteque vivendi rectissima, amussis iustissima. Lex Dei est Evangelium Christi: *In omnem terram exivit sonus eorum,* [16] linea, regula, canon eorum. Sic: *Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda.* [17]

extirpare vitia, regulare mores, procurare felicitatem,

dare cognitionem virtutum ac vitiorum.

III. Sed non sine causa dicitur *lex*, non leges hodie; *mandatum*, non mandata, cui opponuntur traditiones seniorum: [18] *Propter traditiones vestras*. Multo plura praecipit lex humana quam divina, multo plura principes quam Deus. *Lex Domini*, doctrina Domini, *immaculata;* ideo immaculata quia Domini, nam Deus omnipotens est, infinitae sapientiae, infinitae bonitatis; non fert leges ex necessitate, quia bonorum nostrorum non indiget, [19] thesaurus est infinitarum aeternarumque divitia-

Lex divina est ab infinita potentia, sapientia et bonitate Dei,

14) Ibid. vrr. 9 sqq. 15) Gal 6, 16. 16) Ps 18 (hebr. 19), 5; Rom 10, 18.
17) Ps 18 (hebr. 19), 9. 18) Ms.: *Et* adicitur. 19) Cf. Ps 15, 2.

rum; nullus in eo potest esse error, nulla falsitas, quia infinita eius est sapientia; nulla perversitas et iniustitia in ea vel praecipi vel permitti, quia in eo summa bonitas, summa sanctitas, summa iustitia et caritas paterna optimi patris erga dilectissimos filios. Qualem legem et qualia mandata dare posset optimus et sapientissimus pater dilectissimis filiis, talem legem taliaque praecepta et regulas vitae dat Deus mundo. *Lex Domini immaculata, convertens animas* a malo ad bonum, a vitiis ad virtutes, a mundo ad Deum, ut ipsum Deum toto corde super omnia diligamus.

praecipit internam et externam sanctitatem.

Non sic mundana lex; nonnisi manuum munditiem quaerit, Deus autem totius corporis puritatem; bona opera, si qua quaerit, externa tantum non interna, et externorum non finem, non intentionem; divina autem lex non tantum externa opera requirit, sed etiam internas virtutes animique intentiones, scopum et finem. In primis cor a nobis requirit, alioquin ait: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me ; in vanum autem colunt me,* [20] nam cum spiritus sit Deus, veros adoratores quaerit qui adorent eum *in spiritu et veritate.* [21]

humana autem lex externa tantum opera requirit;

Quod autem ait: *Praeceptum Domini fidele*, verum, verax in doctrina, in promissis, in minis, doctrina divinae legis ipsamet veritas est, sed veritas facilis: *Sapientiam praestans parvulis*, doctrina parvulorum est, facilis, levis: *Tollite iugum meum super vos ... quia mitis sum et humilis corde; iugum enim meum suave est et onus meum leve, et invenietis requiem animabus vestris.* [22] Quod praecipit divina lex humanum est, naturali legi consonum et conforme: *Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem,* [23] ad quod opus ipsa natura urget; humana autem, quae, ut plurimum, a cupiditate ortum habet, gravia mandat: Imponunt in humeros hominum gravia et importabilia; [24] *Munus quodcunque est ex me tibi proderit, et non honorificabit patrem suum et matrem,* [25] idest necessitate confici et perire sinet, ut decretis vestris obediat contrariis divinae legi: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

illa facilia praecipit, haec autem gravia imponit;

Lex divina talis est ut *in custodiendis illis* sit *retributio multa,*

20) Is 29, 13; Mt 15, 8-9; Mc 7, 3-7. 21) Io 4, 23-24. 22) Mt 11, 29 sq. Ordine inverso affert. hos vrr. 23) Ibid. 15, 3-4. 24) Cf. ibid. 23, 4. 25) Ibid. 15, 5-6. Vulg.: *Aut matrem.*

lex divina magna praemia promittit servatoribus et poenas comminatur transgressoribus, humana poenas tantum transgressoribus intentat.

hinc sunt *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum:* [26] *Ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi :* [27] mercedem promittit vitam aeternam ac beatissimam in terra viventium, in paradiso, servantibus eam; non servantibus autem: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur :* [28] aeternam mortem, aeterna comminatur supplicia. Non sic autem lex hominum: servatoribus praemia non promittit, sed tantum transgressoribus poenas minatur et intentat; et eam ob causam servantur, quoniam principes legum conditores possunt a transgressoribus poenas sumere quas minantur, et sumunt, non parcunt, faciunt eos poenas pro transgressionibus luere.

Duobus calcaribus spei et timoris urget nos hodie Christus ad servandam divinam legem.

Christus autem non uno tantum calcari nos pungit hodie, sed duobus acutissimis; nos enim equus albus sumus, super quem I o a n n e s Christum in *Apocalypsi* equitantem vidit. [29] Id quod maxime requiritur in equo sanitas est et fortitudo, sed cum obedientia, ut equiti et sessori ad nutum obediat, sicut in navi requiritur quidem non pulcritudo, sed integritas cum obedientia, ut timoni facile obediat et gubernari se sinat in undis. Et quidem omnis homo vel Christi vel satanae equus est, vel Christi vel satanae spiritu regitur. Omnis homo in hac vita, si piger equus sit, acutis calcaribus pungitur a sessore; sic Christus hodie agit, calcaribus acutissimis utitur. Et tamen multo plures sunt qui temporalium poenarum timore ducti humanas leges servant, quam qui divinas, moti spe aeternorum praemiorum et metu infernalium suppliciorum. O mortuam fidem nostram!

Lex divina requirit veram sanctitatem vitae, non fictam,

IV. *Lex Domini immaculata,* veram a nobis requirit virtutem non fictam, veram sanctitatem vitae non hypocrititiam, ut simus sicut cherubim Moysi toti aurei, [30] non sicut cherubim Salomonis foris aurei, intus vero lignei, qui non divinum propitiatorium ut illi, sed foris aspiciebant, illisque mole multo maiores erant, non virtute sed praesumptione. [31] Hypocritae superbia elati maiores videntur veris iustis qui humiles corde sunt. Similes sunt hypocritae iustis, sicut vespae apibus, sicut sacerdotes Baal sacerdotibus Dei, sicut magi Pharaonis

26) Ps 18, 11. 27) Ex 20, 12; Dt 5, 16. 28) Mt 15, 4. 29) Cf. 6, 2; 19, 11.
30) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 7-9. 31) Cf. 3 Rg 6, 23-28; 2 Par 3, 10-13.

Moysi et Aaron in multis signis; [32] sed tamen non est eorum solida et constans virtus; adulterini adamantes sunt, chymicum aurum: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.* [33]

Lex Domini immaculata. Sciens Regius Vates quod Dominus vera sanctitate vitae, puritate cordis et animi candore delectatur, instantissime cum lacrimis orabat dicens: *Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me... Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor... Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* [34] Nam homo hypocrita est sicut Naaman syrus, pretiosissimis vestibus indutus, sed tamen leprosus erat. [35] Morum elegantia in homine hypocrita vestes sunt pretiosae, sed vitia animi leprae, plagae et ulcera: *De corde... exeunt cogitationes malae,* etc. [36]

nam Deus tantum delectatur puritate cordis.

32) Cf. Ex 7, 10-12. 20-22; 8, 6-7. 33) Mt 15, 13. 34) Ps 50, 4-12.
35) Cf. 4 Rg 5, 1. 36) Mt 15, 19.

FERIA QUINTA

POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, etc. [1]

Mystice transit hodie Christus a synagoga ad Ecclesiam.

I. Arca sanctissima Dei viventis transit hodie a tabernaculo Moysi ad augustissimum et sacratissimum templum Salomonis, [2] a synagoga Moysi ad Ecclesiam Petri, ad curandam mulierem magnis febribus laborantem; Angelus Domini ingressus in domum Abrahae magno miraculo Sarae sterili et iam vetulae contulit fecunditatem. [3] Hodie Christus, *magni consilii Angelus*, [4] Filius Dei verus, Deus humanatus, sicut Angelus ille in humana specie domum Abrahae intravit, ingressus domum Simonis, quae mysterio eadem est cum domo Abrahae, magno miraculo mulieri vetulae et gravissimo morbo laboranti confert sanitatem et validas corporis vires, ita ut statim surgens ministraret illis. [5]

Medicum agit hodie Dominus.

Medicum agit hodie Dominus: ingreditur ad visitandam infirmam, accedit ad lectum, tenet manum infirmae veluti pulsum tangens; nec tamen ordinat potiones et medelas, sed imperat febri et statim sanavit eam. Isaias, sanctissimus ac nobilissimus propheta, ex regia Davidis stirpe, cum Ezechia rege, incurabili, gravi ac mortali infirmitate morboque oppresso, ita ut pene animam ageret, medicum egit ac cataplasmate quodam usus, magno miraculo sanitatem optatissimam ei contulit; [6] Christus autem solo verbo hanc sanat.

1) Pericope huius diei Lc 4, 38-44. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 3 Rg 8, 1-6; 2 Par 5, 2-7. 3) Cf. Gn 18, 1-14; 21, 1-2. 4) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta. 5) Cf. Lc 4, 39. 6) Cf. 4 Rg 20, 1-7; Is 38, 1 sqq.

II. Iussit Deus ut magnus sacerdos et summus pontifex medicum ageret ad curandam tantummodo lepram, [7] sicut etiam Eliseus Naaman syri lepram curavit. [8] Deus ipse in Sacris Litteris saepe medicus est appellatus et etiam medicum egit, nam contra venena ignitorum serpentium antidotum serpentis aenei ordinavit, [9] et populo veluti medicam vivendi regulam dedit, ut ab his et illis carnibus ac piscibus abstinerent. [10] Ait ipse: *Ego* sum *Dominus* Deus *sanator tuus*, [11] hebraice רֹפְאֶךָ, [12] *medicus tuus*. Asa, rex Iudaeorum, arguitur a Divina Scriptura, quod cum in gravissimum morbum incidisset, in infirmitate sua non *quaesivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus fuit.* [13] Regius Vates saepe Deum *medicum* appellat: *Qui propitiatur . . . iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*, [14] hebraice: *Medetur omnibus infirmitatibus tuis*; et iterum: *Sana me, Domine, quoniam infirmus sum*; [15] iterumque: *Sana animam meam quia peccavi tibi.* [16] Maria soror Moysi, cum facta esset leprosa, [17] oravit Moyses *ad Dominum dicens: Obsecro, Domine, sana eam.* [18] Ad orationem Abrahae sanavit Deus Abimelech regem a plagis. [19]

Deus in S. Scriptura saepe medicus appellatus est et etiam medicum egit;

Christus autem missus est tanquam medicus: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, ut mederer contritis corde.* [20] Malachias ait: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae et sanitas in pennis eius*, [21] *in fimbriis eius*, sicut mulier illa agnovit, quae tangens fimbriam vestimenti Christi sanata fuit a fluxu sanguinis, incurabili infirmitate, nam ad sanitatem recuperandam omnia bona sua in medicos erogaverat. [22]

sic et Christus missus fuit tanquam medicus,

Dum autem Christus *sol* et *medicus* appellatur, designatur quod tam potens est ad omnes curandas infirmitates quam sol ad tenebras illuminandas, cum solo verbo posset, quoscunque liberet, ab omni infirmitate curare; solo verbo *imperavit febri et dimisit eam.* [23]

et medicus quidem potentissimus.

O medicum plane divinum, cui Ieremias ait: *Sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac et salvus ero, quoniam laus mea tu*

7) Cf. Lv 13, 1 sqq.; Dt 17, 8-9. 8) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 9) Cf. Nm 21, 6-9. 10) Cf. Lv 11, 1 sqq. 11) Ex 15, 26. 12) Ms.: *Rophecha.* 13) 2 Par 16, 12. Vulg.: *Confisus est.* 14) Ps 102 (hebr. 103), 3. 15) Ps 6, 3. Vulg.: *Quoniam infirmus sum; sana me, Domine.* 16) Ps 40, 5. 17) Cf. Nm 12, 10 sqq. 18) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Deus, obsecro*, etc. 19) Cf. Gn 20, 17. 20) Is 61, 1; Lc 4, 18. 21) 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis timentibus*, etc. 22) Cf. Mt 9, 20-22; Lc 8, 43-44. 23) Lc 4, 39. Vulg.: *Dimisit illam.*

Multa scientia opus est medicis;

es![24] Isaias, qui Ezechiam a morbo curavit, interpretatur d i v i n u s s a l v a t o r, sive s a l v a to r D e u s ; Christus autem sicut appellatur *Salvator*, ita verus est Deus. Ipse vas est novum sale plenum ab Eliseo [adhibitum] ad curandas sanandasque aquas Iericho.[25] Sal hieroglyphicum est sapientiae.

Christus autem infinita sapientia est.

Multa scientia opus est medicis; in Christo autem *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*[26] Dei, quamvis non sit Christo necessaria naturalium rerum [cognitio] vel naturalis magia, sicut medicis; nam his quidem necessaria est, quoniam ministri sunt et coadiutores naturae; morbos curant adhibendo remedia, removendo causas morbi, applicando activa passivis.

dominus naturae, ideo opus non habet medicamentis uti.

Sed Christus dominus est naturae; hinc *imperavit febri*, sicut alias *imperavit ventis et mari et facta* fuit *tranquillitas magna;*[27] hinc nullis usus est medicamentis, nisi forte contrariis, nam ad illuminandum caecum a nativitate collyrio luti usus fuit,[28] quod potest obcaecare videntes potius quam illuminare caecos. Christus Angelus ille est qui descendebat in piscinam ad curandos infirmos a quacunque detinebantur infirmitate, sic nanque ipse in piscinam descendit hominemque triginta et octo annos in infirmitate habentem curavit.[29]

In curandis infirmis Christus maxime ostendit potentiam divinitatis suae.

III. Nulla in re magis Dominus ostendit divinitatis suae potentiam quam in curandis infirmis, maxime incurabilibus. Hinc cum Ioannes misit ad eum discipulos suos ut interrogarent eum si ipse esset verus Messias, respondit: Ite et *renuntiate Ioanni* quod *caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt* et *mortui resurgunt*.[30] Nam ad hoc venturus erat Messias, sicut I s a i a s p r o p h e t a ait: *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt ; tunc saliet sicut cervus claudus et soluta erit lingua mutorum.*[31] Videtis Deum medicum, sed non solum infirmos curantem, verum etiam mortuos suscitantem.

Videtur hodie Christus arbor illa mirabilis, quam I o a n n e s vidit iuxta flumen paradisi, semper onustam fructibus, *et folia*, inquit, *ligni ad sanitatem gentibus;*[32] quemadmodum E z e c h i e l similem

24) 17, 14. 25) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 26) Col 2, 3. 27) Mt 8, 26. 28) Cf. Io 9, 1-7. 29) Cf. ibid. 5, 2-9. 30) Mt 11, 4-5; Lc 7, 22. 31) 35, 4-5. Vulg.: *Aperta erit lingua mutorum.* 32) Apc 22, 2. Vulg.: *Ad sanitatem gentium.*

vidit arborem in spiritu iuxta fluvium procedentem de templo, *et erunt*, inquit, *fructus eius in cibum et folia ... in medicinam.* [33] Videtur hodie Dominus veluti fons sanitatum, nam sic eum Isaias appellavit dicens: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salutis,* [34] cum prius dixisset: *Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem,* [35] sive Salvatorem; unde postea subiungit: *Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* [36] *In medio*, inquit, *tui* verus *Deus Israel*, factus Salvator hominum, veluti fons sanitatis et salutis. Unde etiam Regius Vates: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen;* [37] fons sanitatis et salutis, quoniam solo verbo salutem conferebat, sicut legimus de Deo: *Misit verbum suum et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum,* [38] idest a mortalibus morbis. Hanc ob causam Christus appellari voluit proprio nomine: *Salvator,* [39] quia in mundum venit ad afferendam homini salutem tum animae tum corporis.

A Prophetis iam praedictus fuit fons sanitatis et salutis.

ideo appellari voluit proprio nomine: *Salvator.*

IV. Sanat autem divinus hic medicus hodie mulierem magnis febribus laborantem, quae naturam significat humanam peccato infectam et ira Dei exagitatam, ex paradiso eiectam; unde Regius Vates ait: *Deus, repulisti nos et destruxisti nos, iratus es et misertus es nobis. Commovisti terram et conturbasti eam; sana contritiones eius, quia commota est. Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* [40] Naturam humanam terram appellat aridam, squalidam, sitientem, omni ex parte fessam apertamque ob nimiam siccitatem: *Commovisti terram et confregisti eam, scidisti eam ; sana contritiones eius, scissuras eius ;* sicut alibi ait: *In terra deserta, sitibunda et inaquosa ;* [41] et alibi: *Anima mea sicut terra sine aqua.* [42]

Mulier hodie sanata figurat naturam humanam peccato infectam,

Sed tamen terrae huic salus promittitur, hinc ait: *Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Iacob.* [43] Terra ob peccatum maledicta fuit, [44] nunc autem benedicta dicitur: *Avertisti captivitatem Iacob,* populum tuum a servitute diaboli et peccati liberasti. Hoc est enim hodie mulierem a febribus liberare; nam sanitas corporis

sed a Christo e servitute peccati liberatam;

33) 47, 12. Vulg.: *Ad medicinam,* 34) 12, 3. Ex hebraico. 35) Ibid. vr. 2.
36) Ibid. vr. 6. 37) Ps 35, 10. 38) Ps 106, 20. 39) Cf. Mt 1, 21; Lc 2, 11.
40) Ps 59 (hebr. 60), 3-5. 41) Ps 62 (hebr. 63), 3. 42) Ps 142, 6. 43) Ps 84, 2.
44) Cf. Gn 3, 17-18.

symbolum est sanctitatis in anima, vitia in corpore infirmitates et morbi vitiorum et peccatorum in anima.

peccatum enim vera captivitas spiritus est.

Captivitas spiritus peccatum est, nam: *Qui facit peccatum, servus est peccati,* [45] est captivitas synagogae in Aegypto et Babylone. Nam de infirmitatibus etiam dicere solemus quod hic subiectus est catharro, ille podagrae aut chiragrae, alius doloribus colicis aut arthriticis; sed: *Avertisti,* inquit, *captivitatem* populi tui; quod ipse declarat: *Remisisti iniquitatem plebis tuae, operuisti omnia peccata eorum ; mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuae.* [46] Sic mitigata ira, placatus, *benedixisti . . . terram tuam: Imperavit febri et dimisit illam.*

Solus Deus potest convertere cor ad invisibilia.

V. Sed rogari voluit: *Rogaverunt illum pro ea :* [47] ecce oratio in *Psalmo* eodem: *Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. Nunquid in aeternum irasceris nobis ? Aut extendes iram tuam a generatione in generationem ? Deus, tu conversus vivificabis nos, et plebs tua laetabitur in te. Ostende nobis, Dcmine, misericordiam tuam et salutare tuum, salutem tuam, da nobis.* [48] *Converte nos,* inquit, quoniam peccatum aversio est a summo bono, solus autem Deus humanum cor ad invisibilia divinaque bona potest convertere. Hinc Ieremias ait: *Converte me,* Domine, *et convertar* ad te, *quia tu . . . . Deus meus* es. *Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam, et post quam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum et erubui.* [49]

et bona restituere quae largitus fuerat humanae naturae.

Quoniam vero peccatum mortem affert magnamque tristitiam, hinc ait: *Conversus vivificabis nos, et plebs tua laetabitur in te ;* ostendens misericordiam et dans salutem Deus ad nos ab ira convertitur. Vel illud *conversus* phrasis linguae est: iterum vivificabis, et nos et plebs tua, etc.; restitues nobis bona quae prius fueras largitus humanae naturae in paradiso.

Soli timentes Deum salutem hanc consequentur.

Facta autem oratione pro salute humani generis, ait: *Audiam quid loquatur . . . . Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam ; pacem,* prosperitatem et felicitatem, sed *in plebem suam,* in electos suos, *super sanctos suos . . . . in eos qui convertuntur ad cor,* qui non revertuntur ad stultitiam; nam: *Prope timentes eum salutare ipsius :* timentes Dominum, pii cultores Dei salutem consequentur.

45) Io 8, 34. 46) Ps 84, 3-4. 47) Lc 4, 38. 48) Ps 84, 5-8.
49) 31, 18-19.

Loquetur autem *pacem*, inquit, *ut inhabitet gloria*, idest Deus gloriae, *in terra nostra :* [50] *Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre;* [51] Christus enim Salvator noster est et gloria Dei.

Sanitas sanctitatem significat quae omnes virtutes complectitur,

Sed quidnam sanitas ista significat? Utique sanctitatem, quae virtutum omnium veluti chorus est: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt:* gratia et fides, iustitia operum in legis observantia et pax divinae caritatis, sine qua nihil prodest iustitia: *Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum. Iustitia ante eum ambulabit et ponet in via gressus suos.* [52] Sic mulier hodie a febribus liberata, *continuo surgens ministrabat illis,* [53] omnibus virtutibus instructa, nam sanctitas complectitur virtutes tum cardinales tum theologicas; illae quidem humanae sunt, hae autem divinae; illae *veritas de terra*, istae *iustitia de coelo*. Virtutum moralium opera *veritas de terra* dicuntur, nam etiam infideles naturali tantum lege ducti praestare illa possunt; sed virtutes theologicae nonnisi de coelo infunduntur.

cardinales, theologicas et morales.

Innumeros alios infirmos hodie Christus curat,

VI. In domo autem Simonis hodie Christus non tantum mulierem hanc a febribus liberavit, sed etiam innumeris aliis sanitatem contulit, nam: *Cum... sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum; et ipse singulis manus imponens curabat eos.* [54] Quod quidem mysterium designare mihi videtur peccatum originale in muliere febricitante et multitudinem actualium peccatorum in innumera infirmorum turba. Peccatum originale veluti naturae peccatum est, et unum est, antiquum est, hinc ponitur in una muliere et vetula, socru Simonis; peccata autem actualia multa sunt, quoniam personarum sunt, hinc multitudo magna infirmorum, quos manuum impositione curat. Venit nanque Christus ad omnia peccata delenda: *Ipse..... salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* [55] *Fidelis sermo et omni acceptione dignus.... Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* [56]

mystice designans se venisse ut curaret etiam peccata actualia.

Curationem autem mulieris febricitantis P a u l u s *ad Titum* mirabiliter expressit dicens: *Eramus enim aliquando et nos insipien-*

50) Ps 84, 9-10. 51) Io 1, 14. 52) Ps 84, 11. 13 sq. 53) Lc 4, 39.
54) Ibid. vr. 40. Vulg.: *At ille singulis*, etc. 55) Mt 1, 21. 56) 1 Tim 1, 15.

De hac mirabili curatione spirituali loquitur Divus Paulus

tes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae. [57] Ecce mulier quae magnis febribus tenetur: *Eramus ... insipientes, increduli ... servientes desideriis,* nam ex peccato originali orta est concupiscentia carnis, cupiditas oculorum et superbia vitae. [58]

agens de gratia Baptismi.

Sed *benignitas et humanitas ... Salvatoris nostri Dei* salvavit nos per Baptismum, *non ex operibus iustitiae;* nihil enim egisse legitur socrus Petri, sed curavit eam Christus ad preces Apostolorum, qui astitere veluti ministri Baptismi. Sic Baptismo curatur anima a febribus per infusionem Spiritus Sancti; haec est benedictio terrae, de qua Paulus *ad Ephesios: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione ... in coelestibus in Christo,* [59] idest per Christum, per gratiam et merita Christi.

Ad delenda peccata commissa post Baptismum poenitentia opus est.

Qui autem post solis occasum curati fuerunt a Christo, opus fuit ut venirent ad inveniendum Christum in domo Simonis; nam in prima curatione non mulier venit ad Christum, sed Christus ad mulierem, curataque mulier fuit absque ullo suo incommodo; alii autem venerunt non sine incommodo, infirmi cum essent, ad inveniendum Christum. Ad delenda nanque peccata actualia post Baptismum commissa poenitentia opus est, labore et incommodo proprio. Et per impositionem manuum curantur; sic enim a sacerdotibus peccatores in sacra Confessione et salutari exomologesi absolvuntur. Poenitentia etiam iniungitur illis ob patrata peccata: *Singulis manus imponens curabat eos.*

Domus Simonis figura Ecclesiae.

Innumeris miraculis ornavit hodie Christus domum Simonis, sicut in mundi exordio coelum stellis innumeris decoravit; [60] est autem Simonis domus Sancta Ecclesia, mysticum coelum.

57) 3, 3-7. Ms.: *Per nos abunde.* 58) Cf. 1 Io 2, 16. 59) 1, 3. 60) Cf. Gn 1, 14-18.

II. ALIA HOMILIA

I. Socrus Petri febricitans procul dubio mystice designat humanam naturam ob peccatum gratiam destitutam, gratia nanque animam sanctificans sanitas vera spiritus est. De hac autem infirmitate dicere possumus: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed... ut glorificetur Filius Dei per eam.* [1] Peccatum originale febrim induxit carnalis concupiscentiae, fomitem peccati, inordinatam animi affectionem: *Sensus... et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* [2] Ex illo ortum habuere tria capitalia et universalia vitia: *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis,* inordinata affectio sensualium voluptatum, *et concupiscentia oculorum,* Muller febricitans mystice designat humanam naturam peccato infectam,

« Auri sacra fames », [3]

Radix... omnium malorum... cupiditas; [4] *et superbia vitae,* [5] ambitio honoris, vanae gloriae ardentissima sitis. Hae sunt febres quibus tenebatur socrus Simonis in mysterio; his vitiis infecta fuit humana natura in originali peccato. Sicut autem ex uno Noe tres nati fuerunt filii, ex quibus omne hominum genus propagatum est, [6] ita ex uno peccato tria haec vitia, ex quibus omnia mundi vitia atque peccata. ad quam curandam tria remedia Deus adhibuit.

Ad curandam autem infirmitatem hanc clementissimus Deus, tanquam amantissimus pater cupidissimus salutis nostrae, remedia multa adhibuit. Omnia tamen in hodierno Evangelio ad tria rediguntur; habemus enim hic domum Simonis symbolum Sanctae Ecclesiae, habemus Christum medicum salutis et habemus orationes, merita et intercessiones Sanctorum, nam: *Rogaverunt,* inquit, *pro ea... et stans super illam imperavit febri et dimisit illam.* [7]

II. Instituit ab initio Deus Sanctam Ecclesiam per fidem, instituit sacrificia et sacramenta, instituit domum orationis. Ab initio nanque coeptum fuit a piis fidelibus publice in ecclesiis invocari nomen Domini, aedificari altaria ad offerenda publice sacrificia Domino; institutum etiam sacerdotium fuit, nam Abel, tanquam purus ac Primum, dedit fidem et verum cultum,

1) Io 11, 4. 2) Gn 8, 21. 3) Virg. *Aeneid.*, lib. 3, vr. 57. 4) 1 Tim 6, 10.
5) 1 Io 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est.* 6) Cf. Gn 9, 19. 7) Lc 4, 38-39.

Patriarchas et legem;

sanctus sacerdos obtulit sacrificium et oblationes, munera sacra Domino.[8] Ex tunc legimus viros sanctos, nam placuit Deo Abel, placuit Seth, placuit Enos,[9] placuit insignissime Enoch,[10] singularissime Noe;[11] postea Patriarchae sanctissimi Abraham,[12] Isaac[13] et Iacob.[14] Illos ergo Deus sanctificaverat, deleto originali peccato. Postea legem dedit novumque sacerdotium cultumque divinae religionis instituit, tabernaculum, templum aedificavit in domum orationis, ad percipiendam veniam peccatorum, ad gratiam et misericordiam a Patre misericordiarum consequendam per poenitentiam. Hoc igitur primum remedium est, domus Simonis, Sancta Ecclesia, fides et religio vera piaque in Deum.

Secundum, dedit intercessionem Sanctorum.

III. Alterum vero est Sanctorum intercessio: *Rogaverunt illum pro ea.* Sicut Abraham rogavit pro Abimelech et sanavit illum Deus,[15] sicut Isaac Dominum deprecatus fuit pro uxore sua sterili Rebecca,[16] sicut Iob oravit pro tribus amicis suis;[17] Moyses oravit pro universo populo eique veniam obtinuit maximi peccati.[18] Samuel oravit Deum pro populo et ad ipsius preces liberavit Deus populum a Philisthaeis;[19] Isaias oravit pro Ezechia[20] et universa civitate Ierusalem, cum obsessa esset a Sennacherib exaudivitque Deus preces illius magnoque miraculo civitatem liberavit.[21] Sic inquit: *Rogaverunt illum pro ea*, exaudivitque Dominus Apostolorum preces illorumque meritis infirmae mulieris optatissimam contulit sanitatem.

Stulte haeretici negant intercessionem Sanctorum, nam etiam in coelo maxima caritate nos diligunt.

IV. Ubi sunt haeretici qui Sanctorum negant intercessiones? Adeo caeci sunt ut non videant quod Apostoli rogaverunt Dominum non tantum pro salute mulieris huius, sed etiam pro chananitide muliere?[22]

Sed possunt, inquiunt, Sancti pro nobis intercedere dum vivunt in terris, in coelo autem minime. Sed cur, quaeso, non possunt? Num penitus obliti sunt nostri? Epulo in inferno non fuit oblitus fratrum suorum, sed pro illorum salute intercessit,[23] et Sancti obliviscentur fratrum suorum in paradiso? Sic ergo apud Deum, qui totus *caritas*

8) Cf. Gn 4, 4. 9) Cf. ibid. vr. 26. 10) Cf. ibid. 5, 22-24. 11) Cf. ibid. 6, 9; 7, 1. 12) Cf. ibid. 12, 1-3. 13) Cf. ibid. 26, 2-5. 14) Cf. ibid. 28, 13-15. 15) Cf. ibid. 20, 17. 16) Cf. ibid. 25, 21. 17) Cf. Iob 42, 8. 18) Cf. Ex 32, 11-14. 19) Cf. 1 Rg 7, 8-11. 20) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1-8. 21) Cf. 4 Rg 19, 1 sqq.; Is 37, 21 sqq. 22) Cf. Mt 15, 22-23. 23) Cf. Lc 16, 27-28.

est,[24] *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,*[25] exuerunt viscera omnis pietatis et caritatis? An non tenentur etiam in coelo sicut Deum ita etiam proximos ex caritate diligere? *Qui* autem *viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo ?*[26]

S. Scriptura testatur Angelos pro nobis intercedere posse.

I o a n n e s in *Apocalypsi* vidit in coelo aureum altare incensi, locum utique orationis. Sed quid orant Sancti? Pro seipsis orare aut petere quid possunt? Si non pro nobis, pro quibusnam orant? Ibidem legimus quod *Angelus venit et stetit ante altare habens thuribulum aureum; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei ; et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*[27] Si Angeli pro nobis possunt intercedere, sicut etiam Z a c h a r i a e 1 legimus quod Angelus pro populo intercessit et exauditus fuit,[28] cur non possunt Sancti, qui sunt veluti Angeli Dei in coelo? In *Apocalypsi* etiam legimus quod viginti quattuor seniores habebant in manibus *phialas... plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum ;*[29] quod animae interfectorum propter Verbum Dei clamabant: « Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum qui effusus est » super terram.[30] Clamare possunt ad vindictam petendam, non autem gratiam et misericordiam *?*

ergo et Sancti intercedunt.

Intercessio Sanctorum nil detrahit supremae mediationi Christi.

Aiunt Christum esse advocatum nostrum et unicum mediatorem.[31] Bene, quid ergo? An non Christus Filius Dei, heres Dei, electus Dei? Ergo non alii? An non Christus *lux mundi ?*[32] Ergo non Apostoli? An non Christus pastor ovium?[33] Ergo Episcopi non sunt pastores et doctores?

nam Sancti advocati nostri sunt apud Christum.

Sed, age, sit Christus unicus advocatus noster apud Patrem; cur Sancti non possunt esse advocati nostri apud Christum? Nam hodie Apostoli apud Christum advocati fuere et pro salute febricitantis mulieris intercessere: *Rogaverunt illum pro ea.* O beatos qui

24) 1 Io 4, 8. 16. 25) 2 Cor 1, 3. 26) 1 Io 3, 17. 27) 8, 3-4. 28) Cf. vrr. 12 sqq. 29) 5, 8. 30) Cf. ibid. 6, 10. Ex Breviario Rom. die 28 Dec. in Festo SS. Innocentium ad Mat., respons. V et VIII lect.; S. Gregorius M. *Liber Responsalis* seu *Antiphonarius*, (P. L. 78, 740). 31) Negant intercessionem Sanctorum praecipue Lutherani, quorum argumenta hic confutantur. Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis*, part. 1, pag. 159. 230; part. 2, pag. 270. 307. 313-314. 353; part. 3, pag. 35. 32) Io 1, 4-9; 8, 12; 9, 5; 12, 46. 33) Cf. ibid. 10, 14.

apud Christum habent singulares patronos Sanctos aliquos, qui semper pro ipsis apud Deum intercedant! Nam honorat Deus Sanctos suos; id quod agnoscens Moyses, per merita Sanctorum patrum Abraham, Isaac et Iacob rogavit Dominum ut dimitteret populo maximam iniquitatem. [34]

et cognoscunt invocationes nostras.

Aiunt: Quomodo cognoscere possunt Sancti invocationes hominum? Dico: Quomodo cognovit Eliseus peccatum Giezi? [35] Quomodo Samuel peccatum Saulis? [36] Quomodo Prophetae noverunt futura? An non Deus, quem clare vident Sancti, speculum est in quo omnia elucent? Nobis autem factum scire sufficit quod pro nobis intercedunt: *Rogaverunt illum pro ea.*

Tertium, misit Christum pro salute mundi medicum divinum.

V. Tandem Christum misit pro salute humani generis medicum coelestem atque divinum: *Imperavit febri et dimisit eam ; Omnes qui habebant infirmos*, etc. Sicut Deus operatur. Omnis artifex suo utitur instrumento: pictor penicillo, sculptor scalptro, miles ense; instrumentum autem Dei, quo omnia fecit, nihil est, ex nihilo fecit omnia solo verbo. Sic Christus hodie sanitatem confert et ab infirmis quos curat nihil accipit, sicut sol illustrat universam terram mundumque. Hac ratione Christus *homo coelestis* [37] dicitur et *sol*, [38] nam in hoc differunt coelestia a terrestribus: non movetur animal in terra, piscis in aqua, avis in aere nisi propriae utilitatis aut voluptatis intuitu; coelum autem, luna, sol absque ulla utilitate propria, solum ad lucem suam communicandam moventur. Christus autem ab infirmis curatis sua virtute non solum nil accipit, sed absque ulla molestia sanitatem confert; non utitur ferro, igne, amaris medelis, sed tantum ad eum ducebantur infirmi. Sic in Baptismo, in sacramentali Poenitentia confert sanitatem spiritus Magdalenae, [39] publicano. [40] O utinam sanitatem spiritus desideraremus!

34) Cf. Ex 32, 11-14. 35 Cf. 4 Rg 5, 20 sqq. 36) Cf. 1 Rg 15, 10-16. 37) 1 Cor 15, 47-49. 38) Mal 4, 2. 39) Cf. Lc 7, 37 sqq. 40) Cf. ibid. 18, 10-14.

III. ALIA HOMILIA

Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis, etc. [1]

Mystice hodie Christus aufert omnia bona a synagoga et ea dat Ecclesiae;

I. Exit ex synagoga et intrat in domum Simonis, sicut sol ab hemisphaerio in hemisphaerium: cum aufert lucis suae radios nostro huic hemisphaerio, dat utique hemisphaerio alteri; cum a nobis recedit hiemem nobis relinquens, accedit ad alios dans eis aestatem. Abstulit Deus divitias a Labano et dedit Iacob, [2] divitias Aegyptiorum dedit Israeli, [3] terram promissionis abstulit a Chananaeis, dedit Hebraeis, [4] regnum a domo Saul dedit Davidi [5] partem regni a Roboam dedit Ieroboam., [6] Semper Deus, si iustitia exigente ab aliquo bona aufert, statim alteri dat: abstulit regnum Dei a Iudaeis, dedit Gentilibus facientibus fructus eius; [7] apostolatum Iudae proditoris dedit Mathiae, [8] pontificatum Aaronis tradidit Petro, [9] sacerdotium, Sacramenta, bona omnia synagogae donavit Ecclesiae, et multo maiora: in synagoga prius curabatur lepra, [10] nunc in domo Simonis curatur omnis infirmitas, omnis morbus.

exhibet etiam se ipsum medicum et evangelistam.

Ostenditur autem in hodierno Evangelio Christus medicus et evangelista: *Aliis civitatibus oportet me evangelizare . . . quia ideo missus sum. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.* [11] Sic enim Isaias ait de eo: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* [12] Praecipue vero ostenditur id quod Regius Vates ait: *Gratiam et gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia ; Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te ;* [13] dabat enim gratiam, totum sanabat hominem: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* [14] Sed praedicabat, et praedicabat non regnum temporale, sed aeternum, promittebat gloriam regni coelestis: *Evangelizare regnum Dei me oportet, quia ideo missus sum.*

1) Lc 4, 38. 2) Cf. Gn 30, 35-31, 1. 3) Cf. Ex 11, 2; 12, 35-36. 4) Cf. Ios 12, 1 sqq.; Ps 134, 10-12; 135, 17-22. 5) Cf. 1 Rg 15, 26-28. 6) Cf. 3 Rg 11, 29-37; 12, 16-20. 7) Cf. Mt 21, 43. 8) Cf. Act 1, 15 sqq. 9) Cf. Mt 16, 17-19. 10) Cf. Lv 14, 1 sqq. 11) Lc 4, 43 sq. 12) 61, 1. 13) Ps 83, 12 sq. 14) Ps 102, 3.

In curatione socrus Simonis ostenditur effectus gratiae Christi.

II. Videndus autem nobis est effectus gratiae Christi in curatione socrus Simonis, quae febricitans symbolum extitit animae peccatricis; curata autem atque sanata symbolum animae iustificatae atque sanctificatae per misericordiam Dei et gratiam Christi.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus . . . et stans super illam imperavit febri, et dimisit illam, et continuo surgens ministrabat illis.[15] *Tenebatur* prius *magnis febribus.* Incredibile est quanta patiatur qui magnis febribus laborat, licet in regali palatio sit, regali cubiculo ac lecto, regalia habeat obsequia ac famulitia. Febricitans totus est lassus, viribus destitutus, requiem non invenit in lecto, ardentissima siti laborat, gustum habet infectum, pulsum inaequalem, celerem, concitatum, animum moestissimum, cor tristitia plenum, saepe delirat, phrenesi laborat, felicitatem omnem in frigida aqua constituit, nec aliam consolationem autumat posse habere. Talia patitur in spiritu homo quandiu magnis tenetur febribus vitiorum: *Non est pax impiis ;*[16] *Tollite iugum meum super vos . . . et invenietis requiem animabus vestris ;*[17] *Lex Domini perfecta, quietans animas ;*[18] gustum habet male affectum, corruptione infectum: dicunt *malum bonum et bonum malum . . . ponentes amarum in dulce et dulce in amarum.*[19] Orabat Regius Vates: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi,*[20] hebraice: *Bonum gustum et scientiam doce me,* nam peccatum ex ignorantia mentis et depravata animi affectione oritur; hinc duo simul complectitur: *bonum gustum et scientiam,* sive cognitionem et gustum bonitatis, *doce me.* Felices sunt qui bonitatis gustum et cognitionem habent!

Magnae febres huius mulieris significant febres vitiorum,

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Nunc magno frigore rigebat, nunc maximo calore aestuabat, sicut infelix ille energumenus a malo spiritu nunc in aquam nunc vero in ignem mittebatur,[21] ab extremo in extremum, a nimia spe in desperationem, a nimio amore in odium, sicut de Amnon filio David legimus; Thamar enim sororem prius nimio amore dilexit, postea vero maiori odio habuit.[22]

quae maxime cor exagitant.

III. Elucet autem ex hodierno Evangelio id discriminis reperiri inter hominem carnalem et spiritualem, quod reperitur inter mulierem

15) Lc 4, 38-30. 16) Is 48, 22. 17) Mt 11, 29. 18) Ps 18 (hebr. 19), 8.
19) Is 5, 20. 20) Ps 118 (hebr. 119), 66. 21) Cf. Mt 17, 15. 22) Cf. 2 Rg 13, 1-15.

magnis febribus laborantem et sanam viribusque valentem: *Continuo surgens ministrabat eis.* Iacebat prius in lecto, quiete et otio frui videbatur; nunc autem laborare et sicut Martha sollicita satagere *circa frequens ministerium et* turbari *erga plurima;* [23] multo tamen procul dubio felicior in posteriori statu sanitatis quam in priori infirmitatis, licet tunc quiescere, nunc autem laborare videretur.

Elucet in hodierno Evangelio discrimen inter hominem carnalem et spiritualem.

Elucet autem grati animi iudicium; nam cognoscens mulier haec a Christo sanitatis beneficium, *continuo surgens ministrabat eis.* Cur igitur nos Deo non ex corde servimus, si vere, ut dicimus, bona omnia a Deo cognoscimus quae vel possidemus vel possidere possumus? *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est.* [24] Si vere corpus, animam, vitam, sanitatem et omnia a Deo cognoscimus, cur non omnia et nos ipsos vere Deo dedicamus?

elucet etiam grati animi iudicium.

Stans super illam imperavit febri et dimisit illam. Felix mulier quia socrus Simonis, quia filiam uxorem dedit viro qui ab aeterno praedestinatus fuerat a Deo Summus Pontifex, Vicarius Christi, princeps Apostolorum, hierarcha Ecclesiae, praefectus regni coelorum: *Tibi dabo claves regni coelorum,* [25] sicut principibus dantur claves civitatum et arcium in signum dominii quod possident; sed multo felicior quia a Christo infirma praesentialiter visitata fuit, miraculo sanata corpore et spiritu sanctificata: *Continuo surgens ministrabat illis;* facta est ministra Christi, imo sponsa Christi: *Desponsabo te mihi in fide.* [26]

Vere felix haec mulier quae a Christo meruit visitari et sanari!

Introivit in domum Simonis, quae repente domus Dei facta est, domus orationis, nam: *Rogaverunt illum pro ea;* [27] domus nanque Dei domus orationis est: *Scriptum est: Quia domus mea domus orationis vocabitur.* [28] *Socrus ... Simonis tenebatur magnis febribus.* In gravi infirmitate advocantur medici excellentissimi et, si potest, etiam protomedicus cum eis, ut fiat collegium et diligens consultatio super illa infirmitate, ut cognita causa morbi, adhibeatur conveniens efficaxque et optimum remedium. Super infirmitate humanae naturae factum est collegium sanctorum Prophetarum et Apostolorum; cognita primo est morbi gravitas: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sa-*

Rogatio Apostolorum figura est intercessionis Sanctorum.

23) Lc 10, 40-41. 24) Iac 1, 17. 25) Mt 16, 19. 26) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo,* etc. 27) Lc 4, 38. 28) Is 56, 7; Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46.

nitas; [29] *Scio . . . quod non est in me, hoc est in carne mea, bonum;* [30] languidus in piscina. [31]

IV. ALIA HOMILIA

Surgens Iesus de synagoga introivit in domum Simonis: socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. [1]

Deus medicum se dixit et egit.

I. Felix domus Simonis in quam Christus, relicta synagoga, ingressus fuit, sicut arca Domini, relicto Moysi tabernaculo, in templo Salomonis divinitus collocata fuit! [2] felix socrus Simonis quae Christum habere meruit medicum salutis! Et quidem Deus quodammodo in templo Salomonis medicum agebat, sic enim Salomon ad eum orat: *Fames si orta fuerit . . . aut pestilentia . . . omnisque plaga et infirmitas percusserit, si quis de populo tuo Israel deprecatus fuerit cognoscens plagam et infirmitatem suam et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies de coelo.* [3] Nam Deus ipse medicum se dixit: *Ego sum Dominus* Deus *sanator tuus:* [4] רֹפְאֶךָ, [5] *medicus tuus.* Medicum egit cum populo suo in deserto: dedit rationem victus, ut haec non autem illa comederent; [6] pharmacum de coelo dedit praeservativum ab omni infirmitate; [7] curavit lepram Mariae sororis Moysi, [8] sacerdotemque docuit quomodo dignoscenda ac curanda esset lepra; [9] cum antidotum dedit contra venena letifera ignitorum serpentum. [10]

Etiam Angeli aliquando medicinam quodammodo exercuerunt;

Legimus quod Angeli aliquando medicinam quodammodo exercuerunt. Angelus Domini intravit in domum Abrahae, et Saram sterilem infecundamque vetulam a sterilitate curavit; [11] Raphael Angelus medicum egit cum Tobia, nam collyrio oculos eius illuminavit; [12] Angelus etiam Domini, qui descendebat de coelo in piscinam,

29) Is 1, 6. 30) Rom 7, 18. Vulg.: *Quia non habitat in me*, etc. 31) Cf. Io 5, 5-7.

1) Lc 4, 38. 2) Cf. 3 Rg 8, 1-6; 2 Par 5, 1-7. In margine haec adiecta fuerunt: « Arca Dei egressa de domo Abinadab et ingressa domum Obededon, eam replevit divina benedictione, unde motus fuit David ut eam in domum suam adduceret in Ierusalem, quod et fecit ». 3) 2 Par 6, 28-30. Vulg.: *Et pestilentia ... infirmitas presserit... fuerit deprecatus*, etc. 4) Ex 15, 26. 5) Ms.: *Rophecha.* 6) Cf. Lv 11, 1 sqq. 7) Idest manna. Cf. Ex 16, 13 sqq. 8) Cf. Nm 12, 10 sqq. 9) Cf. Lv 13, 1 sqq. 10) Cf. Nm 21, 6-9. 11) Cf. Gn 18, 9-11; 21, 1-2. 12) Cf. Tob 11, 8-15.

tanquam coelestis medicus curabat hominem *a quacunque detinebatur infirmitate.* [13]

Prophetae etiam divini quidam medici fuerunt. Magnus sacerdos lepram curabat; [14] cum gravi ac mortali morbo laboraret Ezechias rex, ad eum curandum missus fuit Isaias; [15] Eliseus propheta Naaman syrum mundavit a lepra, [16] sanavit etiam aquas Iericho pessimas, [17] et, quod mirabilius est, mortuum etiam suscitavit. [18]

sic et Prophetae et magnus sacerdos.

O nobilissimam medicinae professionem! Non dicat Apollo:

« Inventum medicina meum », [19]

nisi quatenus Deum significat; non tribuant eam poetae Phoebo Pythio, [20] aut Aesculapio, [21] quoniam Dei donum est. [22] Sic venit Christus in mundum ut medicum ageret, de quo Regius Vates: *Misit verbum suum et sanavit eos;* [23] *verbum* de quo ait: *Verbo Domini coeli firmati sunt;* [24] de quo Ioannes: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.* [25] Misit hoc verbum quando *Verbum caro factum est.* [26] Sed ad quid misit? Ad medendum, ad sanandum eos: *Misit verbum suum et sanavit eos*, medicatus est eis. Hinc per Isaiam ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* [27] O qualis medicus Christus est!

Medicina Dei donum est, ideo venit Christus in mundum ut medicum ageret.

II. Multa sunt quae requiruntur in medico ut excellens et perfectus sit: magna scientia et doctrina quoad theoriam, magna cognitio rerum naturalium, cognitio vera secretorum naturae. Quoad practicam ars, prudentia, iudicium exquisitum, magna diligentia, vigilantia; nam hanc ob causam antiqui Aesculapio gallum dedicarunt, vigilantiae hieroglyphicum; dedicarunt etiam serpentem, quia requiritur prudentia, dedicarunt corvum acuti visus et qui vim quandam habet praesagiendi futura, corvus nanque clara voce crocitans designat futuram aeris serenitatem, interrupta vero tempestatem; [28]

In medico excellente requiritur magna scientia, diligentia et prudentia.

13) Io 5, 4. 14) Cf. Dt 17, 8-11. 15) Cf. 4 Rg 20, 1-7; Is 38, 1 sqq.
16) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 17) Cf. ibid. 2, 19-22. 18) Cf. ibid. 4, 32-36. 19) Ovid. *Metamorph.*, lib. 1, vr. 521. 20) Idest Apollo alio nomine designatus. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 10, pag. 304-305; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 16, cp. 20, col. 878.
21) Apollinis filius. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 11, pag. 317-318.
22) Sic medicina vocatur a Galeno. Cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 29, cp. 11, col. 1625.
23) Ps 106, 20. 24) Ps 32, 6. 25) 1, 1. 26) Ibid. vr. 14. 27) 61, 1.
28) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 18, cp. 35, pag. 216.

tribuerunt etiam Aesculapio, veluti Mercurii caduceum,[29] nodosum baculum serpente involutum,[30] ad designandam difficultatem artis medicinae et quanta prudentia opus sit. Tandem requiruntur medicamenta, nam medicus naturae minister est, antiquitus autem qui medicus erat simul et chirurgum et pharmacopolam agebat.

Talem medicum hodie Christus se ostendit.

In eo autem ostenditur excellentia medici si tuto, si celeriter, si iucunde curet aegrotum, maxime vero si morbum aliquem desperatum nobili experimento curaverit, quem multi alii minime curare potuerint. En Christus hodie experimentis mirabilibus divinum se medicum ostendit, curans socrum Simonis aegrotam, vetulam, quae magnis febribus laboraverat: *Socrus autem Simonis magnis febribus tenebatur... Et stans super illam imperavit febri et dimisit eam.* [30*]

Socrus Simonis febricitans figurat humanam naturam vitiis laborantem.

III. Sed quidnam significat socrus ista Simonis febricitans? Utique humanam naturam ob originale peccatum magnis vitiorum febribus laborantem: *Omne caput languidum et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.* [31] Missi fuerunt Patriarchae et Prophetae, Moyses, Elias, Eliseus, omnes alii ad curandam naturam hanc nostram, sed minime valuerunt. *Mundus totus in maligno positus est:* [32] ecce infirmitas; *Omne quod est in mundo est concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitae:* [33] ecce febres magnae.

quam solus Christus curare potuit.

Non potuerunt Prophetae infirmam hanc et magnis febribus laborantem curare; non potuerunt idololatriae impietatem reprimere, qua universa gentilitas laborabat; venit Christus et curata gentilitas est ab incurabili morbo, a febri pestilente idololatriae. Ecce sana facta gentilitas, conversa ad Deum vivum verumque Christo ministrat: *Continuo surgens ministrabat eis.* [34]

non tanquam minister, sed dominus naturae.

Sed quomodo curavit? Non tanquam minister naturae, sed tanquam Dominus: *Stans super illam imperavit febri et dimisit illam.* Verba Christi fuerunt optima et saluberrima pharmaca, quae instar herbarum Medeae, ut in fabulis est,[35] infirmos etiam mortuos ad

29) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 5, cp. 5, pag. 373; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 21, cp. 16, col. 1168-1169. 30) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 4, cp. 11, pag. 317-318. 30*) Lc 4, 39. Vulg.: *Dimisit illam.* 31) Is 1, 5-6. 32) 1 Io 5, 19. 33) Ibid. 2, 16. Vulg.: *Concupiscentia carnis est*, etc. 34) Lc 4, 39. Vulg.: *Illis.* 35) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 6, cp. 7, pag. 489-495.

vitam et sanitatem validam revocabant; huic nanque mulieri Christus non tantum sanitatem contulit, verum etiam vires: *Continuo surgens ministrabat illis,* valida et potens viribus instar valentissimae iuvenis.

Felicem mulierem! Nam si Eva beata praedicari potest eo quod manu Dei omnipotentis formata fuit,[36] beata etiam socrus Simonis iure dici potest, quoniam manu eiusdem omnipotentis Dei tacta restaurataque ac veluti reformata fuit.

Ideo non solum hanc mulierem, sed et multos alios hodie curavit.

Sicut autem usuvenire solet ut, visa mirabili aliqua curatione, audito magno aliquo experimento facto ab aliquo artis medicinae perito, omnes fere civitatis infirmi ad eum accurrunt consequendae sanitatis gratia, sic accidit Christo; nam audito hoc miraculo, *omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum; at ille singulis manus imponens curabat eos*[37] solo verbo, solo tactu sanctissimarum manuum.

Christus medicus simul et medicina est.

IV. In *Canticis* legimus: *Genae illius ... areolae aromatum,* quae *consitae* sunt *a pigmentariis,* ubi hebraice: *Maxillae ipsius areolae aromatum,* thuriculae sive pyxides pigmentariorum vel aromatariorum; *labia illius lilia stillantia myrrham primam,* odorem suavissimum, ita ut os Christi describatur tanquam aromataria officina, tanquam pharmacopoleum, et *manus illius* dicuntur *tornatiles aureae, plenae hyacinthis,*[38] sive plenae auro. Christus nanque medicus simul et medicina est, sicut serpens aeneus in deserto, sicut sol in mundo, nam ait: *Orietur ... Sol iustitiae ... et sanitas in pennis eius,*[39] secum affert lucem qua tenebras expellit, sicut ignis calorem contra frigus. Sic Christus noster medicus et medicina simul est.

Medicus numeris omnibus absolutus.

Propterea medicus esse voluit omnibus numeris absolutus, methodicus et empiricus, physicus, chirurgus et etiam aromatarius. Officium nanque medici non sicut regis officium est dignitatis, honoris et maiestatis, sed est officium virtutis, humilitatis et caritatis; et hanc ob causam Christus in forma medici potius quam regis venit, ait enim: *Quia ... aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.*[40] Apparuit Deus in humana forma Isaiae, ac tandem

36) Cf. Gn 2, 21-23. 37) Lc 4, 40. 38) 5, 13-14. Vulg.: *Labia eius lilia distillantia,* etc. 39) Mal 4, 2. 40) Lc 4, 43.

humilitate et bonitate plenus,

veluti declarans ad quid formam eam assumpserit, ait: *Ne .. convertantur et sanem eos,* [41] medear eis; visus est nanque sedens tanquam protomedicus in cathedra, nam unus de Seraphim, qui coram eo erant, veluti medici officium cum Isaia egit, dum venit et ignito calculo labia ipsius purgavit. [42]

quod significatur nomine *Salvatoris*.

Sic ad hoc venit Christus in mundum, ut medicus esset, nam hoc significat nomen *Salvatoris*. Hoc est quod Ioanni interroganti per nuncios: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus ?* respondit: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt ;* [43] haec nanque omnia coelestis medici officia procul dubio sunt. Vere autem talis medicus Christus est qualis desideratur, vigilans, nam propterea gallus Aesculapio dedicatur.

Christus universalis est medicus contra omnes infirmitates,

V. *Cum ... sol occidisset, omnes qui habebant infirmos ... ducebant eos. At ipse singulis manus imponens curabat eos.* [44] Nocte Christus vigilat pro salute infirmorum, praesagit ac prognosticatur futura, nam praedicat, evangelizat regnum Dei. Serpens est, sicut serpens aeneus in deserto contra serpentes ignitos, quoniam ait: *Exibant ... daemonia a multis.* [45] Curantur febres a physicis, plagae a chirurgis, maleficiati et fanatici ab exorcistis. Christus universalis est medicus contra omnes infirmitates, sive internae sint sive externae, sive a natura sive a daemone, nam etiam filiam chananaeae, quae male a daemonio vexabatur, curavit [46] et a Magdalena septem daemonia eiecit. [47]

qui tutissime, celerrime et iucundissime curabat.

Desideratur medicus qui tuto, celeriter et iucunde curet. Talis est Christus: *Imperavit febri et dimisit eam ... Singulis manus imponens curabat eos.* Tutissime, celerrime, iucundissime curabat, quia solo verbo ac tactu manuum sanctissimarum curabat ab omnibus naturalibus morbis et etiam a daemonum maleficiis.

41) Is 6, 10. Affert ex Mt 13, 15; Act 28, 27. 42) Cf. Is 6, 1-7. 43) Mt 11, 3-5; Lc 7, 20-22. 44) Lc 4, 40. Vulg.: *At ille*, etc. 45) Ibid. vr. 41. 46) Cf. Mt 15, 22-28; Mc 7, 24-30. 47) Cf. Mc 16, 9; Lc 8, 2.

FERIA SEXTA

POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

Venit Iesus in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph filio suo, etc. [1]

I. Sanctissimus Dei servus et vates Elias, cum ex divina ordinatione peregrinaretur in regione Sidonis, cum pervenisset in Sarepta Sidoniae lassus admodum et fatigatus ex multo itinere, modicum aquae petiit viduae et buccellam panis, factus propter Deum pauper et mendicus; illa autem libenter quidem aquam dedit, sed panem negavit; postea vero et panem dedit et virum Dei hospitio recepit. [2] Sic hodie Christus peregrinationem agens a Iudaea in Galilaeam, veniens in Sichar, fatigatus ex itinere, a muliere samaritana aquam petit ad levandam sitim, non tantum corporalem, sed principaliter spiritualem, [3] sicut ipsemet hodie ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem* Patris mei qui in coelis est, *ut perficiam opus eius.* [4]

Christus hodie aquam a samaritana petit ad levandam sitim corporalem et spiritualem.

Egit hodie Christus sicut Eliezer, procurator unicus domus Abrahami servusque fidelissimus, cum missus fuit in Mesopotamiam Syriae ad quaerendam uxorem Isaaco, unico et dilectissimo Abrahae filio. Abiit nanque Eliezer ut domino suo morem gereret longum iter, cumque in Mesopotamiam pervenisset, reperiens fontem, puteum aquarum viventium, ibi constitit Deumque exorare coepit dicens: *Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie et fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontem aquae et filiae habitatorum huius civitatis egredientur ad hauriendam*

Sic Eliezer aquam petens a Rebecca novit ipsam sponsam esse a Deo praeparatam pro Isaac.

1) Pericope huius diei Io 4, 5-42. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 3 Rg 17, 2-16. 3) Cf. Io 4, 5-7. 4) Ibid. vr. 34.

aquam. Igitur puella cui... dixero: Inclina hydriam tuam ut bibam, et illa responderit: Bibe, quin et camelis tuis dabo potum, ipsa est quam praeparasti servo tuo Isaac, ac per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo. [5]

hoc enim signum petierat a Deo, et mirabiliter exauditus fuit.

Mirabile dictu quomodo exaudit Deus orationem servorum suorum. Vix compleverat orationem hanc Eliezer, quod Rebecca, *virgo pulcherrima* et *puella decora nimis*, egressa ad hauriendam aquam virum reperit iuxta fontem, cui cum ille dixisset: *Pauxillum aquae da mihi de hydria tua ad bibendum*, promptissime et gratiosissime respondit: *Bibe, domine... quin et camelis tuis* potum tribuam.[6] Sic manifesto signo cognovit quod illam praeparasset Deus in sponsam Isaac; quare cum eam a suis obtinuisset, ad Abraham duxit et Isaac matrimonio copulata fuit.[7]

Isaac et Eliezer figurae Christi,

II. Non tamen divina haec historia vacat mysterio. Abraham personam Dei gerit in Scripturis Sacris, nam tres Patriarchae tres sunt divinae Personae: Abraham Patriarcharum primus Patrem significat; habet hic unicum filium dilectissimum et servum singularissimum, ac fidelissimum: Christus in Scripturis Sacris appellatur *Filius Dei* et *servus Dei*: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te;* [8] sic in Iordane,[9] sic in monte Tabor;[10] *servus Dei*, sic Isaias: *Ecce puer meus*, עַבְדִּי,[11] *servus meus electus quem elegi;* [12] et alibi: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur... elevabitur, et sublimis erit valde.* [13] Filius dicitur et servus propter duplicem naturam: Filius propter formam Dei, servus propter formam servi;[14] sic ipse est Isaac, et ipse Eliezer, quod interpretatur divinus adiutor. Paulus autem ait: *Dei... sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.* [15]

qui dicitur *Filius Dei* et etiam *servus Dei*;

Christus venit ut mundum ad fidem converteret,

Praedicator Evangelii adiutor Dei dicitur. Christus autem ad hoc venit in mundum ut per Evangelii praedicationem mundum ad Dei cultum converteret; hinc ait: *Ecce servus meus, suscipiam eum, electus*

5) Gn 24, 12-14. Vulg.: *Et per hoc*, etc. 6) Ibid. vrr. 16-19. Vulg.: *Puella decora nimis virgoque pulcherrima... mihi ad bibendum praebe de hydria tua.* 7) Cf. ibid. vrr. 49 sqq. 8) Ps 2, 7. 9) Cf. Mt 3, 17; Mc 1, 11; Lc 3, 22. 10) Cf. Mt 17, 5; Mc 9, 7; Lc 9, 35; 2 Petr 1, 17. 11) Ms.: *Habdi.* 12) 43, 10. Ex hebraico. 13) Ibid. 52, 13. 14) Cf. S. Augustinus *In Psalmos*, ps. 63, (P. L. 36, 762). 15) 1 Cor 3, 9.

meus, complacuit sibi in eo anima mea ; dedi spiritum meum super eum, iudicium in *gentibus proferet ;* [16] et iterum: *Ego Dominus vocavi te in iustitia, et apprehendi manum tuam et servavi te, et dedi te in foedus populi* et *in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum et educeres . . . de domo carceris sedentes in tenebris.* [17]

Sic Christus homo, Eliezer, D e i a d i u t o r, missus fuit in mundum ad quaerendam sponsam Isaac: *Desponsavi te . . . in fide.* [18] Obiectum fidei principale Christus est quatenus Deus; sic Filio Dei desponsatur Ecclesia per fidem. De Eliezer dicitur quod omnia bona domini sui secum attulit: [19] in Christo erant omnes thesauri divinitatis: *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere . . . dedisset tibi aquam vivam,* [20] salientem in vitam aeternam.

Et sic Ecclesiam sibi desponsaret.

Iuxta fontem constitit Eliezer, iuxta fontem Christus; oravit ibi Eliezer, Christus autem supra fontem sedens non otiabatur mente et spiritu, sed orabat pro salute animarum, nam hanc ob causam pernoctabat in oratione. [21] Iuxta fontem Eliezer allocutus fuit Rebeccam et ab ea aquam petiit ad bibendum, non quod sitiret, sed ut eam pertraheret ad sponsalitium cum filio domini sui, dulcibus verbis eam allocutus fuit, munera pretiosa ei obtulit; sic et Christus hodie cum samaritide agit: offert ei aquam vivam salientem in vitam aeternam hisque promissionibus eam allicit, trahit eam *in funiculis Adam . . . in vinculis caritatis.* [22] Fortunata tunc reputari potuit Rebecca, nam cum nil minus cogitaret, sortem suam invenit ut uxor fieret unici filii tanti patriarchae, tanti principis; fortunatissima samaritis, quae hodie per fidem: *Mulier, crede mihi,* [23] facta est sponsa unici Filii summi Dei; sponsa fecundissima, quae Christo multos peperit filios, siquidem ait: *Multi crediderunt in eum . . . propter verbum mulieris:* [24] praedicatione sua innumeros homines ad Christum pertraxit: *Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecunque feci : nunquid ipse est Christus ?* [25]

Sicut Eliezer orando iuxta fontem sponsam Isaac invenit,

sic Christus iuxta fontem samaritidem sponsavit sibi in fide.

Desponsata autem est Christo iuxta fontem Iacob, in lavacro *regenerationis et renovationis Spiritus Sancti,* [26] nam in Baptismo anima fit Christi sponsa. Credidit autem samaritis in Christum quod

ibi nanque ipsa eum agnovit verum mundi Salvatorem;

16) Is 42, 1. Vulg.: *Complacuit sibi in illo,* etc. 17) Ibid. vrr. 6-7. 18) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo te,* etc. 19) Cf. Gn 22, 10. 20) Io 4, 10. 21) Cf. Lc 6, 12. 22) Os 11, 4. 23) Io 4, 21. 24) Ibid. vr. 39. 25) Ibid. vr. 29. 26) Tit 3, 5.

ipse esset verus Messias, mundi Salvator, unde aiunt: Nos *audivimus et scimus quia hic vere est Salvator mundi.* [27] Accidit hodie samaritidi sicut homini qui invenit thesaurum absconditum in agro, prae gaudio nanque abit et vendit omnia quae habet ut emat agrum illum,[28] nam cum cognovisset Christum, *reliquit . . . hydriam suam.* [29] Thesaurus nanque infinitus omnium bonorum Christus est, quoniam *hic est . . . Salvator mundi.* [30]

per hanc fidem autem anima fit sponsa Christi.

Utinam sic nos, fratres, Christum agnosceremus Salvatorem mundi! propter Christum una cum muliere hac omnia relinqueremus, sicut etiam Rebecca fecit: reliquit domum, cognationem et patriam suam et cum Eliezer abiit in domum Abrahami, ut unico filio ipsius desponsaretur.

Saepe Christus in S. Litteris appellatur *Salvator mundi,*

III. Saepe Divinae Litterae Christum *Salvatorem,* idest unicum bonorum omnium thesaurum fontemque indeficientem, solis instar, praedicant, sicut Ioseph *salvator mundi* appellatus fuit. [31] Hic quidem titulus proprius Dei est: *Vivit Dominus salvator Israel;* [32] *Ecce Deus salvator meus,* ait I s a i a s ; [33] *Dominus illuminatio et salus mea, quem timebo?* [34] *Expectabo Deum salvatorem meum,* ait M i c h a e a s . [35] Sed praecipue Christus Salvator praedicatur in Sacris Litteris. De hoc sanctus patriarcha Iacob: *Salutare tuum expectabo, Domine.* [36] I s a i a s ait: *Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Iustus eius et Salvator eius ut lampas accendatur ;* [37] et iterum: *Dicite filiae Sion : Ecce Salvator tuus venit, ecce merces eius cum eo;* [38] et Z a c h a r i a s : *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator.* [39] Sic Angelus in Christi nativitate: *Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Salvator ;* [40] sic Simeon iustus: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* [41]

quia verus Deus est,

Salvator autem dicitur Christus quia Deus, nam I s a i a s ait: *Ego sum Dominus et non est absque me salvator ;* [42] et O s e a s : *Ego . . . Dominus Deus tuus . . . Deum absque me nescies et non est*

27) Io 4, 42. Vulg.: *Est vere Salvator.* 28) Cf. Mt 13, 44. 29) Io 4, 28.
30) Ibid. vr. 42. 31) Cf. Gn 41, 45. 32) 1 Rg 14, 39. 33) 12, 2.
34) Ps 26, 1. 35) 7, 7. 36) Gn 49, 18. 37) 62, 1. 38) Ibid. vr. 11.
39) 9, 9. Vulg.: *Veniet tibi.* 40) Lc 2, 10-11. 41) Ibid. vrr. 30-31.
42) 43, 11.

absque me salvator. [43] Ratione ergo divinitatis suae Christus dicitur *Salvator*, nam per O s e a m dicitur: *Domui Iuda miserebor et salvabo eos in Domino Deo suo,* [44] idest in Christo, quem Deum appellat.

collator perfectae felicitatis.

Quid sit autem salus ista, hodiernum Evangelium declarat, dum Christus ait: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum* et *fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [45] Salus perfecta felicitas numeris omnibus absoluta est; haec autem duo requirit sicut perfecta sanitas: ut corpus nullis doloribus aut morbo interno vel externo sit affectum et omnibus membris suis integris constet nihilque ei desit ad victum et amictum, ad corporis necessitatem et etiam voluptatem et ornatum. Sic felix dicitur homo qui nullis afficitur malis et omnibus affluit bonis, quemadmodum Salomon felicissimus rex propterea praedicatur. [46] Populus Dei non statim ac liberatus fuit a captivitate Aegypti, a durissima illa servitute et crudelissima tyrannide, [47] beatus dici potuit in deserto; sed cum ingressus fuit terram promissionis omnibus bonis affluentem, deliciis omnibus abundantem, instar paradisi deliciarum. Qui autem eos in terram introduxit *Iosue* dictus fuit, [48] idest d i v i n u s S a l v a t o r, collator felicitatis. Sic Adam in terrestri paradiso felix et beatus erat.

sicut ipsemet Christus hodie declarat.

Ait igitur Christus: *Qui biberit ex aqua* viva *quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum,* idest nunquam in sempiternum sitis aut famis vel cuiusvis alterius necessitatis patietur molestiam, *sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam :* affluent, inquit, in aeternum bonis omnibus desiderabilibus, sicut qui apud se fontem habet, sitis molestiam non sentiet, quoniam iuxta fontem est.

Dicitur etiam Salvator non tantum quia venit ut mundo salutem conferret,

IV. Nec tantum hanc ob causam *Salvator* dicitur Christus, quia salutem hanc confert, quae saepe in Scripturis Sanctis *salutare*, idest salus *Dei* dicitur phrasi hebraica, [49] qua res quaeque magna et mirabilis divina dicitur, sic civitas Dei, [50] mons Dei, [51] paradisus Dei, [52] ignis Dei, [53] sicut et nos de regione aliqua fertilissima et amoenissima

43) 13, 4. Vulg.: *Et salvator non est praeter me.* 44) 1, 7. 45) Io 4, 13-14.
46) Cf. 3 Rg 10, 23 sqq.; 2 Par 9. 22-28; Eccle 2, 1-10. 47) Cf. Ex 13, 3 sqq.; 20, 2; Dt 4, 20; Ios 24, 17. 48) Cf. Nm 27, 18-21; Dt 1, 38; 3, 28. 49) Cf. Gn 49, 18; Thr 3, 26; Bar 4, 22; Lc 1, 47; 2, 30; 3, 6; Act 28, 28. 50) Cf. Ps 45, 5; 86, 3; Is 60, 14; Ion 3, 3. Ex hebraico. 51) Cf. Ex 3, 1; 4, 27; Ps 35, 7; 67, 16. 52) Cf. Gn 13, 10; Ez 28, 13; 31, 8-9; Apc 2, 7. 53) Cf. 3 Rg 18, 38; Iob 1, 16.

dicimus regio Dei est; sic, inquam, salus haec salus Dei dicitur, idest maximum, divinissimum beneficium; sed Christus, inquam, non propterea tantum Salvator dicitur quia collator salutis huius divinae est, sed etiam quia haec eius veluti ars est, quod venit in mundum tanquam mercator salutis, ut eam hominibus venderet. Quis nescit quod mercator cupidus distrahendi mercem suam, offert unicuique venienti ad suam apothecam, invitat etiam transeuntes? Sic Christus hodie sedet supra fontem Iacob, [54] qui plenitudinem gratiae Spiritus Sancti designat, nam Iacob tertius patriarcha tertiam repraesentat in Trinitate personam. Manebat hic Christus, imo sedebat quasi mercator cupidus vendendi suas merces, ait enim: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum . . . venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate ?* Venite *et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.* [55]

sed etiam quia cupidissimus est nostrae salutis.

Sic hodie Christus sedens super fontem Iacob obtulit samaritidi aquam salutis, aquam vivam salientem in vitam aeternam, idest quae instar ligni vitae in paradiso vitam confert immortalem et sempiternam; [56] et sicut mercator ad suas distrahendas merces saepe iter facit in diversas orbis partes ad nundinas et celebriora emporia, saepe in itineribus ex magno labore lassatur et fatigatur, sic Christus hodie *fatigatus* est *ex itinere.* [57]

sicut hodie ostendit dum fatigatur ex itinere,

Aliquando mercator lucri cupidus cibi potusque obliviscitur et magni alicuius lucri occasionem nactus, licet hora sit prandii aut coenae et a familia vocetur ad mensam, quod parata sint omnia mensaque ferculis instructa, respondet: Non est tempus nunc comedendi, aliud mihi agendum est, non est mihi voluntas comedendi et bibendi. Sic Christus hodie, licet *fatigatus ex itinere* vere sitiret et esuriret, tamen ad lucrandam animam samaritidis obliviscitur sitis; nactus autem occasionem faciendi magnum lucrum, videns quod multi Samaritanorum venirent ad eum verbis mulieris permoti, licet invitaretur a discipulis: *Rabbi manduca,* respondit: *Ego* alium *cibum habeo manducare;* quod non intelligentes discipuli aiebant intra se: *Nunquid alius attulit ei manducare ?* Ipse autem ait: *Meus cibus est ut faciam volun-*

sitit et esurit, donec animam samaritidis lucretur.

54) Cf. Io 4, 6. 55) Is 55, 1-2. 56) Cf. Gn 2, 9; 3, 22. 57) Io 4, 6.

tatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius. [58] Sicut Eliezer manducare noluit nisi prius negotium pertractaret et concluderet, cuius causa ab Abraham domino suo missus fuerat, sic Christus sedebat supra fontem Iacob *iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph filio suo.* [59]

V. Christus, secundum quod homo, Filius dicitur Spiritus Sancti, quoniam Spiritus Sancti opera conceptus fuit: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* [60] Huic Filio suo Spiritus Sanctus dedit praedium et fontem, omnem gratiae plenitudinem: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus,* etc.; [61] *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... de plenitudine eius omnes nos accepimus... gratiam pro gratia.* [62] Fons autem aquae vivae in Scriptura Sacra *thesaurus* appellatur; sic enim Moyses orabat: *Aperi*, Domine, *thesaurum tuum, fontem aquae vivae,* [63] cum populus in deserto ardentissima siti discruciaretur. Aqua autem huius fontis est instar manna quod omnem cibi saporem virtutemque mirabiliter continebat; [64] hinc aqua haec ab Isaia dicta est etiam *vinum et lac* cibusque afferens saturitatem, pinguedinem et delectationem. Sed, quod manna non habebat, confert etiam vitam aeternam et omnes infirmitates sanat, sicut aqua piscinae [65] et sicut aqua Iordanis, quae Naaman syrum a lepra mundavit. [66]

Christus a Spiritu S. accepit omnem plenitudinem gratiae;

hinc dicitur fons aquae vivae, quia vitam aeternam confert,

Aquam hanc mirabilem ac divinissimam vendere cupit Christus, sed quo pretio? quid a nobis requirit? A samaritide nihil aliud quaesivit nisi ut ipsum agnosceret, in ipsum crederet et ut peccata sua confiteretur; hinc enim ait: *Vade, voca virum tuum,* [67] sciens quod virum non haberet, sed ut eam perduceret ad confessionem peccati sui, cum in adulterio viveret. Non igitur nisi peccatorum commissorum humilem confessionem [67*] factam contrito corde requirit a nobis: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus... Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere,* [68] qualis erat samaritis adultera.

tantum a nobis requirit humilem peccatorum confessionem.

VI. *Hic est... Salvator mundi,* qui *in maligno positus est,* [69] Salvator hominum mundanorum, peccatorum, quales erant Samaritani,

58) Ibid. vrr. 31-34. 59) Ibid. vr. 5. 60) Lc 1, 35. 61) Is 11, 2. 62) Io 1, 14-16. Vulg.: *Nos omnes accepimus.* 63) Nm 20, 6. 64) Cf. Sap 16, 20. 65) Cf. Io 5, 2-4. 66) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 67) Io 4, 16. 67*) Ms.: *Nisi peccata commissa per humilem confessionem,* etc. 68) 1 Tim 1, 15. 69) 1 Io 5, 19.

Samaritani, qui Deum simul et idola colebant, designant mundum, qui salvatur a Christo.

qui Deum simul cum idolis colere volebant, qui legem quidem Moysi ex parte amplectebantur, sed Prophetas renuebant, eos minime recipiebant, non credebant eis;[70] erant instar centaurorum, qui ex parte equi et ex parte homines fingebantur;[71] erant sicut qui nunc dicuntur m a r a n i,[72] qui cum christianis christianos agunt, cum hebraeis hebraeos; sic, inquam, olim erant Samaritani: cum iudaeis iudaei, cum gentilibus gentiles, volebant duobus dominis servire,[73] Deo et satanae. Per Samaritanorum civitatem, per samaritanam mulierem designatur mundus, qui salvatur a Christo absque ullis meritis et infinitis demeritis: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei,. non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.*[74]

Salus a cognitione incipit, nam qui Christum non agnoscit, in eum non credit,

Salus autem a cognitione coepit: *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere.*[75] Samaritis cum prius non agnosceret Christum, contempsit eum: *Quomodo tu iudaeus cum sis, bibere a me poscis quae sum mulier samaritana ?*[76] Audiens autem quod Christus dare ei posset aquam vivam, vix credidit: *Tu... petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam... Domine, neque in quo haurias habes et puteus altus est, unde ergo habes aquam vivam ? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum* istum, *et ipse ex eo bibit et filii eius et pecora eius ?*[77] Videbatur mulieri impossibile quod Christus dixit; cum autem credidit, tunc ait: *Domine, da mihi hanc aquam ut non sitiam* iterum, *neque veniam huc haurire.*[78]

Imo eum contemnit, et mundanas consolationes tantum quaerit.

Incredulitas, fratres, radix est et origo omnium malorum. Credebat mulier quod aqua fontis Iacob poterat sitim ipsius extinguere, non autem Christus; cum autem Christo credidit, contempsit aquam putei illius, nec nisi aquam Christi desideravit. Si nos, fratres, vere crederemus quod multo maiores consolationes dare potest et dat Christus Deus quam mundus, procul dubio Deo magis adhaereremus

70) Cf. 4 Rg 17, 1 sqq. 71) Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 7, cp. 4, pag. 608-611.
72) *Marrano*, vox italica significans infidelem et speciatim mahumetanum. Communiter autem adhibetur ad significandum hominem qui promissis non stat, nec fidem promissam exolvit, quin potius violat; vel etiam contumacem, rebellem, superbum, insolentem. Deducta fuit a voce iberica: *marrano;* sic enim in Hispania appellabantur contemptus causa Mauri, qui ficte tantum vel coacte ad religionem christianam convertebantur, tempore praesertim Ferdinandi Catholici Hispaniarum regis. Cf. Riguttini e Fanfani *Vocabolario Italiano della Lingua pariata*, sub hac voce; Du Cange *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis*, sub eadem voce.
73) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13. 74) Tit 3, 3-4. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit... suam misericordiam*, etc. 75) Io 4, 10. 76) Ibid. vr. 9. 77) Ibid. vrr. 10-12. 78) Ibid. vr. 15.

et serviremus quam mundo, nam homo suapte natura nonnisi animi satisfactionem, laetitiam, consolationem quaerit. Sed videtur nobis impossibile quod Christus maiores dare possit consolationes quam mundus. Christus enim sicut petra in deserto est, ex qua impossibile videbatur Hebraeis quod educi posset aqua ad sitim levandam innumerabilis populi et infinitorum pene animalium, sed tamen dedit aquas, magnum ex suis visceribus flumen aquarum protulit perenni et inexhausto fonte, [79] ita ut nunquam amplius populus in deserto siti laborarit ob infinitam aquarum illarum copiam. *Petra autem erat Christus,* [80] et adhuc non credimus divinam hanc veritatem?

Hoc est quod etiam Ieremias lamentabatur.

VII. Conqueritur Deus per Ieremiam: *Duo... mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi... cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas,* [81] sicut in evangelica parabola legimus: invitati fuere multi ad regales nuptias, sed excusare coeperunt convivium contemnentes: *Nolebant,* inquit, *venire.* [82] Hic ait: *Uxorem duxi... non possum venire;* ille: *Villam emi et necesse habeo exire et videre illam;* alius: *Iuga boum emi quinque.* [83]

Bona mundi cisternae sunt dissipatae

Statuit homo finem suum in rebus mundi huius, hic quidem in voluptatibus, ille in divitiis, alius in honoribus; in his existimat, cum pro voto optatis potitus fuerit, se omnem consolationem inventurum. Sed cisternae sunt fractae, rimosae, *quae continere non valent aquas;* non reperit in his homo consolationes illas quas putabat, quas imaginabatur et promittebat sibi; saepe contra accidit, sicut Adamo et Evae in esu ligni vetiti, [84] sicut Loth in regione Pentapolis, quae visa ei fuit amoenissima bonisque omnibus abundans *sicut paradisus Domini,* [85] sed tamen infernum reperiit sub larva paradisi. [86] Ita est mundus iste, fratres, infernus est sub larva paradisi, sicut triremis foris ornata, deaurata, pulcherrima visu et aspectu, sed intus infernus quidam visus est, tormentorum locus. [87]

et mundus ipse infernus est sub larva paradisi.

Ostenduntur in hodierno Evangelio multa discrimina quae inveniuntur inter aquas Christi et aquas Iacob, inter consolationes di-

79) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 80) 1 Cor 10, 4. 81) 2, 13. 82) Mt 22, 3. 83) Lc 14, 18-20. Ordine inverso affert hos vrr. 84) Cf. Gn 3, 6 sqq. 85) Ibid. 13, 10. 86) Cf. ibid. 14, 11-12; 15, 1-29. 87) Cf. Lc 16, 28.

Consolationes divinae cor plene satiant, mundanae vero minime;

vinas quas Deus dat et mundanas quas mundus dare potest. Aqua Christi *viva* dicitur : *Dedisset tibi aquam vivam;* ergo aqua Iacob mortua; magnum discrimen est inter aquam vivam et mortuam. Aqua Christi sitim levat in perpetuum, non autem aqua Iacob: *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum;* [88] cito transeunt mundi consolationes. Dedit Abraham aquas Agar, dedit eidem aquas et Deus; sed Abraham utrem dedit aquae, quae cito consumpta fuit, Deus autem puteum aquae vivae, ita ut una cum filio nunquam siti postmodum laborarit. [89] Aqua Christi ascendit sursum: *Fons aquae salientis in vitam aeternam ;* aqua Iacob descendit, et licet dulcis sit, tamen ad mare tandem devenit omnis dulcis aqua: *Omnia flumina intrant in mare,* [90] in mari mortis terminatur omnis mundana consolatio; non sic autem divina, sed tunc potius incipit. Tandem aqua Iacob communis est hominibus et brutis, nec nisi difficile, magno cum labore hauritur, nam *puteus altus est,* requiritur hydria, funis longus et fortis, magnus labor; aqua autem Christi communis est hominibus et Angelis et facillime habetur: *Tu... petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam;* fons est planus, non requiritur nisi ut os ad fontem adhibeatur, absque ullo labore bibitur, nec funis nec hydria nec labor qualiscunque necessarius est.

divinae aeternae sunt, mundanae transeunt,

In eo item quod ait: *Puteus altus est,* periculum ostenditur; nam hydria, vas fictile, magno semper cum periculo demittitur in puteum et deducitur, nam sive vacua sit sive plena, facile impingit in latera putei rumpiturque et sine aqua et sine hydria mulier domum revertitur tristis et afflicta.

et magna pericula abscondunt.

VIII. Mulier haec hodie animam repraesentat in duplici statu: prius quidem in statu peccati, postea vero in statu gratiae. Erat haec prius samaritana mulier, Christum ignorans, peccatrix erat, adultera, inexplebilis libidinis; habitabat in civitate, ubi stuprata ac deflorata fuit Dina et ob eam causam multa patrata homicidia. [91] O quot mala in mundo mulierum causa! Utinam vigeret adhuc lex

Mulier haec animam figurat quae in statu peccati fit multorum malorum causa;

88) Io 4, 13-14. Vulg.: *Qui bibit ex aqua hac,* etc. 89) Cf. Gn 21, 14-19. 90) Eccle 1, 7.
91) Cf. Gn 34, 1 sqq.

Moysi quoad stupra adulteriaque,[92] et lex etiam illa zelotypiae qua divino miraculo ostendebatur rea an esset adulterii mulier necne![93]

Adultera tamen haec hodie Christi opera cognoscens et confitens peccatum suum, conversa ac salvata est. Per confessionem peccati sacramentalem mulier adultera saepe a periculo infamiae ac mortis liberatur. Sanctificata fuit mulier haec a Christo, plena Spiritu Sancto ac magna devotione. Hinc non quaerit nisi dc templo, ubi Deus vere adorandus colendusque sit.[94] Aliquando terra, quod natura bona sit valdeque ferax, agnoscitur a spinis et multa copia malarum herbarum; hinc a prudenti agricola immittitur ignis in spinas illas, aratur et colitur ager, seminatur et mire fructificat. Sic utique egit hodie Christus cum samaritide: agnovit eam Christus quod cor haberet bonum, pium animum, voluntatem propensam ad pietatem et devotionem; excoluit eam et fructum centuplum ex ea accepit.

at in statu gratiae, replctur Spiritu S. ιt sanctificatur.

II. ALIA HOMILIA

Venit Iesus in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph.[1]

I. Sicut Moyses mundi creationem describens omnia opera in septem dies distinxit et ita veluti in scena mundi creationem septem actibus repraesentat,[2] ita hodie Ioannes mundi redemptionem atque salutem in hoc sacratissimo Evangelio describens: *Quoniam hic est vere Salvator mundi,*[3] veluti sacram quandam comoediam repraesentat, a Deo utique factam, gratissimum Angelis spectaculum, nam: *Gaudium* magnum *erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.*[4]

Repraesentat hodiernum Evangelium mundi redemptionem veluti quandam sacram comoediam,

In hac autem laetissima comoedia divina arte a Spiritu Sancto composita, Christus nunc peregrinum agit: *Venit in civitatem Samariae;* nunc se transmutat in fontem: *Dedisset tibi aquam vivam;*[5] nunc habitum suscipit prophetae: *Domine, ut video, propheta es tu;*[6]

a Spiritu S. compositam,

92) Cf. Lv 20, 10; 22, 22 sqq. 93) Cf. Nm 5, 12 sqq. 94) Cf. Io 4, 19-20.

1) Io 4, 5. 2) Cf. Gn 1, 1 sqq. 3) Io 4, 42. Vulg.: *Quia hic, etc.* 4) Lc 15, 10. 5) Io 4, 10. 6) Ibid. vr. 19.

nunc tandem regis: *Messias venit... ego sum; Hic est vere Salvator mundi.* [7] Mulier etiam samaritana nunc in scena comparet in habitu mulieris peccatricis, nunc in habitu praedicatricis: *Venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quaecunque feci; nunquid ipse est Christus?* [8]

In septem actus distinctam.

Habet autem hodierna repraesentatio plures actus. In primo repraesentatur Christus viator et peregrinus, prius quidem cum discipulis iter faciens, postea solus sedens super fontem Iacob, discipulis euntibus in civitatem ad cibos comparandos. [9] In secundo introducitur mulier samaritana veniens cum hydria et fune ad hauriendam aquam, quam Christus alloquitur septemque proponuntur dialogi et interlocutiones, quibus colloquiis mulier ad fidem et pietatem conversa, facta est ex terrena coelestis, magnum plane divinumque miraculum. [10] In tertio introducuntur discipuli venientes ex civitate cum cibis, iuxta fontem reperientes Christum cum muliere mirantesque quod viderent Christum cum muliere loquentem; [11] parant mensam ibi in terra, iuxta fontem, proferunt cibos, Christum invitant: *Rabbi, manduca.* Christus autem: *Ego* alium *cibum habeo manducare.* Mirantur discipuli: *Nunquid aliquis attulit ei manducare?... Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* [12] In quarto actu introducitur mulier samaritana veniens in civitatem et praedicans Christum totamque civitatem commovens: *Venite et videte hominem... nunquid ipse est Christus?* In quinto Samaritanos inducit praedicatione mulieris commotos venientes ad Christum, de quibus ipse: *Levate oculos vestros et videte regiones quia albae sunt iam ad messem.* [13] Accedentes ad Christum adorant, rogant, cogunt ut velit civitatem eorum invisere. In sexto Christus introducitur una cum Samaritanis pergens in civitatem ibique duos dies manens, praedicans et evangelizans regnum Dei. [14] In septimo, tandem, conversio Samaritanorum ad fidem: *Multi crediderunt... Samaritanorum propter verbum mulieris;* [15] audito autem eo, *multo plures crediderunt* et dicebant: Nos *audivimus et scimus quia hic est vere*

7) Ibid. vrr. 25-26. 8) Ibid. vr. 29. 9) Cf. ibid. vr. 8. 10) Cf. ibid. vrr. 7-26. 11) Cf. ibid. vr. 27. 12) Ibid. vrr. 31-34. 13) Ibid. vr. 35. 14) Cf. ibid. vrr. 39-41. 15) Ibid. vr. 39.

Salvator mundi. [16] O quale fuit hodie gaudium Angelorum in paradiso ob talem tantamque conversionem!

* * *

II. Volo autem, fratres, ut cum Christo tantisper moremur iuxta fontem Iacob, similes iter agentibus, qui in medio itinere, labore et aestu fatigati, si clarum fontem reperiant, invitati a puris illis crystallinis [aquis], non possunt non ibi conquiescere et recreari puris illis frigidisque undis, aestum simul et sitim levantem, sicut Christus hodie *fatigatus ex itinere*, nam *hora erat quasi sexta*, fere meridies erat, sedit *sic super fontem.* [17] Sed non vacat mysterio quod super fontem sedit, hoc enim egit ut se fontem esse ostendat: *Dedisset tibi aquam vivam;* [18] *Aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons.* [19] Hanc igitur ob causam sedit supra fontem, ut se fontem esse ostenderet.

Sedet Christus supra fontem et ostendat se quoque fontem esse.

Erat autem ibi fons Iacob, [20] fons amoris, fons Spiritus Sancti, nam Spiritus Sancti fons Christus est: *Erat... ibi fons Iacob, iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph filio suo,* quem unice et singularissime diligebat. [21] Sic Deus mundum dilexit unice, singularissime, propterea mundo Christum dedit fontem omnium bonorum: *Sic... dilexit... ut Filium suum unigenitum daret;* [22] *Si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu... petisses... et dedisset tibi aquam vivam,* [23] salientem in vitam aeternam: *Quoniam hic est vere Salvator mundi; Salus ex Iudaeis est.* [24] *Salvator mundi* humani generis reparator, restitutor bonorum quae per peccatum primi hominis mundus amisit; *Salvator mundi,* fons bonorum omnium naturae, gratiae et gloriae: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen;* [25] *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* [26]

Christus fons est omnium bonorum naturae, gratiae et gloriae.

III. *Erat autem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem:* [27] fons super fontem: *Quoniam apud te est fons vitae; Me dereliquerunt fontem aquae vivae.* [28] Duo fontes: alter aquarum naturalium, sensibilium, corporalium, terrenarum; alter supernaturalium, intellectualium, spiritualium, coelestium, divina-

Mundus et Christus duo fontes sunt.

16) Ibid. vrr. 41-42. 17) Ibid. vr. 6. Vulg.: *Supra fontem.* 18) Ibid. vr. 10. 19) Ibid. vr. 14. 20) Ibid. vr. 6. 21) Cf. Gn 37, 3. 22) Io 3, 16. 23) Ibid. 4, 10. 24) Ibid. vr. 22. 25) Ps 35, 10. 26) Is 12, 3. 27) Io 4, 6. Vulg.: *Iesus ergo fatigatus... supra fontem.* 28) Ier 2, 13.

rum; alter in universali natura mundus hic est, fons divitiarum, bonorum, voluptatum; alter in Ecclesia Christus est, plenus *gratiae et veritatis . . . et de plenitudine eius omnes nos accepimus.*[29] Aquae prioris fontis mortuae sunt, huius autem vivae; illae descendunt deorsum, hae sursum sicut ignis; illae difficile hauriuntur: *Neque in quo haurias habes et puteus altus est,*[30] hae autem facillime: *Tu . . . petisses . . . et dedisset tibi aquam vivam;* illae non extinguunt nec tollunt sitim: *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum;*[31] illae communes sunt hominibus et pecoribus: *Ipse ex eo bibit et filii eius et pecora eius,*[32] aquae autem huius fontis hominibus et Angelis communes sunt: *Fons aquae salientis in vitam aeternam;*[33] et tamen illae supramodum sitiuntur et quaeruntur: *Venit mulier de Samaria haurire aquam,*[34] et magno cum labore, quia *puteus altus est*, et erat extra civitatem, labore opus erat ut veniret, ut hauriret, ut portaret in civitatem; aquae autem divini huius fontis etiam oblatae contemnuntur: *Duo . . . mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.*[35]

sed maximum est discrimen inter utriusque aquas.

Sed contempsit aquam hanc mulier quandiu extitit samaritana, nam facta per fidem christiana *reliquit . . . hydriam suam,*[36] contempsit aquas quas prius quaerebat, sitiens coelestem aquam: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam neque veniam huc haurire.*[37] Obtinetur autem aqua haec per fidem: *Mulier, crede mihi;*[38] per orationem: *Domine, da mihi hanc aquam;* per confessionem peccatorum: *Bene dixisti . . . non habeo virum . . . quem habes non est tuus vir;*[39] per religionem veram et cultum: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate; nam et Pater tales quaerit qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*[40]

Anima in peccato quaerit tantum aquas mundanas, sanctificata coelestem aquam sitit.

Venit mulier de Samaria. In duplici statu ostenditur nobis hodie mulier haec samaritana: prius in statu infidelitatis et peccati, postea in statu fidei, caritatis et gratiae; prius habet faciem noctis obscurae, postea clarissimae diei. In ipsa etiam civitate Samariae

Sic mulier haec ostenditur in duplici statu:

29) Io 1, 14-16. Vulg.: *Nos omnes accepimus.* 30) Ibid. 4, 11. 31) Ibid. vr. 13. Vulg.: *Qui bibit ex aqua hac,* etc. 32) Ibid. vr. 12. 33) Ibid. vr. 14. 34) Ibid. vr. 7. 35) Ier 2, 13. 36) Io 4, 28. 37) Ibid. vr. 15. 38) Ibid. vr. 21. 39) Ibid. vrr. 17-18. 40) Ibid. vrr. 23-24.

duo genera hominum legimus hodie: quidam enim crediderunt in Christum, et multi profecto, magna hominum multitudo, sed tamen multi in infidelitate permanserunt, in idolorum cultu; multi biberunt de aquis divini huius fontis, multi vero bibere nequaquam voluerunt, sed tantum lutulentas aquas fontis Iacob pecoribus etiam communes sitiebant et quaerebant. Infidelitatis et gratiae.

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Omnis anima haec mulier est vel in priori vel in posteriori statu, quia omnis anima vel in gratia Dei constituta est, vel in peccato.

III. ALIA HOMILIA

Qui... biberit ex aqua quam ego dabo ei... fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam... Domine, da mihi, etc.[1]

I. Felicem sortem divinamque fortunam samaritidis mulieris ostendit nobis hodiernum Evangelium, haec enim multo fortunatior extitit Rachele[2] aut Rebecca,[3] fortunatior Sephora;[4] hae nanque ad fontes aquarum invenerunt sortes suas, viros suos, haec autem Deum invenit, sicut Moyses in rubo Deum invenit, a quo deificatus quodammodo fuit,[5] mulier autem haec hodie sanctificata a Christo in coelestem quandam mulierem conversa est. Felix haec mulier, quae aquam quaerens, Christum invenit

Quoniam vero ex occasione aquae fontis Iacob Christus cum hac muliere philosophatus est hodie de gratia Spiritus Sancti sub symbolo aquae materialis, operae pretium duxi ut nos quoque de gratia Spiritus Sancti sermonem instituamus: *Dedisset tibi aquam vivam;*[6] *Aqua quam ego dabo ei... fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* De gratia Spiritus S. agit hodie Christus.

II. Ut autem hinc incipiamus, definit hodie Christus gratiam quid non sit dicens: *Si scires donum Dei!*[7] Ait *donum Dei* esse, sed ignotum hominibus, incomprehensibile, ineffabile; *donum Dei,* effectus divinae caritatis et pietatis: *Caritate perpetua dilexi te, ideo* Gratia a Christo dicitur *donum Dei,*

1) Io 4, 13-15. 2) Cf. Gn 29, 1-12. 3) Cf. ibid. 24, 1-28. 4) Cf. Ex 2, 15-21. 5) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 6) Io 4, 10. 7) Ibid.

attraxi te miserans[8] tui, effectus divinae praedestinationis et electionis aeternae; *donum Dei : Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum;*[9] כִּי שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יְהוָה אֱלֹהִים חֵן וְכָבוֹד יִתֵּן יְהוָה;[10] donum de quo P e t r u s : *Magna et pretiosa nobis* dona *donavit, per quae efficiamini divinae consortes naturae,*[11] sicut luna radio solis illustrata soli similis est, sicut ferrum ignitum simile igni est.

a Moyse *similitudo divina*, a D. Paulo *pax Dei* et *sors*.

Hinc M o y s e s gratiam *divinam similitudinem* appellavit.[12] D i v u s P a u l u s *pacem Dei* dixit: *Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.*[13] En donum ineffabile: *Si scires donum Dei!* P a u l u s *sortem* appellavit, bonam fortunam: *Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine;*[14] *In quo . . . nos sorte vocati sumus.*[15] Sors bona quando bonum evenit aut fortuna invenitur: sacerdotium sorte contigit Aaroni,[16] apostolatus Mathiae,[17] vestis Christi inconsutilis militi,[18] Sauli regnum.[19] Sed, o sortem fortunatissimam samaritidis mulieris! Regni coelestis thesaurum invenit: *Si scires donum Dei!*

Dignoscitur doni huius magnitudo ab effectibus:

III. Sed doni huius magnitudinem, age, ab effectibus dignoscamus. *Dedisset*, inquit, *tibi aquam vivam*, aquam non terrenam, sed coelestem, mirabilem, divinam, aquam Iordanis mundantem lepram peccati,[20] aquam Siloe illuminantem caecum a nativitate,[21] aquam piscinae curantem omnem languorem et omnem infirmitatem,[22] aquam lustrationis mundantem hominem a peccatis:[23] *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab . . . inquinamentis vestris;*[24] *Asperges me*, Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor ;*[25] *Lavamini, mundi estote ;*[26] *Si fuerint peccata sicut coccinum, sicut nix dealbentur; . . . si fuerint . . . sicut vermiculus, sicut lana munda* sint, imo *erunt*,[27] dealbabuntur divina hac aqua; aquam

aqua haec mundat,

8) Ier 31, 3. 9) Iac 1, 17. 10) Ps 83 (hebr. 84), 12. Ms.: *Chi scemesc umaghem Iehovah Elohim chen vechabod iitten Iehovah.* 11) 2 Petr 1, 4. Vulg.: *Maxima et pretiosa... ut per haec efficiamini*, etc. 12) Cf. Gn 1, 26-27; 5, 1; 9, 6. 13) Phil 4, 7. 14) Col 1, 12. 15) Eph 1, 11. 16) Cf. Nm 17, 1-10. 17) Cf. Act 1, 23 sqq. 18) Cf. Mt 27, 35; Mc 15, 24; Lc 23, 34; Io 19, 23-24. 19) Cf. 1 Rg 9, 1 sqq. 20) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 21) Cf. Io 9, 1-7. 22) Cf. ibid. 5, 2-4. 23) Cf. Nm 8, 6-7; 19, 9-20. 24) Ez 36, 25. 25) Ps 50, 9. 26) Is 1, 16. 27) Ibid. vr. 18. Vulg.: *Ut coccinum, quasi nix dealbabuntur . . . quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

petrae in deserto,[28] quae mirabiliter sitim levabat: *Qui... biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* aquam, quae instar mannae[29] sitim simul et famem levat: *Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum properate, emite et comedite; venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me et comedite bonum et delectabitur in crassitudine anima vestra.*[30] Quod aquam dixerat, vinum, lac, panem, *bonum* appellat. levat sitim et famem.

Imo aqua est et simul ignis est. Ioannes vidit de throno Dei fluvium procedentem,[31] Daniel fluvium ignis,[32] quoniam gratia Spiritus Sancti simul aqua et ignis est, sicut aqua vitis; hinc Spiritus Sanctus promissus in aqua,[33] datus fuit in igne,[34] nam instar aquae refrigerat ardorem carnalis concupiscentiae et instar ignis flammam coelestis desiderii ac divini amoris accendit. Hinc aqua ista non sicut naturalis aqua deorsum tendit, sed instar ignis sursum; et tamen sicut aqua etiam terram cordis nostri fecundat, ut fructum centuplum reddat. aqua simul et ignis est

Sed non tantum aquam dixit, verum *aquam vivam*, quae in *Apocalypsi* dicitur *aqua vitae*,[35] quia, sicut lignum vitae in paradiso,[36] dat homini vitam aeternam: *Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Hinc Regius Vates: *Melior est misericordia tua*, gratia tua, *super vitas*, ideo *ad te de luce vigilo, sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*[37] Nam gratia, dum ex corde in partem animae inferiorem redundat, etiam ipsam sensibilem hominis partem consolatione replet. Hanc ob causam Dominus gratiam hodie *salutem* appellavit: *Quia salus ex Iudaeis est;*[38] *Hic est vere Salvator mundi,*[39] quoniam *gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*[40] vere aqua viva, quia vitam aeternam confert et consolationibus replet.

IV. Sed si quis clarius videre et cognoscere vult effectus divinae gratiae, coniciat oculos in mulierem hanc samaritidem. Gratia convertit animam ad Deum, iustificat, sanctificat animam, facit ex car- Ostenduntur effectus isti in muliere samaritana.

28) Cf. Ex 17, 6; Nm 20, 11. 29) Cf. Ex 16, 13 sqq.; Sap 16, 20. 30) Is 55, 1-2. 31) Cf. Apc 22, 1. 32) Cf. 7, 10. 33) Cf. Mt 3, 11; Mc 1, 8; Lc 3, 16. 34) Cf. Act 2, 1-4. 35) Cf. 21, 6; 22, 17. 36) Cf. Gn 2, 9; 3, 22. 37) Ps 62, 2-4. Ordine inverso affert hos vrr. 38) Io 4, 22. 39) Ibid. vr. 42. 40) Ibid. 1, 17.

nali spiritualem, ex terrena coelestem, ex mundana divinam, similem Angelis paradisi, similem Dêo.

quae prius nonnisi terrena quaerebat, postea in aliam regenerata est.

En samaritis ista, priusquam a Christo, perenni fonte coelestis huius aquae, petiisset et accepisset ineffabile donum huius aquae, qualis erat? Mulier samaritana, pagana, idolorum cultrix, carnalis, adultera; nonnisi carnalia sapiebat, nonnisi terrena et mundana cogitabat et cupiebat: *Venit mulier de Samaria haurire aquam;* [41] *Quinque... viros habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir.* [42] Iudaeos videre non poterat veros cultores Dei: *Quomodo tu iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier samaritana?* [43] Sed ad Christum conversa per fidem: *Mulier, crede mihi,* [44] ad fontem Iacob in spiritu baptizata, in mulierem aliam conversa est, sicut de Saul legimus quod unctus sacro oleo in regem Israel, mutatus fuit in virum alterum. [45]

De hac re loquitur etiam D. Paulus docens gratiae originem et effectus,

Gratia nanque regenerat et renovat hominem, hinc Paulus: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae.* [46] Docet Paulus his verbis originem gratiae: [ex] misericordia Dei, non ex meritis, alioquin gratia non esset gratia. [47] Hinc Christus *donum* appellat, non mercedem, quia opus est caritatis, misericordiae, bonitatis, non iustitiae. Docet etiam effectus gratiae: renovat hominem et ad vitam perducit aeternam.

sicut videmus in samaritide spiritualiter renovata,

Sic videmus samaritidem regeneratam ac renovatam ad fontem Iacob, symbolum et hieroglyphicum Baptismi. Facta ex carnali tota spiritualis, incipit loqui de templo, de vero cultu, de vera religione: *Domine, ut video, propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Ierosolymis est locus in quo oportet adorare.* [48] Ad fontem aquae baptizata, aperti sunt hodie super eam coeli, ut in coelis esset conversatio ipsius, ut in coelo reponeretur thesaurus et cor ipsius; in Dei filiam adoptata est, nam gratia adoptio filiorum est

41) Ibid. 4, 7. 42) Ibid. vr. 18. 43) Ibid. vr. 9. 44) Ibid. vr. 21. 45) Cf. 1 Rg 10, 1-11. 46) Tit 3, 4-7. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit... suam misericordiam*, etc. 47) Cf. Rom 11, 6. 48) Io 4, 19-20. Vulg.: *Video quia propheta... ubi adorare oportet.*

ac veluti legitimatio; [49] repleta Spiritu Sancto est: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* [50] Descendit Spiritus Sanctus super eam sicut columba, [51] simplex, pura, sine felle, fecunda, pulcra: *Pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi eius in pallore auri.* [52] Gratia nanque Spiritus Sancti animam nostram efficit columbam pulcherrimam, quia Deo similem efficit: *Nos... revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu.* [53]

in filiam Dei regenerata, Spiritu S. repleta

Pulcritudo consistit in architectura et proportione partium, in coloribus optimis et in luminibus, sicut suavitas melodiae oritur ex bonis vocibus, sed rite attemperatis, iusta proportione iunctis; pulcritudo animi consistit in optima dispositione potentiarum, in ornamento virtutum et in lumine supernae claritatis; sic ornatur animus sanctis actionibus, corpus elegantibus moribus et summa vitae honestate. Nam gratia est sicut fluvius paradisi in quattuor capita divisus: [54] perficit mentem fide, prudentia, intelligentia, scientia, cognitione supernaturalium divinarumque rerum; voluntatem perficit spe, caritate, iustitia, desiderio et amore coelestium, timore Dei, pietate et religione sanctissima; irascibilem animae partem fortitudine, patientia, tolerantia passionum et magna constantia ad perseverandum usque in finem; concupiscibilem temperantia, sobrietate, castitate summaque vitae honestate.

et omnibus virtutibus ornata;

Confert gratiam Deus et cum ea singularem vitae sanctitatem; hinc a Paulo gratia dicta est *lex spiritus vitae*, et *lex mentis*, cui lex carnis et membrorum repugnat: [55] Sed *lex*, inquit, *spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati*, [56] lex nanque regula vitae est, quae hominem adigit cogitque ut ita vivat sicut ipsa praecipit. Imo gratia a Paulo *spiritus* appellatur: *Caro... concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem... Fructus... spiritus... caritas*, etc. [57]

nam cum gratia Deus confert singularem vitae sanctitatem.

V. *Si scires donum Dei!* Phrasis Sacrae Scripturae, sicut ignis Dei, mons Dei, civitas Dei, paradisus Dei, [58] ita dicitur quod pro

49) Cf. Rom 8, 17; Gal 3, 29. 50) Rom 5, 5. 51) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22. 52) Ps 67, 14. 53) 2 Cor 3, 18. 54) Cf. Gn 2, 10. 55) Cf. Rom 7, 23. 56) Ibid. 8, 2. 57) Gal 5, 17-22. 58) Cf. supra, hom. 1 huius Feriae, pag. 415, not. 50-53.

Gratia est donum ineffabile, quia est adoptio filiorum Dei,

magnitudine explicari pro dignitate non potest. Donum Dei ineffabile gratia est, quoniam donatio est inter vivos [59] regni coelorum, hereditatis divinae ius. Quis capere potest magnitudinem regni Dei? Adoptio est filiorum et veluti legitimatio. Quis potest capere quidnam sit filium esse et heredem Dei, fratrem et coheredem Christi? Sponsalitium est inter Deum et animam: *Desponsabo te mihi in fide,* [60] fortunatissima Esther, quae sponsa facta fuit magni regis Assueri; [61] ornatus est reginae in nuptiis et sponsalitio: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo;* [62] *Induit me* Dominus *vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me, sicut sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* [63] Qualis est ornatus reginae et imperatricis in die nuptiarum? Dici pro dignitate non potest.

quia Deus est qui dat et qui datur,

Si scires donum Dei! Donum plane ineffabile, quia Deus dat et Deus datur, non enim datur gratia Dei sine Deo, sine Spiritu Sancto vero Deo: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Si scires donum Dei!* Magnum fuit donum Dei Adamo, cum ei mundum universum dedit; [64] sed Paulus docere videtur gratiam Dei donum esse etiam gloria maius: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus ab ira per ipsum.* [65] Sic donum Dei ineffabile.

et est vera vita animae.

Dedisset tibi aquam vivam. Hoc nam tam magnum et ineffabile donum! Sed aqua viva est, aqua vitae, sicut lignum vitae conferens vitam aeternam: *Fons aquae salientis in vitam aeternam.* Aqua haec vivificat spiritum et animam nostram, sicut anima corpus informat et vivificat, quia spiritus est nostri spiritus. Aqua haec a Ioanne in *Apocalypsi* clara dicitur tanquam crystallum, [66] propter claram Dei cognitionem quam tradit: Nos *audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* [67] Aqua vitae dicitur, sicut aqua quam bibit Samson miraculo manantem de maxilla asini, [68] quam si non bibisset,

59) Donatio inter vivos in iure est contractus, quo dominium alicuius rei propriae in donatarium transfertur, utroque contrahente adhuc superstite; differt a donatione mortis causa, qua dominium rei donatae in donatarium post mortem donantis transit. 60) Os 2, 20. Vulg.: *Sponsabo,* etc. 61) Cf. Est 2, 15-17. 62) Apc 21, 2. Vulg.: *Vidi sanctam civitatem,* etc. 63) Is 61, 10. Vulg.: *Quasi sponsum,* etc. 64) Cf. Gn 1, 29-30. 65) Rom 5, 10. 66) Cf. 22, 1. 67) Io 4, 42. 68) Cf. Idc 15, 18-19.

siti periisset, mortuus fuisset; aqua maris Rubri, quae salutem attulit Hebraeis, demerso Pharaone cum universo exercitu suo. [69]

Maxime cupit Christus ut aquam hanc hauriamus manantem de latere eius.

Dedisset tibi aquam vivam. Offert Christus nobis coelestem aquam divinae gratiae, sicut alibi ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* [70] Cupit supramodum ut bibamus aquam hanc, quae causa nostrae salutis est: *Salus ex Iudaeis est.* Mysticum hunc fontem Iacob emit, [71] Christus a Patre carissimo pretio, tanquam si fons esset argenti et vena ditissima auri, pretio sanguinis sui emit; hinc, mortuo Christo, manavit ex ipsius pectore aqua; [72] hinc lassus, *fatigatus ex itinere*, hora diei sexta, in qua crucifixus fuit, [73] *sedebat* hodie *super fontem* [74] hunc.

69) Cf. Ex 14, 21 sqq. 70) Io 7, 37. 71) Cf. Gn 33, 19. 72) Cf. Io 19, 34. 73) Cf. Mt 27, 45; Mc 15, 33; Lc 23, 44; Io 19, 14-18. 74) Io 4, 6. Vulg.: *Supra fontem*

Pro Sabbato sequenti in codice sola inscriptio invenitur, et statim transitur ad Dominicam Quartam.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE

Abiit Iesus trans mare Galilaeae . . . et sequebatur illum multitudo magna, videntes signa quae, etc. [1]

Mensa panum, altare incensi, candelabrum aureum figurae erant Christi.

I. In templo Domini post mare aeneum, quod duodecim aeneis bobus sustentabatur, reposita erat in sanctuario mensa panum propositionis a sinistro templi latere versus septentrionem, posito candelabro ad dexteram partem versus austrum, altari autem thymiamatis collocato in medio. Christus est et altare incensi, symbolum orationis, et candelabrum aureum, divinae sapientiae hieroglyphicum, et mensa panum propositionis, caritatis et pietatis Christi erga nos sacramentum.[2]

Tria egit Christus hodie in figura trium statuum fidelium;

Tria opera egit hodie Salvator: *Subiit ... in montem,*[3] ascendit in altum, utique ad orandum, unde etiam, acceptis panibus, intuens in coelum, Deo gratias agens, illos benedixit,[4] orationi nanque Christus valde deditus erat; secundo, docuit turbas: *Loquebatur illis de regno Dei,* inquit Lucas,[5] *Coepit illos docere multa,* inquit Marcus;[6] tertio loco, misericordia motus super eos, *quia erant sicut oves non habentes pastorem,*[7] pavit eos corpore, cum eos verbo Dei pavisset spiritu. Hinc sunt in Ecclesia tres fidelium servorum Christi status: hi nanque orationi ac contemplationi divinae divinisque laudibus operam navant, in otio sancto Mariae;[8] illi vacant misericordiae operibus spiritualibus, doctrinae, praedicationi verbi, ministerio Sacramentorum, saluti animarum; alii tandem operibus misericordiae corporalibus, ad reficiendos sustentandosque pauperes et egenos.

1) Pericope huius diei Io 6, 1-15. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Quia videbant signa,* etc.
2) Cf. 3 Rg 6, 20; 7, 23 sqq.; 2 Par 4, 1-15. 3) Io 6, 3. 4) Cf. ibid. vr. 11.
5) 9, 11. 6) 6, 34. 7) Ibid. 8) Cf. Lc 10, 38 sqq.

sed hic agitur tantum de multiplicatione panum.

Sed quoniam hodiernum Evangelium specialiter nobis ob oculos ponit et repraesentat divinum Christi opus stupendumque miraculum, quo Dominus quinque panibus satiavit maximam ac pene innumeram hominum multitudinem, miraculi huius nobis sunt pertractanda, favente Deo Patre luminum, a quo omne bonum, [9] et aperienda mysteria.

Pastorem hodie agit Christus, pascens populum corpore et spiritu.

II. Pastorem egit hodie Christus diligentem et pium, qualis fuit Moyses in deserto, qui divino miraculo pane coelesti pavit universam Hebraeorum multitudinem quadraginta annis. [10] Hinc ait M a r c u s quod *exiens Iesus vidit multam turbam et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem.* [11] Nam cum Moyses pasceret [oves] in deserto, apparuit illi Deus in rubo ardenti et manifestans illi nomen suum dixit: *Ero qui ero.* [12] Cum instituere vellet Moysen ex pastore ovium pastorem hominum, promisit se quoque futurum pastorem, [13] ut sicut Moyses pastor populi destinabatur ut eos non tantum spiritu pasceret dans eis divinas leges et Dei cultum docens, sed etiam corpore, sic Christus; unde ait: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant; Ego sum pastor bonus, ego cognosco* oves *meas* [14] et *vitam aeternam do eis.* [14a] Moysi Deus duo nomina specialiter revelavit dicens: *Ego sum qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai* [15] *non indicavi eis:* [16] non revelavi, inquit, Patriarchis mysteria divinae essentiae meae, sed tantum quod essem Deus omnipotens: אֵל שַׁדַּי, [17] D e u s s u f f i c i e n s, qui per meipsum omnia possum.

Ut cognoscatur divina potentia Christus Philippum tentat,

Hanc divinam potestatem voluit hodie Christus ut vel saltem Apostoli agnoscerent; hinc nanque Philippum tentat: *Unde ememus panes ut manducent hi?* [18] Nam non agnoscebant vere divinam Christi omnipotentiam: *Unde istos quis poterit hic saturare ... in solitudine?* [19] Sicut cum populus in deserto carnes concupivit, [20] cum dixisset Dominus Moysi: Dabo eis esum carnium mense integro, *ait*

9) Cf. Iac 1, 17. 10) Cf. Ex 16, 13 sqq. 11) 6, 34. Vulg.: *Exiens vidit turbam multam Iesus.* 12) Ex 3, 14. Ex hebraico. 13) Cf. ibid. vrr. 6 sqq. 14) Io 10, 10-11. 14a) Ibid. vr. 28. 15) Ms.: *Iehovah.* 16) Ex 6, 2-3. Vulg.: *Ego Dominus qui apparui*, etc. 17) Ms.: *El sadai*, et infra. 18) Io 6, 5. 19) Mc 8, 4. Vulg.: *Unde illos*, etc. 20) Cf. Nm 11, 4-5.

Moyses : Sexcenta millia peditum sunt populi huius, et tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? Nunquid ovium et boum multitudo caedetur ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris... congregabuntur ut eos satient? [21] Impossibile quodammodo visum fuit Moysi; Deus vero: *Nunquid invalida est manus Domini? Iam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur.* [22] Sic *pluit super eos sicut pulverem carnes* [23] ad ostendendam potentiam suam quod sit vere אֵל שַׁדַּי, Deus sufficiens, omnia potens, nam a divina omnipotentia et pietate [dicitur] – siquidem שַׁדַּי etiam ubera significat, – ut sit Deus uberum, sola nanque ubera infanti sufficiunt ad cibum et potum. Sic, inquam, divina omnipotentia cum paterna ac materna simul caritate basis et fundamentum est divinae providentiae. Deus nanque simul et pater et mater est universi generis humani, sicut conditor universalis naturae.

sicut egit Deus cum Moyse pluens carnes de coelo.

III. Hodiernum autem Evangelium manifesta et evidens demonstratio est providentiae divinae, qua Deus omnipotens universum hominum genus mirabiliter pascit, sicut Regius Vates ait: *Qui dat escam omni carni, quoniam in aeternum misericordia eius. Confitemini Deo coeli, quoniam in aeternum misericordia eius.* [24] Quo *Psalmo* Regius Vates simul coniungit opus creationis et opus divinae providentiae, et quoniam utrunque opus a Trinitate est, laudandam Trinitatem monet: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius. Confitemini Deo deorum, quoniam in aeternum misericordia eius. Confitemini Domino dominorum, quoniam in aeternum misericordia eius... Qui fecit coelos in intellectu*, etc. [25]

Agitur hodie de divina providentia,

quam *Ps. 135* canit Regius Vates tribuens illam tribus Divinis Personis,

Tribus nominibus Deum appellat propter sanctissimam Personarum Triadem, et etiam ad designandam incomparabilem ineffabilemque divinitatis essentiam, universalem providentiam mundique absolutissimum dominium. Hinc primo loco ponit nomen divinae essentiae tetragrammaton, לַיהוָה [26] ; secundo loco, לֵאלֹהֵי

21) Ibid. vrr. 21-22. Vulg.: *Huius populi sunt*, etc. 22) Ibid. vr. 23. Vulg.: *Manus Domini invalida est*, etc. 23) Ps 77, 27. 24) Ps 135 (hebr. 136), 25 sq. 25) Ibid. vrr. 1-5. 26) Ms.: *Iehovah*.

הָאֱלֹהִים, [27] quod est divinae potentiae nomen, omnes complectens potestates virtutesque ad operandum, quae vel in principibus vel in Angelis reperitur; tertio, לַאֲדֹנֵי הָאֲדֹנִים, [28] *Dominus dominorum*, quia in Deo reperitur omnis dominatus, dignitas, excellentia atque perfectio, quoniam ipse omnia condidit: coelum, terram, mare, solem, lunam, stellas; sicut autem omnia condidit, ita omnia moderatur. Hinc post creationem devenit ad opera providentiae: *Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum... qui eduxit Israel de medio eorum... qui divisit mare Rubrum*, et tandem: *Qui dat escam omni carni, quoniam in aeternum*, etc. [29]

quia ad ipsas pertinet opus creationis.

Alio quoque *Psalmo: Suavis Dominus universis et miserationes eius super... opera eius;* [30] *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno; aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione;* [31] et alibi: *Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus; Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio. Aedificans Ierusalem Dominus*, Sanctam Ecclesiam, *dispersiones Israelis congregabit*, filios Dei dispersos congregans in unum. *Qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum; qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat. Magnus Dominus noster et magna virtus eius et sapientiae eius non est numerus. Humilians... peccatores... suscipiens mansuetos... Qui operit coelum nubibus*, qui *parat terrae pluviam; qui producit in montibus foenum et herbam servituti hominum. Qui dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum.* [32]

Sic et *Ps. 144.*

IV. Sic mysterium hoc divinae providentiae saepe canit Regius Vates; sed tamen quod specialis cura ipsi de iustis est. Hinc iustos ad exultationem laudesque divinas provocat: *Exultate iusti in Domino*, quoniam *diligit misericordiam... misericordia Domini plena est terra... De coelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum; de praeparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.* [33] Sed tamen: *Oculi Domini super iustos et aures eius*

Docet tamen specialem curam Deo esse de iustis.

27) Ms.: *Elohe elohim.* 28) Ms.: *Adone adonim.* 29) Ps 135 (hebr. 136), 10-25. 30) Ps 144, 9. 31) Ibid. vrr. 15-16. 32) Ps 146, 1-9. Vulg.: *Suscipiens mansuetos... humilians... peccatores*, etc. 33) Ps 32, 1-14.

in preces eorum; [34] *Ut eruat a morte animas eorum et alat eos in fame.* [35]

a pastore sumpta mataphora.

De seipso in persona omnium iustorum ait: *Dominus regit me,* Dominus pastor meus, *et nihil mihi deerit,* cum sim ovis ipsius; *in loco pascuae ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit,* refocillavit, convertit signando [ne] instar ovis insipientis errarem. *Deduxit me super semitas iustitiae,* per vias rectas, optimas, *propter nomen suum. Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis,* in magnis periculis, *non timebo mala* a lupis et truculentis bestiis, *quoniam tu mecum es* armatus baculo ad potentem defensionem meam: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me,* in conspectu inimicorum meorum daemonum; *impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians... est.* Veruntamen bonitas tua *et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae... ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.* [36] Sic a pastore sumpta metaphora absolutissimam Dei providentiam erga electos declarat.

Sic absolutissimam Dei providentiam erga electos declarat.

Et alibi: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio... super manum dexteram tuam... Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam,* vitam tuam, *Dominus. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in saeculum.* [37] Sic *non dabit in commotionem pedem tuum,* [38] nulla afficieris molestia: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem,* [39] quoniam ipse *protectio tua,* ipse umbra tua: *Scapulis suis obumbrabit tibi et sub pennis eius sperabis.* [40] Apparens Iacob in cacumine scalae coelestis in Bethel, dixit ei: *Ero custos tuus quocunque perrexeris... nec dimittam* te. [41]

cui fide viva et firma spe ipse fidebat.

Felices qui tanquam pulli sub alis matrum vivunt sub [alis] divinae providentiae, viva fide et secura ac certa firmaque spe, sicut Regius Vates aiebat: *Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet, non dabit in aeternum fluctuationem iusto.* [42] De seipso aiebat: *Levavi oculos meos ad montes,* ubi erat tabernaculum et tem-

34) Ps 33, 16. 35) Ps 32, 19. 36) Ps 22, 1 sqq. 37) Ps 120, 4 sqq.
38) Ibid. vr. 3. Vulg.: *Non det,* etc. 39) Ibid. vr. 6. 40) Ps 90, 4. 41) Gn 28, 15.
42) Ps 54, 23. Vulg.: *Iacta super Dominum curam tuam et ipse,* etc. Affert ex S. Gregorio M. *Liber Antiphonarius,* (P. L. 78, 714) et ex Liturgia Ecclesiae. Cf. Missale Rom., Feria Tertia post Dom. 2 Quadr. *Graduale;* Dominica Tertia post Pent., *Graduale.*

plum Domini, *unde veniet auxilium mihi*, nam: *Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram*,[43] utique propter hominem. Cum autem potuerit coelum et terram creare, cur non possit mihi auxilium omne praestare? Et si propter hominem condita sunt omnia ab eo, maxime vero propter pios Divini Numinis cultores, cur mihi deneget auxilium suum, si ex animo pietatem colam?

V. Hanc fidem a nobis hodie Dominus requirit, cupiens ut fideles sui non tantum humanae rationis iudicio vitam suam moderari velint, sed etiam fide divinae providentiae, cui possibilia et facillima sunt quae hominibus sunt difficillima et impossibilia. Navis enim quae ad Indos navigationem parat per magnum Oceanum ad antipodas sub polo antarctico, necesse est ut tandem, cum eclipticam lineam pertransierit, non amplius intuitu et contemplatione Helicis stellae,[44] quae iuxta polum nostrum est, navigationem suam per aequora moderetur, sed ut in antarcticum polum, qui alterius hemisphaerii centrum est, oculos figat et illius contemplatione cursum suum peragat. Hanc fidem a nobis hodie Dominus requirit,

Duos habemus polos: rationem et fidem. Philippus interrogatus a Christo: *Unde ememus panes ut manducent hi?* nonnisi polum humanae rationis respiciebat; unde ait: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt;*[45] *Unde istos quis poterit . . . saturare panibus in solitudine?* Christus autem monuit,[46] quoniam iam eclipticam lineam navigatione pertransierant trans mare Galilaeae, ut non amplius polum arcticum humanae rationis respiceret, sed antarcticum fidei supernaturalis. Cupit Dominus ut iugiter ab eius providentia pendeamus, nam hanc ob causam diebus singulis voluit pluere manna Hebraeis in deserto et vetuit ne in crastinum reponerent nec asservarent, nisi tantum pro die sabbati, quando non descendebat manna de coelo, tunc concessit ut in parasceve sabbati colligerentur duae mensurae mannae et una pro die sabbati conservaretur.[47] O beatos qui sic vivunt! Nam: *Melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas.*[48] Modicum panis dedit Dominus hodie singulis hisce et tamen saturati vult enim ut non solo humanae rationis iudicio vitam moderemur, sed magis fide divinae providentiae, cui omnia possibilia sunt.

43) Ps 120, 1-3. Vulg.: *In montes*, etc. 44) Quae et Arctos et etiam Ursa maior dicitur, constellatio est ex viginti septem stellis formata ad polum septentrionalem.
45) Io 6, 7. 46) Ms.: *Ut* ponitur hic quod postea repetitur. 47) Cf. Ex 16, 14-30.
48) Ps 36, 16.

fuere et superfuit eis; dives autem avarus nunquam est satur: *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu.* [49]

II. ALIA HOMILIA

Hodie S. Ecclesia nonnisi providentiam divinam praedicat,

I. Hodie Sancta Ecclesia nonnisi divinam nobis providentiam praedicat: in Evangelio ex miraculo Christi, [1] in Epistola introducens Abrahamum patrem duorum filiorum, [2] qui duos significant populos: fidelem et infidelem, electos et reprobos: *Solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos;* [3] in lectionibus nocturnis introducens Moysen pastorem ovium factum pastorem hominum deumque, populi sui salutem curantem ac procurantem. [4] Non dicat philosophaster ille Deum mundana haec non curare, quoniam vilesceret divinus intellectus, non enim potest vilescere intellectus divinus natura immutabilis, [5] sicut nec sol obscurescit terram suapte natura obscuram ac tenebricosam illuminans; non dicat quod natura est quae haec operatur. [6] Nam dicam: Quidnam est haec natura quae sapienter omnia operatur? Quidnam est entium?

quam stulte et ingrate aliqui negant,

Conqueritur [7] Deus apud Isaiam: *Reliquistis Dominum... obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunae mensam,* sive aram, *et libatis super eam.* [8] Nam casui et fortunae omnia tribuunt qui naturam dicunt omnia operari et ab astris atque planetis universa pendere, similes Hebraeis qui cum a Deo innumera beneficia maximaque accepissent, idolo, quod nihil est, illa tribuere dicentes: *Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti.* [9]

sicut Deus conqueritur apud Isaiam.

Sed vanos insanosque philosophos missos faciamus, ne cum illis insaniamus, semper enim discunt et nunquam ad scientiam veritatis perveniunt, [10] sicut qui fugientem umbram cursu insectantur. Cum enim existiment nonnisi per potissimam, ut aiunt, demonstra-

49) Eccle 1, 8. Vulg.: *Non saturatur oculus*, etc.

1) Cf. Io 6, 1-15; Missale Rom. hac Dominica. 2) Cf. Gal 4, 22-31; Missale Rom. hac Dominica. 3) Mt 5, 45. 4) Cf. Ex 3, 1-15; Breviarium Rom. ad Mat., lect. primi noct. 5) Aristot. *Metaphysic.*, lib. 11, cp. 9, t. 2, pag. 564. 6) Ibid. cp. 10, pag. 564-565. 7) Ms.: *Conquiritur.* 8) 65, 11. Vulg.: *Dereliquistis Dominum.* etc. 9) Ex 32, 8. Vulg.: *Qui te eduxerunt*, etc. 10) Cf. 2 Tim 3, 7.

tionem haberi posse scientiam, nullam plane habent scientiam, quoniam nulla datur in naturali philosophia potissima demonstratio.

II. Difficilis quidem est cognitio divinae providentiae, sicut etiam divinae naturae; hinc et Philippo apostolo hodie visa est impossibilis, sed humana tantum consideranti. Hinc omnis oritur philosophorum error, quoniam nonnisi naturalia considerant, et quod naturae videtur impossibile, simpliciter enunciant impossibile; similes insano artifici, qui quod arte fieri non potest, nec natura fieri posse existimat. Non potest ars pictoris aut sculptoris vivam arborem facere, cum frondibus fructibusque, non vivum animal; an propterea non haec natura fiunt, quia arte fieri non possunt? Sicut autem natura potentior est arte, sic Deus ipsa natura. Sic Christus hodie minimo negotio virtute divinitatis suae egit quod Philippus impossibile existimavit.

Error est enunciare simpliciter impossibile quod naturae impossibile videtur,

Infinita nanque est potentia Christi, infinita virtus manus Christi: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [11] Manum habet dexteram et sinistram Deus: *Laeva eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me ;* [12] *In dextera eius longitudo dierum et in sinistra illius divitiae et gloria.* [13] Dextera manu sua creavit invisibilia, sinistra visibilia; dextera coelestia, sinistra terrestria; dextera spiritualia, sinistra corporalia; dextera sempiterna bona, sinistra temporalia. Ad providendum autem homini utraque utitur manu, quoniam homo corpore et spiritu constans centaurus est, terrestri animali et coelesti Angelo constans; [14] cibo eget terreno ut animal et coelesti ut Angelus; cibo corporali ad sustentandam vitam exterioris hominis et spirituali ad sustentandam vitam interioris. Sic hodie Christus utrunque cibavit hominem: interiorem, quo conversamur cum Angelis in coelis, et exteriorem, quo vivimus cum animalibus in terris; hinc legimus panem coelestem et terrenum.

nam potentia Christi infinita est,

et sicut creavit hominem exteriorem et interiorem, sic utrunque alit.

III. Divinae providentiae symbolum in Sacris Litteris est *Rationale* iudicii in pectore summi pontificis, quod gemmis duodecim

11) Mt 28, 18. 12) Ct 2, 6. 13) Prv 3, 16. Vulg.: *Longitudo dierum in dextera eius*, etc. 14) Alludit ad mythologiam quae fingit centauros partim homines et partim equos. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 7, cp. 4, pag. 608-611.

Symbola divinae providentiae *Rationale* summi sacerdotis.

ornatum dicebatur האורים את־התמים,[15] *lumina et perfectiones*. Homines Deus, maxime electos, veluti insculptos cordi tenet, cumque eos tanquam amantissimus pater filios carissimos diligat, *lumina* habet et *perfectiones*. Novit quae necessaria sunt: *Scit enim Pater vester* coelestis *quia his omnibus indigetis;*[16] nec tantum novit, sed potest, nam: *Omnia quaecunque voluit Dominus fecit in coelo* et *in terra*,[17] potest, scit, vult providere. Hinc in divino sanctuario asservabantur hieroglyphica tria, potentiae, sapientiae et bonitatis divinae;[18] hinc tria haec ostenduntur de Christo in hodierno Evangelio: *Ipse... sciebat quid esset facturus;*[19] *Misereor super turbam;*[20] accepit panes in manibus divinoque miraculo multiplicavit.[21]

scala Iacob.

Symbolum scala Iacob quae coelum et terram coniungebat,[22] sicut etiam Aegyptii Deum hieroglyphice pingebant zonam manu tenentem, quae coelum simul terramque cingebat.[23] Promittit ibi Deus Iacob necessaria omnia, simulque ostenditur quod in mundi regimine ac providentia utitur Deus Angelis causisque secundis, sicut hodie Christus usus est Apostolis, usus etiam quinque panibus veluti seminibus rerum procreandarum ad hominis utilitatem et voluptatem.

templum Salomonis.

Symbolum templum Salomonis, quod hebraice dicitur: היכל יהוה,[24] *regia Domini:* erat tanquam regale palatium Dei, ostendens Deum universi regem esse. Quis autem rex bonus et prudens non curat quae ad regni salutem pacemque opus sunt? Ostenditur in tribus templi partibus quod Deo triplex mundus, elementalis coelestis, terrestris et angelicus, curae est, panis nanque hodiernus mystice quidem non tantum divinam Scripturam, quae divinus animi cibus est, sed etiam Sanctissimam Eucharistiam [figurat], quae panis vere coelestis et angelicus est, hinc enim Christus sumpsit occasionem atque exordium tractandi de divinissimo hoc Sacramento: *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum;*[25] quatenus panes hi quinque Libros mosaicae legis designant totumque Vetus Testamentum a Christo declaratum, dato

15) Ex 28, 30; Lv 8, 8. Ms.: *Urim et thumim*. 16) Mt 6, 32. 17) Ps 134, 6.
18) Idest: virga, tabulae legis et vas mannae. 19) Io 6, 6. 20) Mc 8, 2.
21) Cf. Io 6, 11. 22) Cf. Gn 28, 12-15. 23) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphicorum Comment.*, pag. 620-621. 24) Ier 7, 4; Agg 2, 19. Ms.: *Hecal Adonai*. 25) Io 6, 51-52.

Spiritu Sancto Apostolis missisque illis ad Evangelium praedicandum. [26]

Duodecim cophini significant articulos fidei et status personarum in Ecclesia.

Supersunt duodecim cophini fragmentorum, [26a] qui sunt duodecim articuli fidei, etiam documenta pro duodecim statibus personarum, quae in Ecclesia reperiuntur, quae ideo per duodecim tribus Israel designantur: *Sedebitis... super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* [27] Siquidem omnes fideles vel saeculares sunt vel ecclesiastici et regulares; in utroque autem genere hi quidem superiores sunt, illi autem inferiores; hi divites, illi pauperes; hi nobiles, illi ignobiles; hi matrimonio coniugati, illi soluti; hi vacant contemplationi, illi actioni et operibus piis.

Deus vere pastor et pater est suorum fidelium;

IV. *Illi ergo homines, cum vidissent quod fecerat Iesus signum,* etc. *Cum cognovisset quia venturi essent ut raperent,* etc. [28] Viso hodierno miraculo Iudaei et cognita Christi tum potentia tum bonitate, voluerunt costituere eum regem, sicut olim David a populo Israel electus constitutusque fuit rex totius regni Israelis. [29] Hac unica ratione moti voluerunt se totos Christo perpetuos subditos servosque dare: *Venturi erant ut raperent eum et facerent eum regem.* [30] Utinam, fratres, vere divinum hoc mysterium agnosceremus, vere ex animo toto corde divinam providentiam crederemus, quod Deus pastor [sit] sicut Moyses, [31] pater sicut Abraham [32] suorum fidelium!

hoc ostendit hodie Christus multiplicando panes.

Sic Christus pavit hodie fideles turbas sicut pastor oves, sicut pater filios, non tantum pane ad saturitatem, qui cibus est necessarius, sed etiam piscibus, qui in deliciis sunt, ad voluptatem potius quam ad necessitatem. Sic fidelibus suis Deus necessaria providet et iucunda ad sufficientiam et superabundantiam.

Multi Dei servitium inutile existimant;

Multi tamen dicunt apud M a l a c h i a m: *Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum, quia custodivimus mandata eius?* [33] Hanc ob causam multi ac fere omnes mundo libentius serviunt quam Deo, quoniam existimant famulatum Dei inanem esse, absque ulla vel iucunditate vel utilitate; sed inane desertum videtur eis vita vere christiana. Sed tamen in inani deserto Christus famelicas turbas

26) Cf. Mt 28, 18 sqq.; Mc 16, 15-18; Lc 24, 44-49. 26a) Cf. Io 6, 13. 27) Mt 19, 28.
28) Io 6, 14-15. Vulg.: *Quod Iesus fecerat.* 29) Cf. 2 Rg 5, 1-3; 1 Par 11, 1-3.
30) Io 6, 15. Vulg.: *Venturi essent,* etc. 31) Cf. Ex 3, 1. 32) Cf. Gn 25, 1-6.
33) 3, 14. Vulg.: *Praecepta eius.*

saturavit cibis suavissimis, in deserto Deus Hebraeos manna pavit.[34]

sed solus Deus replere potest animam nostram,

Quod carni desertum videtur, spiritui paradisus deliciarum est et voluptatum coelestium; nam solus Deus sufficit ad replendum animum nostrum omni gaudio et laetitia, quod omnes simul creaturae non possunt, sicut unus sol sufficit ad clarum diem efficiendum, quem omnes simul stellae non possunt efficere. Hinc aiebat ille: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo* meo *spem meam ;*[35] *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus : beatus vir qui sperat in eo;*[36] *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[37] *Iusti epulentur et exultent . . . in laetitia ;*[38] *Et delectabuntur in multitudine pacis ;*[39] *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum;*[40] *Melior est dies una in atriis tuis super millia.*[41]

sicut semper et ubique praedicant Divinae Scripturae.

Sic semper et ubique praedicant Divinae Litterae spiritualem vitam plenam esse magna dulcedine, multis divinis consolationibus abundare. Mundus tamen et multitudo animalium hominum haec minime credit, nec adduci potest ut vere credat quod Christus ait: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis; scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis:*[42] providebit vobis, sicut providet plantis et animalibus. *Respicite,* inquit, *volatilia coeli,*[43] quomodo eis providet Deus, quomodo ea pascit! Quis autem hominum non pluris filios suos quam animalia facit? Hanc ob causam Deus in Sacris Litteris saepe *pastor* et *Pater* appellatur: *Dominus regit me, pascit me,* sive pastor meus, *nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit.*[44]

Deum pastorem et patrem agnoscere fundamentum pietatis est.

Utinam, fratres, Deum pastorem Patremque agnosceremus! quod ipse est qui ad ostendendos thesauros potentiae, sapientiae, et bonitatis suae mundum creavit atque conservat, sicut sol diem efficit servatque! Similes essemus sanctis hisce hodiernis turbis: *Venturi erant ut raperent eum et facerent eum regem.* Nam quae respublica non principem regemque optimum summis votis desiderat, a quo nihil mali sibi timere et bona omnia, iustitiam, pacem et abundantiam sperare possit? Deus autem per I s a i a m ait: *Servi mei comedent et vos*

34) Cf. Ex 16, 13 sqq. 35) Ps 72, 28. 36) Ps 33, 9. 37) Ps 30, 20.
38) Ps 67, 4. 39) Ps 36, 11. 40) Ps 117, 15. 41) Ps 83, 11.
42) Mt 6, 32-33. Vulg.: *Quaerite ergo primum,* etc. Ordine inverso affert hos vrr.
43) Ibid. vr. 26. 44) Ps 22 (hebr. 23), 1-2.

esurietis . . . servi mei bibent et vos sitietis . . . servi mei laetabuntur et vos confundemini. [45]

Primo fidendum est divinae providentiae et postea humanae prudentiae.

V. Per Isaiam conqueritur Deus de hominibus, qui sua tantum prudentia volunt omnia moderari, dicens: *Vae filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum!* [46] Ut tela fiat, ante omnia stamen necessarium est, deinde subtegmen. Divina providentia in negotiis nostris gerendis debet esse sicut stamen, humana autem diligentia subtegmen. Quoniam vero non sic agimus, hinc saepe non pro voto nobis succedunt quae gerimus: *Telas araneae texuerunt,* inquit idem Vates, *telae eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis; opera eorum . . . inutilia.* [47] Nam quid telae aranearum prosunt ? quid valent? Sic saepe opera hominum inutilia sunt.

Deus ita universalem gerit curam sicut singularem uniuscuiusque.

Deus benedictus ita universalem providentiam et curam omnium gerit, ut singularem uniuscuiusque gerere videatur, veluti si a pictore excellentissimo picturata sit imago Salvatoris in plana superficie, ita ut ex quacunque parte et latere aspiciatur videatur in eam partem aspicere et porrecta manu benedictionem dare aspicientibus; aspicere videtur omnes et singulos aspicientes. Hoc est quod Regius Vates ait: *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno; aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione,* [48] sicut sol innumera specula potest illustrare et sua imagine decorare, et solis imago perfecta ibi cernitur in singulis ac si non nisi unum illud illuminaret et in uno illo solo vivam imaginem suam depingeret. Est Deus sicut paterfamilias prudentissimus et vigilantissimus, qui scire et videre vult omnia quae fiunt domi: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat et humilia respicit in coelo et in terra ?* [49] *In altis habitat,* quoniam *excelsus super omnes gentes Dominus et super coelos gloria eius,* [50] sed tamen humilia non dedignatur: *Operatur omnia in omnibus;* [51] *Omnia . . . opera nostra operatus* est Dominus. [52]

tanquam paterfamilias prudentissimus et vigilantissimus;

Curam gerit Dominus Deus omnium, sed praecipue electorum suorum: *Homines et iumenta salvabis Domine;* [53] sed iumentorum

45) 65, 13-14. 46) 30, 1. 47) Ibid. 59, 5-6. 48) Ps 144, 15-16. 49) Ps 112, 5-6. 50) Ibid. vr. 4. 51) 1 Cor 12, 6. 52) Is 26, 12. 53) Ps 35, 7.

sed praecipue curam gerit servorum suorum.

curam gerit propter homines, hominum propter electos, sicut paterfamilias servos alit, sed propter filios; hinc dictus est *custos Israel: Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* [54] Curam Deus gerit maxime servorum suorum qui per viam salutis incedunt, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum vivunt. Si quis Romam ire disponat et ab aliquo nobili viro litteras commendatitias petat, ille autem dicat: Dabo libenter si iter per tales partes agere volueris, nam sunt mihi ubique amici et familiares qui te mei causa recipient hospitio et bene tractabunt; si per aliam viam iter agere volueris, non sunt mihi necessarii a quibus possis beneficia adhibere; sic Deus Hebraeis ex Aegypto egressis, in terram promissionis peregrinaturis, litteras veluti commendatitias dedit, si tamen non per viam Philisthaeorum, sed per viam deserti iter agerent, sicut egerunt. [55] Sic a mari Rubro per litteras commendatitias Dei veluti hospitio recepti fuerunt, [56] sic a coelo manna acceperunt, ab ipso flumine Iordane [iter], [57] similiter ab ipsa petra aquam, [58] ab Angelo ducatum. [59]

Deus totum mundum regit et gubernat, nihil inde recipiens,

VI. Paucis panibus usus est Dominus ad cibandam affluenter ac saturandam superabundanter innumeram fere hominum multitudinem esurientem, famelicam, sicut in diebus Eliae ex parva nubecula eduxit infinitam prope aquarum copiam ad irrigandam universam terram supramodum siccam et aridissimam, cum coelum non dedisset pluviam aut rorem ullum per spatium trium annorum et sex mensium. [60] Deus mundum totum regit atque gubernat, coelestia atque terrestria, sicut omnia simul ex nihilo condidit. Sicut anima nostra totum corpus vivificat, regit, conservat, nec vilior est in inferioribus corporis partibus aut in superioribus nobilior, nam una et eadem est et a corpore nullam accipit vel nobilitatem vel ignobilitatem, sicut nec sol a terra vel a coelo lumen aut tenebras; ita plane Deus a creaturis nullo aut bono aut malo afficitur, cum natura sit immutabilis et impassibilis,

quia nullius eget.

infinitae bonitatis et perfectionis. Bonitatis vero proprium est lucis instar seipsam diffundere et communicare. Deus thesaurus est infini-

54) Ps 120, 4. 55) Cf. Ex 13, 17-18. 56) Cf. ibid. 14, 21-22. 57) Cf. Ios 3, 13 sqq. 58) Cf. Ex 17, 6; Nm 20, 11. 59) Cf. Ex 13, 21 sq. 60) Cf. 3 Rg 17, 1; 18, 1. 41. 45; Lc 4, 25; Iac 5, 17-18.

tae lucis, fons aeterni luminis, Pater luminum,[61] verus sol infiniti splendoris; Christus autem verus Deus est.

VII. *Abiit Iesus trans mare Galilaeae ... et sequebatur illum multitudo magna, quia videbant signa quae*, etc.[62] Dux ostenditur hodie Christus fidelis populi, imperator exercitus Domini, sicut Moyses educens populum ex Aegypto in desertum per mare Rubrum; imo columna illa mihi videtur nubis et ignis, quae populum in terram promissionis ducatum praestabat. Erat columna illa semper lucida, per diem splendida videbatur sicut nubes illuminata a sole, per noctem vero flamma ignis magna splendebat et noctis tenebras illuminabat,[63] quoniam Deus et Angelus Domini, qui *lux* et *ignis*[64] dicitur, ibi erat; sicut Deus et Angelus Domini apparuisse dicitur Moysi in flamma ignis ardentis in rubo.[65] Christus enim verus Deus simul et Angelus Dei est: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.*[66]

Columna nubis et ignis in deserto figura Christi.

Designatur in columna illa divina providentia, nam Deus in illa populum praecedebat sicut dux et imperator exercitus, illa nanque suo motu ostendebat tempus quando movenda essent castra et iter agendum et per quam viam, quando item quiescendum erat et ubi castrametandum.[67]

designabat enim divinam providentiam

Legimus etiam quod, ubi perfectum fuit tabernaculum, columna illa semper die ac nocte incubabat super illud;[68] incubabat Deus super tabernaculum, quod Ecclesiam fidelium designabat, in morem avis super pullos suos. Sic I s a i a s Deum vidit sedentem ac veluti incubantem supra templum, nam: *Ea quae sub ipso erant replebant templum.*[69] Cum etiam Salomon templum Domino dedicavit, maiestas Domini descendens de coelo implevit templum Domini, *et omnes filii Israel videbant descendentem ignem et gloriam Domini supra templum;* quare procidentes in terram *proni... adoraverunt... Dominum quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.*[70] Nam Deus Salomoni dixit, dedicato templo: *Elegi ... et sanctificavi locum istum ut sit no-*

tabernaculum autem super quod incubabat, figurabat Ecclesiam.

61) Cf. Iac 1, 17. 62) Io 6, 1-2. 63) Cf. Ex 13, 1-14, 1 sqq.; Nm 14, 14; Dt 1, 33; 1 Io 1, 5. 64) Cf. Dt 4, 24. 65) Cf. Ex 3, 2; Act 7, 30. 66) Mal 3, 1. 67) Cf. Nm 9, 15 sqq. 68) Cf. Ex 40, 36. 69) 6, 1. 70) 2 Par 7, 3. Vulg.: *Super domum... in saeculum misericordia eius.*

men meum ibi in sempiternum et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. [71]

super quam Deus specialiter vigilat.

Hoc autem symbolum ac hieroglyphicum est divinae providentiae super Ecclesiam suam, quod Deus curam gerit fidelium suorum sicut avis pullorum suorum, nam ait: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, expandit alas suas et assumpsit eos atque portavit in humeris suis.* [72] Hinc agnoscens populus divinam bonitatem et misericordiam, adoraverunt Dominum, *quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* Nam ignis et lux hieroglyphica sunt bonitatis; Deus autem in igne et splendenti lumine descendit supra templum.

Supramodum in S. Litteris praedicatur Dei bonitas;

VIII. Supramodum praedicatur in Sacris Litteris Dei bonitas, nam propterea dicitur *ignis, lux, sol,* [73] *fons aquarum viventium,* [74] *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis,* [75] thesaurus omnium bonorum: *Ostendam tibi omne bonum.* [76] Haec bonitas autem eluxit quidem in mundi creatione: *Vidit ... Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona ;* [77] sed nil minus in conservatione et providentia: *Laudaverunt Dominum quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.*

fides enim in bonitatem et providentiam Dei basis est totius religionis,

Etiam Gentiles cognoverunt mysterium hoc divinae providentiae, unde Aegyptii hieroglyphice mundum designabant per navim in medio mari, Deum autem per gubernatorem navis. [78] Melchisedech, *rex Salem* et *sacerdos Dei Altissimi,* duo praedicabat de Deo: creationem mundi et providentiam: *Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit coelum et terram ... et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt,* [79] quoniam haec fides basis et fundamentum est totius religionis. Hinc sanctus patriarcha Iacob, cum vidisset mysteria scalae coelestis et Dominum innixum scalae, Angelos quoque ascendentes et descendentes per eam, ait: *Vere Dominus est in loco isto ... non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.* Tunc *erexit* lapidem *in titulum fundens oleum desuper,* et ait votum vovens Domi-

71) Ibid. vr. 16. 72) Dt 32, 11. Vulg.: *Assumpsit eum,* etc. 73) Cf. Mal 4, 2. 74) Cf. Ier 2, 13; Bar 3, 12. 75) 2 Cor 1, 3. 76) Ex 33, 19. Vulg.: *Ostendam omne bonum tibi.* 77) Gn 1, 31. 78) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphicorum Comment.,* pag. 621. 79) Gn 14, 18-20.

no: *Si fuerit Deus mecum et custodierit me per viam per quam... ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum et vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque quae dederis mihi, decimas offeram tibi.* [80] Intellexit in illa visione sanctus patriarcha mysterium hoc divinae providentiae videns Deum innixum scalae, incubantem supra domum suam, nam dixit ei: *Terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo... eroque custos tuus quocunque perrexeris.* [81] Hinc statuit fidem hanc divinae providentiae basim et fundamentum religionis; hinc templa, hinc altaria, hinc sacrificia, hinc orationes, hinc vota, hinc decimae, hinc cultus Dei.

et hanc fidem summopere Deus a nobis exigit.

Hanc ob causam Deus magnopere fidem hanc a nobis exigit. Vix aliud praedicat Sacra Scriptura quam fidem divinae providentiae. Hanc fidelium suorum mentibus Deus in deserto imprimere voluit, dum iussit ut ex manna, quae abundanter de coelo pluebat, tantum colligerent, quantum pro victu unius tantum diei sufficere posset nihilque servarent in crastinum, [82] ut sic semper a divina providentia penderent, sicut pulli in nido a matre, sicut dies ipse a sole.

Multa operatur Deus in nobis et extra nos in natura.

IX. Multi divinam providentiam negant, impossibile existimantes posse Deum particularium omnium curam gerere. Sed non sic Abraham patriarcha; Deum enim appellavit iudicem universae terrae. [83] Sed quis dicere potest quot et quanta operatur in anima nostra, in corpore et per corpus, tum interius tum etiam exterius? Quomodo virtus cordis diffundit se per universum corpus usque ad extremas partes? Quomodo in latissima arbore virtus radicis per truncum et ramos etiam folia floresque arboris nutrit atque conservat? Quomodo sol in magna hac mundi machina non solum omnes stellas in coelo illuminat mundumque totum suo splendore illustrat, sed etiam quaecunque in terra vel in mari generantur, procreat atque conservat? *A summo coelo egressio eius et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius:* [84] etiam minima animalcula, vermiculi, herbulae procreantur a sole et conservantur. Quomodo potest tot et tanta operari?

80) Ibid. 28, 16 sqq. Vulg.: *Custodieris me in via.* 81) Ibid. vrr. 13-15. Vulg.: *Et ero custos.* 82) Cf. Ex 16, 14-30. 83) Cf. Gn 18, 25. 84) Ps 18, 7.

et tamen multi sunt qui divinam providentiam et scientiam negant,

Multi sunt in mundo filii Cain, qui ira percitus eo quod non respexisset Deus ad munera ipsius,[85] divinam providentiam negavit, sicut docet auctor Paraphrasis Hierosolymitanae super illud *Genesis : Dixit Cain ad Abel ;* sic enim habet: *Dixit Cain ad Abel : Veni, egrediamur in agrum. Et accidit, cum egressi essent ambo in agrum, respondit Cain : Non est iudicium, nec iudex, nec saeculum aliud, nec merces bona pro iustis, nec poenae pro impiis, nec Dei misericordia creatus est mundus, nec Dei misericordia regitur, eo quod suscepta est oblatio tua cum beneplacito, mea autem oblatio non est suscepta cum beneplacito. Respondit Abel et dixit ad Cain : Est iudicium, est iudex, est saeculum aliud, est merces bona pro iustis et poena pro impiis, Dei misericordia creatus est mundus et Dei misericordia regitur mundus. Et hanc ob causam insurrexit Cain contra Abel et occidit eum.*[86] Hoc autem ipse etiam Sacer Contextus significare videtur, cum Deus post necem Abel dixit Caino: *Ubi est Abel frater tuus ?* Cui ille: *Nescio ; nunquid custos fratris mei sum ego ?*[87] Existimabat latere Deum facinus ipsius, impium fratricidium; non ergo divinam providentiam credebat. Sic Cain perversa fide a satana imbutus patravit crudele scelus et a Deo maledictus fuit.[88]

sicut Cain.

Sed negare divinam providentiam summa impietas est

Negare autem divinam providentiam summa impietas est, radix et origo impietatis, hinc Deo summopere displicet. Quare apud Ezechielem legimus quod misit Deus sex Angelos armatos contra Ierusalem, ut occiderent omnes quos reperissent non signatos in frontibus signo *thau*, iussitque ut nemini parcerent, nulli vel sexui vel aetati vel conditioni, ita ut et in templo interfectionem exercerent.[89] Quod cum vidisset Sanctus Vates clamare coepit: *Heu, heu, heu Domine Deus ! Ergo ne disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Ierusalem?* Cui Dominus: *Iniquitas domus Israel et Iuda magna est nimis valde . . . Dixerunt enim : Dereliquit Dominus terram et Dominus non videt.*[90] Haec nanque iniquitas seminarium est omnis iniquitatis, sicut idem Propheta insinuavit referens dictum sibi

85) Cf. Gn 4, 4. 86) Cf. ibid. Auctor *Paraphrasis Hierosolymitanae*, quae et *Targum Ierosolymitanum* dicitur, vel *Secunda Paraphrasis Chaldaica*, est Ionathas Ben Uziel. Textus Hebraicus libri *Genesis* invenitur in *Biblia Rabbinica*, de qua cf. S. Laurentius a Br. *Explanatio in Genesim, Praefat.*, pag. XV-XVI; versio latina autem habetur in Io. De La Haye *Biblia Maxima*, t. 1, pag. 476 sqq. 87) Gn 4, 9. Vulg.: *Num custos*, etc.
88) Cf. ibid. vrr. 11-12. 89) Cf. 9, 2-6. 90) Ibid. vrr. 8-9.

et origo omnis iniquitatis, sicut praedicat Ezechiel et Regius Vates docet.

a Domino: *Certe vidisti, fili hominis, quae seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubilis sui; dicunt enim: Non videt Dominus... dereliquit Dominus terram.* [91] Sic etiam Regius Vates docet: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt;* [92] *Quare irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret;* [93] *Non est Deus in conspectu eius, inquinatae sunt viae illius in omni tempore;* [94] *Populum tuum, Domine, humiliaverunt et hereditatem tuam vexaverunt; viduam et advenam interfecerunt et pupillos occiderunt; et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* [95] Sed: *Intelligite, insipientes in populo, et stulti, aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat,* non cernet? *Qui corripit,* qui erudit *gentes non arguet, qui docet hominem scientiam?* [96] Quis est, inquit, qui homini dedit visum, auditum, mentem, intellectum, iudicium, prudentiam, intelligentiam, cognitionem rerum? Ah! *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.* [97] Deum, inquit, nec cogitationes hominum latent: *Scrutans corda et renes Deus.* [98]

Quaerit a nobis Dominus puram et integram fidem divinae providentiae;

X. Quaesivit a nobis Dominus puram integramque fidem divinae providentiae dicens: *Nolite... solliciti esse dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt, scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis.* [99] Sic etiam Regius Vates: *Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet.* [100] An non poterit Deus omnipotens, qui coelum et terram et omnia de nihilo creavit, necessaria tibi providere, si verus Dei cultor esse volueris? An impossibile Deo quicquam erit?

hanc ob causam hodiernum miraculum operatus est.

Hanc ob causam Dominus hodie miraculum hoc voluit operari ad ostensionem providentiae suae, ut sciremus id quod Regius Vates ait: *Deus noster, Deus salvos faciendi.* [101] Hoc munus ipsius est: salvos facere. Hodie Christus turbas a fame salvavit et multos ab infirmitatibus curavit; [102] salvatorem se ostendit sicut Ioseph in

91) Ibid. 8, 12. Vulg.: *Certe vides... cubiculi sui*, etc. 92) Ps 13, 1; 52, 1-2. 93) Ps 9 (hebr. 10), 13. 94) Ibid. vr. 5. 95) Ps 93, 5-7. 96) Ibid. vrr. 8-10. 97) Ibid. vr. 11. 98) Ps 7, 10. 99) Mt 6, 31-33. 100) Ps 54, 23. Cf. not. 42 praec. hom., pag. 436. 101) Ps 67, 21. 102) Cf Mt 14, 13.

Aegypto;[103] ergo ad ipsum in necessitatibus nostris recurramus, sicut cum rei venalis cuiuspiam egemus, pergimus in plateam, apothecas adimus, ad mercatores rerum quae nobis opus sunt. Christus autem mercator est, in cuius apotheca reperiuntur omnia quae desiderari possunt.

103) Cf. Gn 41, 45 sqq.

FERIA SECUNDA

POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Ascendit Iesus Ierosolymam, et invenit in templo vendentes oves et boves... et nummularios, etc. [1]

Christus hodie purgat templum.

I. Arca Dei prostravit in terram Dagon deum Philisthinorum; [2] Moyses zelo Dei armatus destruxit vitulum aureum quem adorabant Hebraei tanquam verum numen; [3] Gedeon destruxit aram idoli Baal et lucum sive nemus quod circa illum erat, veroque Deo altare aedificavit, hinc dictus fuit *Ierobaal*, f o r t i s c o n t r a B a a l ; [4] Ezechias sanctissimus rex templum Domini mundavit ab omnibus immunditiis idololatriae; [5] sic Christus hodie, nam ad hoc venit in mundum: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti quem vos vultis... Ipse... quasi ignis conflans et quasi herba fullonum... sedebit conflans et mundans argentum et purgabit filios Levi*, [6] idest sacerdotes et ministros templi. Ignis dicitur, quoniam totus erat ardens zelo divini honoris sicut Elias: *Zelo zelatus sum pro Domino... exercituum*, [7] hinc occidit omnes sacerdotes et prophetas Baal, [8] quod p o s s e s s i o et d o m i n i u m interpretatur et avaritiae idolum significat, quae *est idolorum servitus* ; [9] Christus autem omnes eiecit de templo armatus flagello.

quia ipse ardebat zelo divini honoris

Duplici de causa motus fuit hodie Christus ad purgandum templum: altera quidem ex zelo divini honoris: *Zelus domus tuae comedit me* ; [10] *Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum*

1) Pericope huius diei Io 2, 13-25. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Boves et oves*, etc.
2) Cf. 1 Rg 5, 2-5. 3) Cf. Ex 32, 19-20. 4) Cf. Idc 6, 25-32. 5) Cf. 4 Rg 18, 1-4.
6) Mal 3, 1-3. Vulg.: *Emundans argentum.* 7) 3 Rg 19, 10. 8) Cf. ibid. 18, 40.
9) Eph 5, 5; Col 3, 5. 10) Ps 68, 10; Io 2, 17.

templum enim domus Dei est,

negotiationis. [11] Haec, inquit, domus et habitatio Dei est, domus orationis, hic tantum colendus et adorandus Deus est, non idolum Baal, non vitulus aureus, Deo hic serviendum est, non mammonae. Non potestis autem Deo simul et mammonae servire: [12] *Domum* Dei *decet sanctitudo in longitudinem dierum;* [13] *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo,* [14] idest summa cum reverentia, sicut praecepit Moysi: *Solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* [15] Non licebat sordida veste indutum introire in palatium regis Assueri, [16] et qui in convivium nuptiale ingressus fuit absque nuptiali veste, foras pulsus fuit. [17]

et quia templum illud figura ipsius Christi erat.

Altera vero causa est, quoniam templum illud figura et typus erat ac veluti hieroglyphicum ipsius Christi: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud ... Hoc autem dixit de templo corporis sui.* [18] Christus autem *Sanctus Sanctorum* [19] dicitur, *agnus* [20] immaculatus, *Sol iustitiae,* [21] cui Seraphim trisagium canunt: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra,* totus mundus, *gloria eius,* [22] splendore sanctitatis eius. Quare pati non potuit Christus videre imaginem suam vitiorum sordibus deturpatam. Et quidem laesae maiestatis crimen est regis simulacrum vel gentilitia insignia stemmataque sordibus inficere ac dehonestare.

Mundus, Ecclesia, paradisus templum Dei sunt,

Repraesentabat templum illud Christi personam, nam templum Dei Christus est, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* [23] Etiam mundus hic templum Dei est: *Coelum et terram ego adimpleo;* [24] in eo inhabitat Deus per naturam, per potentiam, praesentiam et essentiam. Ecclesia templum Dei: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit eum eis;* [25] in ea per gratiam habitat, per fidem, spem et caritatem. Paradisus templum Dei: *Beati qui habitant in domo tua, Domine;* [26] *Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes eius;* [27] in eo habitat per gloriam, per visionem, fruitionem et possessionem summae et infinitae bonitatis. Sed specialiter Christus templum Dei est sacratissimum et augustissimum, ipse

sed Christus specialiter templum est divinitatis.

11) Io 2, 16. 12) Cf. Mt 6, 24; Lc 16, 13. 13) Ps 92, 5. Affert ex Breviario Rom., Commune Dedicationis Ecclesiae, ant. 1 ad *Laudes.* 14) Ps 5, 8. 15) Ex 3, 5. Vulg.: *Solve calceamentum,* etc. 16) Cf. Est 3, 4. 17) Cf. Mt 22, 11-12. 18) Io 2, 19-21. Vulg.: *Ille autem dicebat,* etc. 19) Dn 9, 24. 20) Io 1, 29. 36; Apc 5, 6-13; 21, 14; 22, 14. 21) Mal 4, 2. 22) Is 6, 3. 23) Col 2, 9. 24) Ier 23, 24. Vulg.: *Ego impleo.* 25) Apc 21, 3. 26) Ps 83, 5. 27) Ps 10, 5.

verum sanctuarium Dei, de quo ait: *Faciant... mihi sanctuarium et habitabo in medio eorum.* [28]

Templum Salomonis Christum praefigurabat

II. Ostendit sacrosanctum hodiernum Evangelium quod templum salomonicum Christi figura extitit, quare et illud quod in spiritu vidit Ezechiel, [29] tabernaculum etiam Moysi, [30] et scala Iacob cui innixus Deus erat, [31] nam scala illa templum Domini designavit: Hic *domus Dei* est, *et porta coeli,* [32] ideo locus ille appellatus fuit *Bethel,* [33] idest d o m u s D e i. Bone Deus, qualia quantaque mysteria paucissimis verbis complectitur hodie I o a n n e s dicens: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui!*

ab exemplari coelitus dato,

De templo illo sanctissimo multa legimus, magna et miranda, in Sacris Litteris. Primo quidem exemplar et formas archetypas Davidi coelitus datas, [34] sicut Moysi datum fuit coelitus exemplar tabernaculi; [35] quare Deus ipse, summus mundi conditor et sapientissimus artifex, voluit esse illius aedificii architectus. Exemplar autem designat Christi aeternam praedestinationem et postea in lege et Prophetis praefigurationes ac praedictiones.

ab aedificatore sapientissimo,

Aedificator templi illius Salomon fuit, rex sapientissimus et potentissimus simulque felicissimus, [36] imo, quid dico? ad templum illud construendum divina sapientia coelitus fuit plenus, [37] sicut Ooliab spiritu [38] Dei et sapientia [39] praeditus [fuit] ad tabernaculum divinum fabricandum, ita ut Spiritus Sanctus suis veluti manibus voluerit templum illud construere. Sic templum hoc: Christus de Spiritu Sancto conceptus est, Spiritus Sancti opera in matris utero formatus. [40]

a loco aedificationis,

Aedificatum fuit templum illud in monte Moria, [41] ubi Isaac Deo immolatus fuit; [42] hoc autem super montem altissimum: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium... Venite... ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob.* [43]

Aedificatum fuit illud totum ex lapidibus pretiosis a fundamentis,

28) Ex 25, 8. Vulg.: *Facientque mihi,* etc. 29) Cf. Ez 41, 1 sqq. 30) Cf. Ex 40, 1 sqq. 31) Cf. Gn 28, 12-13. 32) Ibid. vr. 17. 33) Cf. ibid. vr. 19. 34) Cf. 1 Par 28, 19. 35) Cf. Ex 25, 40: 26, 30. 36) Cf. 3 Rg 10, 1 sqq.; 2 Par 9, 1 sqq. 37) Cf. 3 Rg 5, 12. 38) Cf. Ex 31, 6. 39) Ms.: *Atque* adicitur. 40) Cf. Mt 1, 20-21; Lc 1, 35. 41) Cf. 2 Par 3, 1. 42) Cf. Gn 22, 1-14. Cf. supra, Feria Sexta post Cineres, pag. 54, not. 45. 43) Is 2, 2-3.

a materia qua constructum fuit,

ex finissimis marmoribus,[44] pretiosissima materia, ut opus esset supramodum mirabile veluti augustissimum mundi miraculum, multo mirabilius templo Dianae Ephesiae, vel palatio Cyri.[45] Hinc Salomon ad templum illud construendum et ornandum pro dignitate infinitam auri copiam expendit, multa millium millia auri et argenti talenta fere innumera.[46] Sic Deus ad templum hoc fabricandum et ornandum expendit omnes thesauros sapientiae, potentiae et bonitatis suae: *Compendio redigere omnia in Christo sive quae in coelis sive quae in terris ;*[47] omnia in ipso collocavit, in eo omnes thesauros naturae, gratiae et gloriae.

a fine ob quem aedificatum fuit,

Aedificatum fuit templum illud ut universo populo Dei veluti asylum esset, locus refugii et salutis a peste, fame, bello et quavis alia pernicie, ut locus esset gratiae et misericordiae ad condonanda peccata;[48] sic Christus thesaurus est gratiarum et misericordiae Dei, thesaurus et fons indeficiens omnium bonorum.

a veneratione ob divinam maiestatem ibi inhabitantem,

Tandem ut esset locus et habitatio Dei vivi et veri, quem *coelum et coeli coelorum capere non possunt.*[49] Sic David ait: Non homini sed Deo habitaculum praeparatur;[50] hinc infinita veneratione dignum erat. Hanc ob causam *sanctuarium* appellabatur, quoniam Deus ipsamet sanctitas est; hinc *domum* Dei *decet sanctitudo in longitudinem dierum,* idest semper, ita ut nunquam turpitudine aliqua dehonestaretur; hinc immundi ad illud prohibebantur accedere, nec nisi purificatis et sanctis ad illud aditus et accessus per legem patebat.[51] Sic ob divinam sanctitatem specialiter Christus dicitur templum Dei.

a destructione et reaedificatione cum vaticinio.

Habemus templi illius destructionem[52] et reaedificationem[53] cum vaticinio: *Magna erit gloria domus istius novissimae magis quam primae.*[54] Sic hodie ait designans Christi passionem et resurrectionem: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

III. Purgat autem templum a profanis, quoniam divinum hoc templum nunquam peccato aliquo contaminatum fuit, et ad osten-

44) Cf. 3 Rg 5, 17. 45) Quae erant duo ex septem mirabilibus mundi. Cf. Hyginus *Fabulae*, fab. 223, pag. 48. 46) Cf. 3 Rg 3, 1 sqq.; 6, 1 sqq.; 1 Par 29, 1-8. 47) Eph 1, 10. Ex graeco: Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ. 48) Cf. 3 Rg 8, 28-53; 2 Par 6, 17-39; 7, 12-16. 49) 2 Par 2, 6. Vulg.: *Capere eum nequeunt.* 50) Cf. 1 Par 29, 1. 51) Cf. Lv 12, 4; 15, 1 sqq.; 21, 23; 22, 9; 2 Par 23, 19. 52) Cf. 4 Rg 25, 1-17; 2 Par 36, 16-19. 53) Cf. 1 Esr 6, 1 sqq. 54) Agg 2, 10. Vulg.: *Plus quam primae.*

dendum quod desiderantissimus est divini honoris et amantissimus puritatis et sanctitatis vitae. Hoc igitur satagendum nobis semper est, fratres, ut vere templum Dei simus purum, sanctum, mundum: *An nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti?* [55] Vos *estis templum Dei... Templum... Dei sanctum est, quod estis vos; Quicunque... templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* [56] Templum Dei domus orationis est et divinae laudis, locus sacrificii et holocausti, locus honestatis et sanctitatis. Haec nobis semper meditanda sunt et agenda. Sit in templo corporis nostri altare sacrificii: *Cor contritum et humiliatum, sacrificium Deo spiritus contribulatus;* [57] sit mare aeneum plenum aqua lustratoria [58] cordialium lacrimarum, quae animarum nostrarum sordes abluunt: *Asperges me,* Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor* [59] Sint columnae Iachim et Booz, [60] firmissima voluntas ad declinandum a malo, acerrimum odium contra vitia et firmissimus animus ad faciendum bonum, ardentissimus virtutis amor. Ardeant lucernae septem [61] sanctarum virtutum: *Luceat lux vestra coram hominibus.* [62] Adsint paratae mensae cum panibus propositionis, [63] per legis Dei meditationem, nam: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum... sed in lege Domini voluntas eius et in lege eius meditabitur die ac nocte.* [64] Sit erectum altare incensi, [65] studium sanctae orationis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* [66] Sit semper in sanctuario cordis nostri arca testamenti, [67] habitet semper Christus per fidem in cordibus nostris. [68] Sic vere templum Dei sanctum erimus.

Satagendum nobis est ut vere templum Dei simus purum et sanctum, omnibus virtutibus ornatum, ut vere Christus per fidem in nobis inhabitet.

Nam omnis homo vel templum Dei est, vel synagoga satanae, sicut mundum hunc nostrum dies et nox, lux et tenebrae sibi diviserunt; ubi dies non est, nox est. Statim ut discessit a Saul Spiritus Domini, arripuit eum spiritus malus, [69] cacodaemon. Templum autem suum requirit Deus sanctum, non profanatum; hinc hodie Christus templum Domini purgavit. Templum quidem Dei sumus per fidem, sed tunc vere sanctum est cum caritate et ceteris virtutibus ornatum

Omnis homo vel templum Dei est, vel satanae habitaculum.

55) 1 Cor 6, 19. Vulg.: *Quoniam membra vestra*, etc. 56) Ibid. 3, 16-17. Vulg.: *Templum Dei estis... si quis ... templum Dei*, etc. Ordine inverso affert has pericopas. 57) Ps 50, 19. Ordine inverso affert hunc vr. 58) Cf. Ex 30, 18-21. 59) Ps 50, 9. *Domine* ex Liturgia. 60) Cf. 3 Rg 7, 21; 2 Par 3, 17. 61) Cf. Ex 25, 37; 37, 23. 62) Mt 5, 16. 63) Cf. Ex 25, 30; 40, 21; 3 Rg 7, 48; 2 Par 4, 19. 64) Ps 1, 1-2. 65) Cf. Ex 30, 1; 3 Rg 7, 48. 66) Ps 140, 2. 67) Cf. Ex 25, 10; 26, 33; 40, 18-19. 68) Cf. Eph 3, 17. 69) Cf. 1 Rg 16, 14 sqq.

est, ut *in sanctitate et iustitia* serviamus Domino *omnibus diebus*[70] vitae nostrae. Si autem vitiorum sordibus coinquinatum fuerit, templum est profanatum, purgatione indiget.

Saepe legimus Deum iratum, sed semper ob aliquod grave peccatum;

IV. Sed, quaeso, videamus a quibus sordibus templum Domini hodie purgavit Christus. Quidnam mali in templo invenit? Saepe quidem in Sacris Litteris Deum iratum legimus et flagello aut virga armatum ad flagellandum mundum, sicut olim multis plagis flagellavit Aegyptum;[71] sed semper, cum iram Dei legimus, invenimus etiam grave aliquod peccatum in causa extitisse divinae irae et indignationis, uti cum mundum flagellavit aquarum diluvio in diebus Noe,[72] Pentapolim flagello ignis in diebus Loth,[73] Aegyptum fame in diebus Ioseph,[74] Hebraeos nunc bellis, nunc fame, nunc pestilentia,[75] nunc ignitis serpentibus;[76] sed semper propter gravia facinora.

hodie vero iram videmus, sed peccatum non apparet, nam animalia illa pro sacrificiis venumdabantur;

Hodie vero iratum legimus et indignatione commotum flagelloque armatum, sed peccatum et grave facinus non apparet, nam: *Invenit,* inquit, *in templo vendentes oves et boves et columbas et nummularios sedentes . . . et dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.*[77] Quodnam hic grave peccatum? Nam animalia haec ad sacrificia, quae lege iubebantur, necessaria erant, et mercatura suapte natura mala non est, imo utilis est et necessaria reipublicae; non dixit hac vice Christus, sicut alia vice: *Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum,*[78] sed tantum: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.*

at mercatura haec magnam irreverentiam et contemptum Deo irrogabat;

Sed tamen irreverentia et contemptus Dei magnum, imo maximum malum est, averti a Deo et converti ad mundum, relinquere Creatorem, infinitum et incommutabile bonum et quaerere creaturas, fugacia et commutabilia bona, quae nonnisi umbrae bonorum sunt. Hoc queritur Deus apud I e r e m i a m dicens: *Duo . . . mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi . . . cisternas dissipatas,* confractas, *quae continere non valent aquas.*[79]

70) Lc 1, 75. 71) Cf. Ps 104, 27-39. 72) Cf. Gn 6, 1-7, 1 sqq. 73) Cf. ibid. 18, 20-21; 19, 1-28. 74) Cf. ibid. 41, 53-54. 75) Cf. Nm 14, 11 sqq. 76) Cf. ibid. 21, 4-7. 77) Io 2, 14-16. Vulg.: *Boves et oves,* etc. 78) Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46. 79) 2, 13.

Me, inquit, *dereliquerunt* mente et cogitatione. Sed *quid*, ait, *invenerunt patres vestri in me . . . quia elongaverunt a me et abierunt post vanitatem et vani facti sunt?* [80] Hae sunt cisternae dissipatae, creaturae mundi, nam: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* [81] *Me dereliquerunt : Transite*, inquit, *in insulas Cethim et videte . . . et considerate vehementer . . . si factum est huiuscemodi, si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii ; populus autem meus mutavit gloriam meam*, idest Deum suum, *in idolum;* [82] nam per Oseam ait: *Argentum eis multiplicavi et aurum, quae fecerunt Baal ;* [83] et iterum: *Argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola,* [84] utiliorem sibi existimantes pecuniam quam Deum. Hinc rursum per Ieremiam ait: *Nunquid solitudo factus sum Israeli aut terra serotina?* idest terra sterilis et infecunda, quae cultoribus nullum fructum post multos labores affert. *Quare ergo* dixerunt: *Recessimus, non veniemus ultra ad te?* [85]

Insuper mercatores isti de templo Dei nil cogitabant

Apud Malachiam aiunt impii: *Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus praecepta eius, quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum?* [86] Sic aiunt hodie in corde suo mercatores hi: Serviamus potius mammonae quam Deo, quoniam utilior nobis est pecunia quam Deus. Hinc in templo non orationi, sed negotiationi operam dabant; de Deo in templo sancto ipsius nil cogitabant ac si non esset Deus: *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Hinc oritur omne malorum genus: *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum ;* sed *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* [87]

et avaritiae tantum serviebant.

Hinc omnes Christus eiecit de templo, quoniam omnes Baal adorabant non Deum, omnes avaritiae serviebant, quae *est idolorum servitus,* [88] quae *radix* est *omnium malorum.* [89] *Omnes eiecit de templo, oves quoque et boves et nummulariorum effudit aes et mensas subvertit,* [90] quoniam hae erant arae Baal quas Christus ut alter Gedeon, fortis

80) Ibid. vr. 5. Vulg.: *Et ambulaverunt post vanitatem*, etc. 81) Eccle 1, 2; 12, 8.
82) Ier 2, 10-11. Vulg.: *Populus vero meus*, etc. 83) 2, 8. Vulg.: *Multiplicavi ei*, etc.
84) Ibid. 8, 4. 85) 2, 31. 86) 3, 14. 87) Ps 13, 1-3; 52, 1-4. 88) Eph 5, 5; Col 3, 5. 89) 1 Tim 6, 10. 90) Io 2, 15.

et potens contra Baal, subvertit,[91] idolis pecuniarum in terram proiectis.

Non tantum homines, sed et animalia Christus eicit de templo,

V. Non solum homines de templo Christus eiecit, sed etiam animalia, ne eorum occasione mercatores facile ad idem reverterentur, quoniam resecandae et amputandae, imo eradicandae sunt, radicitus extirpandae vitiorum corruptelae cum omnibus occasionibus malorum. Hanc ob causam noluit Deus ut Hebraei relinquerent animalia in Aegypto, ut volebat Pharao, sed ut omnia bona sua secum inde exportarent,[92] ne illorum occasione in Aegyptum reverterentur; et ob eandem causam iussit Deus Abrahamo ut non tantum Ismaelem qui persequebatur Isaacum, domo eiceret, sed etiam matrem: *Eice ancillam et filium eius,*[93] ne occasione matris iterum filius reverteretur in domum.

et illud purgat a pecuniis, quia duo vel maxime dehonestant christianos: vita animalis et avaritia.

Templum Domini hodie Christus purgat ab animalibus et a pecuniis, quoniam cum Ecclesiam, quae domus Dei est, magna deceat sanctitudo, ita ut, sicut Paulus ait, nullam habeat *maculam aut rugam,* sed *sit sancta et immaculata,*[94] duo sunt quae vel maxime eam maculant et dehonestant: vita animalis, sensualis, carnalis: *Si . . . secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, nam qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt;*[95] et: *Qui . . . sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ;*[96] hinc multos deflebat Apostolus *inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus venter est,*[97] quoniam nonnisi sensui carnis et corporis necessitatibus serviunt; alterum vero est avaritia, mammonae cultus, *idolorum servitus,* terrena thesaurizatio, nam cupiditas *radix* est *omnium malorum.* Hanc ob causam Dominus hodie *nummulariorum effudit aes et mensas subvertit* tanquam summus pecuniarum osor, ita ut nec aspectum quidem earum ferre posset.

Divitiae donum Dei sunt,

Non quod pecunia suapte natura mala sit, nam ait: *Meum est argentum et meum est aurum;*[98] *Vidit . . . Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona.*[99] Divitiae donum Dei sunt: *Argentum eis multi-*

91) Cf. Idc 6, 25-32. 92) Cf. Ex 10, 24-26. 93) Gn 21, 10; Gal 4, 30. 94) Eph 5, 27. 95) Rom 8, 13-14. Vulg.: *Quicunque enim Spiritu Dei, . . . hi sunt filii Dei.* 96) Gal 5, 24. 97) Phil 3, 18-19. 98) Agg 2, 9. 99) Gn 1, 31.

plicavi et aurum ; Deus ipse ditavit Abraham, Iob, Davidem, Salomonem. De Sapientia Dei legimus in *Proverbiis : In dextera eius longitudo dierum et in sinistra ipsius divitiae et gloria.* [100] Bona igitur pecunia est, iucunda, utilis, necessaria humanae reipublicae, etiam ad pias causas, ad cultum ipsius Dei: neque enim ipsum Dei templum sine pecunia aedificatum fuit sicut tabernaculum Moysi, [101] sed ad illud pro dignitate construendum et ornandum multa talentorum auri et argenti millia expensa fuere; thesaurus etiam asservabatur in templo non solum vasorum aureorum et argenteorum, sed etiam pecuniarum ad comparanda quae divino cultui necessaria erant. [102]

utiles et necessariae reipublicae,

Et tamen hodie Christus non potest ferre aspectum pecuniae in templo, sed eam cum stomacho tanquam vilissimum stercus proicit in terram, mensas etiam subvertens, non utique quod pecunia suapte natura mala sit, sed ad φιλαργυρίαν [103] damnandam, ad ostendendum quod non tanti facienda et pendenda pecunia sit quanti eam mundus facit penditque, quod vilis admodum in oculis Dei est: *Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum.* [104] Pecunia tanti fit apud homines, ut ipsi etiam Deo praeferatur, ut multo maiorem spem homines mundi huius in pecunia quam in Deo reponant: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum et praevaluit in vanitate sua.* [105]

attamen Christus eas de templo eicit ad damnandam earum cupiditatem,

Quid aurum et argentum est nisi vilis terra, colore tantum immutato? Propterea Christus in terram eam proiecit. Cum Hebraei in deserto vitulum aureum sibi in Deum conflassent dicentes: *Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti,* [106] Moyses Dei zelo ardens, arrepto vitulo, confregit, comminuit malleis, redegit in pulverem et proiecit in aquam, [107] ad coarguendam Hebraeorum stultitiam qui, relicto vero Deo coeli et terrae totiusque universi creatore et moderatore, talem deum sibi delegerant, qui posset malleis contundi, comminui et in pulverem redigi; et ob hanc eandem causam arca Dei prostravit in terram Dagonem deum Philisthaeorum, capite etiam et manibus truncavit, [108] ut viderent quam impotentem et

ad arguendam mundi stultitiam, qui aurum et argentum tanquam deum colit,

100) 3, 16. Vulg.: *Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius,* etc.
101) Cf. Ex 25, 1-8. 102) Cf. 3 Rg 7, 51; 14, 26; 15, 18. 103) Ms.: *Philargeriam.*
104) Lc 16, 15. Vulg.: *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* etc.
105) Ps 51, 9. 106) Ex 32, 4. 8. Vulg.: *Qui te eduxerunt.* 107) Cf. ibid. vrr. 19-30.
108) Cf. 1 Rg 5, 1-7.

invalidum deum sibi constituerant. Sic hodie Christus pecuniam, quae mundi huius deus est, in terram, nihili eam faciens, proiecit, ad arguendam mundi stultitiam qui talem deum colit, nam, ut ille ait:

« Unica cunctarum regina pecunia rerum,
Imperia in terris pro Iove summa tenet ». [109]

Unde et Salomon: *Pecuniae obediunt omnia,* [110] omnes mundi artes, exercitia, studia pecuniae serviunt, imo etiam scientiae et disciplinae lucri causa traduntur et addiscuntur.

et ad ostendendam earum vilitatem.

Videns igitur Dominus talem tantamque apud homines pecuniae existimationem, ut propter eam divinus cultus et etiam Deus ipse contemnatur, eam tanquam vilissimum peripsema, tanquam immunditias proicit cum stomacho in terram, ut sciant homines quam vilem ob causam et nihili Deum contemnant, omnipotentem infinitumque bonorum omnium thesaurum fontemque solis instar nunquam deficientem, unde hebraice dicitur: אֵל שַׁדַּי, [111] Deus sufficiens.

Inordinatus divitiarum amor nobis interdicitur,

VI. Homo eiectus de paradiso fuit, quoniam non comedit de ligno vitae iuxta divinum mandatum, sed ad satanae suggestionem de vetito ligno scientiae boni et mali, hinc omne malorum genus in mundum derivavit. [112] Deus lignum est vitae, nam ait: *Quoniam apud te est fons vitae,* [113] hinc appellatur אֵל חַיִּי, *Deus vitae,* [114] et אֱלֹהִים חַיִּים, *Deus vitarum.* [115] Pecunia autem arbor est scientiae boni et mali, nam ex ea multa bona, sed etiam multo maiora deveniunt mala. Haec arbor vetita nobis est, siquidem ait: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.* [116] Inordinatus ac nimius pecuniae et divitiarum nobis interdictus est amor, cum iubeamur Deum ex toto corde super omnia diligere. [117] Hanc igitur ob causam hodie negotiatores hi a Christo eiecti sunt de templo, quoniam non de ligno vitae, sed de vetito ligno scientiae boni et mali comedebant.

quia Deum iubemur super omnia diligere.

Hoc discrimen est inter servos Dei et mundi; nam servi Dei de ligno vitae comedunt, nonnisi Deo delectantur, servi autem mundi

109) Horat. *Epistolarum,* lib. 1, epist. 6, vrr. 37-38. 110) Eccle 10, 19.
111) Cf. Gn 17, 1; Ex 6, 3. Ms.: *El sadai.* 112) Cf. Gn 3, 6 sqq. 113) Ps 35, 10.
114) Cf. Ps 41 (hebr. 42), 9. Ms.: *El chaia.* 115) Cf. Gn 2, 7. Ms.: *Elohim chaiim.*
116) Ps 61, 11. 117) Cf. Dt 6, 5; Mt 22, 37; Lc 10, 27.

nonnisi pecunia et divitiis, de quibus Regius Vates: *Multiplicata sunt idola eorum, post ea idola acceleraverunt,* [118] nunquam satiantur: *Repleta est terra eorum auro et argento et non est finis thesaurorum eius ;* [119] nam

Servi mundi nonnisi pecuniis inhiant,

« Quo plus sunt potae plus sitiuntur aquae »; [120]
« Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit ». [121]

Sic *post ea idola acceleraverunt,* etiam postquam multiplicata sunt, acceleraverunt avidius, cucurrerunt insatiabili affectu. At vero: *Dominus pars hereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in praeclaris ; etenim hereditas mea praeclara est mihi.* Hinc: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam* semper adest et praesens est, *a dextris est mihi ne commovear* a via veritatis. *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vulto tuo, delectationes in dextera tua usque in finem, satietas laetitiarum in dextera tua:* [122] vita temporalis sinistra Dei est, aeterna autem dextera: *In dextera eius longitudo dierum et in sinistra ipsius divitiae et gloria.* Mundi huius dexteram elegit David non sinistram, aeterna bona non temporalia: *Satietas laetitiarum in dextera tua.*

servi Dei nonnisi coelestes divitias anhelant.

VII. Per Isaiam Deus ait: *Adducam eos in montem sanctum meum et laetificabo eos in domo orationis meae, holocausta eorum et victimae eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* [123] Et quidem magnum est quod promittitur hic, quia promittit Deus qui non fallit: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax,* [124] idest potest mentiri, Deus autem summa veritas est; quod promittit, vere promittit non falso, ut decipiat more hominum, vel pro urbanitate. Dei verba et promissa ipsa veritas sunt; non obliviscitur promissorum, quia in Deo non potest cadere oblivio, mens Dei aeternae et infinitae perfectionis est; non deesse ob impotentiam, quod non possit praestare promissa, nam infinita et aeterna potentia est: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum ;* [125] non tandem ex animi mutatione, nam: *Ego...*

Deus non deest promissis, quia ipsa veritas, potentia et bonitas est;

118) Ps 15, 4. Ex Paraphrasi Chaldaica. 119) Is 2, 7. Vulg.: *Argento et auro.*
120) Ovid. *Fastorum*, lib. 1, vr. 216. 121) Iuvenalis *Satyrae*, satyr. 14, vr. 139.
122) Ps 15 (hebr. 16), 5 sqq. 123) 56, 7. 124) Rom 3, 4; Ps 115, 11.
125) Lc 1, 37.

Deus et non mutor: [126] quod semel placuit, amplius displicere non potest.

promittit autem maximam consolationem se daturum orantibus in templo

Magnum item est quod promittitur, quia laetitia et consolatio cordis humani: *Laetificabo eos in monte orationis meae; Dabo eis manna absconditum;* [127] *Dabo edere de ligno vitae quod est in paradiso;* [128] *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus;* [129] *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei* et consolatus sum *et delectatus sum... et defecit spiritus meus;* [130] *Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum... Mihi... adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* [131] *Laetificabo eos:* Petrus in monte, in oratione videns Dominum transfiguratum ait: *Domine, bonum est nos hic esse.* [132]

et omnes exauditurum, etiam peccatores poenitentes.

Tandem magna promissio est quia universalis: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* Promittit se exauditurum etiam peccatores poenitentes, contritos, dolentes, veniam et poenitentiam peccatorum suorum postulantes, sicut exauditus fuit publicanus, [133] filius prodigus, [134] exaudita chananaea mulier, [135] exaudita Magdalena: [136] *Domus orationis... cunctis populis.* Sic etiam Christus ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos... et invenietis requiem animabus vestris;* [137] *Si quis sitit, veniat ad me et bibat;* [138] *Omnes sitientes venite ad aquas.* [139] Omnes vocat, neminem excludit, neminem prohibet. Quare Deus consolationem et, ut ita dicam, felicitatem hominibus tantopere desideratam, quam omnes esuriunt sitiuntque, expetunt avidissime, in oratione constituit, quod domus orationis est, locus deliciarum Dei.

Templum illud *domus orationis* dicitur, quia significabat sacram humanitatem Christi.

VIII. *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur.* Magna dignitas orationis, ut idem locus divinitatis et orationis dicatur, ut veluti in throno Deitatis statuatur: *Domus mea domus orationis.* Sic Salomon templum aedificavit ut esset locus Dei et locus orationis. [140] Domus Dei dicitur templum illud mysterio, quia mundum designabat cum tribus partibus: elementali, coelesti et supercoelesti, in atrio, in

126) Mal 3, 6. Vulg.: *Ego enim Dominus.* 127) Apc 2, 17. 128) Ibid. vr. 7. 129) Ps 33, 9. 130) Ps 76 (hebr. 77), 3-4. 131) Ps 72, 26 sqq. 132) Mt 17, 4. 133) Cf. Lc 18, 10-14. 134) Cf. ibid. 15, 11-24. 135) Cf. Mt 15, 22-28; Mc 7, 25-29. 136) Cf. Lc 7, 37 sqq. 137) Mt 11, 28-29. 138) Io 7, 37. 139) Is 55, 1. 140) Cf. 3 Rg 8, 22-53; 2 Par 6, 19 sqq.

sancto et in sancto sanctorum; quia etiam sacram Christi humanitatem praesignabat – *Hoc autem dicebat de templo corporis sui ; Solvite templum hoc,* – tribus partibus in Christo, naturam, gratiam et gloriam designans, itemque carnem, animam et Verbum. Sed cum Deus spiritus sit, qui loco non capitur, circumscribi et definiri non potest, habitare dicitur alicubi quatenus ibi aliquid operatur; sic habitat in mundo, in Ecclesia et in paradiso; sic in Christo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,*[141] quia Christi humanitatem summa naturae, gratiae et gloriae perfectione supra omnes Angelos et electos replet uniens eam sibi personali unione.

In qua Deus inhabitabat.

Deus igitur habitare dicitur in domo orationis, quia multa operatur in anima nostra dum orationi, ut par est, operam damus. Dum oraret Dominus in Iordane baptizatus, aperti sunt super eum coeli et descendit Spiritus Sanctus ac vox Patris audita est.[142] Oratio nanque veluti magnes est ferrum trahens: Deum, Spiritum Sanctum ad se trahit: *Dabit spiritum bonum petentibus se ;*[143] trahit ad se cor Dei: *Erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.*[144] In oratione Dominus transfiguratus fuit et Moyses et Elias apparuerunt *visi in maiestate,*[145] nam et Moyses orans divino lumine illustratus fuit[146] et Elias raptus in coelum;[147] in oratione Dominus confortatus ab Angelo fuit et sic confortatus obviam abiit Iudaeis eum ad necem quaerentibus.[148]

Oratio Deum ad se trahit,

Hodie in templo, in domo et loco orationis ostendit se tanquam fortissimum leonem, solus ipse eiciens de templo omnes vendentes et ementes. Samsonem viribus miraculo validissimum contra Philisthaeos[149] ostendit se hodie Christus. Sic oratio animam divina quadam virtute ac fortitudine replet; oratio sanctificat animam, hinc templum appellatur בֵּית הַמִּקְדָּשׁ, *domus sanctitatis,*[150] nam publicanus per orationem descendit in domum suam iustificatus; replet cor nostrum laetitia: *Adducam,* inquit, *eos in montem sanctum meum et laetificabo eos in domo orationis meae, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Paradisus iste in coelo

animam fortificat, sanctificat, laetificat,

purgat, illuminat et perficit.

141) Col 2, 9. 142) Cf. Mt 3, 16-17; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22. 143) Lc 11, 13. 144) 3 Rg 9, 3. 145) Lc 9, 30-31. 146) Cf. Ex 34, 29 sqq. 147) Cf. 4 Rg 2, 11. 148) Cf. Lc 22, 43 sqq. 149) Cf. Idc 15, 11-16; 16, 1 sqq. 150) Is 64, 10; Ez 45, 3-4. Ms.: *Beth amicdasc.*

nihil aliud est nisi domus orationis: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te!* In oratione Isaias a seraphico spiritu purgatus fuit, illuminatus fuit, sanctificatus fuit factusque perfectus Dei vates, divini verbi praeco sanctissimus. [151] Sic oratio purgat, illuminat, perficit.

Oratio vita est sanctorum in terra et Beatorum in coelo.

Tandem, sicut oratio vita Angelorum et Beatorum in coelo est, ita quoque vita sanctorum omnium in terra, in Ecclesia. Christus in deserto diebus quadraginta orationi operam dedit; [152] alias, ut legimus, pernoctabat in desertis orans; [153] Ioannis Baptistae haec erat vita in deserto. [154] Apostoli dixerunt: *Nos... orationi et ministerio verbi instantes erimus,* [155] sic *erant perseverantes unanimiter in oratione,* [156] et constituti in oratione Spiritum Sanctum coelitus missum acceperunt [157] cum omni plenitudine gratiarum. Sic divina plane virtus oratio est, haec vita sanctorum et electorum Dei est.

sicut legimus de filiis Seth.

In *Genesi* legimus de filiis Cain quod multas invenerunt artes mechanicas, ut fabrilem, scenofactoriam et liberales, musicen aliasque; [158] ipse Cain agriculturam exercuit et docuit etiam domorum et civitatum aedificationem. [159] De filiis vero Seth, qui natus est pro Abel, hoc tantum legimus: *Iste coepit invocare nomen Domini;* [160] sic *Enoch ambulavit cum Deo.* [161]

II. ALIA HOMILIA

Templum domus orationis est.

I. Displicuit Domino vehementer invenisse in templo, in domo Domini, vendentes oves et boves, hinc ait: *Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis,* [1] nam ait: *Domus mea domus orationis vocabitur.* [2] Sic nanque Salomon ait, cum aedificasset et dedicasset templum Domino: *Si coelum et coeli coelorum non te capiunt, quanto magis domus ista quam aedificavi? Sed ad hoc tantum facta est ut respicias orationem servi tui et obsecrationem eius,*

151) Cf. Is 6, 6. 152) Cf. Mt 4, 2; Mc 1, 12-13; Lc 4, 1-2. 153) Cf. Lc 5, 16; 6, 12. 154) Cf. Mc 1, 4; Lc 1, 80. 155) Act 6, 4. 156) Ibid. 1, 14. 157) Cf. ibid. 2, 1-4. 158) Cf. 4, 17-22. 159) Cf. ibid. vr. 2. 160) Ibid. vr. 26. 161) Ibid. 5, 22. Vulg.: *Ambulavit Enoch cum Deo.*

1) Io 2, 16. 2) Mt 21, 13; Mc 11, 17; Lc 19, 46.

Domine Deus meus, ut audias preces quas fundit famulus tuus coram te.[3] Sic per Isaiam Dominus ait: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.*[4]

Et quidem hinc patet quanti faciat Deus orationem sanctam et piam ex loco ipso, ex domo orationis. Templum nanque magnificentissime extructum fuit ex lapidibus vivis et marmoribus pretiosis, ita ut referat Sacra Scriptura quod etiam fundamenta templi facta fuerunt ex pretiosis lapidibus[5] eratque totum templum intrinsecus opertum auro non tantum tectum et parietes, sed ipsum etiam pavimentum;[6] in auro, metallo omnium nobilissimo, non ligantur nisi lapides pretiosi. Ad ostendendam Dominus dignitatem orationis voluit ut locus orationis illustrissimus ac gloriosissimus esset.

hinc voluit Deus templum magnificentissime extructum.

In *Apocalypsi* etiam legimus quod Angelus Domini stabat iuxta altare aureum, iuxta altare incensi, *habens thuribulum aureum*[7] in manu sua plenum odoramentorum, *quae sunt,* inquit, *orationes Sanctorum,*[8] quemadmodum etiam Regius Vates ait: *Dirigatur,* Domine, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo,*[9] alludens ad incensum odoratissimum quod sacerdos per singulos dies adolebat Domino super altare aureum coram propitiatorio Domini.[10] Quare tum Regius Vates tum etiam Ioannes dicunt orationem esse odoratissimum incensum, Deo gratissimum et iucundissimum, in quo miro modo declarat quid sit oratio, a quo facienda est, cui facienda et quando facienda est.

Oratio incensum est odoratissimum Domino.

II. Quid est oratio? *Incensum,* inquit Regius Vates, odoramenta, inquit Ioannes, nam incensum quod Deo offerebatur non erat simplex incensum, sed mixtura et compositio ex pluribus speciebus odoratissimorum aromatum;[11] incensum autem dicit fumum incensi ex igne sursum ascendentis: *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii.*[12] Significatur autem ita gratam esse Deo puram sanctamque orationem sicut suavissimum odorem; *Vox enim tua dulcis,* etc.[13] Sic oratio

Oratio est elevatio mentis in Deum,

3) 2 Par 6, 18-19. Vulg.: *Et audias preces,* etc. 4) 56, 7. Vulg.: *Cunctis populis.*
5) Cf. 3 Rg 5, 17. 6) Cf. ibid. 7, 15-30. 7) 8, 3. 8) Ibid. 5, 8.
9) Ps 140, 2. 10) Cf. Ex 30, 7; 40, 5. 11) Cf. ibid. 25, 6; 30, 34 sqq. 12) Ct 3, 6.
13) Ibid. 2, 14

ascensus et elevatio mentis in Deum est,[14] quod designatur per ascensum Angelorum in scala Iacob.[15] Sic templum Dei supra montem aedificatum fuit:[16] *Venite . . ., ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob.*[17]

et constat plurimarum virtutum actibus.

Hic autem orationis actus constat ex plurimarum virtutum actibus; nam ad orationem concurrunt fides, spes, caritas, timor Dei, humilitas, pietas, religio, gratiarum actio, cognitio et amor Dei. Sic odoramentum est constans ex pluribus aromatibus odoratissimis. Ascendit sursum hic fumus odoris suavissimi Domino, cum mens nostra ad Deum elevatur. Moyses ad Deum supra montem ascendit;[18] Abraham ut immolaret Isaac in montem ascendit; Regius Vates autem orationem etiam *sacrificium* dicit: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*[19] Volens autem Abraham ascendere in montem ut sacrificium illud Deo offerret, reliquit ad radices montis asinum et servos.[20] Mens nostra per orationem Deo ascensura deponat omnem curam corporis et rei familiaris, omnem animi sollicitudinem.

Oratio Deo fit, qui licet non videatur, omnia videt,

III. Sed cui offertur incensum hoc? Deo utique: *Sicut incensum in conspectu tuo ; Data sunt ei incensa multa*[21] ut adoleret ea coram Domino. Offerebatur incensum coram propitiatorio Domini, quod sub velo latebat, videri non poterat.[22] Nos Deo oramus, quem tamen non videmus; licet autem non videatur, praesens tamen est divina maiestas, sicut licet non videretur propitiatorium, quia velum impediebat, non propterea non ibi erat. Sic Deus non videtur in Ecclesia, sed tamen praesens est et videt omnia: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos.*[23] Est Deus sicut princeps, qui ex suo cubiculo per fenestram cancellatam videt quae fiunt in platea, non tamen videtur.

et potest et vult exaudire orationes,

Designatur etiam quod Deus potest et vult exaudire orationes petitaque concedere; nam in sanctuario Domini posita fuit virga[24] Dei et urna mannae:[25] illa hieroglyphicum est divinae potentiae, cui

14) Cf. S. Io. Damascenus *De Fide Orthodoxa*, lib. 3, cp. 24, (P. G. 94, 1090).
15) Cf. Gn 28, 12. 16) Cf. 2 Par 3, 1. 17) Is 2, 3. 18) Cf. Ex 19, 3 sqq.
19) Ps 140, 2. 20) Cf. Gn 22, 1-5. 21) Apc 8, 3. Vulg.: *Data sunt illi*, etc.
22) Cf. Ex 30, 6-8; 40, 5. 23) Ct 2, 9. Vulg.: *Respiciens per fenestras*, etc.
24) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 25) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4.

nihil est impossibile, qua coelum et terram creavit, haec autem symbolum est divinae bonitatis; cor enim Dei vas plenum manna est, totum caritas, totum pietas, totum bonitas. Hoc est quod Dominus docuit ut orantes diceremus: *Pater noster qui es in coelis.*[26] *Pater noster* est: ecce caritas et bonitas; *in coelis* est, maximus est, omnipotens est, qui universum moderatur: ecce potentia; *Pater noster qui es in coelis*, Deus Optimus Maximus.

quia infinita potentia et caritas est

Nec solum potest Deus et vult postulata concedere, sed animo promptissimus est; hoc est enim quod divinum propitiatorium positum fuit super alas cherubim.[27] Dum vocatur, Deus volat sicut aquila in auxilium nostrum. Sic enim apud Ezechielem trahitur currus Dei animalibus alatis, quae in modum fulguris currebant.[28]

et promptissime postulata concedit.

O si tria haec in oratione consideraremus: Deum vere praesentem esse, cui loquimur dum oramus, et vere audire orationem nostram, licet corde, animo, mente tantum oremus, sicut orabat Anna mater Samuelis,[29] sicut Moyses ipse ad Deum clamabat;[30] nec tantum esse praesentem et audire quae orantes petimus, sed posse etiam et velle petita ac optata praestare quam facillime et quam libentissime, sicut statim exaudivit orationem Eliezer servi Abrahae,[31] statim exaudivit orationem Salomonis,[32] orationem Moysi et aliorum Sanctorum! Deus igitur Optimus Maximus orandus est.[33]

Haec maxime consideranda sunt in oratione.

IV. Sed quisnam offerebat incensum? Sacerdos sanctus, purus, mundus, immaculatus. Angelus, inquit Ioannes, adolebat incensa coram Domino. Corpora nostra dicta sunt a Paulo *templa Spiritus Sancti*;[34] spiritus ergo noster sacerdos Dei est: *Fecisti nos Deo ... regnum et sacerdotes*, dicunt Christo in *Apocalypsi* viginti quattuor seniores, qui tenebant in manibus *citharas et phialas ... plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum*,[35] sed sacerdos indutus veste

Ut oratio exaudiri mereatur, fieri debet mundo corde

26) Mt 6, 9. 27) Cf. Ex 25, 17-22; 37, 6-9. 28) Cf. 1, 10 sqq. 29) Cf. 1 Rg 1, 9-20. 30) Cf. Ex 14, 14-15; Philo Iudaeus *Quis Rerum Divinarum Heres*, pag. 312. 31) Cf. Gn 24, 12 sqq. 32) Cf. 2 Par 7, 1 sqq. 33) In margine haec adiecta fuerunt: « Deus noster non est sicut dii Gentium, idola insensata, non sicut Baal, quem cum ipsius sacerdotes et prophetae invocassent a summo mane usque ad vesperam ut ignem de coelo demitteret, nunquam respondit, quibus illudebat Elias dicens: *Clamate voce maiore, nam deus est et forsitan loquitur aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Clamabant illi: *Baal, exaudi nos*, et cultris se incidebant, sed frustra. Oravit Elias ad Dominum et statim exauditus fuit. Sic cognovit populus Deum verum, relicto falso Baal ».
34) Cf. 1 Cor 6, 19. 35) 5, 8-10. Ordine inverso affert hos vrr.

candida, byssina; byssinum autem, inquit I o a n n e s , *sunt iustificationes Sanctorum.*[36] Immundi arcebantur a sanctuario Domini;[37] sacerdos oblaturus sacrificium et incensum Domino prius lavabat se aqua munda et sancta.[38]

vel saltem purificato poenitentia.

Si maculatus est animo dicat prius: *Asperges me*, Domine, *hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor ;*[39] *Deus, propitius esto mihi peccatori;*[40] *Pater, peccavi in coelum et coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus.*[41] Sic lavatus spiritu et mundatus a maculis et sordibus, accedere poterit ad altare Domini ad offerendum orationis incensum; nam alioquin *peccatores Deus non exaudit.*[42] Nabab et Abiu indigne accedentes ad altare Domini cum igne alieno repulsi fuerunt et igne consumpti.[43] Quisquis ergo ad Deum spiritu accedit, tanquam sacerdos indutus sacris vestibus necesse est ut accedat: *Sacerdotes tui induantur iustitiam et sancti tui exultent,*[44] sacrae enim illae vestes iustitiam et sanctitatem animi designabant.

et de divina bonitate ac de meritis Christi confidendo.

Nec tamen de propriis meritis apud Deum confidendum in oratione est, sed tantum de divina bonitate et clementia, de Christi meritis; nam altare incensi Christum designabat, nam ex lignis setim factum erat et auro coronamque auream habebat:[45] Christus Deus et homo, *Rex regum et Dominus dominantium.*[46] Christi merita sunt basis et fundamentum orationum nostrarum. Moyses petiturus aquas de petra ad iussum Dei virgam sumpsit,[47] et tunc exaudiebatur a Domino cum teneret manus elevatas atque extensas in crucis modum,[48] quia ex merito crucis Christi exaudiuntur orationes nostrae.

Primum coelestia petenda sunt.

V. Sed quid tandem, quomodo et quando orandum est? Iuxta altare incensi erat a dextris aureum candelabrum cum septem lucernis et a sinistris mensa panum propositionis;[49] oramus dicentes: *Panem nostrum quotidianum supersubstantialem da nobis hodie.*[50] Duo petenda sunt: regnum Dei cum iustitia ipsius,[51] deinde quae victui necessaria sunt.

36) Ibid. 19, 8. Vulg.: *Iustificationes sunt Sanctorum.* 37) Cf. Lv 12, 4; 15, 1 sqq.; 21, 23; 22, 9; 2 Par 23, 19. 38) Cf. Ex 30, 18-20; 40, 29-30. 39) Ps 50, 9. *Domine* adicitur ex Liturgia Ecclesiae. 40) Lc 18, 13. 41) Ibid. 15, 18-19. 21. 42) Io 9, 31. Vulg.: *Deus non audit.* 43) Cf. Lv 10, 1-2; Nm 3, 4; 26, 61. 44) Ps 131, 9. 45) Cf. Ex 30, 1-3; 37, 25-27. 46) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 47) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 48 Cf. Ex 17, 9-13. 49) Cf. ibid. 37, 17-23; Nm 8, 2-4. 50) Mt 6, 11; Lc 11, 3. 51) Cf. Mt 6, 33.

Quoad tempus Dominus ait quod *oportet semper orare.* [52] Daniel sanctus ter in die orabat flexis genibus, [53] sic Regius Vates: *Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo et exaudiet vocem meam.* [54] Iussit autem Deus offerri sibi thymiama per singulos dies mane et vespere, quando concinnabantur lucernae, [55] quae quidem concinnatio purgationem et examen conscientiae mystice designabat; mane etiam et sero iuge sacrificium Domino offerebatur. [56] Duo haec tempora sunt orationi maxime opportuna, singulariter vero matutinum tempus, quando manna descendebat de coelo. [57]

Specialiter orandum est mane et vespere,

Quoad modum vero, orandum est bene: *Petitis et non accipitis eo quod male petatis ;* [58] *Si quis . . . indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei ; postulet autem in fide nihil haesitans.* [59] Incensum ponendum erat in aureo thuribulo, sed pleno prunis ignis sacri. [60] Ardeat cor coelestibus desideriis: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* [61] Qui sitit et esurit, non potest oblivisci cibi et potus, sed haec pro viribus cupit. Satagendum est ut a Deo bona petamus et bene, magno cum desiderio, magna [62] cum animi intentione, ne dicat: *Cor autem eorum longe est a me.* [63] Orandum cum humilitate sicut Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis ;* [64] cum publicano illo: *Deus, propitius esto,* nam: *Qui se humiliat exaltabitur ;* [65] orandum cum perseverantia sicut chananaea mulier, [66] sicut canicula videns dominum in mensa modis omnibus quibus potest, si vere esuriat, cibum petit ab eo et perseverat expetendo. Moyses semel et bis petram virga percussit; [67] Iacob septies oravit; [68] Elias similiter petens a Deo pluviam. [69] Qui perseveraverit petendo, quaerendo, pulsando, inveniet, etc. [70] Super omnia requiritur ut anima nostra ad Deum composita ornataque pro virili sanctis virtutibus accedat, sicut regina Esther ad Assuerum ad gratiam impetrandam pro salute populi sui, [71] nam sacerdos nonnisi sacris vestibus ornatus accedere poterat ad adolendum incensum coram Domino. [72]

et satagendum ut bona bene petantur,

cum magno desiderio, humilitate et perseverantia.

52) Lc 18, 1. 53) Cf. Dn 6, 10. 54) Ps 54, 18. 55) Cf. Ex 30, 7-8; Lv 6, 12-13. 56) Cf. Ex 29, 38-42. 57) Cf. ibid. 16, 13-14. 58) Iac 4, 3. 59) Ibid. 1, 5-6. 60) Cf. Lv 16, 12. 61) Mt 5, 6. 62) Ms.: *Magnam.* 63) Is 29, 13; Mt 15, 8; Mc 7, 6. 64) Gn 18, 27. 65) Lc 14, 11; 18, 14. 66) Cf. Mt 15, 22-28. 67) Cf. Nm 20, 8-11. 68) Cf. Gn 33, 3. 69) Cf. 3 Rg 18, 41 sqq. 70) Cf. Mt 7, 7; Lc 11, 9-10. 71) Cf. Est 7, 1 sqq. 72) In folio sequenti codicis ponitur sermo *in Annunciatione B. M. Virginis.* Cf. quae diximus in *Praefat.* huius *Quadragesimalis.*

FERIA TERTIA

POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Iam die festo mediante, ascendit Iesus Ierosolymam in templum, et docebat, et mirabantur Iudaei: Quomodo, etc. [1]

Christus missus fuit ut splendoribus sapientiae suae mundum illuminaret,

I. Sicut in mundi exordio positus fuit a Deo sol in coelo, vas plenum prima illa luce, ad totum illuminandum mundum, [2] et in sanctuario Domini aureum candelabrum cum septem lucernis ardentibus ut totam illam sacram aedem illustraret, [3] sic Christus ad hoc missus fuit ab aeterno Patre in mundum, ut splendoribus divinae sapientiae totum mundum irradiaret. Hinc Isaias ait: *Populus qui in tenebris ambulabat, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis;* [4] et alibi: *Egredietur ut splendor iustus eius et salvator eius ut lampas accendetur.* [5] Hinc Ioannes ait: *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem,* sive *veniens in hunc mundum;* [6] et ipsemet de seipso: *Ego sum lux mundi.* [7]

est enim ipsamet sapientia Dei,

Est Christus arca Dei, in qua repositae fuerunt ambae tabulae divinae legis, [8] quae erant veluti thesaurus divinae sapientiae, nam in Christo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* [9] Dei, cum sit ipsamet sapientia Dei, vas illud novum ab Eliseo plenum sale ad sanandas aquas Iericho; [10] sal nanque sapientiae hieroglyphicum est. Regina Saba, licet prudentissima et sapientissima mulier, audita et cognita

1) Pericope huius diei Io 7, 14-31. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 1, 14-18. 3) Cf. Ex 25, 31-37; 37, 17-23; 40, 22-23. 4) 9, 2. Vulg.: *Populus qui ambulabat,* etc. 5) Ibid. 62, 1. Vulg.: *Egrediatur... accendatur.* 6) 1, 9. *Veniens* ex graeco. Cf. infra, hom. 2, pag. 478. 7) Io 8, 12. 8) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 9) Col 2, 3. 10) Cf. 4 Rg 2, 19-22.

mirabili divinaque sapientia Salomonis, supra modum mirata fuit,[11] sic hodie synagoga: *Ascendit . . . in templum et docebat et mirabantur Iudaei.*

Etiam Angeli Christi sapientiam mirantur; cherubim nanque veluti mirantes divinum propitiatorium intuebantur, quod totum erat fulgidissimum aurum,[12] nam etiam Angelis incomprehensibilis est sapientia Dei: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini?*[13] Paulus ait quod ab Apostolis Angeli multa didicere: *Ut appareat principatibus et potestatibus . . . per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.*[14]

Ipsis Angelis admirabilis et incomprehensibilis.

In *Apocalypsi* legimus quod, cum aperuisset Christus librum signatum septem sigillis in dextera Dei, quem nullus Angelorum aperire potuerat, clamare coeperunt Angeli dicentes: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem,*[15] quae alibi Deo tribuunt procidentes ante thronum Dei et dicentes: *Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum, Amen,*[16] ubi Angeli soli Deo tribuunt sapientiam. Et Paulus ait: *Soli sapienti Deo per Iesum Christum . . . honor et gloria.*[17]

Deus solus sapiens est,

Solus autem dicitur sapiens, sicut solus sol lucidus, quoniam ipse est fons indeficiens omnis sapientiae. Hinc Regius Vates *Psalmo 93* miratus et indignatus quod multi dicerent: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob,*[18] sicut alibi: *Quomodo scit Deus? et si est scientia in excelso?*[19] contra eos invehitur dicens: *Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet, et qui finxit oculum non considerat?* non videt? *Qui corripit gentes non arguet? qui docet hominem scientiam?*[20] qui corripit, qui arguit, qui instruit gentes, omne hominum genus? Quis, inquit, homini intellectum et cognitionem dedit, scientiam et intelligentiam? Fons, inquit, omnis luminis sine luce erit? Scitote quod

quia est fons indeficiens omnis sapientiae,

11) Cf. 3 Rg 10, 1-13; 2 Par 9, 1-12. 12) Cf. Ex 25, 18-20; 37, 7-9. 13) Rom 11, 33-34. 14) Eph 3, 10. Vulg.: *Ut innotescat principatibus,* etc. 15) 5, 12. 16) Ibid. 7, 12. 17) Rom 16, 27. 18) Vr. 7. 19) Ps 72, 11. 20) Ps 93, 8-10. Vulg.: *Aut qui finxit,* etc.

novit omnia, etiam cogitationes hominum: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.*

a quo sapientiam hauserunt Patriarchae, Prophetae, Apostoli et ipse Christus.

Hinc cum Deus fons sit omnis sapientiae, ait: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum;* [21] *quem tu erudieris,* sicut erudisti Adamum, Ioseph, Moysen, Salomonem, Danielem, Prophetas omnes et Apostolos. Sic enim Christus, cum non didicerit ab hominibus litteras, a Deo se accepisse sapientiam dicit: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me,* [22] a Deo est, fonte omnis sapientiae: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* [23]

Decantat Regius Vates divinam sapientiam.

II. *Psalmo* etiam *138* Regius Vates divinam sapientiam decantat: *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua; tu formasti me et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est et non potero ad eam.* [24] Tu, inquit, omnia generatim nosti, tum praeterita tum futura, etiam particulatim, quoniam tu rerum omnium artifex es; *formasti me* sicut figulus vas; nec tantum omnia producis, sed etiam providentia et opera tua conservas: *Posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua* supra meum caput, supra intelligentiam; *confortata est,* elevata est, *non potero* assequi altitudinem sapientiae tuae.

quae omnia cognoscit in genere, in specie et in particulari,

Nec tantum in genere vel specie, in cognitione universalium commendat sapientiam Dei, sed in particulari, in minutissima cuiuscunque rei cognitione: *Domine, probasti me et cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. Intellexisti* omnes *cogitationes meas a longe, semitam meam et cubile meum investigasti et omnes vias meas praevidisti, quia non est sermo in lingua mea,* [25] idest nec minimum quidem verbum meum te latet

etiam vel minimas mentis cogitationes,

Nec solum nosti omnia, sed *a longe,* ab aeterno, multo antequam fiant omnia novisti, etiam vel minimas mentis vel animi cogitationes et affectiones; imo, inquit, *tu possedisti renes meos,* viscera, praecordia, cogitationes omnes et affectiones; *suscepisti me de utero matris meae,* in quo tam mirabiliter me formasti: *Confitebor tibi quia mirabiliter effformatus sum; mirabilia opera tua et anima mea cognoscit*

21) Ibid. vrr. 11-12. 22) Io 7, 16. 23) Iac 1, 17. 24) Hebraice 139, 5-6.
25) Ibid. vrr. 1-4.

nimis, sive animam meam, vitam meam cognovisti valde. *Non est occultatum os meum*, compago ossium, *a te quod fecisti in occulto et substantia mea in inferioribus terrae*, sive miro artificio ac veluti opere phrygionico mira varietate formatus sum in *inferioribus terrae*, in matris visceribus. *Imperfectum meum*, embryonem meum, *viderunt oculi tui et in libro tuo omnes* artus *scribentur; diebus formabuntur et nemo in eis:* nullum membrum, *nemo in eis*[25*] non tibi notum, non scriptum, non formatum in libro tuo. Sequitur adhuc ex hebraico: *Mihi autem quam pretiosae, quam eximiae sunt cogitationes tuae, Deus*, consilia, agendi rationes magnae sunt, *invaluerunt summae earum, dinumerabo eas et super arenam multiplicabuntur.*[26] Sic incomprehensibilis est sapientia Dei, sicut alibi ait: *Magnus Dominus noster et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus.*[27]

omnes quoque compages ossium corporis nostri.

III. Cum autem Christus infinita hac sapientia Dei plenus esset, quid mirum si *mirabantur Iudaei ?* In *Proverbiis*, ubi legimus: *Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam*, hebraice ipsa Sapientia appellatur plurali numero: חָכְמוֹת,[28] *Sapientiae*, deinde in singulari subiungitur: *Foris clamabit, in plateis dabit vocem suam*, etc.[29] Nam Christus est Dei sapientia, qui plurali numero dicitur, quoniam in eo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei; plurali numero dicitur, quoniam complectitur omnem perfectionem, omnem gradum scientiae et cognitionis; hinc sapientia Christi dicitur a Paulo *thesauri sapientiae et scientiae* Dei, et *altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei.*

Talis est scientia Christi complectens omnem gradum scientiae,

Hanc ob causam Christus designatur per aureum candelabrum, quod non una lucerna ardenti lustrabat templum, sed septem. Erat autem candelabrum illud singulare hieroglyphicum sapientiae Christi. Unum candelabrum sicut unus Christus, unus sol: *Magister vester unus est Christus;*[30] magister etiam Angelorum, sicut Ioannes in *Apocalypsi* ait quod coelestis Ierusalem *non eget sole*, quoniam *lucerna eius est Agnus.*[31]

ideo bene comparatur aureo candelabro templi cum septem lucernis;

Totum erat aureum, aurum autem purissimum et solidum, intus

25*) Ibid. vrr. 13-16. 26) Ibid. vrr. 17-18. 27) Ps 146, 5. 28) Ms.: *Chacmoth.* 29) 1, 20. Vulg.: *Foris praedicat*, etc. 30) Mt 23, 10. 31) 21, 23.

aurum enim symbolum est sapientiae,

vacuum non erat. Aurum symbolum sapientiae est; hinc Deus in *Canticis* dicitur habere caput aureum,[32] hinc pontifex supra caput laminam auream gestabat.[33] Aurum erat intus et foris, non sicut arundo intus vacua, ideo mobilis, omni vento agitata, quales sunt sophistae, qui cum sapientes videantur et dicantur, vera tamen sapientia carent; non erat sicut luna foris luminosa intus autem opaca, obscura, sed sicut sol intus et foris lucidus.

quae in Christo adeo magna est ut maior intelligi nequeat.

Magnum erat candelabrum illud, nam constabat talento auri.[34] Talentum autem Hebraeorum non erat sicut atticum talentum, minus constans sexaginta minis aut maius octoginta minarum, sed erat sicut talentum aegineticum centum minarum;[35] sed mina hebraica duplo maior erat aeginetica, cum sexaginta siclis constaret;[36] quare centum libras auri continebat, libras autem triginta unciarum; non erat apud Hebraeos pondus maius talento. Talis est sapientia Christi, magna est adeo ut maior non possit esse.

Christus omnia cognoscebat, naturalia, supernaturalia et divina.

Divisum erat in septem calamos sive ramos, quoniam multiplex est sapientia [Christi], novit omnia quae cognosci possunt de Deo, de Angelis, de coelis et elementis, de naturalibus rebus, etiam [de] hominibus, de Ecclesia, de inferno, de paradiso. In unoquoque autem calamo erant plures scyphi sive amygdala, sphaerulae et lilia, ita disposita quod in inferiori loco erant amygdala, in medio sphaerulae ac globuli, in superiori lilia;[37] in unoquoque scientia et disciplina. Quaedam quidem sunt difficilia, quaedam facilia et aperta, omnibus fere conspicua; illa sunt amygdala, ad quae gustanda labore opus est, dentibus vix frangi possunt; haec autem lilia sunt candida et aperta.

et quidem perfectissime.

Tunc autem perfecta scientia est cum omnia cognoscuntur, tum facilia tum difficilia, nam sphaera, perfectissima omnium figura, symbolum est ac hieroglyphicum perfectionis. Christus in unaquaque scientia et cognitione rerum perfectissimus fuit, perfectissime omnia novit, hinc in unoquoque calamo erant amygdala, sphaerulae et lilia.

Tandem septem lucernae ardentes designant copiosam doctri-

32) Cf. 5, 11. 33) Cf. Ex 28, 36-37; 29, 6; 39, 29. 34) Cf. ibid. 25, 39; 37, 24.
35) De variis talentis cf. Budaeus *De Asse et Partibus eius*, lib. 2, pag. 78-92; lib. 3, pag. 142-143; lib. 4, pag. 184-194; Aug. Calmet *Dictionarium S. Scripturae*, sub hac voce.
36) Cf. Ez 45, 12. 37) Cf. Ex 25, 31-38; 37, 17-23.

nam, copiose enim Christus ad Dei gloriam et salutem animarum salutarem doctrinam communicabat omnibus, omnes docebat viam salutis et scientiam mandatorum Dei. Non enim docebat ad ostentandam sapientiam, ad gloriam aucupandam et acquirendam nominis celebritatem et amplitudinem, ut per omnium ora volaret, nam ait: *Si quis voluerit voluntatem eius facere,* qui misit me, hic *cognoscet de doctrina* mea *utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar;* nam *qui a semetipso loquitur, propriam gloriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius qui misit me, hic verax est et iniustitia in illo non est.* [38]

Hanc autem scientiam omnes docebat ad Dei gloriam et animarum salutem,

Nam in hoc dignoscuntur veri a falsis prophetis, hi nanque propriam, illi Dei gloriam quaerunt. In hoc Moyses a magis Pharaonis differebat, licet illi similia opera in specie patrarent: [39] quod Moyses quidem Dei gloriam et populi salutem quaerebat, illi vero contra faciebant. Cum vera sapientia semper coniuncta est virtus, puritas, sanctitas Deo placens; candelabrum nanque in sanctuario positum erat coram Domino ad dexteram templi partem, quia vera sapientia semper eligit meliora.

nam cum vera sapientia semper coniuncta est virtus et sanctitas.

IV Apud Zachariam simile quid legimus de candelabro: *Ecce candelabrum aureum totum et lampas eius super caput ipsius, et septem lucernae eius super illud, et septem infusoria lucernis quae erant super caput eius ; et duae olivae super illud, una a dextris lampadis et una a sinistris ipsius.* [40] Christus item hic designatur qui eodem loco dicitur lapis cum septem oculis, sicut in *Apocalypsi* Agnus septem oculos habens cum septem cornibus; [41] septem autem infusoria quae habere dicitur, septem sunt Spiritus Sancti dona: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus,* etc. [42] Duae autem olivae, sive duo rami olivarum a dextris et a sinistris candelabri, quae oleum veluti effundebant in lampadem, Patrem et Spiritum Sanctum significant omnem suam sapientiam in Christum infundentes.

Apud Zachariam hac eadem similitudine Christus designatur,

Designant etiam duplicem in Christo dignitatem: regiam et sacerdotalem. Utrunque autem munus magnam sapientiam requirit, hinc Salomoni Deus tantam contulit sapientiam, ut rite Israelis regnum administrare posset. [43] Multo autem maiorem requirit curam animarum;

cum dignitate regia et sacerdotali.

38) Io 7, 17-18. Vulg.: *Gloriam propriam quaerit... gloriam eius qui misit eum,* etc.
39) Cf. Ex 7, 11-12. 22; 8, 7. 40) 4, 2-3. Vulg.: *A sinistris eius.* 41) Cf. 5, 6.
42) Is 11, 2. 43) Cf. 3 Rg 3, 5-12; 2 Par 1, 7-12.

Christus autem rex et pontifex sicut Melchisedech,[44] universum Dei regnum moderaturus erat, universalem naturam, Ecclesiam etiam militantem in terra et triumphantem in coelis, hinc tantam a Deo sapientiam accepit.

II. ALIA HOMILIA

Iam die festo mediante, ascendit Iesus Ierosolymam in templum, et docebat, et mirabantur, etc. [1]

Miratur hodie synagoga sapientiam Christi, qui sapientia Dei est.

I. Miratur hodie synagoga Iudaeorum, mirabilem vere et divinam sapientiam Christi, sicut olim regina Saba usque ad extasim mirata fuit sapientiam Salomonis coelitus divinitusque illi tributam;[2] sed tanto Christus mirabilior Salomone in sapientia quanto sol lucidior luna, quanto Deus, mundus ter maximus, homine maior est divinusque intellectus humana mente, nam Christi sapientia Dei utique sapientia est. I s a i a s de Christo ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini:* רוּחַ יְהוָה,[3] *spiritus sapientiae et intellectus.*[4] Quanta est Christi sapientia? Quantus Spiritus Domini, hinc ait etiam: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius.* Quomodo mirabilis? Quia *Deus, fortis, Pater aeternitatis.*[5] Et alibi de eo ait: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.*[6]

Triplex est intellectus in mundo: humanus, angelicus, divinus.

II. Triplex est intellectus in mundo: humanus, angelicus et divinus. Intellectus humanus est sicut luna, intellectus angelicus sicut Venus, intellectus divinus sicut sol, nam lux symbolum est sapientiae. Magna est hominum scientia et sapientia in cognitione rerum artificialium, moralium, naturalium et supernaturalium; maior scientia et sapientia Angelorum, quorum multo purior est intellectus, multo elevatior: perfecte cognoscunt Deum et omnia sub Deo, Creatorem et creaturas; eorum perfecta est philosophia, perfectissima theologia. Dei autem sapientia infinitis gradibus maior est omni tum humana

44) Cf. Gn 14, 18.

1) Io 7, 14-15. 2) Cf. 3 Rg 10, 1-13; 2 Par 9, 1-12. 3) Ms.: *Ruach Iehovah.* 4) 11, 2. 5) Ibid. 9, 6. Ex hebraico. 6) Ibid. 52, 13.

tum angelica sapientia sicut lux solis omni lumine lunae et stellarum omnium.

Loquens autem I s a i a s de Christi intellectu: *Intelliget servus meus*, inquit, *exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde: exaltabitur* supra omnem intellectum humanum, *elevabitur* supra omnem intellectum angelicum, *sublimis erit valde*, par intellectui divino, unde P a u l u s ait quod in Christo reconditi sunt *omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei, [7] sicut in arca testamenti repositae ambae tabulae legis. [8]

Intellectus Christi par est intellectui divino,

Ostendit I o a n n e s in *Apocalypsi* intellectum Christi superiorem omni humano et angelico intellectu, in terra et in coelo, dum ait: Nemo vel hominum vel Angelorum repertus fuit qui aperire posset librum mysteriorum Dei, nisi Christus. [9] *Intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde:* sicut vas novum Elisei plenum salis in aquis Iericho ad sanandas eas[10] est intellectus Christi.

intellectum humanum et angelicum excedens;

Magna ac plane infinita est capacitas intellectus humani; in Christo autem capacitas haec infinita plane est, usque ad summum: *Verbum caro factum est . . . plenum gratiae et veritatis.* [11] Adeo plenus est scientia Christi intellectus, ut impossibile Deo sit creare pleniorem intellectum, quoniam in eo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei.

adeo plenus sapientia, ut Deus excellentiorem alium creare nequeat.

III. Sed ad quid Deus talem tantamque sapientiae et scientiae plenitudinem contulit Christo? Primo quidem, ut esset homo omnino perfectus et numeris omnibus absolutus, nam humanus intellectus adeo est scientiae avidus et cognitionis rerum omnium, ut ipsam etiam Dei scientiam concupiverit: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum.* [12]

Tanta sapientia Christum decebat, ut esset homo omnino perfectus,

Secundo, quia Christum mundi regem constituit: *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.*[13] Rex autem universalis est iudex omnium causarum. Hinc Salomon rex petiit a Deo sapientiam ad optime regendum et moderandum populum Domini, et placuit Deo Salomonis petitio, eam non tantum exaudivit, sed etiam magnopere collaudavit,

quia rex et iudex universalis futurus erat,

7) Col 2, 3. 8) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4.
9) Cf. 5, 4. 10) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 11) Io 1, 14. 12) Gn 3, 5.
13) Ps 8, 6-8.

eo quod, optione a Deo accepta: *Pete a me quid vis,* [14] non divitias petierit aut multos annos vitae, vel ampliora regna, non mundi totius imperium et monarchiam universalem, ut esset rex regum, sed tantum sapientiam petiit, [15] quae principi ad rempublicam optime administrandam summopere necessaria est. Christus igitur, cum universi totius rex constitutus sit et moderator, princeps totius Ecclesiae, dominus paradisi, iudex universalis omnium tum hominum tum Angelorum, infinitum a Deo accepit sapientiae divinae thesaurum, ut posset omnia conscientiarum secreta tum hominum tum Angelorum dilucide noscere, scire et iudicare.

quia missus fuerat ad illuminandum mundum;

Tertio, implevit Eliseus novum vas sale ad sanandas aquas Iericho; posuit Moyses in divino sanctuario aureum candelabrum cum septem lucernis perpetuo ardentibus ad illud illuminandum; [16] Salomon in templo suo decem posuit candelabra, [17] quoniam templum maius extitit tabernaculo; Deus ipse magnum lucis thesaurum contulit soli, quoniam posuit eum in coelo ad illuminandum mundum universum. Christus missus fuit a Patre ut mundum illuminaret, hinc ait: *Ego sum lux mundi ;* [18] *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* sive, ut ex graeco, *veniens in hunc mundum,* [19] nam venit ad illuminandum omnem hominem, sicut Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire;* [20] hinc ait Isaias: *Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius et salvator eius ut lampas accendatur,* [21] idest donec oriatur *Sol iustitiae.* [22]

nam per peccatum omnes facti sunt insipientes,

Ut clarius dicam, venit Christus in mundum ut homines faceret sapientes, qui per primum hominem stulti facti sunt et insipientes: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.* [23] Hinc ait: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, Israel autem me non cognovit . . . populus meus non intellexit.* [24]

Regius Vates ait: *Nolite fieri,* imo *nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus ;* [25] sed Deus ait homines asinis ipsis,

14) 3 Rg 3, 5; 2 Par 1, 7. Vulg.: *Postula*, etc. 15) Cf. 3 Rg 3, 6-12; 2 Par 1, 8-12.
16) Cf. Ex 37, 17-23; 40, 22-23. 17) Cf. 3 Rg 7, 49; 2 Par 4, 7. 18) Io 8, 12.
19) Ibid. 1, 9. 20) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult... venire.* 21) 62, 1.
22) Mal 4, 2. 23) Ps 48, 13. 21. 24) Is 1, 3. 25) Ps 31 (hebr. 32), 9.

rudissimis et stolidissimis animalibus, stolidiores esse. Peccatores omnes *stulti* appellantur a M o y s e : *Deus fidelis et absque ulla iniquitate . . . peccaverunt ei et non filii eius in sordibus; generatio prava atque perversa. Haeccine reddis Domino, popule stulte et insipiens ? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit . . , et fecit et creavit te ?* [26] Et iterum: *Gens absque consilio . . . et sine prudentia ; utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent !* [27]

ut docent Regius Vates et Moyses.

Christus igitur ad hoc venit in mundum, ad depellendas huius ignorantiae tenebras: *Non est scientia Dei in terra ;* [28] *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus ;* [29] venit ut repleatur terra scientia Domini, sicut aquae mare operientes. Ex depravato nanque intellectu multa oriuntur mala, sicut, e contra, ex illuminato multa bona: *Lucerna,* inquit, *corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit ; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* [30] Mundus totus erat veluti caecus a nativitate; venit Christus ad tergendas talis tantaeque caecitatis tenebras, ideo *docebat* hodie in templo *et mirabantur Iudaei,* quoniam: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* [31]

Ideo venit Christus ad depellendas ignorantiae tenebras.

Nec sine fructu extitit doctrina et praedicatio Christi hodierna, nam: *De turba,* inquit, *multi crediderunt in eum.* [32] Erat nanque lingua Christi digitus Dei, quo scripta fuit lex divina in tabulis lapideis, [33] in cordibus hominum vere lapideis: *Auferam a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum.* [34] Erat Christi lingua sicut R e g i u s V a t e s ait: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis,* [35] verba mentibus cordibusque imprimebat divina energia sicut scribae calamus paginae imprimit verba dum scribit; calamus erat Spiritus Sancti, nam: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me,* [36] quia Christus Spiritu Sancto dictante praedicabat, ideo *multi crediderunt in eum.*

Efficacissima fuit praedicatio Christi, quia in ipso Spiritus S. loquebatur.

IV. *Ascendit . . . in templum, et docebat, et mirabantur Iudaei.* Mirabilis praedicator ostenditur hodie Christus; mirabilis doctrina supernaturali et divina: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit*

Ostenditur hodie Christus mirabilis praedicator,

26) Dt 32, 4-6. 27) Ibid. vrr. 28-29. 28) Os 4, 1. 29) Ps 13, 1; 52, 1. 30) Mt 6, 22. 31) Ps 138, 6. 32) Io 7, 31. 33) Cf. Ex 31, 18. 34) Ez 36, 26. Vulg.: *Auferam cor lapideum de carne vestra,* etc. 35) Ps 44, 2. 36) Is 61, 1; Lc 4, 18.

me, [37] sicut doctrina Prophetarum, sicut sapientia Salomonis; mirabilis vitae sanctitate: *Qui . . . quaerit gloriam eius qui misit eum, hic verax est et iniustitia in eo non est ;* [38] mirabilis eloquentia: *Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo ;* [39] et gratia: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis,* [40] sub lingua ipsius mel et lac, *favus distillans labia eius ;* [41] *Guttur eius suavissimum.* [42]

mirabilis in doctrina supernaturali et divina.

Sed quidnam praedicabat? Divinam legem: *Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem ?* [43] Argutus valde et efficax in disserendo: *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, et in sabbato circumciditis hominem, ut non solvatur lex Moysi. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, mihi* cur *indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato ?* [44] Sabbatum, inquit, propter hominis salutem datum est, [45] neque enim sacerdotes in templo sacrificia offerentes in die sabbati legem transgrediebantur et sabbatum violabant, quia ad Dei gloriam et pro salute hominum illa offerebant.

mirabilis in omni genere dicendi.

Praedicator mirabilis Christus in omni genere dicendi, dogmatico, paraenetico, critico, demonstrativo, deliberativo, iudiciali. Docebat praedicans dona et beneficia Dei, accusabat peccata: *Nonne Moyses dedit vobis legem ?* etc. Ostendebat opus et miraculum sanati hominis in die sabbati: *Unum opus feci et omnes miramini,* [46] *quia totum hominem sanum feci in sabbato ?* dicebant enim: *Non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit.* [47] Persuadebat: *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* [48] Sic docebat, imo ait: *Clamabat . . . Iesus in templo docens et dicens : Et me scitis et unde sim scitis, et a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.* [49] Sic docebat praedicans Deum verum veracem: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* [50] Praedicat et laudat verum servum Dei: *Qui quaerit gloriam* Dei, *hic verax est et iniustitia in illo non est.* Praedicator admirabilis, coelestis, divinus, sicut Moyses cui Deus: *Ego ero in ore tuo et docebo te quid loquaris;* [51] concionem Moysi habemus in *Deuteronomio.*

37) Io 7, 16. 38) Ibid. vr. 18. Vulg.: *In illo non est.* 39) Ibid. vr. 46.
40) Ps 44, 3. 41) Ct 4, 11. 42) Ibid. 5, 16. Vulg.: *Guttur illius,* etc. 43) Io 7, 19.
44) Ibid. vrr. 22-23. 45) Cf. Mc 2, 27. 46) Io 7, 21. 47) Ibid. 9, 16.
48) Ibid. 7, 24. 49) Ibid. vrr. 28-29. 50) Rom 3, 4; Ps 115, 11. 51) Ex 4, 12.
Vulg.: *Doceboque,* etc.

Praedicator mirabilis sicut Salomon, nam *Ecclesiastes* concio ipsius est proposito themate: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* [52]

Magnum est praedicatoris munus et magnam doctrinam et sanctitatem requirit.

Magnum praedicatoris munus. Isaias, priusquam mitteretur ad praedicandum, purgatus et sanctificatus fuit seraphico ministerio; [53] Ieremias divinis visionibus illustratus et divina eloquentia donatus: *Ecce dedi verba mea in ore tuo;* [54] Ezechiel nonnisi viso coelo aperto et gloria Dei libroque coelitus misso devorato, missus fuit ad praedicandum. [55] Necessaria est praedicatori verbi Dei vita sancta, eloquentia divina, doctrina coelestis; necessarius Spiritus Sanctus datus Apostolis. [56] In Christo autem haec omnia in summo perfectionis et excellentiae gradu reperiuntur: *Requiescet super eum... spiritus sapientiae et intellectus ; Spiritus Domini super me.* [57] Sic in Iordane, priusquam Christus praedicare coepisset, descendit super eum Spiritus Sanctus. [58] Praedicator Christus religiosus, devotus: ascendit in templum, sanctus vita et doctrina: *Hic verax est et iniustitia in eo non est,* praedicator legis Dei.

Ostenditur etiam Christi sapientia et hominum ignorantia.

V. *Clamabat... Iesus in templo docens et dicens: Et me scitis et unde sim scitis, et a meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.* His verbis ostenditur Christi sapientia et hominum ignorantia. Existimabant Iudaei se Christum cognoscere, cum tamen vere non cognoscerent qui solum hominem existimabant; non cognoscit autem vere hominem qui eum nonnisi corpus esse existimat, animam vero minime agnoscit. Ignorabant divinitatem Christi: *Est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.* Dum praedicaret Moyses, faciem divina luce splendentem velo operiebat, [59] quare non videbatur facies ipsius divinusque splendor; sic Iudaei non agnoscebant Christi divinitatem, carnem videbant non Verbum, ignorantes erant et ignorantiam non agnoscebant; quare docebat eos Christus tanquam divinus magister, ut ignorantiae tenebras depelleret ex eorum mentibus, et magno cum affectu docebat, nam *clamabat... docens.*

52) 1, 2. 53) Cf. Is 6, 5-7. 54) Ier 1, 9. 55) Cf. Ez 2, 9-3, 1.
56) Cf. Act 12, 1-4. 57) Is 61, 1; Lc 4, 18. 58) Cf. Mt 3, 16; Mc 1, 10; Lc 3, 22.
59) Cf. Ex 34, 29 sqq.

Non est magister qui non cupiat doctos reddere discipulos, pater sapiens tales desiderat filios, sic Deus homines ignaros et insipientes: *Gens absque consilio est et sine prudentia ; utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!* [60] En desiderium Dei, qui summus pater noster est: *Utinam saperent !* Nam pater optimus, prudentissimus et sapientissimus summa afficitur modestia si filium habeat insipientem et stolidum: *Utinam saperent et intelligerent!* Christus igitur hanc ob causam docebat in templo, nam ait: *Iustificabit ipse . . . servus meus in scientia sua multos :* [61] de servo illo loquitur de quo prius dixerat: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.* Ad hoc venit Christus in mundum, ut homines coelesti divinoque lumine sapientiae suae illustraret.

Christus venit ut homines insipientes doctos redderet.

Regius Vates ait: *Quis sapiens ?* Inquirere videtur et quaerere hominem sapientem, sicut philosophus ille hominem quaerebat. [62] *Quis sapiens ?* Respondet: *Et intelliget haec et custodiet misericordias Domini ?* [63] Nam alibi ait: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*, timorem Domini, servantibus divinam legem, *laudatio eius manet in saeculum saeculi;* [64] nam: *Timor Domini ipsa est sapientia,* [65] imo: *Initium sapientiae timor Domini,* [66] idest prima summaque sapientia est Deum pie colere et venerari. Nam sapiens est rerum verus cognitor aequusque aestimator qui res quascunque tales iudicat quales vere sunt; sapiens aurifex qui aurum dignoscit ab aurichalco, argentum a stamno; sapiens gemmarius qui gemmas discernit veras ab adulterinis.

Verus sapiens est prudens et aequus rerum aestimator.

Solus igitur prudens aequusque rerum aestimator vere sapiens dici potest. Hinc Divina Scriptura *sapientia* dicitur, quoniam dat veram cognitionem, verum iudicium rerum; docet quanti faciendus sit Deus, quanti mundus, quanti homo Dei comparatione, quanti spiritus, quanti caro, quanti vita aeterna, quanti temporalis, quanti gloria paradisi, quanti felicitas huius mundi, quanti divitiae, honores, voluptates mundi huius et quanti thesauri bonorum coelestium. Multi sunt stolidi et insipientes qui, ut Isaias ait, ponunt dicunt-

Hinc Divina Scriptura *sapientia* dicitur, quia dat verum iudicium rerum.

60) Dt 32, 28-29. 61) Is 53, 11. Vulg.: *In scientia sua iustificabit*, etc. 62) Diogenes Cynicus, de quo cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 6, pag. 230. 63) Ps 106, 43. Vulg.: *Et custodiet haec et intelliget*, etc. 64) Ps 110, 10. 65) Iob 28, 28. 66) Ps 110, 10; Eccli 1, 16.

que *bonum malum et malum bonum*, ponunt *lucem* in *tenebras et tenebras* in *lucem, ponentes dulce in amarum et amarum in dulce!* [67] O hominum insipientia!

Docet hodie Christus veram sapientiam, idest veram fidem, cognitionem Dei et suiipsius,

Docet Christus hodie veram sapientiam dicens: *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Haec vera sapientia est, verum iudicium rerum: *Iustum iudicium iudicate.* Vera sapientia est Deum cognoscere: *Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit;* vera sapientia est doctrina et fide Christi imbutum esse: *De turba ... multi crediderunt in eum.* De lege Moyses ait: *Haec est ... sapientia vestra et intellectus coram populis.* [68] Lex autem lumen nocturnum erat, Evangelium autem clarum lumen diei: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.* [69] Fides sapientia est multo altior lege Moysi; sed is est vere sapiens qui fidem vivam habet, fidem *quae per dilectionem operatur:* [70] *Quis sapiens et custodiet haec, et intelliget misericordias Domini? Timor Domini*, idest cultus Dei verus, sancta et immaculata religio, *ipsa est sapientia*, Christi vera imitatio: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* [71] Vera sapientia est cognitio Dei et suiipsius: *Scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.*

sed adhuc multa ignorantia regnat in mundo.

Sed, bone Deus, quanta adhuc ignorantia regnat in mundo! Et tamen sapientes ingenio et iudicio praeditos se dicunt homines: *Hunc scimus unde sit;* [72] *Dicentes ... esse sapientes stulti facti sunt;* [73] Qui *se existimat aliquid scire, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire,* [74] idest, ut ait Bernardus *in Canticis*, ut sciat homo quo ordine, quo studio, quo fine discendum est: quo ordine, ut id prius quod magis necessarium est ad salutem; quo studio, ut id ardentius quod ad salutem efficacius est; et tandem finis requiritur, nam, ut ait, quidam student ut sciant, et turpis curiositas est; quidam ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est; quidam ut scientiam vendant, et turpis quaestus est; quidam ut alios aedificent, et caritas est; quidam ut aedificentur ipsi, et prudentia est. [75]

Docet Dominus hodie quoniam homo sine scientia et litteris

67) 5, 20. Ordine inverso affert hunc vr. 68) Dt 4, 6. Vulg.: *Vestra sapientia.*
69) Rom 13, 12. 70) Gal 5, 6. Vulg.: *Quae per caritatem operatur.* 71) Mt 11, 29.
72) Io 7, 27. 73) Rom 1, 22. 74) 1 Cor 8, 2. Vulg.: *Scire aliquid... quemadmodum oporteat*, etc. 75) Sermo 36, (P. L. 183, 968).

Sine hac divina scientia, homo liber est sine scriptura.

liber est sine scriptura, miles sine armis, navis sine nautis, corpus sine anima, mundus sine luce, oculus sine visu; scientia nanque intellectus perfectio est; sed non docet scientiam inflantem, sed caritatem aedificantem. [76]

76) Cf. 1 Cor 8, 1.

FERIA QUARTA

POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli eius: Rabbi, etc. [1]

I. Sicut mundum hunc Deus, magnum hunc hominem, [2] magnam utique Dei imaginem, caecum, sine luce creavit: *In principio creavit Deus coelum et terram,* mundum universum, sed *terra . . . erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi,* non enim lucem, non solem et lunam, magni huius hominis oculos, creaverat; sed non sic coelum reliquit: *Spiritus Domini ferebatur super aquas; et dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux; et vidit Deus lucem quod esset bona;* [3] nec contentus luce, postmodum luminaria in firmamento coeli creavit: *Fiant luminaria in firmamento coeli . . . et illuminent terram;* [4] sic hodie caecum hominem a nativitate habemus, sed a Christo illuminatum prius quidem corpore, sicut Deus prius corpus hominis formavit et postea spiritum in corpus infudit, [5] postea vero mente: *Tu credis in Filium Dei? . . . Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* [6]

Sicut Deus mundum in tenebris creatum prius imperfecte et postea perfecte illuminavit,

Quoniam prima illa lux non usquequaque perfecte mundum illuminabat, voluit Deus, positis luminaribus in coelo, perfectius illuminare; sic hodie, quoniam felicissimus iste caecus non perfecte admodum mente illuminatus fuerat cognitione Christi ex operatione miraculi, sed tantum credebat Christum prophetam esse missum a Deo – hinc ait: *Quia propheta est;* [7] *Si non esset hic homo a Deo,*

sic Christus caecum hunc prius corpore et postea anima illuminavit.

1) Pericope huius diei Io 9, 1-38. Cf. Missale Rom. 2) Cf. supra, Feria Quinta post Cineres, pag. 29, not. 6. 3) Gn 1, 1-4. Vulg.: *Spiritus Dei... dixitque Deus,* etc. 4) Ibid. vrr. 14-15. 5) Cf. ibid. 2, 7. 6) Io 9, 35-38. 7) Ibid. vr. 17.

non posset facere quicquam, [8] nam *peccatores Deus non exaudit, sed si quis Dei cultor est et voluntatem eius facit, hunc exaudit,* [9] – Christus voluit eum perfecte illuminare: *Tu credis in Filium Dei ?... Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.*

Miraculum hoc Christus operatus est ad ostendendam divinitatem suam,

II. Miraculum autem hoc operatus est Dominus ad ostensionem divinitatis suae, sicut Deus mundum creavit ad ostendendam potentiam suam suamque sapientiam et bonitatem. Nam cum Iudaeis in templo dixisset: *Antequam Abraham fieret ego sum,* [10] dicere volens: Ego sum ille qui Moysi dixit: *Ego sum qui sum,* [11] aeternus et increatus Deus, illi *tulerunt... lapides ut iacerent in eum* [12] et tanquam impium blasphemum lapidarent, obruerent lapidibus; Dominus, cum abscondisset se et egressus fuisset de templo, miraculum hoc operatus fuit, utique ad comprobandam veritatem divinitatis suae, nam caecum a nativitate illuminare opus est solius divinae potestatis, sicut Regius Vates ait: *Dominus illuminat caecos.* [13] Hinc apud Isaiam hoc praecipuum ac principale signum ponitur adventus Messiae: *Deus ipse veniet et salvabit vos... Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt;* [14] et alibi: *Dedi te in foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum;* [15] et iterum: *Ducam caecos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam, ponam tenebras coram eis in lucem.* [16] Sic Dominus per internuncios a Ioanne interrogatus an esset Messias qui venturus erat, respondit: Ite et *renunciate Ioanni* quod *caeci vident, claudi ambulant.* [17]

sicut asserit ipse Dominus.

Hinc ait hodie quod hanc ob causam homo iste caecus natus est: *Ut manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* [18] Cum, inquit, credere nolit mundus me unicum Filium Dei esse, coaequalem et consubstantialem Patri, verum Deum, oportet me divinitatis opera edere ad veritatem hanc comprobandam, ut cognoscant homines quod ego sum lux mundi, verus Deus.

8) Ibid. vr. 33. Vulg.: *Nisi esset hic a Deo poterat,* etc. 9) Ibid. vr. 31. Vulg.: *Peccatores Deus non audit,* etc. 10) Ibid. 8, 58. 11) Ex 3, 14. 12) Io 8, 59. 13) Ps 145, 8. 14) 35, 4-5. 15) Ibid. 42, 6-7. 16) Ibid. vr. 16. 17) Mt 11, 5; Lc 7, 22. 18) Io 9, 3-5.

III. Miraculum hoc Christus non opus Dei appellat, sed *opera Dei: Ut manifestentur opera Dei in illo ; me oportet operari opera eius qui misit me,* forte quia non tantum corpore hunc illuminavit, sed etiam in spiritu, quod multo illustrius miraculum est, vel quoniam in hoc miraculo elucent quodammodo omnia opera Dei. In sacra *Genesi* legimus opera sex dierum; nam in primo Deus lucem creavit, in secundo firmamentum, in tertio plantas, in quarto stellas, in quinto aves et pisces, in sexto animalia et hominem, [19] quo condito et formato *ad imaginem et similitudinem Dei,* [20] quievit ab omni opere Deus, [21] aeternum agens sabbatum.

Appellatur miraculum hoc *opera Dei,* quia in eo elucent omnia opera Dei

Et quidem in universum sex sunt opera Dei erga nos: primum est opus aeternae praedestinationis, secundum opus creationis, tertium opus providentiae, quartum opus incarnationis, quintum conversionis mundi, aedificationis Ecclesiae, sextum glorificationis hominis, aedificationis coelestis Ierusalem.

sex gradibus distincta:

Praedestinatio opus est divini tum intellectus tum voluntatis, opus divinae sapientiae et divinae bonitatis, pietatis et clementiae, hominem in statu naturae praevisum, sine gratia et sine gloria, aspicere oculis misericordiae velleque ei tum gratiam tum gloriam largiri, nullis praevisis meritis. Sic Christus hodie oculis suae misericordiae vidit hunc caecum, etiam misericordia motus eum illuminare disposuit ad gloriam suam, nullis exigentibus meritis: *Revelasti ea parvulis . . . quoniam sic . . . placitum,* etc. [22] Et quidem ex occasione huius miraculi Dominus de mysterio divinae electionis et reprobationis verba fecit cum Pharisaeis dicens: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant;* [23] *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis,* [24] insipientibus, simplicibus, idiotis, excaecatis sapientibus : *Excaeca cor populi huius . . . et oculos eius claude, ne forte videant oculis et corde intelligant et convertantur et sanem eos.* [25] Ostendit igitur Dominus caecum hunc electum praedestinatum a Deo fuisse, Pharisaeis reprobatis, sua utique culpa.

a) opus praedestinationis,

Opus etiam creationis hic elucet, quoniam lucem oculorum Do-

b) opus creationis,

19) Cf. 1, 1 sqq. 20) Ibid. vrr. 26-27; 5, 1; 9, 6. 21) Cf. ibid. 2, 2.
22) Mt 11, 25-26. 23) Io 9, 39. 24) Mt 11, 25. 25) Is 6, 10; Mt 13, 15; Act 28, 26.

minus divina potentia sua creavit. Ex luto autem formavit oculos chelidonii huius;[26] sicut in mundi initio corpus Adami formavit et sicut hodie ex terra et sputo lutum fecit, sic tunc et anima et corpore hominem constituit.

c) opus divinae providentiae,

Opus divinae providentiae et sapientiae; nam non illuminavit hunc caecum sicut Bartimaeum in Iericho, solo verbo dicens: *Respice... et statim vidit,*[27] sed ad eum illuminandum luto usus est, aquis natatoriae Siloe, voluitque ut caecus iste abiret ad lavandum se in natatoria illa ut lumen reciperet.[28] In mundi nanque regimine et providentia Deus utitur causis secundis estque mirabilis ratio divinae providentiae: ex luto producit lumen oculorum, quod aptum est ad perdendum oculorum lumen; ex corruptione Deus naturalia gignit, nam: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, idest corruptum, *ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert;*[29] ex stercoribus in campis producit herbas virides cum floribus pulcherrimis et odoratissimis, suavissime olentibus, optimos etiam fructus ad comedendum.

d) opus incarnationis,

Opus incarnationis, cum *Verbum caro factum est,*[30] sicut hodie lutum mirabile ex coniunctione terrae cum sputo Christi. Lutum illud divina praeditum virtute fuit ad caecum illuminandum stupendo miraculo, ad lucem ex tenebris educendam, licet ineptissimum ad hoc videretur, imo potius ad agendum oppositum; sic utique incarnatum Verbum, Deus humanatus, cum formam servi accepisset, nec nisi pauper et humilis videretur homo, qui in forma Dei erat, aequalis Deo, adeo semetipsum exinanivit,[31] ut inhabilis omnino videretur ad salvandum perfectaque felicitate donandum genus humanum, ob Adami peccatum in summa miseria et infelicitate natum. Quid enim miserabilius homine paupere et caeco? Talis hic erat, nam *sedebat et mendicabat*[32] caecus natus. Licet tamen ineptum videretur lutum ad caecum illuminandum, tamen potens fuit et vere illuminavit; sic Christus, licet nonnisi humilis et pauper videretur homo, erat tamen potentissimus Deus, qui pro salute humani generis de coelo in terram descenderat ad illuminandum ac felicitate donandum infelicem hunc caecum.

26) Cf. Io 9, 6-7. Ms.: *Caelidonii,* 27) Lc 18, 42 sq. Vulg.: *Et confestim vidit.*
28) Cf. Io 9, 7. 29) Ibid. 12, 24-25. 30) Ibid. 1, 14. 31) Cf. Phil 2, 6-7. 32) Io 9, 8.

Quinto loco, opus conversionis mundi a tenebris infidelitatis et peccati ad lumen fidei et gratiae: *De tenebris*, inquit, *vos vocavit in admirabile lumen suum.*[33] Ad hoc instituit Sacramenta, quae per natatoriam Siloe designantur. Describitur hic iustificationis mysterium, quod ex mera pendet gratia et misericordia Dei per gratiam praevenientem, ita tamen ut nostrum simul concurrat liberum arbitrium, ut ponatur nobis lutum super oculos, ut cognoscamus Christum Redemptorem et Salvatorem in eumque credamus, ut nostra sponte obedientes ei abeamus ad natatoriam Siloe, ad Sacramenta gratiae iustificantis et sanctificantis. Lutum etiam significat humanam naturam ob vilitatem peccati. Necesse est ut agnoscamus et confiteamur peccata nostra, ut gratiam consequamur et misericordiam in conspectu Dei inveniamus per Christum,[34] qui est natatoria Siloe, thesaurus divinae gratiae.

e) opus conversionis mundi ad fidem,

Tandem, sexto loco, opus glorificationis. Nam cum Dominus caecum hunc illuminasset, tandem ob merita fidei ipsius, quoniam honorem ipsius defenderat apud Iudaeos coram Pharisaeis, cumque hanc ob causam eiectus pulsusque civitate fuisset, invenit eum Christus et ei manifestavit seipsum: *Tu credis in Filium Dei ?... Quis est, Domine, ut credam in eum?... Et vidisti eum et qui loquitur tecum ipse est... Credo, Domine. Et procidens adoravit eum;*[35] *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum vivum et quem misisti Iesum Christum.*[36] Egressus sive eiectio ex civitate mortem significat, sed felicem iustorum mortem: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius ;*[37] tunc Christum inveniunt, imo inveniuntur a Christo, tunc fruuntur thesauro omnium bonorum. Cognovit chelidonius[38] Christum prius ex parte, sed postea perfecte, ideo procidens in terram adoravit, sicut Angeli in coelo Deum adorant: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.*[39] Sic hodie illuminatus caecus Christum vidit et adoravit, qua quidem visione veluti coronatur a Christo, quoniam cum scribis et Pharisaeis bonum certamen certaverat[40] ad Christi fidem sustentandam et defenden-

f) opus glorificationis aeternae.

33) 1 Petr 2, 9. 34) Cf. Hebr 4, 16. 35) Io 9, 35-38. 36) Ibid. 17, 3. Vulg.: *Solum Deum verum.* 37) Ps 115, 15. 38) Ms.: *Caelidonius.* 39) 1 Cor 13, 12. 40) Cf. 2 Tim 4, 7.

dam; passus autem a Iudaeis persecutionem propter fidem Christi et iustitiam, eiectus ex civitate, a Christo benignissime susceptus fuit et summopere consolatus. Sic praemium virtutis est gloria paradisi.

Praecipue autem opus hoc designat conversionem mundi per caecum figurati.

IV. Sic in hodierno miraculo omnia fere opera Dei mirabiliter elucent; hinc ait: *Ut manifestentur opera Dei in illo; me oportet operari opera eius qui misit me.* Sed tamen praecipue opus designat conversionis mundi, nam caecus iste humanum genus designat mundumque tenebris peccatorum circumfusum. Hinc Paulo Christus dixit, cum eum *vas electionis* et praedicatorem Evangelii Gentiumque apostolum et doctorem instituit: Ad gentes *nunc ego mitto te aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem et de potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem.* [41] Hanc ob causam Christus caecum hunc illuminaturus dixit: *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi,* quoniam *Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae.* [42] Saepe Christus in Divinis Litteris *lux* est appellatus, [43] in prima illa luce designatus ac praefiguratus.

II. ALIA HOMILIA

Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate... Domine, quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus, etc. [1]

Magno miraculo Christus hodie caecum illuminat.

I. Illuminat hodie Christus hominem caecum a nativitate magno plane miraculo, sicut in principio mundum veluti caecum illuminavit; nam quodammodo mundum hunc Deus sine luce, sine stellis, sine sole et luna creavit; magna autem luminaria videntur esse oculi mundi: *In principio creavit Deus coelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux.* [2]

41) Act 26, 17-18. 42) 1 Io 1, 5. 43) Cf. Is 42, 6; Mt 4, 16; Io 1, 9; 8, 12; 9, 5; 12, 46.

1) Io 9, 1-2. 2) Gn 1, 1-3.

Magna est sympathia inter mundum et hominem, nam propterea homo a philosophis dictus est μικρόκοσμος.[3] Mundus est magna quaedam imago Dei, homo autem parva; sed manu eiusdem pictoris eademque arte ac diligentia utraque facta est: manu et sapientia Dei conditus mundus, manu et sapientia Dei formatus homo.[4] In mundo duplex mundus: somaticus et pneumaticus, corporalis et spiritualis; sic in homine corpus et anima, ut Paulus loquitur, duplex homo: exterior et interior.[5] Hodie autem a Christo in caeco uterque perfectus est homo.

Caecus hic mundum figurat.

II. Dum Moyses in sacra *Genesi* mundi creationem describit, veluti sacram quandam comoediam, ut mihi quidem videtur, repraesentat septem actibus digestam in operibus septem dierum. Nam in primo introducit Deum creantem coelum et terram, diem et noctem, separantem lucem a tenebris; in secundo Deum introducit facientem firmamentum in medio aquarum superiorum et inferiorum; in tertio creat mare, exiccat terram, producit omne genus herbarum et arborum plantatque terrestrem paradisum; in quarto, cum plantis ornasset terram, ornat coelum sole, luna et stellis; in quinto implet mare omni genere piscium, aerem omni genere avium volucrumque; in sexto format genus omne terrestrium animalium et ipsum hominem; in septimo tandem Deum introducit operibus suis ultimam manum imponentem, sanctificantem et benedicentem diem sabbati.[6]

Sicut Moyses creationem mundi veluti comoediam septem actibus digestam repraesentat.

Sic in hodierno Evangelio mihi videtur Ioannes sacram quandam comoediam nobis repraesentare cum septem actibus: in primo introducit Christum cum Apostolis exeuntem de templo, ambulantem per civitatem Ierusalem, introducit caecum a nativitate, colloquium Christi et Apostolorum; in secundo introducit caecum solum euntem ad natatoriam Siloe ibique se lavantem visumque divinitus magno miraculo recipientem; in tertio introducit caecum illuminatum in civitatem vicinorumque et hominum, qui eum agnoscebant, admirationem, interlocutionem, opiniones, dicta: *Nonne hic est qui sedebat et mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est; alii vero: Nequaquam, sed similis eius est; ipse vero dicebat: Quia ego sum:*[7]

sic hodiernum Evangelium illuminationem caeci veluti aliam comoediam repraesentare videtur,

3) Ms.: *Microcosmos.* 4) Cf. Gn 2, 7. 21-22. 5) Cf. Rom 7, 14-22.
6) Cf. 1, 1-2, 1-2. 7) Io 9, 8-9. Vulg.: *Similis est ei; ille vero*, etc.

in quarto actu adducitur caecus ad Pharisaeos et interrogatur de veritate miraculi, ubi introducit I o a n n e s Pharisaeorum incredulitatem et perfidiam perversaque iudicia: *Non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit... Quomodo potest homo peccator haec signa facere?... Schisma erat inter eos;* [8] in quinto actu vocantur et adducuntur parentes caeci ad tribunal Pharisaeorum et interrogantur de veritate facti; interlocutores sunt Pharisaei interrogantes et parentes caeci respondentes, simpliciter quidem et vere, sed tamen caute et cum timore, ne extra synagogam fierent; in sexto actu iterum caecus sistitur tribunali Pharisaeorum et interrogatur defenditque veritatem miraculi et causam honoremque Christi, quod si homo peccator esset, non potuisset facere tale tantumque miraculum; quare ob fidem hanc et confessionem a Pharisaeis, ira et indignatione percitis, foras eiectus fuit; tandem, in septimo actu introducit Christum et caecum natum, Christum se manifestantem caeco quod esset Filius Dei, caecum adorantem Christum ex fide tanquam verum Filium Dei: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* [9]

septem actibus distinctam.

III. Sed quoniam primus actus magnis est refertus mysteriis, contemplemur ea quae proponuntur in scena.

Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate. Egressus de templo, de domo Patris sui, venit in hunc mundum: *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum.* [10] Caecitas peccatum designat, nam ait S o p h o n i a s: *Ambulabunt ut caeci, quia Domino peccaverunt;* [11] significat privationem gratiae et virtutum; hinc Pe t r u s aiebat de sanctis virtutibus agens: *Cui... non praesto sunt haec, caecus est et manu palpans.* [12] Quis autem nescit quod homo nascitur in peccato? *Ecce... in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea.* [13] Christus autem venit ad salvandum hominem a peccatis: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* [14] *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* [15] *Ego sum lux mundi;* [16] *Quandiu sum in mundo, lux*

Christus venit ad salvandum hominem a peccato in quo nascitur.

8) Ibid. vr. 16. 9) Ibid. vr. 38. 10) Is 35, 4-5. 11) 1, 17. 12) 2 Petr 1, 9. Vulg.: *Manu tentans*, etc. 13) Ps 50, 7. 14) Mt 1, 21. 15) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et Liturgia Ecclesiae. 16) Ibid. 8, 12.

sum mundi; [17] *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae;* [18] *Resplenduit facies eius sicut sol.* [19]

Multa opera Dei mystice designat hodiernum miraculum,

Sed quid est quod ait: *Ut manifestentur opera Dei in illo? Me oportet operari opera eius qui misit me?* [20] Quaenam sunt ista *opera Dei?* Sacra theologia, postquam egit de natura deitatis, agit de tribus operibus Dei: de opere creationis mundi, de opere redemptionis et de opere glorificationis; nam haec tradit Ioannes in principio Evangelii sui dicens: *In principio erat Verbum:* [21] haec est natura deitatis; *Omnia per ipsum facta sunt:* [22] hoc opus creationis; *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis:* [23] hoc opus redemptionis humanae; tandem: *Vidimus gloriam eius gloriam quasi Unigeniti a Patre:* [24] hoc est opus supremum beatae glorificationis. Ait igitur: *Me oportet operari opera eius qui misit me; Ut manifestentur opera Dei in illo.*

vere magnum opere, maius mysterio.

Multa sunt in hoc miraculo opera admiranda. Magnum fuit miraculum opere, maius mysterio, nam homo iste totum mundum designat: *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* In eo sunt opus creationis lucis et visus naturalis, opus iustificationis per fidem: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.* Designatur etiam opus glorificationis: *Haec est... vita aeterna, ut cognoscant te... Deum verum et quem misisti Iesum Christum;* [25] *Vita erat lux hominum.* [26] Vidit autem caecus illuminatus Christum manifeste et adoravit eum: *Vidisti* Filium Dei *et qui loquitur tecum ipse est.* [27]

IV. Sed specialiter in corporali illuminatione elucet opus creationis, in spirituali vero opus iustificationis. In corporali, inquam, illuminatione opus creationis; nam carebat homo iste oculis, quorum supramodum mirabilis structura est.

Mirabilis est humani corporis structura,

Mirabilis est totius corporis humani structura, unde Regius Vates: *Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meae. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua et anima mea cognoscit nimis. Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto et substantia mea in inferioribus*

17) Ibid. 9, 5. 18) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis*, etc. 19) Mt 17, 2.
20) Io 9, 3-4. 21) 1, 1. 22) Ibid. vr. 3. 23) Ibid. vr. 14. 24) Ibid.
25) Ibid. 17, 3. 26) Ibid. 1, 4. 27) Ibid. 9, 37.

terrae. Imperfectum meum, informem corporis mei substantiam, *viderunt oculi tui.*[28]

Sed maxime mirabilis structura oculi.

Sed maxime mirabilis structura oculi. Corpus est hetherogeneum, dissimilare, constat tribus humoribus: crystallino, vitreo et albugineo; quinque tunicis: aranea, retina, uvea, cornea et candida; nervo optico induto duplici tunica a duplici meninge: dura matre et pia matre; nervo etiam motivo cum sex musculis, unde motus oculi sursum, deorsum, ad dexteram, ad sinistram, et duo semicirculares; per nervum opticum transeunt a cerebro in oculum spiritus visivi, per nervum motivum lacrimae. Sic formato oculo riteque composito, si spiritu et anima informetur, visiva potentia donatur, qua si semel privetur, dissoluta oculi structura, impossibile naturae viribus est ut reparetur.[29]

Solus Deus potest oculum reformare ac restituere, sicut Christus fecit.

Non potest natura oculum reformare ac restituere, sed potest Deus naturae auctor, ait ergo: *Ut manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me.* Format oculos Christus et dat caeco, sed ex luto format et absens format, in natatoria Siloe. Ignorat adhuc philosophia quomodo fiat visio: per intromissionem specierum an per extramissionem radiorum visualium; adhuc sub iudice lis est inter platonicos et peripateticos.[29a] Ignorat philosophia, pro certo minime scit in quonam potentia visiva consistat: in nervo optico, in humore crystallino, in aranea tunica quae pupillam regit; sed novit Christus ubi collocanda esset, sed novit Christus qui visum dare potuit. Si verus Deus minime fuisset, tale tantumque miraculum et tali modo operari nullatenus potuisset: *Ut manifestentur opera Dei in illo.*

In oculis magna pars consistit humanae felicitatis.

Me oportet operari opera eius qui misit me; Dei perfecta sunt opera.[30] Perfectis oculis felicem hunc caecum donavit; in oculis autem magna pars consistit humanae felicitatis: in oculis pulcritudo et ornamentum faciei, in oculis indicia animi, magna vis naturae; singularia sunt animae instrumenta ad scientias capessendas, ad acquirendam prudentiam; custodes sunt arcis corporis nostri, fenestrae per quas anima nostra mundi huius pulcritudinem contem-

28) Ps 138, 13-16. 29) De oculi constitutione cf. Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 16, cp. 1, col. 831-834. 29a) Cf. S. Laurentius a Br. *Quadragesimale Secundum*, part. 1, pag. 82; part. 2, pag. 395; Lud. Caelius *Lect. Antiq.*, lib. 3, cp. 28, col. 150-154.
30) Dt 32, 4,

platur, ut ascendat animus ad pulcritudinem Creatoris, qui haec omnia fecit. O divinum opus!

Ex hoc opere transit Christus ad spiritualia.

Oportet me facere *opera eius qui misit me.* Sed transit statim Christus ad spiritualia: *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi,* utique spiritualis. Opera Dei circa electos sunt, ut Paulus ait, praedestinatio, vocatio, iustificatio et glorificatio: *Quos praescivit et praedestinavit fieri conformes imagini Filii sui.* [31] Caecus hic praedestinatus fuit, sic a Christo vocatus magno hoc miraculo et iustificatus per fidem: *Tu credis in Filium Dei? . . . Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. Qui se humiliat exaltabitur.* [32]

In septem actibus huius sacrae comoediae multae ac variae personae introducuntur.

V. In septem actibus sacratissimae huius comoediae multae variae personae introducuntur in scena. In primo quidem actu divina bonitas Christi divinaque sapientia, et hominis tum caecitas tum miseria, quia caecus iste *sedebat et mendicabat.* Christus in scena agit peregrinum, agit magistrum, ac tertio agit medicum componentem collyrium et inungentem oculos caeci. In secundo actu introducitur obedientia caeci, ostenditur virtus collyrii, proponitur virtus divinae lucis, quae miraculo tenebras caecitatis fugat, introducitur lux oculorum, symbolum sapientiae divinitus acceptae, hieroglyphicum sacrae fidei. In tertio proponitur natura admirans et stupens miraculum, opus supra vires naturae, supra captum mentis humanae, sed non supra captum fidei. Contendit fides cum natura de miraculorum veritate: *Ipse autem dicebat: Quia ego sum.* [33] In quarto actu introducitur fides cum perfidia pharisaica, quae adduci non potest nec vult ut credat divinum hoc opus, quod fides constanter praedicat Christum dicens prophetam, hominem Divino Spiritu plenum. In quinto actu proponitur pura simplexque veritas territata a tyrannide perfidiae: Nos *scimus quia hic filius noster est et quia caecus natus est; quomodo autem nunc videat, nescimus . . . Timebant* enim *Iudaeos* [34] ne extra synagogam fierent. In sexto actu pugnat perfidia contra fidem eamque satagit modis omnibus expugnare, nunc blanditiis nunc terroribus; sed fortis constansque permansit fides: *Haec*

31) Rom 8, 29. Vulg.: *Conformes fieri imaginis Filii sui.* 32) Lc 14, 11; 18, 14.
33) Io 9, 9. Vulg.: *Ille vero,* etc. 34) Ibid. vrr. 20-22. Vulg.: *Hic est filius noster.*

est victoria quae vincit mundum, fides nostra; [35] non cedit blanditiis: *Da gloriam Deo ; nos scimus,* etc.; [36] non terroribus: *Maledixerunt ergo ei . . . eiecerunt eum foras.* [37] Sed, tandem, in septimo actu coronatur fides tanquam victrix, praemio et corona donatur a Christo. Iterum introducuntur Christus, in quo Dei potentia, sapientia, bonitas, et caecus, sed illuminatus, in quo lux, in quo fides, in quo virtus, in quo gratia consummata atque perfecta: *Credo, Domine. Et procidens,* etc.

Lux symbolum est bonitatis, sapientiae et perfectionis, hinc solus Deus vere lux est;

VI. *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Lux symbolum est bonitatis, symbolum sapientiae, symbolum perfectionis, sicut tenebrae sunt symbolum privationis atque defectus, tanquam luminis privatio. Solus *Deus lux est,* [38] quoniam ait: *Ego sum qui sum ;* [39] creaturae Dei comparatione non sunt, tenebrae sunt, sicut aer; coeli stellae nil luminis habent; Angeli suapte natura non lux sed tenebrae sunt, patet in daemonibus. [40] *Ego sum lux mundi ; Dominus illuminatio mea,* imo *Dominus lux mea ;* [41] *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine ; Deus meus, illumina tenebras meas.* [42] Creaturae omnes tenebrae sunt, quoniam ex nihilo factae sunt.

Deus Moysi *in flamma ignis* [43] apparuit cum dixit: *Ego sum qui sum,* nam ignis suapte natura lucidus et calidus est, luce autem et calore naturalia omnia generantur; *sum lux mundi,* auctor omnium bonorum; *lux sum mundi : Surge, illuminare . . . quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est . . . Super te . . . orietur Dominus et gloria eius in te videbitur.* [44]

caecus autem est qui Deum vere non novit.

Sed specialiter *lux sum mundi* dans hominibus lumen sapientiae et intellectus ad cognoscendum Deum; nam mundus est sicut Balaam, qui cum pergeret ad maledicendum Israelem, non videbat Angelum Domini stantem contra eum cum gladio evaginato ad interficiendum eum: [45] *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis.* [46] David vidit Angelum Domini tenentem gladium evaginatum contra

35) 1 Io 5, 4. 36) Io 9, 24. 37) Ibid. vrr. 28-34. 38) 1 Io 1, 5. 39) Ex 3, 14. 40) Cf. Lc 22, 53; Eph 6, 12; Col 1, 13. 41) Ps 26 (hebr. 27), 1. 42) Ps 17, 29. 43) Ex 3, 2. 44) Is 60, 1-2. 45) Cf. Nm 22, 21-35. 46) Ps 7, 13-14.

Ierusalem, et nimio terrore concussus fuit. [47] Caecus est qui Deum vere non novit, sed: *Ego sum lux mundi ; Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.* [48] *Ego sum lux mundi : Dominus illuminans caecos;* [49] *Educam caecos in viam* suam, *faciam tenebras . . . in lucem.* [50] Sic per fidem Christi illuminatus est mundus, ait nanque: *Credo, Domine. Et procidens*, etc.

47) Cf. 1 Par 21, 16. 48) Is 9, 2. Vulg.: *Populus qui ambulabat*, etc.
49) Ps 145, 8. Vulg.: *Illuminat caecos.* 50) Is 42, 16. Vulg.: *Et ducam... ponam tenebras... in lucem.*

FERIA QUINTA

POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Ibat Iesus in civitatem quae vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa. Et cum appropinquaret, etc. [1]

Proponitur terribile spectaculum mortis et laetissimum spectaculum resurrectionis mortuorum,

I. Flebile spectaculum crudelis et impiae trucisque mortis hodie oculis nostris proponitur, quae tanquam fera pessima unicum filium inconsolabilis viduae devoraverat, crudelior quavis tigride, leaena aut ursa raptis catulis; quare cum sancto patriarcha Iacob inconsolabili fletu dicere poterat: *Fera pessima ... devoravit filium meum.* [2] Sed una cum terribili hoc et horribili spectaculo aliud supra modum laetissimum et desiderabile simulque mirabile resurrectionis mortuorum [proponitur]; nam suscitavit Christus defunctum adolescentem, sicut Elias mortuum filium viduae sareptanae. [3]

mortis imperium et victoria Christi.

Quare duo spectacula sunt nobis proposita: vitae et mortis, sicut in paradiso plantavit Deus arborem vitae et iuxta eam arborem mortis. [4] Mortis ostenditur crudelis tyrannis et magna vis ac potentia, origo etiam ipsius et imperium; sed tamen quod Christo cedit sicut tenebrae lumini, sicut obscura nox radio solari, quoniam Christus fons est vitae, sicut sol luminis, ait enim: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen,* [5] idest tua gratia et misericordia vivemus.

II. Proponitur prius spectaculum mortis: *Ecce defunctus.* [6] Mortem Evangelista ob oculos tantum ponit, nec laudat nec vitu-

1) Pericope huius diei Lc 7, 11-16. Cf. Missale Rom. 2) Gn 37, 33. Vulg.: *Devoravit Ioseph.* 3) Cf. 3 Rg 17, 19-22. 4) Cf. ibid. 2, 9. 5) Ps 35, 10. 6) Lc 7, 12.

perat, quoniam suapte natura mors neque bona neque mala est. Bona non est quoniam boni privatio est saepeque affert ingentia mala, maxima damna, causas inconsolabilis fletus; occidit optimos principes rempublicam optime administrantes, defendentes, conservantes, augentes; eripit filiis parentes amantissimos, parentibus carissimos filios, hominibus amicos, pauperibus benefactores, orphanis, pupillis, viduis tutores; uxoribus maritos dilectissimos virisque uxores amantissimas; multos saepe multis honoribus, divitiis, emolumentis privat; integras familias domosque evertit. Bona ergo non est, mala est.

Mors per se nec bona est, quia multa mala saepe affert,

At vero etiam multa bona facit, nam videmus quod de medio tollit crudeles tyrannos, pessimos et scelestissimos homines, pacis et reipublicae perturbatores, mundi pestem et perniciem; multos a multis magnisque periculis eripit, hostibus et persecutoribus sublatis; multos etiam ditat magnisque beneficiis afficit, iniustis possessoribus bonorum in ius vocatis ac damnatis; multos liberat a magnis calamitatibus et doloribus, et si multis aperit portas inferni multosque in barathrum deicit, multis etiam aperit portas paradisi, ita ut sit eis portus salutis, scala coeli: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* [7] Non igitur mala est, cum tot tantorumque sit causa bonorum, cuius etiam causa fiunt tot orationes, tot eleemosynae, tot legata ad pias causas, ad honorem Dei, ad gloriam Christi, ad aedificationem mundi, ad subventionem pauperum; cuius causa tot fiunt confessiones magna cum contritione et lacrimis, tot communiones magna cum devotione; dissolvuntur lites et discordiae, fiunt paces, dimittuntur iniuriae, convertuntur ad Deum peccatores, salvantur innumerae animae de manu satanae liberatae et a vinculis solutae. Quare bonis quidem bona videtur mors et malis mala, sicut mare Rubrum Hebraeis amicis Dei causa salutis, Aegyptiis vero inimicis causa perditionis aeternae. [8]

nec mala, quia multa bona causat tum materialia,

tum spiritualia.

Sed tamen ipsa nonnisi poena peccati est: *Stipendia ... peccati mors;* [9] *In quocunque ... die comederis ex eo, morte morieris,* [10] quasi duplici morti hominem subiecisset, et naturali et violentae, sicut ignis nunquam in aeternum durat apud nos, sed extinguitur vel sponte

Attamen mors nonnisi poena peccati est.

7) Apc 11, 13. 8) Cf. Ex 14, 21 sqq. 9) Rom 6, 23. 10) Gn 2, 17.

deficiens, vel vi alicuius extinctoris. Homo autem hebraice אִישׁ [11] dicitur, ab igne; igni vero huic satanas magnam vim aquarum et venti immisit ad eum per mortem extinguendum, cum eum Deus veluti asbestum, immortalem aeternumque creasset, coelestium ignium instar; satanas autem per peccatum extinxit: *Per unum hominem peccatum intravit in... mundum et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pertransiit.* [12] Hinc hodie reperitur mors in civitate Naim, quae a pulcritudine dicitur mundumque istum significat, qui a Graecis propterea κόσμος [13] appellatur.

Mors universalis est, totus mundus ei subicitur;

III. Mortem autem hodiernam sequebatur multa civitatis turba, sicut exercitus principem ducemque sequitur, nam totus mundus factus est morti subiectus. Lapis est qui totam statuam Nabuchodonosor in pulverem redegit, aurum, argentum, ferrum et lutum, totam penitus; [14] ipsa diluvium Noe totum mundum submergens, [15] ignis de coelo universam Pentapolim incendens, [16] mare Rubrum omnes Aegyptios perdens, [17] gladius Gedeonis omnes Madianitas, [18] gladius Saulis omnes Amalecitas interficiens, [19] virga Moysi universam Aegyptum percutiens et flagellans, [20] laqueus omnes aves capiens, rete pisces omnes concludens, fovea in qua omnes cadunt, pestis omnes corrumpens, fames qua omnes pereunt, venenum serpentis antiqui omnes perdens: *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* [21] *Omnes morimur et sicut aquae dilabimur... quae non revertuntur;* [22] *Omnia flumina intrant in mare* [23] babylonicum; [24] imperium est cui universa terra subiecta est.

potentissima.

Sumus omnes in mundi huius figulina veluti vitraria vasa, aequaliter fragilia, omnia aeque obnoxia periculo, sive nova sint sive multo iam tempore facta. Sic nos omnes sumus morti obnoxii, sive iuvenes sive senes: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus,* [25] adolescens. Haec est mortis potentia, nemo ei resistere potest, nullus sexus,

11) Ms.: *Isc.* 12) Rom 5, 12. Vulg.: *Peccatum in... mundum intravit... et ita,* etc. 13) Ms.: *Cosmos.* 14) Cf. Dn 2, 31-35. 15) Cf. Gn 7, 10 sqq. 16) Cf. ibid. 19, 24-25. 17) Cf. Ex 14, 27 sqq. 18) Cf. Idc 7, 19 sqq. 19) Cf. 1 Rg 15, 8. 20) Cf. Ps 104, 26-36. 21) Ps 88, 49. 22) 2 Rg 14, 14. Vulg. *Et quasi aquae,* etc. 23) Eccle 1, 7. 24) Cf. Apc 18, 21. 25) Lc 7, 12.

nulla aetas, nulla fortunae aut status conditio. Defunctus hic iuvenis erat, in ipso aetatis suae flore; dives erat, nobilis, illustris, ut funeralis pompa testatur: *Turba civitatis multa cum illa;* [26] morti tamen resistere minime potuit, licet arx munitissima situ, natura et arte inexpugnabilis videretur. Sed tamen viribus mortis resistere nulla potentia potest; lapis est confringens et in tenuissimum pulverem redigens et caput aureum et pectus brachiaque argentea et ventrem femoraque aenea et tibias ferreas et pedes fictiles. Mors omnia aequat: [26a] **nullus et resistere potest;**

« Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres; » [27]
« Mors ultima linea rerum ». [28]

IV. Nec tantum potentia insuperabilis mortis omnia depopulantis atque vastantis spectanda proponitur, sed etiam trucis saevitiae immanisque crudelitatis monstrum. Crudelis est, implacabilis, inexorabilis; nunquam flectitur precibus vel muneribus, surda et caeca est: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat;* [29] nulla eius miseratione movetur, lacrimas non videt, flebiles voces non audit, saxeum habet pectus, lapideum, adamantinum cor; non parcit filio nec miseratur matri; omnem spem adimit futurae tum consolationis tum prolis et posteritatis; nullum relinquit vel mitigandi doloris locum, sed nimia crudelitate grassatur atque laetatur. Sic ille ait: **crudelissima, nullis precibus nullaque miseratione movetur;**

« Omnibus obscuras inicit illa manus »; [30]

nemini parcit, sed crudeliter saevit in hominem, sicut is idem poeta:

« Quaque ruit, furibunda ruit totumque per orbem
Fulminat et caecis caeca triumphat equis »; [31]

et alibi:

« Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam;
Omnia sub leges mors vocat atras suas ». [32]

26) Ibid. 26a) Cf. Claudianus *De Raptu Proserpinae*, lib. 2, vr. 302. 27) Horat. *Odarum*, lib. 1, od. 4, vrr. 13-14. 28) Ibid. *Epistolarum*, lib. 1, epist., 16, vr. 79. 29) Lc 7, 12. 30) Ovid. *Amorum*, eleg., 9, vr. 20. 31) Ibid. *Consol. ad Liviam*, vrr. 373-374. 32) Ibid. vrr. 359-360.

Mundus totus grex ovium et agnorum est, mors lupa atrocissima et inexplebilis famis saturari non potest.

supra modum horribilis et formidabilis.

Monstrum item horribile et supra modum abominabile. Adolescens hic filius erat unicus, matri carissimus, tenerrime amatus tanquam lux et pupilla oculorum; defunctus autem domo eicitur et civitate, cadaver horribile vermibus devorandum traditur, veluti in sterquilinium proicitur, qui prius tanquam pretiosissima gemma, inaestimabilis thesaurus habebatur, quoniam monstrum est supramodum horribile et formidabile, quod in somnis etiam territat dulcemque somni quietem post laborum molestiam perturbat.

et amarissima.

Est etiam amara valde, cum bonis omnibus nos destituat, spoliet, penitus privet. Hinc cum Ezechiae regi mors nunciata fuit: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives,* [33] inconsolabiliter flere coepit, [34] nam etiam ante se praemittit languores et dolores, molestias et cruciatus: *Dolores inferni circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis* [35] – hinc Divus Lucas ante historiam hodierni Evangelii ponit historiam servi centurionis, qui iacebat paralyticus et male torquebatur iamque agebat animam, [36] cum quo Matthaeus connectit historiam socrus Simonis, quae magnis febribus tenebatur, [37] – vitamque nostram sicut venator feram cum velocissimis canibus semper persequitur: *Arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* [38]

quae instar tyranni assidue hominem persequitur.

Ab ipsa conceptione mors hominem mille circumdat periculis, non secus ac tyrannus qui ad capiendam civitatem et arcem magno exercitu eam cingit, obsidet, perstringit, diu noctuque impugnat ex omnibus partibus, quousque eam expugnet, capiat, diruat, a fundamentis evertat; ita ut qui intra civitatem sunt, nullo unquam tempore sint securi, semper maximo sint in periculo, inter medias versentur mortes, semper sint inter malleum et incudem, inter saxum et sacrum, inter medias cruces, in acie novaculae, in extrema alea. [39] Sic nobiscum mors agit.

33) Is 38, 1. 34) Cf. 4 Rg 20, 3; Is 38. 3. 35) Ps 17, 6. 36) Cf. 7, 1-10. 37) Cf. 8, 5-15. 38) Ps 7, 13-14. 39) Proverbia de iis qui anxietatibus et ingentibus malis premuntur et in summo discrimine versantur. Cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 48-49. 243-244.

V. Hinc vita nostra tam fragilis est, quovis vitro fragilior, multis, innumeris subiecta periculis: *Omnis caro foenum et omnis gloria eius sicut flos foeni.* [40] Hinc mille mutationibus subiecta: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet,* [41] fluminis aut torrentis instar semper currit versus amarissimum mare mortis. Luna est mutabilissima vita nostra, mare instabile, semper fluens et refluens.

Vita nostra fragilissima est.

Vitam nostram brevissimam efficit, incertam et fugacissimam, nam occulta venit sicut fur nocturnus, passibus graditur insensibilibus, semper a tergo adest et longissime distare putatur. Adolescens iste nil minus cogitabat aut credebat, diu victurum se sperabat; cogitabat de uxore ducenda, iuvenilibus studiis intentus erat, saecularibus pompis, vanitatibus, ludis, voluptatibus, societatibus, amicitiis, forte etiam amoribus et libidinibus iuvenilibus, nam filius erat viduae divitis, tenere et delicate nutritus in civitate, ubi non desunt mille libidinis explendae occasiones, commoditates, incitamenta; iuvenis sine prudentia, tanquam effrenis equus rectorem non habens, cum patrem non haberet. Sic cum nil minus cogitaret, repentina morte sublatus fuit. Sic brevis est vita nostra et incertissima. Nescimus tempus, ignoramus diem et horam divino fato nobis praescriptam, nam: *Breves dies hominis sunt ; numerus mensium eius apud te est ; constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt.* [42]

Brevissima et incerta.

R e g i u s V a t e s sciens vitam humanam brevem et incertam, sed valde fallacem, Deum instantissime orabat dicens: *Notum fac mihi, Domine, finem meum et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos et substantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen universa vanitas omnis homo vivens. Veruntamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur :* hebraice: *Palmum posuisti dies meos,* idest brevissimos, *et aevum meum,* aetatem meam, *tanquam nihilum,* nam *universa vanitas est omnis homo vivens:* [43] vanissimus, inquit, est ac ipsum nihilum, tanquam imago depicta et adumbrata, nihil habens solidi aut constantis; umbra est, veluti imaginarium phantasma.

Bene noverat Regius Vates vitam humanam brevem et incertam esse

40) Is 40, 6. Vulg.: *Quasi flos agri.* 41) Iob 14, 1-2. 42) Ibid. vr. 5.
43) Ps 38 (hebr. 39), 5-7.

et, saepe deplorabat.

Sic etiam alio loco humanae vitae brevitatem deplorat dicens: *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quae praeteriit, et custodia in nocte, quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*[44] Confert humanae vitae tempus, etiam quale fuit primorum hominum ab Adam usque ad Noe,[45] aeternitati Dei. Quod si etiam omne per idem tempus hominum vita protelaretur, brevissima censenda esset, quanto magis cum nunc sit instar floris qui brevissimo tempore marcescit, deficit, ad nihilum redigitur? *Mane sicut herba transeat,* sive transibit, *vespere decidet . . . et arescet . . . Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus* ob peccatum; *anni nostri sicut aranea meditabuntur,* vel *sicut sermo,*[46] loquela, sicut verborum sonus dum loquimur, qui in momento transit, momentaneus est.

Mors capitalis inimica est humanae naturae,

VI. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat.* Duo mortui proponuntur, vel duae mortes: mors patris et mors filii adolescentis; hic suscitatus fuit a Christo, non autem ille, sed *resurget in resurrectione in novissimo die,*[47] quando penitus *inimica destruetur mors,*[48] inimica capitalis humanae naturae, et tamen utilis, sicut vipera suo veneno supra modum noxia homini est, et tamen ex illa fit theriaca, antidotum potentissimum contra omne venenum. Mors est sicut virga Moysi, quae in terram proiecta conversa fuit in colubrum formidabilem, ita ut fugerit Moyses prae timore; sed iussit Deus Moysi ut serpentem illum manu sua acciperet a cauda; accepit et nihil mali passus fuit, sed iterum in virgam transmutatus fuit serpens,[49] ut etiam postea in Aegypto accidit.[50] Serpens hieroglyphicum est prudentiae.[51] Mors si consideretur quatenus virga Dei, est flagellum in manu Dei ad puniendum peccatum, opus divinae iustitiae, prudentem hominem reddit; utilis homini est sicut frenum equo ad regendum et disciplinandum eum. Nam tanquam frenum immisit Deus homini timorem mortis: *In quocunque . . . die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc freno multi reducuntur in viam iustitiae, sicut David cum audivit se reum esse mortis propter adulterium et homicidium, statim conversus ad poenitentiam fuit;[52]

utilissima tamen, si consideretur quatenus est poena peccati,

44) Ps 89, 4-5. 45) Cf. Gn 5, 3 sqq. 46) Ps 89 (hebr. 90), 6-9. 47) Io 11, 24.
48) 1 Cor 15, 26. 49) Cf. Ex 4, 2-4. 50) Cf. Ibid. 7, 8-9. 51) Cf. Mt 10, 16.
52) Cf. 2 Rg 11, 2-12, 1-13.

Ezechias ut audivit: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives*, statim conversus ad Dominum multis cum lacrimis oravit et exaudiri promeruit. [53] Sic utilis est homini meditatio mortis; liber quidam est summae cuiusdam philosophiae multa hominem docens, dum quis meditatur mortis originem causamque, quid post mortem erit cum anima suapte natura sit immortalis vivatque in aevum cum Angelis, docet quanti faciendus sit mundus iste cum omnibus pompis suis, quanti caro ista, corpus istud nostrum.

nam meditatio mortis veram docet vitae philosophiam.

Mors aliquando etiam sanctis terribilis extitit. Filii Prophetarum qui erant cum Eliseo, gustata amaritudine, clamare coeperunt: *Mors* est *in olla, mors* est *in olla!* Eliseus autem amaritudinem illam in dulcedinem vertit, [54] sicut Moyses egit in aquis Mara. [55] Sic Christus mortem fecit sanctis et electis suis dulcem et desiderabilem; nam sicut Hebraei in mari Rubro vitam salutemque invenerunt, ubi Aegyptii mortem et perditionem, [56] ita homines spirituales verique servi Dei in morte vitam inveniunt. Nulla philosophorum secta cicurare potuit crudelem trucemque feram mortis, hinc morti antiquitus nulla erecta fuit ara, semper visa fuit horribilis, ultimum terribilium; [57] solus Christus potuit cicurare placidamque et desiderabilem reddere mortem.

Mors etiam sanctis terribilis extitit, sed Christus dulcem eam reddidit.

II. ALIA HOMILIA

Ibat Iesus in civitatem... Naim, et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa. Et cum appropinquaret, etc. [1]

I. Suscitat hodie Christus defunctum adolescentem, ostendit se esse destructorem mortis et vitae fontem: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen ;* [2] sicut lux solaris fugat tenebras noctis, ita Christus mortem pellit. Proponuntur nobis hodie mors et vita una cum auctore vitae, ostenditur magna mortis potentia et crudelis tyrannis; sed divina etiam Christi potentia supra mortem:

Proponuntur hodie mors et vita.

53) Cf. 4 Rg 20, 1-11; 2 Par 32, 24; Is 38, 1-8. 54) 4 Rg 4, 40-41. 55) Cf. Ex 15, 23-25. 56) Cf. ibid, 14, 21 sqq. 57) Aristot. *Ethicorum Nicom.*, lib. 3, cp. 9, t. 2, pag. 20: « Omnium rerum nihil horribilius morte; nam omnium rerum est extremum ».

1) Lc 7, 11-12. 2) Ps 35, 10.

Adolescens, tibi dico, surge. Et statim *resedit ... et coepit loqui.*[3] Sed videamus prius mortis potentiam.

Mundus iste regnum mortis est, omnes enim moriuntur, iusti et peccatores.

II. Reperitur mors hodie in Naim, quae interpretatur p u l c r i t u d o. Mundus hic pulcherrimus est, sed sicut de terra promissionis dixerunt quod optima quidem erat, sed quod devorabat habitatores suos,[4] sic mundus iste amatoribus suis paradisus videtur, sed tamen regnum et imperium mortis est. Per peccatum intravit mors in mundum, et sic *in omnes homines mors pertransiit;*[5] *Omnes morimur et quasi aquae dilabimur in terram quae non revertuntur;*[6] *Omnia flumina intrant in mare.*[7] Mors diluvium noeticum est mundum universum perdens,[8] ignis comburens universam Pentapolim,[9] mare Rubrum in quo omnes Aegyptii pereunt.[10] Videtur hodie mors inter duos populos: inter populum civitatis Naim et populum qui Christum sequebatur. In mundo duo sunt populi: populus peccatorum et populus iustorum. *Omnes morimur,* nam moritur iustus pariter et iniustus.

Mors amara peccatoribus est, sed iustis desiderabilis.

In *Apocalypsi* legimus duos Angelos habentes in manu falces acutas: alterum[10*] ad metendum triticum, alterum vero ad vindemiandam vineam, sed vineam Sodomorum,[11] nam ait quod *vindemiavit vineam ... et misit in lacum irae Dei magnum.*[12] Quis nescit quod falx mortis hieroglyphicum est? Duae falces, quoniam est mors pretiosa sanctorum[13] et *mors peccatorum pessima.*[14] Populus civitatis Naim mortem a se expellebat: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae.* Displicet valde mors hominibus amatoribus mundi, quibus mundus iste paradisus deliciarum videtur;[15] populus autem qui Christum sequitur, pergit obviam morti. Elias mortem desideravit,[16] Ionas similiter;[17] P a u l u s aiebat: *Cupio dissolvi;*[18] R e g i u s V a t e s : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea!*[19]

Mors sicut lapis lydius est in quo probatur aurum: qui timet mortem non est verus Christi imitator, verus iustus non est; conscien-

3) Lc 7, 14-15. 4) Cf. Nm 13, 27-33. 5) Rom 5, 12. 6) 2 Rg 14, 14. 7) Eccle 1, 7. 8) Cf. Gn 7, 1 sqq. 9) Cf. ibid. 19, 24-25. 10) Cf. Ex 14, 21 sqq. 10*) M.: *Alter* et infra. 11) Cf. Dt 32, 32. 12) 14, 14-19. 13) Cf. Ps 115, 15. 14) Ps 33, 22. 15) Cf. Gn 2, 8-14. 16) Cf. 3 Rg 19, 4. 17) Cf. Ion 4, 3. 18) Phil 1, 23. Vulg.: *Desiderium habens dissolvi.* 19) Ps 119, 5 sq.

tia laesa facit hominem timidum. [20] Simeon ille *iustus et timoratus*, [21] Spiritu Sancto plenus, mortem magno cum desiderio expectabat: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* [22] Mors est sicut pictura quaedam summo artificio facta, iuxta quasdam perpectivae scientiae rationes, quae si ad suum lumen recte aspiciatur, pulcherrima videtur; si autem aliter ex adverso videatur, deformis videtur. Iustis mors desiderabilis est, quoniam finis est laborum malorumque omnium et periculorum: *Beati mortui qui in Domino moriuntur... opera enim illorum sequuntur illos.* [23] Sed peccatoribus, mundi huius amatoribus, finis est omnium bonorum. Finis malorum fuit mors Lazaro mendico et initium aeternorum bonorum, epuloni vero finis bonorum omnium et initium sempiternorum malorum; in paradiso nunc laetatur Lazarus, in inferno cruciatur epulo. [24] Balaam desiderabat mortem iustorum, aiebat enim: *Moriatur anima mea morte iustorum et fiant novissima mea illorum similia;* [25] sed erat sicut ethnicus ille qui cupiebat vitam Croesi et Socratis mortem, [26] vitam epulonis et mortem Lazari, vitam malam et mortem bonam.

nam his finis est malorum, illis autem bonorum,

sicut accidit Lazaro et epuloni.

Mors iustorum est sicut ostium speluncae in sancto monte Dei Horeb, ubi Elias Deum vidit post iter et peregrinationem quadraginta dierum; sed priusquam Deum videret in sibilo aurae suavis, pertransiit turbo, ventus vehementissimus, qui montes subvertere videbatur; post turbinem vero terribilis commotio et terraemotus; tertio ignis maximus qui mundum comburere velle videbatur. [27] Instante morte patiuntur servi Dei gravissimas daemonum tentationes, sentiunt naturalem horrorem mortis, concutiuntur timore divini iudicii et gehennae ignis. Sed tamen nihil conturbatus legitur Elias territamentis illis, sed statim postea divina consolatione repletus divinaque visione recreatus.

Etsi in morte etiam iusti conturbentur, mors tamen istorum suavissima erit,

O mortem desiderabilem! Vere *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius!* [28] Somnus est dulcissimus et suavissimus

20) Adagium familiare S. Auctori. Cf *Explanatio in Genesim*, pag. 276; *Quadragesimale Secundum*, part. 1, pag. 280. 21) Lc 2, 25. 22) Ibid. vrr. 29-30. 23) Apc 14, 13. 24) Cf. Lc 16, 19 sqq. 25) Nm 23, 10. Vulg.: *Horum similia.* 26) Eucritus, apud Ios. Langium *Polyanthea* seu *Florilegium Magnum*, sub voce: *Divitiae.* 27) Cf. 3 Rg 19, 3-13. 28) Ps 115, 15.

mors sanctorum, sabbatum quietis, sed a Domino sanctificatum, et benedictum.[29]

Impiorum autem subita et terribilis.

Sed *non sic impii, non sic.*[30] Impio in morte accidit sicut Balthassar regi Babylonis: dum in splendido convivio epularetur, coelitus data fuit contra eum mortis sententia: *Numeravit Deus regnum tuum et complevit illud... appensus es in statera et inventus es minus habens... divisum est regnum tuum et datum est Medis et Persis:*[31] mors, inquit, bonis omnibus te expoliabit, malis omnibus replebit. Magnus rex erat, potentissimus imperator, sed mors tanquam potentissima Amazona[32] omnes debellat, omnes vincit, nemo evadit.

Opera satanae homines mortem non metuunt,

III. *Ecce defunctus efferebatur.* Quasi res nova sit mors, ait: *Ecce defunctus.* Sed quid novi mors est? Sed nova videtur hominibus qui se cogitant nunquam morituros. Aiunt enim multi apud Isaiam: *Percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum; flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos.*[33] Deus vero ait: *Delebitur foedus vestrum cum morte et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.*[34] Opera satanae homines mortem non timent, ait enim: *Nequaquam... moriemini,*[35] ut pertrahat in infernum. Saepe nanque Divina Scriptura infernum cum morte coniungit, sicut Isaias dicit: *Percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum;* Iob ait: *Mors et infernus dixerunt: Auribus nostris famam eius audivimus;*[36] Regius Vates: *Dolores inferni circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis;*[37] Salomon: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio,*[38] quoniam raro non simul coniunguntur, sicut rara virtus est.

nam mortis meditatio facile ad poenitentiam adducit.

Mortis meditatio facile ad poenitentiam inducit hominem: *Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis.*[39] Declarat his verbis Spiritus Sanctus quidnam illud sit in lege, quod non est animal mundum nisi quod ruminat et findit ungulam.[40] Coniungit rumina-

29) Cf. Gn 2, 1-2. 30) Ps 1, 4. 31) Dn 5, 26-28. 32) Alludit ad mythologiam, iuxta quam Amazones mulieres erant bellicosae et viribus potentes, quae in Graeciam aliquando irruperunt et inde magnam Europae partem invaserunt, a Theseo tandem victae et debellatae. Cf. Natalis Comes *Mythologiae*, lib. 7, cp. 9, pag. 626. 33) 28, 15. 34) Ibid. vr. 18. 35) Gn 3, 4. 36) 28, 22. Vulg.: *Perditio et mors... audivimus*, etc. 37) Ps 17, 6. 38) Ct 8, 6. 39) Eccli 7, 40. 40) Cf. Lv 11, 7; Dt 14, 6.

tionem et divisionem; ruminatio meditationem designat, divisio vero mortem. Non facile peccat qui mortem meditatur; ergo sancte vivit, ergo mundum animal est. Hanc ob causam iubetur clamare Isaias: *Omnis caro foenum et omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est foenum et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere foenum est populus; exiccatum est foenum et cecidit flos, verbum autem Domini nostri manet in aeternum.* [41] Mortem certissimam et brevissimam vitam praedicare iubetur universo populo et hoc eorum auribus inculcare, quoniam sic homo facile inducitur ad poenitentiam; hac enim ratione conversi fuerunt Ninivitae, quoniam praedicabat Ionas: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.* [42]

Timetur mors quia spoliat omnibus bonis.

Timetur mors quoniam universale malum est, spoliat privatque nos bonis omnibus. Magna principis infelicitas si, regno privatus a tyranno, cogatur vilissimi mancipii vitam ducere. Nabuchodonosor Sedeciam regem Iudaeorum regno privavit filiisque et oculis orbavit vinctumque catenis duxit in Babylonem. [43] O miserandam calamitatem! Sed mors multo peius nobiscum agit et cum summis etiam principibus. Date summum regem, imperatorem, monarcham, Summum Pontificem mortuum, relinquatur cadaver in terra insepultum, a vivis minime curatum, quid miserabilius? quid horribilius?

Vita nostra brevissima navigatio est ad portum mortis.

IV. *Ecce defunctus efferebatur.* Adolescens nonnisi brevissimo tempore lucis huius usura frui permissus fuit. Vita nostra cursus est rapidissimi fluminis ad mare mortis, cursus Iordanis utique ad mare Mortuum. [44] In mari sumus et secundis ventis vela potenter inflantibus navigamus ad portum mortis. Qui sic navigant, sive dormiant sive vigilent, semper iter faciunt, volant per aerem; sic nos semper properamus, currimus, volamus ad mortem. Vita nostra sicut fulgur est, momentanea coruscatio: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet.* [45]

Mors sicut fulmen est cadens cum fulgure et tonitru.

Mors est sicut fulmen de coelo cadens cum fulgure et tonitru; sic enim legimus quod Deus multa fulmina de coelo misit contra Aegyptios. [46] Cadit aliquando fulmen a longe, aliquando a prope;

41) 40, 6-8. 42) 3, 4. 43) Cf. 4 Rg 25, 1-7. 44) Cf. Ios 3, 16.
45) Iob 14, 1-2. 46) Cf. Ex 9, 23.

cum prius videtur fulgur et postea auditur tonitrus, a longe cadit, tardior est enim auditus quam visus; sed cum a prope cadit, simul videtur fulgur et auditur tonitrus sentiturque damnum. Dum in civitate moritur aliquis homo, tu sentis tonitrum, sed a longe videtur tibi esse; vide quod supra domum tuam casurum est fulmen.

Qualibet hora ad mortem properamus.

Vita nostra veluti vas est liquore plenum, sed rimulam habet per quam guttatim liquor distillat atque deperditur, quousque totus absumatur liquor; postrema gutta non exhaurit totum liquorem, sed consummat. Vasa sumus, sed parva; quaelibet temporis hora gutta est liquoris huius in terram decidens; dum enim vivimus, vitam ipsam amittimus. Vita cursus ad mortem est, peregrini sumus, properamus omnes ad mortem.

Defunctus iste figura est peccatoris.

V. *Cum... appropinquaret portae civitatis.* Christus in porta Naim divinus Cherub est in porta paradisi ferro et igne armatus, [47] sed contra mortem. Congreditur hodie cum morte dum accedit ad loculum, vincit et superat mortem: *Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui fuerat mortuus.* [48] Sic etiam in spiritu dicit Christus peccatori, qui in peccato vivens coram Deo mortuus est – *Mortuus erat et revixit:* [49] – *Surge qui dormis et exurge a mortuis.* [50]

Sicut habentur signa vitae corporis, sic habentur signa vitae animae,

Anima nostra spiritus est invisibilis, hinc sciri minime potest an vivat coram Deo necne, nisi per coniecturas et signa. Sunt autem vitae signa motus, sensus, pulsus et halitus. Sic utique signa vitae spiritus nostri sunt motus bonorum operum, sensus spiritualis: visus, gustus, auditus, odoratus et tactus; si spirituales laesiones sentimus, pulsus conscientiae, regulatus motus passionum animi, halitus et respiratio coelestium desideriorum, de quo I o b : *Donec superest halitus in me et spiritus Dei in naribus meis,* [51] nam Spiritus Sanctus est anima spiritus nostri.

Quisque secundum spiritum vel vivit vel mortuus est.

Quisque nostrum, fratres, secundum spiritum vel vivit vel mortuus est; adolescens iste est, vel defunctus vel resuscitatus a Christo et matri redditus. Vide, homo, intuere teipsum an vivas Deo, inquire diligenti indagine, conice a signis vitae si motum, sensum, pulsum et halitum habes.

47) Cf. Gn 3, 24. 48) Lc 7, 14-15. Vulg.: *Qui erat mortuus.* 49) Ibid. 15, 24. 32. 50) Eph 5, 14. 51) 27, 3.

Pergit hodie Christus obviam morti ad eam perdendam.

VI. *Dum appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat.* Pergit Christus obviam morti ad perdendam eam salvandamque civitatem ab ipsius tyrannide, sicut David perrexit obviam Goliae pro salute populi sui, ad pugnandum contra eum mirabili monomachia, singulari certamine.[52] Comminatus fuerat Christus mortem: *Mors tua ero, o mors; morsus tuus ero, inferne;*[53] hodie pergit ad perdendam eam; reperit in porta civitatis, qui locus tunc principum erat,[54] quia dominus erat civitatis mundi huius.

Mors potentissima est, sed ea potentior Christus.

Hodie vere « mors et vita duello conflixere mirando »;[55] nec defuerunt spectatores atque fautores partium, sicut in certamine Davidis et Goliae; nam ibat Christus et *cum eo discipuli eius et turba copiosa*, ex altera vero parte *turba civitatis multa cum illa:*[56] hi sunt duo exercitus spectatorum. Armatus accedit Christus pietate: *Misericordia motus . . . dixit . . . Noli flere;*[57] *Fortis est ut mors dilectio;* armata mors armis crudelitatis: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae, et haec vidua erat.* Potentissima bellatrix et Amazona mors, nam: *In omnes homines mors pertransiit;* sed potentior Christus mortis victor atque destructor: *Accessit et tetigit loculum* et dixit: *Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit.* Mors Christo statim cedit, sicut nox obscura diei adveniente sole.

Amatores mundi mortem abhorrent, Christi autem servi eam desiderant.

Exercitus spectatorum sibi invicem oppositi sunt: hi veniunt post mortem, hi post Christum morti obviam veniunt; hi veniunt ab austro, hi autem ab aquilone; hi mortem ex civitate eiciunt: *Defunctus efferebatur,* qui autem cum Christo sunt morti occurrunt. Qui cives sunt Naim mortem oderunt, quia post mortem sequitur infernus dilectoribus et cultoribus mundi, nam: *Qui seminant in carne sua, de carne et metent corruptionem;* qui autem Christi sunt, qui secundum spiritum non secundum carnem vivunt, mortem desiderant, quia post mortem sequitur paradisus: *Qui . . . seminant in spiritu, de spiritu metent vitam aeternam.*[58]

Mors naturam vicit omnesque vires naturae; hinc regnabat in civitate Naim. Christus vicit mortem; post victoriam sequitur corona

52) Cf. 1 Rg 17, 38-51. 53) Os 13, 14. Vulg.: *Ero mors tua*, etc. 54) Nam in portis civitatis assidebat coetus iudicum. Cf. Dt 17, 5-8; 21, 19; 22, 15; 25, 6-7; Ruth 4, 1-2. 55) Missale Rom. in die Paschatis, *Sequentia* Missae. 56) Lc 7, 11-12. 57) Ibid. vr. 13. 58) Gal 6, 8. Vulg.: *Qui seminat... metet*, etc.

In morte dignoscitur verus christianus et homo carnalis:

et triumphus: *Propheta magnus surrexit in nobis et... Deus visitavit plebem suam.* [59] Qui verus christianus est, mortem non timet, sed cum Christo ei audax occurrit ac provocat. Mors lapis lydius est, in quo verus christianus probatur; is nanque verus christianus est qui carni spiritum praefert vitamque aeternam temporali, qui praesentem vitam patienter sustinet vitamque aeternam magno cum desiderio expectat. Carnalis homo odit mortem, quoniam porta inferni illi est; spiritualis vero desiderat, quoniam sicut Christo porta ei paradisi est.

ille in mortis discrimine salutis animae sollicitus est,

Hic, inquam, dignoscitur quisnam verus christianus sit, verus virtutis cultor; nam accidit in morte sicut homini qui in magno periculo videt filium et servum, imo amicum et inimicum; ipsa nanque natura urgente cogit amor ut ei potius opem in periculo ferat quem magis diligit. In mortali infirmitate magno sunt in periculo animus et corpus, spiritus et sensus carnis, homo interior et homo exterior: ille magis dilectus est, ille carior amicus qui prius potentiusque iuvatur. Spiritualis homo tunc maxime salutis suae sollicitus est, tunc maxime quaerit *regnum Dei et iustitiam eius*, [60] tunc vires omnes exercet, tunc se maxime Deo commendat ex animo, sciens quod serpens antiquus calcaneo insidiatur, [61] idest fini vitae, in mortis hora nos satagit quaeritque viribus omnibus perdere. Hinc Regius Vates: *Quid timebo in die mala ?* in die mortis? *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, sicut *qui confidunt in virtute sua et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* [62]

hic autem quam maxime de salute corporis cogitat.

Carnalis autem homo nonnisi corporis curam habet, salutis corporis quam maxime sollicitus est. Sic dignoscitur verus sectator Christi ab amatore mundi ex ipsa morte; nam amatores mundi mortem fugiunt tanquam summum malum, veri autem christiani desiderant tanquam summum bonum, tanquam currum Eliae, [63] scalam coeli et portam paradisi. [64]

Si ergo nolumus mortem metuere, virtutem colamus

Quare, o homo, si vis non timere mortem, quae ultimum terribilium dicitur, [65] virtutem cole, quoniam qui divinum iudicium non formidat, nec mortem timet. Cygnus laetus pergit ad mortem, cum laetitia et canoro concentu eam expectat et suscipit; [66] non sic porcus

59) Lc 7, 16. 60) Mt 6, 33. 61) Cf. Gn 3, 15. 62) Ps 48, 6-7. Vulg.: *Cur timebo*, etc.
63) Cf. 4 Rg 2, 11. 64) Cf. Gn 28, 17. 65) Cf. not. 57 praec. hom., pag. 505.
66) Cf. Plato *Phaedo vel De Anima*, lib. 29, pag. 291; Conradus Gesnerus *Historia Animalium*,

immundus, qui libentissime volutatur in volutabro luti.[67] Mors est sicut lupus, qui si hominem prius videat, maxime laedit, si prius videatur, minime;[68] sicut basiliscus, qui intuitu suo hominem venenat, quod non agit si prius ipse videatur.[69]

Mortis meditatio utilissima est.

Mortis meditatio maxime utilis est: proponitur tanquam speculum in quo nos ipsos iugiter contemplemur: *Meditare novissima tua et in aeternum non peccabis.*[70] Utilis valde philosophia est meditatio mortis, homines facit vere sapientes; in hac meditatione homo seipsum vere cognoscit et mundum. In pulvere defecerunt magi Pharaonis atque dixerunt: *Digitus Dei est hic.*[71] Sic Moyses pulverem spargens vicit Aegyptum:[72] *Pulvis es,*[73] etc.

Ostenditur hodie Christus verus mortis triumphator,

VII. Locus hodierni certaminis, quo « mors et vita duello conflixere mirando », civitas Naim est, mundus iste est; nam in coelo, in paradiso nullus est morti locus, neque etiam in inferno, sed tantum in mundo hoc regnat inimica mors.[74] Corona autem et praemium huius certaminis homo est, vel, ut melius dicam, salus vel perditio hominis. Nam mors intendebat totalem hominis corruptionem in sepulcro, in inferno; Christus autem salutem, vitam, felicitatem. Mors per peccatum privaverat hominem felicitate paradisi, libertate spiritus, sanitate corporis et tandem vita ipsa; Christus hodie, morte devicta, homini restituit omnia: felicitatem civitatis Naim, libertatem, nam hominem liberum abire permisit dum *dedit illum matri suae,*[75] sanitate integra et vita donavit. Ecce igitur verus Elias, p o t e n s D e u s :[76] *Propheta magnus surrexit in nobis et . . . Deus visitavit plebem suam.*[77] Vicit autem Christus, quoniam pugnavit armis divinae potentiae et pietatis: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus*[78] fuit, sicut cum olim vidit afflictionem synagogae in Aegypto, descendit ad salvandam eam a crudelissima tyrannide Pharaonis.[79]

qui mortem vicit armis potentiae et pietatis.

lib. 3 *De Avibus,* pag. 360. De hoc Ovid. *Metamorph.*, lib. 14, vr. 30:

« Carmina iam moriens canit exequialia cygnus »,

et Martialis lib. 13, *Epigram.* 69, vr. 2:

« Cantator cygnus funeris ipse sui ».

67) Cf. 2 Petr 2, 22. 68) Cf. Virgilius *Bucol.*, ecl. 9, vrr. 53-54; Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 22, pag. 84; Conradus Gesnerus *Historiae Animalium*, lib. 1, pag. 641. 69 Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 21, pag. 84; lib. 29, cp. 4, pag. 355. 70) Eccli 7, 40. Vulg.: *Memorare novissima*, etc. 71) Ex 8, 19. 72) Cf. ibid. vr. 17. 73) Gn 3, 19. 74) Cf. 1 Cor 15, 26. 75) Lc 7, 15. 76) Sic enim latine *Elias* interpretatur. 77) Lc 7, 16. 78) Ibid. vr. 13. 79) Cf. Ex 3, 7-8.

FERIA SEXTA

POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

Erat quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariae et Marthae sororum eius. Diligebat autem Iesus, etc. [1]

Christus solo amore motus suscitat hodie Lazarum.

I. Eliseus propheta sanctissimus, duplici spiritu Eliae donatus, [2] cum diligeret sancta dilectione mulierem sunamitidem, a qua benignissime excipiebatur hospitio, unicum filium eius, quem suis precibus a Deo obtinuerat sterili, defunctum suscitavit. [3] Sic hodie Christus Lazarum suscitat; causa autem tanti miraculi amor assignatur, quoniam *diligebat ... Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum;* [4] *Ecce quem amas;* [5] *Ecce quomodo amabat eum;* [6] *Lazarus amicus noster.* [7]

Amicitia paritatem requirit;

Mirabile dictu quod Deus cum homine voluerit inire amicitiam, cum amicitia paritatem quandam requirat. [8] Nam amici necesse est ut sint invicem tanquam carissimi et amantissimi fratres, ut inter eos dulcis vitae consuetudo et summa familiaritas intercedat; amicitia nanque animorum aequalitas est, una anima in duobus corporibus, ut idem sit animus, idem velle, idem nolle. Et quidem principum et potentum multi amicitiam expetunt, quoniam utilis valde et honorabilis est, nam, ut Salomon ait: *Divitiae addunt amicos plurimos;* [9] multi colunt personam potentis. Sed principes ipsi nonnisi

1) Pericope huius diei Io 11, 1-45. Sic legitur in Missali Rom. Clementis VIII; postea autem ab Urbano VIII emendatum fuit iuxta Vulg.: *Sororis eius.* 2) Cf. 4 Rg 2, 9-15. 3) Cf. ibid. 4, 1-37. 4) Io 11, 5. 5) Ibid. vr. 3. 6) Ibid. vr. 36. 7) Ibid. vr. 11. 8) Antiquissimum adagium ex Pythagorae sententia: « Amicitia aequalitas ». Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 8, pag. 331. 9) Prv 19, 4.

cum principibus amicitias ineunt; sic legimus quod rex David amicus erat Hiramo, regi Tyri et Sidonis. [10]

Deus autem summus est princeps, *Rex regum et Dominus dominantium*, [11] monarcha universi, cui in coelo omnes Angeli serviunt, cuius nutui omnes creaturae obediunt; homo autem terrena creatura est, vilis, fragilis, multis miseriis obnoxia. Et tamen Deus infinitae maiestatis voluit cum homine amicitiam copulare. Hoc enim est quod legimus: *Ambulavit Enoch cum Deo;* [12] *Invenit Noe gratiam coram Domino;* [13] hinc Abraham *amicus Dei* appellatus est: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam et amicus Dei appellatus est.* [14] Sic enim legimus apud Isaiam: *Tu, Israel serve meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei;* [15] et *2 Paralipomenon: Dedisti* terram hanc *semini Abraham amici tui.* [16] Sic Deus amicus hominis in Sacris Litteris appellatur, nam etiam legimus quod cum Moyse conversabatur et loquebatur Deus *sicut loqui solet homo ad amicum suum.* [17]

attamen Deus voluit hominis amicus appellari,

Sed quomodo contraxit Moyses talem cum Deo necessitudinem? Hoc mirabilius est. Si appetivisset et quaesivisset amicitiam hanc, sicut multi principum amicitiam ambiunt et summo studio aucupantur, nil mirum, nam etiam reges in amicorum numerum admittunt servos suos fideles, maxime regni principes et magnates, illosque ad summos honores extollunt, sicut Pharao Iosephum, [18] Nabuchodonosor Danielem, [19] Assuerus Mardochaeum. [20] Sed quis unquam principum de plebe hominem motu proprio ad suam evocavit amicitiam? Erat Moyses pastor ovium, apparuit illi Deus ipsumque ad se vocavit et cum eo amicitias fecit. [21] Sic ad se vocavit Abraham, [22] Isaac, [23] Iacobum, [24] qui speciales in Sacris Litteris amici Dei describuntur.

sicut de multis legimus.

II. Sicut Ionathas filius regis Saul, totius regni israelitici princeps, cum Davide, adhuc humili pastore et privato homine, amicitiam egit, in singularissimum amicum sibi delegit ac voluit, quoniam mox ut vidit eum, magnum in animo erga eum amorem concepit – ipse nanque Davidem prior dilexit, ipse in amicum ascivit, quoniam inquit:

Deus hominem in suam amicitiam non tantum acceptavit, sed quaesivit,

10) Cf. 3 Rg 5, 1. 11) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 12) Gn 5, 22. 13) Ibid. 6, 8. Vulg.: *Noe... invenit*, etc. 14) Iac 2, 23. 15) 41, 8. 16) 20, 7. 17) Ex 33, 11. Vulg.: *Sicut solet loqui*, etc. 18) Cf. Gn 41, 37-46. 19) Cf. Dn 2, 46-48. 20) Cf. Est 6, 1 sqq. 21) Cf. Ex 3, 1-4. 22) Cf. Gn 12, 1-4. 23) Cf. ibid. 26, 2-5. 24) Cf. ibid. 28, 12-15.

Conglutinata fuit anima Ionathae animae David: [25] ecce vera amicitia, unio animorum, – sic Deus ipse hominem in sui gratiam et amicitiam non dicam admisit aut acceptavit, sed quaesivit. Sic cum primo homine iniit amicitiam mox ut eum de terra formavit; ipse nanque conditum hominem tulit, ipse in paradisum adduxit, ipse mundi principem constituit, [26] ipse cum eo ibi tanquam amicus familiariter conversatus fuit, quousque homo ipse serpentis opera vinculum divinae huius amicitiae disrupit, pacis foedera fregit, inimicum Dei sese constituit, violata amicitia, gratia vilipensa ideoque amissa. [27]

etiam post peccatum.

Sed tamen adhuc Deus, licet iustissime iratus hominem tanquam sua amicitia et gratia indignum a facie sua, a domo sua eiecerit, cum expulit a paradiso, ita ut non posset amplius in beatissimam illam Dei domum pedem ponere, postea tamen miseratione motus, quoniam non malitia sed fragilitate peccavit seductus a satana, hominem iterum ad suam amicitiam revocavit, in gratiam iterum recepit, pristino loco et dignitati restituit.

Hoc significat Lazarus, qui a Christo amicus appellatur,

Hinc hodie Lazarus *amicus* Christi dicitur; nam in hodierno Evangelio expressa quaedam et viva imago a Spiritu Sancto diligentissimo penicillo optimisque coloribus ad vivum depicta habetur. Nam Christus hic vivus et verus Deus est, Lazarus autem verus homo; Christus Deus infinitae maiestatis, hinc nanque in hodierno Evangelio dicitur: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* [28]

cum Christus seipsum dicat verum Deum,

Non tantum Filius Dei dicitur, sicut et Martha confitetur: *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti;* [29] sed etiam Deus: *Pro gloria Dei*, nam ad declarandam et comprobandam divinitatis suae veritatem Dominus divinissimum hoc miraculum edidit; et quoniam verus est Deus, hodie ait: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* [30] Hoc nanque dixit Christus ad instruendam Martham, ut non purum hominem Christum crederet, sicut dixerat: *Domine, si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus; sed... nunc scio* vere *quia quaecunque poposceris a Deo, dabit tibi*

25) 1 Rg 18, 1. Vulg.: *Anima Ionathae conglutinata est*, etc. 26) Cf. Gn 2, 7-15.
27) Cf. ibid. 3, 1 sqq. 28) Io 11, 4. 29) Ibid. vr. 27. 30) Ibid. vrr. 25-26.

Deus. [31] Quibus verbis declaravit Martha fidem quam de Christo conceperat, veram quidem sed imperfectam, quia credebat Christum Messiam esse hominem sanctissimum, Deo gratissimum.

quamvis hominem factum

Quod quidem verum est, nam Christus hodie hominem se declarat dum venit Bethaniam, dum lacrimatur, dum spiritu infremit et seipsum turbat, [32] dum elevatis ad coelum oculis ad Patrem orat: *Pater, gratias tibi ago, quoniam audisti me; ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi ut credant quia tu me misisti.* [33] Sed licet vera esset fides, imperfecta tamen erat. Ad eam perficiendam Christus ait: *Ego sum resurrectio et vita,* idest potens mortuos omnes suscitare, quod opus solius divinae est potestatis. *Ego sum . . . vita,* alluditur ad illud: *In ipso vita erat et vita erat lux hominum,* [34] sed prius dicitur quod *Verbum erat Deus,* omnium conditor: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est.* [35]

Christus amicus hominis hodie dicitur,

III. Deus igitur factus homo hodie amicus hominis dicitur: *Diligebat . . . Iesus . . . Lazarum; Ecce quem amas; Ecce quomodo amabat eum; Lazarus amicus noster.* Sed qualis hic Christi amicus? Non quaesivit Christus utilem amicitiam, nam: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges;* [36] en qualis amicus erat: *Quidam languens Lazarus a Bethania.* Non ascivit amicum Christus a quo posset iuvari, sed quem posset iuvare, pro quo posset pati, subire pericula, mortem etiam obire.

et verus amicus ostenditur,

Nam quae utilitatis causa absumpta amicitia est, non vera amicitia, sed potius negotiatio censetur; ea enim veluti umbra est quae tandiu sequitur corpus quandiu solari radio illustratur, sicut hirundo quae verno tempore ad nos devenit, sed hieme adveniente discedit. Vera amicitia necesse est ut sit fluminis instar, non torrentis qui aestate arescit, cum maxime aqua opus est, quales fuere amici Iob, sicut ipse ait: *Fratres mei praeterierunt me, sicut torrens qui raptim transit;* [37] sed S a l o m o n ait: *Omni tempore diligit qui amicus est,*

31) Ibid. vrr. 21-22. Vulg.: *Frater meus non fuisset mortuus,* etc. 32) Cf. ibid. vrr. 17-18. 33-35. 33) Ibid. vrr. 41-42. Vulg.: *Gratias ago tibi,* etc. 34) Ibid. 1, 4. 35) Ibid. vrr. 1-3. 36) Ps 15, 2. 37) Iob 6, 15.

et frater in angustiis comprobatur, [38] utique sicut aurum in fornace. Argentum vivum relinquit aurum in fornace, sic fictus amicus. Christus amicus verus est, hominem suscepit amicum cui multa praestare posset, a quo nullum posset accipere, sicut nec coelum a terra, nec sol a luna, nec anima a corpore, nec Deus a mundo.

unice quaerens utilitatem amici,

Amicus Christi Lazarus dicitur, qui a d a u x i l i u m sive a d i u t o r i u m interpretatur, qui egentissimus est, omnium rerum eget auxilio: terrae atque aeris, ignis, coeli, solis, lunae, stellarum, Angelorum, animalium, arborum, metallorum, lapidum, omnium denique rerum, nam propter hominem condita sunt universa. Nec homo dicitur a Ierusalem, civitate regia, sed a Bethania, a castello quodam ignobili, a villa quadam, quae d o m u s a f f l i c t i o n i s et h u m i l i a t i o n i s interpretatur; non dives, non potens describitur, non magni nominis vir aut magnae nobilitatis princeps, nec viribus potens, sed infirmus, languidus: *Erat quidam languens Lazarus; Quem amas infirmatur,* ac tandem: *Lazarus amicus noster dormit; Lazarus mortuus est.* [39]

vere enim dilexit Lazarum sanum, infirmum et mortuum,

Hunc tamen Christus et sanum dilexit et infirmum, et vivum et mortuum. De sano dicitur: *Diligebat ... Iesus ... Lazarum;* de infirmo: *Ecce quem amas infirmatur;* de mortuo: *Ecce quomodo amabat eum.* Amavit eum vero et sincero amore, magno et mirabili: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [40] En Christus pro amico Lazaro suscipit laborem itineris cum pedes ambularet, unde fatigatum legimus ex itinere: [40a] *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum;* [41] *Lazarus mortuus est; Eamus in Iudaeam.* [42]

et multa tulit, etiam cum magno suae vitae discrimine,

Nec tantum suscipit itineris laborem et incommodum, sed etiam pro amico se exponit periculo mortis, hinc aiunt Apostoli: *Magister, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc?* [43] Et Thomas: *Eamus et nos ut moriamur cum illo:* [44] cum videamus, inquit, eum resoluto animo volentem se pro amico vitae discrimini dare, mortis manifesto periculo se exponere, *eamus et nos ut moriamur*

38) Prv 17, 17. 39) Io 11, 14. 40) Ibid. 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem nemo,* etc. Affert ex Breviario Rom., Com. Apostolorum, 2 antiph. ad *Laudes.*
40a) Cf. Io 4, 6. 41) Ibid. 11, 11. 42) Ibid. vr. 7. 43) Ibid. vr. 8. Vulg.: *Rabbi,* etc. 44) Ibid. vr. 16. Vulg.: *Cum eo.*

cum illo, nam certissime cum viderint eum Iudaei, occident eum tanquam inimicum Dei, destructorem legis et reipublicae eversorem. Christus tamen discipulorum persuasionibus non consensit, sed venire in Iudaeam voluit pro defuncti amici salute. Venit in Bethaniam cum magno vitae discrimine, nam a principibus Iudaeorum exilio relegatus erat a Iudaea [45] tanquam homo facinorosus, seductor populi, publicae pacis et quietis turbator, reipublicae novator et eversor. Nec tantum venit et publice, sed usque ad Lazari sepulcrum devenit ibique infremuit spiritu, turbavit semetipsum, lacrimatus fuit, Patrem oravit, tandemque quatriduanum Lazarum fetentem instar corrupti horribilisque cadaveris ad vitam integramque sanitatem revocavit. [46]

ut eum a morte suscitaret.

IV. Hodiernus autem amor Christi erga Lazarum viva quaedam imago est divinae in Christo caritatis erga humanum genus, quod per Lazarum designatur; nam si hominem infirmari permisit et mori, si non statim Christus in mundum venit pro salute hominum, factum fuit *pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei*, idest ut magis magisque glorificaretur et divina eius virtus agnosceretur. Si enim non peccante homine Christus in mundum venisset, non adeo divina eius virtus, sed divinitas splenduisset, [47] sicut splenduit in operatione miraculorum, in Sacramentorum institutione, in praedicatione Evangelii, in iustificatione peccatorum, in ostensione divinae caritatis erga hominem in passione et morte, potentiae suae contra diabolum, infernum et mortem in universali mortuorum resurrectione et tandem in mundi renovatione, in die universalis iudicii, quando infinita Christi maiestas et gloria omnibus erit conspicua et manifesta.

Amor Christi erga Lazarum imago est divinae caritatis erga genus humanum;

Quare quod egit Christus cum Lazaro, egit Deus cum humano genere. Unde Regius Vates miratur quod Deus infinitae maiestatis tanti fecerit hominem, et ait: *Domine, quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt.* [48] Ad hanc autem admirationem devenit David ex consideratione electionis et exaltatio-

nam quod egit Christus cum Lazaro, egit Deus cum homine,

45) Cf. ibid. 7, 1. 46) Cf. ibid. 11, 39-44. 47) Sententia Scoti *Sentent.*, lib. 3, dist. 7, q. 3; dist. 19, q. 1. 48) Ps 143 (hebr. 144), 3-4.

nis suae, nam sic incipit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum ; misericordia mea et refugium meum, arx mea, susceptor meus et liberator meus ; protector meus, scutum meum, et in ipso speravi, qui subdit populum meum,* regnum Israel, *sub me.* [49] Incepit autem gloria Davidis ab insigni victoria quam retulit de Goliath, procero fortissimoque gigante; nam cum militari arte et re bellica exercitatus minime esset, fortissimum tamen gigantem et exercitatissimum gladiatorem, universo exercitui Hebraeorum terribilem, divina praeditus virtute prostravit. [50] Hoc est quod ait ab ipso Deo doctum artem militarem et rem bellicam, digladiandi rationem. Sed quid ad hoc impulit Deum? Sola ipsius misericordia, hinc ait: *Misericordia mea.*

sola misericordia motus, sicut David expertus cecinit.

II. ALIA HOMILIA

Erat quidam Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae sororum eius. Maria autem erat, etc. [1]

Vitae auctorem se hodie Christus exhibet Lazarum resuscitando.

I. Vitae auctorem ostendit se hodie Dominus, dum Lazarum revocat a morte ad vitam, sicut exanime primi hominis corpus vivificavit: *Formavit... Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem.* [2] Hodie autem reformat hominem, sicut figulus apud Ieremiam vas ex luto dissipatum refecit. [3] Magnum plane miraculum, quod ipse Christus *Dei gloriam* appellavit: *Infirmitas haec non est ad mortem sed pro gloria Dei ut glorificetur Filius Dei per eam ;* [4] *Si credideris, videbis gloriam Dei,* [5] dixit Marthae, nam: *Ego sum,* inquit, *resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* [6] Magnum fuit miraculum quod operatus fuit Eliseus, cum filium mulieris sunamitidis defunctum revocavit ad vitam motus precibus afflictissimae ac dolentissimae matris; [7] sed hodiernum hoc multo maius, nam Christus verus est

49) Ibid. vrr. 1-3. 50) Cf. 1 Rg 17, 4-51.

1) Io 1, 1-2. Cf. not. 1 praec. hom., pag. 514. 2) Gn 2, 7. 3) Cf. 18, 1-6. 4) Io 11, 4. 5) Ibid. vr. 40. 6) Ibid. vrr. 25-26. 7) Cf. 4 Rg 4, 1-37.

Eliseus, potens, divinus Salvator,[8] verus Deus: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam; Videbis gloriam Dei; Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*[9]

Multis ostenditur hodie Christi divinitas, suscitat enim mortuum,

Multis enim ostenditur Christi divinitas in hodierno Evangelio; nam hoc ipsum designat cum ait: *Ego sum resurrectio et vita*, nam ut Regius Vates ait: *Domini est salus;*[10] *Deus noster Deus salvos faciendi et Domini Domini exitus mortis.*[11] Vitam mortuis tribuere solius est divinae potestatis. Eliseus ad suscitandum puerum defunctum misit Giezi servum suum cum baculo suo, ut eum poneret super faciem pueri; abiit Giezi, sed reversus fuit dicens: *Non surrexit puer, non est vox neque sensus.*[12] Tunc Eliseus montem Carmeli reliquit, ubi ipsius habitatio erat, venit in domum sunamitidis, vidit puerum defunctum iacentem in cubiculo et, clauso ostio, oravit ad Dominum, cumque orasset, incubuit se super puerum,[13] quemadmodum etiam Elias fecit cum suscitavit filium viduae sareptanae.[14]

et solo imperio,

Christus autem Lazarum suscitaturus orat quidem, non ut Deus suscitet Lazarum, sed gratias agens, quasi iam suscitatus esset: *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me; ego autem sciebam quod semper me audis;* tunc divino imperio Lazarum suscitavit dicens: *Lazare, veni foras. Et statim prodiit,*[15] quasi a somno expergefactus; nam Christo homo mortuus veluti dormiens est, tanta facilitate Christus mortuum quemlibet potest suscitare, hinc ait: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum.*[16]

quod solius est divinae potestatis;

Dicitur Christus in *Apocalypsi* habere *claves mortis et inferni,*[17] quo designatur quod sic[18] potest mortuos suscitare, sicut qui claves habet carceris potest inde vinctos educere. Sic ait: *Lazare, veni foras.*

ideo permisit Lazarum infirmari et mori, ut ostenderet potentiam suam eum resuscitando;

Egisse visus est hodie Christus cum Lazaro quod Deus egit cum Iona: permisit Deus Ionam a nautis mitti in mare, sed ad ostendendam potentiam suam voluit eum a pisce grandi, a cete devorari et manere in ventre ceti *tribus diebus et tribus noctibus;*[19] tunc *dixit Deus pisci et evomuit Ionam in aridam.*[20] Sic, inquam, Christus permisit Lazarum infirmari, permisit mori, devorari a morte, sepeliri,

8) Sic latine *Eliseus* interpretatur. 9) Io 11, 27. 10) Ps 3, 9. 11) Ps 67, 21.
12) 4 Rg 4, 31. Ordine inverso affert has pericopas. 13) Cf. ibid. vrr. 25-37.
14) Cf. 3 Rg 17, 17 sqq. 15) Io 11, 41-44. Vulg.: *Quia semper me audis*, etc.
16) Ibid. vr. 11. 17) 1, 18. 18) Ms.: *Si.* 19) Ion 2, 1. 20) Ibid. vr. 11. Vulg.: *Dixit Dominus*, etc.

manere in sepulcro quattuor diebus; tunc ad ostendendam divinam potentiam suam evocavit eum ad vitam: *Clamavit voce magna : Lazare, veni foras.* [21]

Diligebat Deus Ionam, quoniam homo erat sanctus, purus sicut c o l u m b a , secundum nomen suum; sed pro salute civitatis Ninive permisit eum talia pati, ut Ninivitae, viso tali tantoque miraculo, crederent praedicationi ipsius, converterentur ad Dominum et salutem consequerentur. Sic etiam Christus pro salute Ierusalem et synagogae totius permisit Lazarum, quem diligebat tanquam singularem amicum, infirmari et mori ut, viso resurrectionis miraculo, crederent in eum: *Propter populum,* inquit, *ut credant quia tu me misisti.* [22]

hoc autem pro salute synagogae.

II. Magnum miraculum hodiernum hoc est si consideretur agens, materia, modus et finis. Agens illustribus titulis in hodierno Evangelio honoratur. Appellatur nunc *Dominus : Domine ... quem amas infirmatur;* [23] nunc *magister: Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei* interficere et *lapidare, et iterum vadis illuc ?* [24] *Magister adest et vocat te ;* [25] nunc *amicus : Lazarus amicus noster ; Diligebat ... Lazarum ;* [26] nunc *lux mundi : Qui ambulat in die non offendit, quia lucem mundi huius videt,* [27] ad designandum quod mori non poterat ante tempus praefinitum a Patre, sicut nec sol potest occidere ante horam duodecimam diei; nunc appellatur *vita : Ego sum resurrectio et vita ;* nunc *Messias : Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi ;* [28] nunc verus *Filius Dei : Ut glorificetur Filius Dei per eam ;* nunc verus *Deus : Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei ; Si credideris, videbis gloriam Dei.*

Magnitudo huius miraculi elucet ab auctore, qui multis titulis hodie honoratur.

Operator divini huius miraculi verus homo est, quia ut homo venit Bethaniam, [29] ut homo *infremuit spiritu et turbavit seipsum,* [30] ut homo *lacrimatus est,* [31] ut homo *venit ad monumentum,* [32] ut homo oravit ad Patrem et *voce magna clamavit ;* sed ut Deus dixit: *Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus.* Homo et Deus est,

Christus Deus homo, hodie amicus dicitur hominis

21) Io 11, 43. Vulg.: *Voce magna clamavit,* etc. 22) Ibid. vr. 42. 23) Ibid. vr. 3. 24) Ibid. vr. 8. 25) Ibid. vr. 28. 26) Ibid. vr. 5. 27) Ibid. vr. 9. Vulg.: *Si quis ambulaverit... huius mundi videt.* 28) Ibid. vr. 27. 29) Cf. ibid. vrr. 17-18. 30) Ibid. vr. 33. 31) Ibid. vr. 35. 32) Ibid. vr. 38.

homo deificatus et humanatus Deus, non necessitate cogente, sed urgente caritate: *Sic enim Deus dilexit mundum.* [33] Hinc Paulus ait: *Deus . . . qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati, et conresuscitavit.* [34]

Hanc ob causam amicus dicitur, verus amator, qualem se ostendit Abraham: cum per nuncium audivit quod a quattuor regibus capta esset civitas Sodomae et Loth ductum esse captivum, statim accinxit se ad liberandum eum, expedivit vernaculos domus suae trecentos decem et octo viros, atque his copiis armatus abiit ad pugnandum contra quattuor reges, magno se exponens periculo, magno discrimini. Sed ardens caritas verusque amor pericula non attendit. Abiit igitur Abraham nocteque irruens super quattuor reges, divisis sociis, ex pluribus partibus adorsus vertit in fugam *et Loth fratrem suum*, ut Scriptura loquitur, liberavit. [35] Sic venit Christus ad liberandum Lazarum, cuius corpus infirmitate et languore affectus veluti civitas extitit a quattuor regibus obsessa, impugnata, expugnata captaque in morte, factis generalibus irruptionibus a quattuor humoribus et qualitatibus elementalibus; sic Lazarus venit in potestatem mortis, ab ea ductus captivus fuit. Christus autem venit nil veritus pericula eumque de manu mortis liberavit.

et vere talis ostenditur,

venit enim ut liberaret Lazarum a morte

Melchisedech, rex Salem, divinae potentiae tribuit victoriam Abrahae, liberato Loth: *Benedictus Abraam Deo excelso, qui creavit coelum et terram, et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* [36] Et vere ita fuit, nam post factum considerans Abraham discrimen cui seipsum et universam domum exposuit, timere coepit; unde apparuit ei Deus et dixit: *Noli timere, Abram: ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* [37] Merito timebat potentiam quattuor regum, qui potuerant bello quinque reges die una superare. Sed non attendit caritas pericula. Sic hodie Christus: *Eamus*, inquit, *in Iudaeam;* [38] cui Apostoli: *Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei* interficere et *lapidare, et iterum vadis illuc?* Et Thomas: *Eamus et nos, ut moriamur cum illo.* [39] Amicus vero pro salute amici etiam vitam

non attendens ne ipsum quidem vitae discrimen.

33) Ibid. 3, 16. 34) Eph 2, 4-6. 35) Cf. Gn 14, 1-16. 36) Ibid. vrr. 19-20. 37) Ibid. 15, 1. 38) Io 11, 7. 39) Ibid. vr. 16. Vulg.: *Cum eo.*

periculis exponit: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [40] Pro salute Lazari Christus vitae discrimini se committit rediens in Iudaeam, sciens quod Iudaei quaerebant eum interficere.

Elucet etiam a materia, nam Christus suscitat mortuum quatriduanum,

III. Magnum hodiernum miraculum est ratione materiei, nam suscitatur mortuus quatriduanus, homo nobilis, illustris, nam hanc ob causam multi Iudaeorum venerant ut consolarentur Martham et Mariam de fratre suo. [41] Designat enim universum genus humanum secundum allegoriam, hominem vero peccatorem et iustificatum per tropologiam.

sic se ostendens verum auctorem vitae universalis.

Lignum vitae ostendit se Dominus esse Lazarum suscitans et dicens: *Ego sum resurrectio et vita.* Lignum illud vitam tribuebat universalem et perpetuam humano generi;[42] sic ait: *Omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* Quod vero maius est, lignum illud non tribuebat vitam mortuis, sed vitam conservabat ac in perpetuum protelabat vivis; Christus vero vitam etiam mortuis tribuit: *Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiam si mortuus fuerit vivet.* Sic alibi ait: *Ego . . . lux mundi;* [43] *Ego sum via et veritas et vita,* [44] utique mundi, sicut *lux mundi : Erat lux vera quae illuminat omnem hominem,* [45] sed *vita erat lux hominum.* [46] En vita universalis: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant;* [47] *Vitam aeternam do eis ;* [48] *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* [49] Ecce vita perpetuae immortalitatis cum Deo et Angelis eius. Lignum vitae illud videtur Christus plantatum secus flumen paradisi, visum Ezechieli [50] et Ioanni, quod *fructus duodecim per singulos menses* afferebat. [51]

Iure ergo hodie se dicit lucem mundi.

Hodie Christus lucem mundi se dicit, idest solem: *Qui ambulat in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.* Sol autem in coelo est veluti arbor vitae, nam vitam dat atque conservat omnibus quae natura generantur; efficit autem duodecim menses anni et duodecim horas diei: *Nonne,* inquit, *duodecim sunt horae diei ?* [52] Non potest, inquit, sol ante horam suam occidere, nec dies terminari.

40) Ibid. 15, 13. Cf. not. 40 praec. hom., pag. 518. 41) Cf. Io 11, 9. 42) Cf. Gn 2, 9.
43) Io 8, 12. 44) Ibid. 14, 6. 45) Ibid. 1, 9. 46) Ibid. vr. 4.
47) Ibid. 10, 10. 48) Ibid. vr. 28. 49) Ibid. 6, 51-52. 50) Cf. Ez 47, 12.
51) Apc 22, 2. Vulg.: *Per menses singulos.* 52) Io 11, 9.

IV. In hodierno Evangelio circa miraculum hoc duodecim mysteria habemus: tria circa personam Christi, tria circa personam Lazari, tria circa finem et tria circa modum miraculi. De Christo tria ostenduntur: potentia, sapientia, et bonitas caritasque divina; de Lazaro infirmitas, mors et resurrectio, imo historia, allegoria et tropologia; circa finem tria: *Pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam;* salus animarum per fidem: *Ut credant quia tu me misisti;* [53] Et *multi* Iudaeorum *crediderunt in eum;* [54] ad ostendendum affectum verae amicitiae: *Lazarus amicus noster dormit; sed vado ut a somno excitem eum;* [55] tandem tria circa ipsius miraculi modum, nam assignatur tempus et locus: venit Bethaniam *et invenit eum quattuor dies ... in monumento habentem;* [56] assignantur testes miraculi, nam coram multitudine Iudaeorum, inimicorum utique suorum, divinum hoc miraculum operari voluit, ut etiam inimici ipsius testes oculati essent talis tantaeque veritatis.

In hodierno Evangelio duodecim mysteria habemus:

Sic duodecim mysteria complectitur. Quoad Christum ostendit divinam potentiam qua hominem mortuum et quatriduanum in monumento revocat ad vitam, ea facilitate qua dormiens excitatur a somno: *Lazarus ... dormit.* Tunc transitur a resurrectione particulari ad universalem: *Resurget in resurrectione in novissimo die;* [57] *Ego sum resurrectio et vita.* Sicut argumentatus ille fuit: luna est sphaericae figurae, ergo omnes stellae; luna illuminatur a sole, igitur omnes stellae; sic a resurrectione Lazari transitur ad universalem resurrectionem omnium mortuorum. Sicut enim Moyses primo unum tantum occidit aegyptium [58] in signum quod universum Aegyptiorum exercitum perditurus erat in mari Rubro, et Deus ipse Moysen salvavit ab aquis Aegypti [59] in signum quod universum populum salvaturus erat a captivitate Aegypti, sic Christus hodie unum suscitat mortuum in signum universalis resurrectionis omnium mortuorum. Sic supernaturalis ac divina Christi potentia ostenditur.

tria circa Christum, nam ostenditur eius divina potentia,

Sapientia vero, quoniam absens, et quidem longe, novit Lazarum esse defunctum esseque suscitandum: *Lazarus amicus noster dormit,*

sapientia,

53) Ibid. vr. 42. 54) Ibid. vr. 45. 55) Ibid. vr. 11. 56) Ibid. vr. 17.
57) Ibid. vr. 24. 58) Cf. Ex 2, 11-12; Act 7, 27-28. 59) Cf. Ex 2, 1-9.

sed vado ut a somno excitem eum... Dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est; [60] sapientia, quoniam voluit miraculum hoc alienum esse ab omni Iudaeorum inimicorum suorum calumnia, ut illud omnino calumniari ullo modo non possent; hinc absens esse voluit languori et morti, ne cogeretur vel sanare infirmum vel suscitare recens mortuum, et miraculum pateret [oculis] obtrectatorum hominum; suscitare voluit mortuum hominem, cuius mors manifestissima atque certissima esset Iudaeis, quoniam homo notissimus erat Iudaeis, mortuus in Bethania, in ianuis Ierusalem, ibique suscitare voluit non in secreto, sed palam, coram magna multitudine Iudaeorum, ut ipsi etiam inimici testes essent oculati et veritatem meridiana luce clariorem negare non possent. Sic divina sapientia Christus miraculum ita operari voluit, ut calumniae Iudaeorum omnem praecluderet aditum.

caritas, Et tandem in reformatione corporis humani integra atque perfecta non solum potentia verum etiam sapientia divina ostenditur itemque bonitas et caritas: *Diligebat... Lazarum; Ecce quem amas infirmatur; Lazarus amicus noster; Ecce quomodo amabat eum.* Ad suscitandum eum venit pedes a Galilaea in Iudaeam, magnum iter, magno cum incommodo, sed quod maius est, magno cum vitae periculo, quia Iudaei quaerebant eum interficere; sed amici salutem praefert Christus ipsi etiam vitae suae. In signum autem veri amoris, ut vidit plorantem Martham, plorantem Mariam, Iudaeos etiam plorantes, [61] *infremuit spiritu... turbavit semetipsum... et lacrimatus est Iesus.* O lacrimas verissimi amoris testes veracissimos! *Ecce quomodo amabat eum.* Flevit Christus Lazari mortem, sicut Iacob mortem dilectissimi filii sui Ioseph: *Fera pessima... devoravit* filium meum *Ioseph,* luxitque eum omni tempore et *noluit consolationem accipere,* [62] sicut David luxit filium suum Absalom, ut eum mortuum audivit, dicens: *Absalom fili mi, fili mi Absalom, quis mihi det ut... pro te moriar... fili mi Absalom?* [63] Sic Christus ob Lazari mortem *infremuit spiritu, turbavit semetipsum... et lacrimatus est; Ecce quomodo amabat eum.* O verum amatorem! o amicum carissimum et dilectissimum! *Omni tempore diligit qui* fidelis *amicus est.* [64] Iudaei vene-

60) Io 11, 14. 61) Cf. ibid. vr. 33. 62) Gn 37, 33-35. 63) 2 Rg 18, 33. Vulg.: *Absalom fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar,* etc. 64) Prov 17, 17.

rant ad consolandas verbis dolentes sorores defuncti; venit Christus et factis divinis consolatus est eas.

Mors potentissima est ad educendas lacrimas ex durissimis etiam cordibus, sicut virga Moysi potens fuit de saxo durissimo aquas educere;[65] sed ex Christi oculis lacrimas nonnisi verus amor eduxit, nam: *Fortis est ut mors dilectio*;[66] *Lacrimatus est; Ecce quomodo amabat eum*. Quam vere dicere poterat Christus Lazaro: *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*[67] tui! Sic paterna ex caritate suscitavit eum. De amicis Iob legimus quod videntes extremam miseriam, ad quam ex florentissimo statu redactus erat, non potuerunt lacrimas continere;[68] sed an non multo maior miseria ad quam redactus fuit Lazarus fetens, quatriduanus in monumento, aspectu supra quam dici possit horribilis? Hinc *lacrimatus est* Christus. Cum enim mors universale sit malum, miseria magna est supra quam excogitari possit. Hinc, natura urgente, non possumus in morte carorum lacrimas retinere, cogimur aliquando magno etiam cum ieiulatu plorare. Sic Christus videns Lazarum defunctum multosque hanc ob causam plorantes, *lacrimatus est* in signum veri amoris. in cuius signum lacrimatur;

Quoad Lazarum etiam tria mysteria: historia, allegoria, tropologia. Quoad historiam hominem significat natura Iudaeum, genere nobilem, fratrem Mariae Magdalenae et Marthae, Christi Domini nostri amicum et familiarem. Designat quod electis et dilectis suis Deus immittit vel permittit magnas gravesque tribulationes, sed ad gloriam maiestatis suae et multo maiorem electorum utilitatem, ut patet in Ioseph, in Iob, in David, in ipso Christo. Quam utilis fuit Lazaro mors ista! Vidisse quod in altero mundo agatur! Qualem ibi didicit philosophiam, qualem theologiam, qualem acquisivit reconditissimarum rerum scientiam! Restituit autem eum Christus in pristinum, sicut Iob.[69] tria etiam mysteria circa Lazarum: consideratur enim historia,

Quoad allegoriam designat humanum genus in triplici statu: Adamum in statu naturae institutae, in statu innocentiae: *Diligebat... Iesus... Lazarum*; in statu naturae destitutae, in statu culpae et poenae: *Erat quidam languens Lazarus; Lazarus mortuus* allegoria

65) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 66) Ct 8, 6. 67) Ier 31, 3. 68) Cf. Iob 2, 11 sqq. 69) Cf. ibid. 41, 10-12.

est; et in statu naturae restitutae, in statu gratiae per Christum: *Lazare, veni foras. Et statim prodiit.* Vere Lazarus est, in cuius auxilio [70] Deus omnia creavit: elementa, coelum, Angelos, mundum, Ecclesiam, paradisum, ad quem misit Spiritum Sanctum de coelo et unicum Filium: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* [71]

et tropologia.

Quoad tropologiam vero, hominem designat prius peccatorem et postea per Christum iustificatum; denotat mysterium iustificationis nostrae. [72]

70) *Lazarus* enim latine ad auxilium interpretatur. Cf. praec. hom., pag. 518.
71) Io 3, 16. 72) Et sic homilia incompleta relinquitur; tribus autem foliis albis relictis, transitur ad Dominicam sequentem.

DOMINICA IN PASSIONE [1]

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? [2]

Saepe Deus in igne apparuit ad significandam infinitam sanctitatem suam,

I. Naturalis est Dei proprietas sine peccato esse et peccare non posse, sicut solis lucidum esse, coeli esse clarum, nivis esse candidam, ignis esse calidum: *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus.* [3] In igne saepe apparuit, [4] quoniam ignis puritatis hieroglyphicum est; Danieli apparuit nive indutus, sedens in throno igneo: *Antiquus dierum sedit; vestimentum eius candidum sicut nix et capilli capitis eius sicut lana munda; thronus eius flammae ignis, rotae eius ignis accensus.* [5] Candor nivis et flamma ignis puritatis symbolum sunt; ignis admittere non potest frigus, sic nec Deus peccatum. Nam omne peccatum vel ex impotentia, vel ex ignorantia, vel ex malitia oritur; Deus autem infinita potentia, sapientia et bonitas est. Ignis levis est sursum tendens, lucidus tenebras non admittens, calidus frigus eiciens; sic Deus potens, sapiens, bonus, ita ut cadere in ipsum iniquitas non possit; sanctus suapte natura est, sicut ignis calidus.

hinc dicitur sanctus, ter sanctus, supersanctus

Nec tantum sanctus praedicatur, verum etiam ter sanctus; sic enim ter sanctum Seraphim praedicant, [6] idest sanctissimum; et hanc ob causam *Sanctus Sanctorum* [7] dicitur, idest sanctissimus. Nec tantum ter sanctus, sed supersanctus ostenditur; dum enim sic a

1) Inscriptio haec in codice sequenti homiliae apponitur; nos autem hic eam posuimus.
2) Pericope huius diei Io 8, 46-59. Cf. Missale Rom. 3) Dt 32, 4. 4) Cf. Gn 13, 21-22; 15, 17; 24, 17; Ex 3, 2; Dt 4, 36; Ez 1, 4 sqq.; 8, 2. 5) Dn 7, 9. Vulg.: *Quasi nix... quasi lana*, etc. 6) Cf. Is 6, 3. 7) Dn 9, 24.

Seraphim ter sanctus praedicatur, sedens supra templum ab Isaia videtur,[8] sicut visus fuerat a Iacob in summitate scalae,[9] quae templum Domini designabat: *Hic... domus Dei* est *et porta coeli.*[10] Templum autem Dei mundum designat, itemque Ecclesiam et paradisum, sicque ostenditur supersanctus, super omnem sanctitatem hominum et Angelorum. Nec tantum ter sanctus et supersanctus, sed etiam sanctificans, sicut sol lucidus et illuminans, ignis calidus et calefaciens. Sic Moyses ait: *Qui aufers iniquitatem... scelera atque peccata.*[11]

et sanctificans,

Sic Deus naturali proprietate sanctissimus est, sicut super omnem creaturam est. Nam sanctitas in spiritibus est sicut claritas in corporibus: clara est aqua, clarior aer, multo clarius coelum, clarissimum empyreum, quod coelum coelorum est; magna sanctitas Ecclesiae, maior sanctitas paradisi, maxima sanctitas Dei. Sic nanque in templo Domini sanctum erat atrium, sanctius tabernaculum exterius, quod *sanctum* dicebatur, sanctissimum tabernaculum interius, quod *sanctum sanctorum*[12] dicebatur; in maius semper crescebat sanctitas.

quia naturali proprietate sanctissimus est.

II. Cum autem talis tantaque ostendatur Dei sanctitas, qui in sancto sanctorum habitat, proculdubio magna ostenditur Christi sanctitas, cum Christus suapte natura verus Deus sit. Hinc nanque si Deus nive indutus apparuit Danieli et si *lux* dicitur: *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;*[13] Christus etiam in transfiguratione apparuit solari luce et niveo candore indutus,[14] ad ostensionem divinae sanctitatis, maxime cum dicat Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[15] Obiectum amoris bonitas et pulcritudo est; in spiritibus autem bonitas et pulcritudo in puritate et sanctitate consistit. Cum Angelus hanc amisit, eiecit illum Deus de empyreo;[16] cum hanc amisit homo, pulsus fuit de paradiso.[17]

Talis est etiam Christus, quia verus Deus homo,

Hic est Filius meus dilectus. Erat autem inter Moysen et Eliam, viros sanctissimos; sed hic *dilectus* plusquam Moyses, plusquam Elias, plusquam Sancti omnes, plusquam omnes Angeli, quia omnium

ideo a Deo supra omnem creaturam dilectus,

8) Cf. Is 6, 1 sqq. 9) Cf. Gn 28, 12-13. 10) Ibid. vr. 17. 11) Ex 34, 7. 12) Cf. 3 Rg 6, 16; 7, 50; 8, 6; 2 Par 3, 8. 10. 13) 1 Io 1, 5. 14) Cf. Mt 17, 2; Mc 9, 2-3; Lc 9, 29-30. 15) Mt 17, 5; 2 Petr 1, 17. 16) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6. 17) Cf. Gn 3, 6 sqq.

sanctissimus, quia in sanctitate *resplenduit facies eius sicut sol*, astrorum omnium lucidissimus et *vestimenta ... eius facta sunt alba sicut nix*[18] candidissima, summo candore praedita. Tali sanctitate Christus a Patre donatus fuit.

quia omnium sanctissimus;

Sicut autem ex illa flamma ignis revelavit Deus Moysi divinitatem suam dicens: *Ego sum qui sum*,[19] ita hodie Christus manifestans puritatem suam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* ostendit etiam divinitatem suam: *Antequam Abraham fieret ego sum;*[20] ideo nemo poterat Christum de peccato arguere, quoniam Deus erat, nam alioquin, ait Salomon: *Non est ... homo ... qui faciat bonum et non peccet;*[21] *Quis dicere potest ... Purus a peccato* ego *sum?*[22] *Omnis ... homo mendax, Deus* solus *verax est.*[23] Christus autem Deus *talis ... decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus;*[24] *excelsior coelis*, idest sanctior Angelis, Cherubim, Seraphim, ut verus Deus.

hanc autem sanctitatem suam Christus hodie revelat simul cum sua divinitate.

III. *Qui ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est*, etc.[25] Iussit Hebraeis Deus in *Deuteronomio* ut crederent Prophetis qui Moysi similes essent, vita et doctrina sancti, qui minime argui et convinci possent falsi prophetae;[26] hi nanque sunt veri prophetae characteres: sanctitas vitae et puritas doctrinae. Hinc missurus Deus ad praedicandum Ieremiam ait: *Priusquam te formarem in utero novi te et antequam exires de vulva sanctificavi te et prophetam in gentibus dedi te:*[27] ecce sanctitas vitae; deinde vero: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes et ... regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes:*[28] ecce veritas sanctitasque doctrinae. Quoties igitur talis propheta advenerit, ex divinae legis praescripto adhibenda ei fides est, praestanda obedientia tanquam divino oraculo. Hoc est quod Christus ait quoad vitam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* et quoad doctrinam: *Si veritatem dico ... quare non*

Signa veri prophetae sunt sanctitas vitae et puritas doctrinae;

talem autem se hodie Christus exhibet

18) Mt 17, 2. 19) Ex 3, 14. 20) Io 8, 58. 21) Eccle 7, 21.
22) Prv 20, 9. Vulg.: *Quis potest dicere... purus sum a peccato?* 23) Rom 3, 4. Vulg.: *Est... Deus verax, omnis... homo mendax.* 24) Hebr 7, 26. 25) Io 8, 46-47.
26) Cf. 8, 18 sqq. 27) Ier 1, 5. 28) Ibid. vrr. 9-10.

creditis mihi? Nam: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* [29]

promittens vitam aeternam servantibus sermonem suum.

Sub conditione loquitur, promittit et minatur: promittit vitam aeternam servantibus sermonem suum, minatur perpetuam mortem non servantibus. Sicut Dominus priusquam Ieremiam ad praedicandum mitteret, ostendit ei virgam vigilantem dicens: *Vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud,* idest ut promissa impleam; ostendit etiam *ollam succensam . . . a facie aquilonis* dicens: *Ab aquilone pandetur* omne *malum super universam terram;* [30] sic Christus promittit et minatur: Ergo, *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Cur iussa Dei non exequimini, ut credatis prophetae in quo reperitur sanctitas vitae irreprehensibilis et veritas doctrinae inculpabilis?

Qui ergo ipsum non audit, ex Deo non est.

Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. [31] Oves audiunt vocem pastoris sui; fidelis populus civitatis paret mandatis sui principis; in Aegypto veri Hebraei Moysen secuti fuerunt, Aegyptii vero Pharaonem; [32] veri Iudaei secuti fuerunt Davidem, populus autem Israel parricidam Absalomum. [33] Sunt in mundo duo principes: Deus et satanas: *Qui ex Deo est, verba Dei audit;* qui autem ex Deo non est, ex satana est: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere,* [34] quare: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis:* non filii Dei estis sed satanae, non electi sed reprobi.

Ostenditur triplex origo peccati: ignorantia, malitia, fragilitas.

IV. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Triplex peccatum: ex impotentia, ut peccatum Petri; [35] ex ignorantia, ut peccatum Pauli dum persequeretur Ecclesiam: *Ignorans feci;* [36] ex malitia, ut peccatum Iudae: *Unus ex vobis diabolus est;* [37] ex fragilitate, ut peccatum Adami: *Mulier . . . dedit mihi . . . et comedi;* [38] ex ignorantia, ut peccatum Evae: *Serpens decepit me;* [39] ex malitia, ut peccatum serpentis. [40] Omnia hodie in Iudaeis reperiuntur: ex impotentia, quia ira perciti Christum blasphemabant, [41] ira autem animi impotentia est; ex ignorantia: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia*

29) Io 8, 52. Vulg.: *Non gustabit mortem,* etc. 30) Ier 1, 11-14. Vulg.: *Super omnes habitatores terrae.* 31) Io 8, 47. 32) Cf. Ex 14, 1 sqq. 33) Cf. 2 Rg 15, 1 sqq. 34) Io 8, 44. Vulg.: *Desideria patris,* etc. 35) Cf. Mt 26, 58 sqq.; Mc 14, 66 sqq.; Lc 22, 54-62; Io 18, 25-27. 36) 1 Tim 1, 13. 37) Io 6, 71. Vulg.: *Ex vobis unus,* etc. 38) Gn 3, 12. 39) Ibid. vr. 13. 40) Cf. ibid. vrr. 1-6. 41) Cf. Io 8, 48-52.

Deus vester est, et non cognovistis eum;[42] *Si... cognovissent, nunquam gloriae Dominum crucifixissent;*[43] ex malitia: *Vos non auditis, quia ex Deo non estis; Vos ex patre diabolo estis.*

II. ALIA HOMILIA

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, etc.[1]

Christus in sacrificio passionis suae victima simul et sacerdos fuit.

I. Incipiunt hodie sacratissimae passionis dominicae mysteria, nam hodie dominicam, quae Passionis dicitur, celebramus. Manifestum est autem quod passio Domini sacrificium fuit in ara crucis oblatum pro salute humani generis, Christo agente sacerdotem, *qui*, ut Paulus ait, *per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.*[2] Quare Christus mirabili quadam ratione simul victima et sacerdos fuit. Non admittebat autem Deus in sacrificio nisi munda animalia, quae et immaculata essent et integra,[3] nec sacerdotem nisi iuxta legis praescriptum, hominem de stirpe Aaron, immaculatum, impollutum, sacris vestibus indutum ornatumque.[4] Haec autem omnia divinam Christi sanctitatem praefigurabant, ipse nanque Agnus est immaculatus, *qui tollit peccata mundi,*[5] sicut sol tenebras, et propterea dicitur *Sol iustitiae.*[6] Sed haec, quaeso, paulo diligentius.

In animali offerendo lex tria requirebat, quae figurabant Christi perfectionem;

II. Animal quod Deo in sacrificium offerebatur, ut Deo placeret necesse erat ut tres conditiones haberet: primo quidem, ut esset animal mundum ex cicuribus, quod ruminaret et ungulas bifidas haberet; secundo, ut immaculatum esset, absque notis diversorum colorum; tertio, tandem, ut esset integrum, nullo morbo infectum, nulla parte laesum, absque ullo defectu, integrum perfectumque. Animalia omnia in Scripturis in munda et immunda

42) Ibid. vrr. 54-55. 43) 1 Cor 2, 8. Vulg.: *Nunquam Dominum gloriae crucifixissent.*

1) Io 8, 46-47. 2) Hebr 9, 14. 3) Cf. Lv 11, 1 sqq.; 27, 9-11; Nm 18, 15; Dt 15, 21; 17, 1. 4) Cf. Ex 28, 1 sqq.; Lv 21, 17 sqq. 5) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 6) Mal 4, 2.

dividuntur, omnes homines in electos et reprobos. Christus futurus erat praedestinatus et electus, imo caput electorum,[7] hinc primogenitis delectabatur Deus;[7a] nec tantum electus, sed ab omni penitus vitii et peccati macula purus, sicut formatus fuit Adam in paradiso, Angeli in coelo; tandem perfectus homo, in nulla parte deficiens, ut nihil ei deesset eorum quae ad humanae naturae perfectionem requiruntur. Sic ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

tria etiam requirebat in sacerdote.

Tria haec etiam in sacerdote requirebat: ut esset de stirpe levitica, ex genere Aaron summi pontificis, hierarchae; ut nullum penitus naturalem defectum haberet toto corpore; tertio, ut accedens ad sacrificium sacris vestibus indutus ornatusque accederet. Elegerat Deus sibi tribum leviticam: maculas vitiorum odit, sanctarum virtutum, quae mentis nostrae habitus sunt, perfectionem requirit. Quando summus sacerdos initiabatur, totus abluendus erat aqua munda et pura, deinde oleo inungebatur et aspergebatur sanguine.[8] Ablutio illa innocentiam Christi praefigurabat, oleum gratiam et plenitudinem Spiritus Sancti, sanguis autem mysterium passionis. Pontifex duplici indumento specialiter induebatur, duplici veste talari: altera quidem byssina, candidissima, altera vero hyacinthina, caerulea, coelestis coloris.[9] Prior illa divinam Christi innocentiam significat, posterior coelestem, superhumanam, angelicam, divinam sanctitatem.

quae significabant Christi innocentiam et sanctitatem;

hinc dicitur Christus *Sanctus Sanctorum*, quia in sanctitate omnes Sanctos excedit.

Hinc a Daniele Christus *Sanctus Sanctorum* est appellatus;[10] hinc apud Isaiam Christo Seraphim trisagium canunt dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius.*[11] Regius Vates praevidens in spiritu divinam Christi sanctitatem ait, cum eo in spiritu eloquens: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.*[12] Oleo Spiritus Sancti uncti sunt omnes Patriarchae, omnes Prophetae, omnes Sancti; sed Christus prae omnibus, ut esset *Sol iustitiae.* Dicit autem duo de Christi sanctitate: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem,* quoniam nihil aliud nisi haec Deus in lege mandavit: *Declina a malo et fac bonum.*[13] In hoc autem

7) Cf. Rom 1, 4; Eph 1, 22 sqq.; Col 1, 18-20. 7a) Cf. Ex 13, 2; 22, 29; Nm 3, 13 8, 17. 8) Cf. Ex 29, 19-21; 30, 18-21. 9) Cf. ibid. 28, 1 sqq.; Lv 8, 1-15. 10) 9, 24. 11) 6, 3. 12) Ps 44, 8. 13) Ps 33, 15. Vulg.: *Diverte a malo,* etc.

Christus Sanctos omnes praecessit, hinc ait sponsa: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, vexillanus prae decem millibus:* [14] dux exercituum Dei constitutus, *candidus* divina innocentia, *rubicundus*, divina praeditus caritate.

Regius Vates *Ps. 25* canit divinam Christi sanctitatem.

Hinc Regius Vates *Psalmo 25* decantat veluti in persona sua Christi divinam sanctitatem: *Iudica me*, defende me, *Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*, ambulavi, esto defensor innocentiae meae, *et in Domino confidens non infirmabor*, non nutabo, certus sum quod de peccato argui non potero. *Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum,* [15] sicut alibi ait: *Et vide si via iniquitatis in me est :* [16] nec Deus quidem de minimo peccato Christum arguere potest, [17] in cuius oculis nec Angeli mundi sunt. *Quoniam*, inquit, *misericordia tua*, pietas et cultus virtutis, quem tu requiris, *ante oculos meos est et complacui, ambulavi in veritate [tua]. Non sedi cum concilio vanitatis et cum impiis non sedebo. Lavabo*, mundas ostendam *manus meas et circumdabo altare tuum, Domine,* quoniam *dilexi* [18] *decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae; ne* ergo *perdas cum peccatoribus... animam meam*, quoniam *ego in innocentia mea ingressus sum... Pes meus stetit in directo :* [19] nunquam, inquit, vel minimum peccatum cogitatione admisi.

sic etiam *Ps. 1.*

Sic etiam *1 Psalmo* veluti depingit Regius Vates absolutissimam imaginem sanctitatis Christi dicens: *Beatus vir*, singularis ille vir, *qui non abiit in consilio impiorum et in via*, etc.: ecce perfecta Christi innocentia; *sed in lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte :* ecce perfecta sanctitas; hinc *erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium eius non defluet ;* [20] erit tanquam oliva: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei ;* [21] sicut palma, nam: *Iustus ut palma florebit*, quae perpetuo viret, *et sicut cedrus Libani* procerrima, quae nunquam putrescit, nunquam folia abicit, odorem semper iucundissimum emittit, in coelum rectissima tendit et procerrime ascendit umbramque gratissimam efficit; [22] sic *multi-*

14) Ct 5, 10. Ex hebraico. 15) Hebraice Ps 26, 1-2. 16) Ps 138, 24. 17) Ms.: *Peccato* iterum ponitur. 18) Ms.: *Dilexisti.* 19) Ps 25 (hebr. 26), 3 sqq. 20) Vrr. 1-3. 21) Ps 51, 10. 22) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 16, cp. 18. 21,

tiplicabitur,[23] crescet: *Omnia quaecunque faciet, prosperabuntur.*[24] Sic utique Christus.

Semper Christus lucens et candidus apparet ob suam sanctitatem,

III. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Apparuit Christus Ezechieli sex Angelis comitatus lineisque indutus nivei coloris,[25] sicut in transfiguratione apparuit inter Moysen et Eliam.[26] Semper Christus candidus apparet, purus et sanctus, nam, ut Paulus ait: *Talis... decebat ut nobis esset pontifex sanctus,* purus, *innocens... segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus,*[27] idest Angelis multo sanctior.

quam depingit etiam Divus Ioannes in *Apocalypsi*

Divus Ioannes in *Apocalypsi* divina quadam arte depingit pontificis nostri divinissimam sanctitatem; ait enim quod apparuit ei Christus indutus podere, talari veste, sacerdotali indumento, tunica byssina qua pontifex vestiebatur. Apparuit autem in medio septem candelabrorum aureorum, per quae septem Ecclesias, idest fideles sanctosque omnes interpretatur; habebatque in dextera sua septem stellas designantes Angelorum multitudinem; quare homines sancti hieroglyphice per septem aurea candelabra, Angeli vero per septem stellas splendidas sunt significati; Christus autem in medio eorum alba indutus, sed Deo similis.[28]

sub figura candoris et lucis.

Apparuit nanque Danieli Deus in humana forma tanquam senex summe venerabilis: *Antiquus dierum sedit; vestimentum eius candidum sicut nix, et capilli capitis eius sicut lana munda.*[29] Sic Ioannes Christum vidit *vestitum podere et praecinctum ad mammillas zona aurea; caput... eius et capilli erant candidi tanquam lana alba et tanquam nix, et oculi eius tanquam flamma ignis, et pedes eius similes aurichalco... de ore eius gladius utraque parte acutus exibat, et facies eius sicut sol in virtute sua lucet.*[30]

Sanctitas Christi divina est,

O mirabilem visionem! Sanctitas designatur per lucem, sicut iniquitas per tenebras: *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.*[31] Sanctitas hominum est sicut splendor candelabrorum aureorum ardentium, sicut Christus de

pag. 172; cp. 40, pag. 179; Aug. Calmet *Dictionarium Historicum S. Scripturae*, sub hac voce.
23) Ps 91, 13. 24) Ps 1, 3. 25) Cf. Ez 10, 2-7. 26) Cf. Mt 17, 3.
27) Hebr 7, 26. 28) Cf. 1, 12 sqq. 29) Dn 7, 9. Vulg.: *Quasi nix... quasi lana munda.* 30) Apc 1, 13-16. Vulg.: *Lucet in virtute sua.* 31) Eph 5, 8.

Ioanne Baptista ait: *Ille erat lucerna ardens et lucens;* [32] sanctitas Angelorum sicut splendor stellarum; sed sanctitas Christi sicut lux solis *in virtute sua*, idest cum maxime splendet. Christi sanctitas similis est, imo aequalis est, eadem est cum sanctitate Dei, qui peccare omnino non potest, nam: *Lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;* [33] *Lucem inhabitat inaccessibilem,* [34] eadem sanctitas est, sicut etiam de Christo Paulus ait: *Qui factus est nobis a Deo sapientia et iustitia et iustificatio et redemptio:* [35] adeo sapiens, adeo iustus, adeo sanctus, ut sit ipsamet sanctitas.

Ideo omnino peccare nequit

Nec peccare potest ut homo. Nam omne peccatum vel malitia, vel ignorantia, vel impotentia committitur. In Christi pectore nulla malitia, nullum malum desiderium, nam praecinctus erat zona aurea ad pectus, divina caritate; nulla vel minima cogitatio mala in Christi mente, nam: *Capilli* eius *sicut lana alba et sicut nix;* in intellectu nulla ignorantia, nam: *Oculi eius sicut flamma ignis*, qui suapte natura lucidus est; nulla in eo infirmitas, nam: *Pedes eius* sunt *similes aurichalco*, sive chalcolibano, ex fornace purissimo atque fortissimo, pedes autem Christi carnem significant: nulla in eo carnis infirmitas; nunquam vel verbo lapsus fuit, nam *de ore eius gladius utraque parte acutus: Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.* [36]

neque etiam quatenus homo

Quis ex vobis arguet me de peccato? Quis in sole reperiet maculas? Esse omnino sine peccato Dei proprium est, propterea sic ait Christus, quoniam vere Deus est: *Antequam Abraham fieret ego sum,* [37] alludens ad illud quod Moysi dixit Deus de medio flammae ignis: *Ego sum qui sum.* [38] Nam Christus tunc Moysi apparuit, hinc nanque Angelus Domini apparuisse dicitur, qui et *Dominus Deus* appellatur, [39] quoniam Christus vere Dei Angelus et Deus est.

quoniam verus Deus est.

Apparuit autem in igne, qui apud Aegyptios puritatis hieroglyphicum erat, [40] nullam enim contrahere impuritatem potest, et metalla quaeque ab omni impuritate purificat; sic Christus *ignis* dicitur: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus*

Ideo designatur hieroglyphice per ignem.

32) Io 5, 35. 33) 1 Io 1, 5. 34) 1 Tim 6, 16. 35) 1 Cor 1, 30. Vulg.: *Sapientia a Deo... et sanctificatio*, etc. 36) Hebr 4, 12. 37) Io 8, 58. 38) Ex 3, 14. 39) Ibid. vr. 16. 40) Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphica*, lib. 46, pag. 495.

testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus eius? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse... sedebit conflans, idest purificans *et emundans argentum, et purgabit filios Levi... sicut aurum et sicut argentum.* [41] Cum igitur ignis sit divinae puritatis hieroglyphicum, quo etiam a Seraph purgata fuerunt labia et mens Isaiae, [42] propterea Deus in Sacris Litteris *ignis* est appellatus, [43] quoniam ipsamet puritas est; similiter et Christus. Deinde vero, quoniam ignis secum, quocunque pergat, ubicunque sit, non solum retinet calorem sicut sol lucens, sed etiam communicat, impartitur; sic Deus sanctitatem. Hinc Moysi dixit terram esse sanctam locum ubi manebat: *Locus... in quo stas, terra sancta est;* [44] hinc divinum templum dicebatur *sanctum;* [45] hinc ait: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* [46]

quia etiam sanctitatem communicat.

Templum figura Christi,

IV. Sed quodnam tabernaculum et templum Dei verum nisi Christus, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis?* [47] Hinc hodie in templo reperitur tanquam figuratum iuxta suam figuram et imaginem, templum enim Christi figura erat, sicut ait: *Solvite templum hoc,* de templo dicens *corporis sui.* [48] Sed *Dominus in templo sancto eius.* [49] Nihil immundum aut impurum inferri poterat in templum, [50] mysterium divinae in Christo sanctitatis.

quia in eo reperitur sanctitas humana, angelica, divina,

Triplex reperitur sanctitas in Divinis Litteris, in tribus forte tabernaculi et templi partibus designata: humana in Ecclesia militante in terris, angelica in coelesti paradiso et Beatorum in Ecclesia triumphante, tandem sanctitas est divina, suprema, maxima, hinc *Sanctus Sanctorum* [51] appellatur Deus. Haec Christi sanctitas est.

omnipotentia, infinita sapientia et plenitudo gratiae;

Amplius, in Sacris Litteris Deus semper reperitur summus iniquitatis osor summusque sanctitatis et virtutis amator, hinc peccare nullo modo potest; Christus autem Deus est, et quatenus homo nequaquam peccare potest sicut Adam in paradiso, quoniam Christo homini communicata fuit divina omnipotentia: *Data est mihi omnis potestas;* [53] divina omniscientia: *In quo sunt omnes thesauri sapien-*

41) Mal 3, 1-3. Vulg.: *Quasi aurum et quasi argentum.* 42) Cf. Is 6, 5-6. 43) Cf. Ex 24, 17; Dt 4, 24; Hebr 12, 29. 44) Ex 3, 5. 45) Cf. ibid. 26, 34; 39, 1; Lv 19, 8 Ps 19, 3; 59, 8. 46) Ps 45, 5. 47) Col 2, 9. 48) Io 2, 19-21. 49) Ps 10, 5. Vulg.: *Sancto suo.* 50) Cf. Lv 12, 4; 15, 31; 22, 9. 51) Dn 9, 24. 52) Cf. Gn 3, 6. 53) Mt 28, 18.

tiae et scientiae[54] Dei; communicata omnis gratiae plenitudo: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me;*[55] *Requiescet super eum Spiritus Domini;*[56] *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius omnes nos accepimus... gratiam pro gratia, quia... gratia et veritas per Iesum Christum facta est:*[57] ipse fons gratiae.

non poterat ergo peccare, per impotentiam, vel ignorantiam aut malitiam;

Quoniam igitur Christus spiritum habuit fortitudinis, non potuit peccare per impotentiam: ostendit hodie divinam potentiam suam dum oculis Iudaeorum volentium lapidare eum, reddidit se invisibilem, hoc enim est: *Abscondit se et exivit de templo,*[58] sicut Ezechiel vidit gloriam Dei egredientem de templo illudque relinquentem.[59] Quoniam spiritum habuit sapientiae, intellectus et scientiae, non potuit peccare per ignorantiam, hinc ait hodie: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est et non cognovistis eum; ego autem novi eum, et si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax; sed scio eum;*[60] imo alibi ait: *Nemo novit Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.*[61] Non per malitiam, quoniam ait: *Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum... non quaero gloriam meam;*[62] spiritum habuit pietatis et timoris Domini, hanc ob causam apud Ezechielem Christus homo est habens non tantum faciem hominis, sed etiam faciem leonis, faciem vituli et faciem aquilae,[63] ad designandam Christi fortitudinem vere leoninam, mentis perspicaciam aquilinam et sanctitatem ac puritatem animae vitulinam, quoniam tanquam agnus erat purissimus et innocentissimus: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*[64]

ideo appellatur *germen iustum.*

Hanc ob causam apud Ieremiam Christus dicitur *germen iustum: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum... et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra;*[65] et alibi: *Germinare faciam David germen iustitiae et faciet iudicium et iustitiam in terra.*[66] Regius Vates etiam: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium eius non defluet, et omnia quaecunque faciet*

54) Col 2, 3. 55) Is 61, 1; Lc 4, 18. 56) Is 11, 2. 57) Io 1, 14-16. Vulg.: *Nos omnes accepimus.* 58) Ibid. 8, 59. 59) Cf. Ez 10, 18. 60) Io 8, 54-55. Vulg.: *Non scio eum,* etc. 61) Mt 11, 27. Vulg.: *Neque Patrem quis novit,* etc. 62) Io 8, 49-50. 63) Cf. 1, 10. 64) Io 1, 29. 65) 23, 5. 66) Ibid. 33, 15.

prosperabuntur, [67] ad designandum quod Christus arbor bona est, sicut ipse ait: *Arbor bona fructus bonos facit* et *non potest arbor bona malos fructus facere.* [68]

quia semper sanctus fuit corde, ore et opere.

Sic non potuit peccare Christus. Sanctus fuit Christus corde, ore, manibus; corde, nam ait: *Non quaero gloriam meam,* sed eius qui misit me, [69] non fuit cor Christi φιλαυτία [70] infectum: *Sensus . . . et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt* omni tempore; [71] sanctus ore: *Veritatem dico vobis,* imo: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum;* [72] sanctus operibus: *Honorifico,* inquit, *Patrem meum;* [73] *Scio eum et sermonem eius servo;* [74] *Quae placita sunt ei facio semper.* [75]

Ostenditur hodie sanctitas Christi excedens sanctitatem Sanctorum omnium.

V. Ostenditur in hodierno Evangelio Dominus maior Abrahamo et Prophetis: *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et Prophetae mortui sunt.* [76] Sed *Abraham pater vester,* inquit, *exultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est.* [77] Sanctitas Christi maior est sanctitate Sanctorum omnium, etiam Angelorum, sicut lux solis et calor ignis, quoniam aequalis est sanctitati Dei; hinc ait: *Antequam Abraham fieret ego sum,* ostendens divinitatem suam. Hoc dixit Christus manifestans se Deum aeternum esse, illum utique Deum cui Seraphim trisagium canunt apud Isaiam dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* [78] Deus ter sanctus est, quoniam suapte natura est ipsa sanctitas.

Voluit Deus Christum plenum sanctitatis creatae et increatae,

Voluit autem Deus Christum esse spiritu, vita et moribus immaculatissimum, sicut Absalom pulcherrimus, absque ulla penitus macula toto corpore erat. [79] Nec tantum omni plenitudine gratiae et creatae sanctitatis hominem plenum esse voluit, verum etiam omni plenitudine sanctitatis increatae; non sine causa. Nihil enim Deus frustra agit. [80] Posuit in humano corpore cor tanquam fucinam caloris, utique ut membris omnibus vitalem communicaret calorem; posuit in

67) Ps 1, 1-3. 68) Mt 7, 17-18. 69) Cf. Io 7, 18. 70) Ms.: *Philautia.* 71) Gn 6, 5; 8, 21. Vulg.: *In malum,* etc. 72) Io 8, 51. Vulg.: *Mortem non videbit in aeternum.* 73) Ibid. vr. 49. 74) Ibid. vr. 55. 75) Ibid. vr. 29. 76) Ibid. vr. 53. 77) Ibid. vr. 56. 78) 6, 3. 79) Cf. 2 Rg 14, 25. 80) Axioma ex Aristot. *De Republica,* lib. 1, cp. 2, t. 2, pag. 178.

coelo solem thesaurum lucis perpetuae, utique ut totum illuminaret mundum. Hanc ob causam Christum tanta sanctitate et gratia replevit. Hinc appellatus est *Sol iustitiae;* [81] hinc Ioannes ait: *Verbum caro factum est ... plenum gratiae et veritatis ... et de plenitudine eius nos omnes accepimus ... gratiam pro gratia, quia ... gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Ad hoc venit Christus in mundum, ad sanctificandos homines, sicut Angelus Danieli dixit: *Ut consummetur iniquitas et finem accipiat peccatum ... et adducatur iustitia sempiterna ;* [82] et Angelus Ioseph: *Ipse ... salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* [83] Ad hoc instituit Sacramenta in Ecclesia, ad hoc praedicavit Evangelium, ad hoc vitam duxit virtutibus exemplaribus ornatissimam, ad hoc passus tandem est.

ut totum mundum illuminaret.

Nam ad sanctificandum hominem tria requiruntur: potestas, meritum et virtutis exemplum. In Christo potestas est, quia Deus omnipotens est; meritum et exemplum, quia homo divina sanctitate praeditus. Hinc apud Isaiam legimus: *Vocabitur nomen eius consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri saeculi, princeps pacis;* [84] *Deus, fortis* potestate, *pater futuri saeculi* merito, *princeps pacis* exemplo, nam dux praecedit milites. Hinc etiam: *Dominus legifer noster, Dominus ... iudex noster ... rex noster, ipse salvabit nos :* [85] *rex noster* potestate, *iudex noster* ut summus sacerdos et pontifex, qui populum a peccatis expiabat; *legifer noster*, cuius vita lex est cunctis fidelibus. Positus fuit Christus a Deo in mundo tanquam exemplar infallibile omnium virtutum: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* [86] Exempla principum virorum vel maxime movent homines; sic venit Christus ut sua doctrina et exemplo nos omnes ad sanctitatem ex animo colendam permoveret.

Ad sanctificandum tria requiruntur: potestas, meritum et exemplum,

quae in Christo omnino inveniuntur.

Sed tamen adhuc dicit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Nam: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Nihilominus adhuc *mundus totus in maligno positus est.* [87] En in hodierno Evangelio peccata cordis, oris et operis. Peccata cordis: *Quare non creditis mihi?* malae voluntatis: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis ;* [88] *Vos ex patre diabolo estis et desideria*

Et tamen Iudaei corde, verbis et operibus eum persequebantur,

81) Mal 4, 2. 82) Dn 9, 24. Vulg.: *Ut consummetur praevaricatio*, etc. 83) Mt 1, 21. 84) 9, 6. 85) Ibid. 33, 22. Vulg.: *Dominus... iudex noster, Dominus legifer noster*, etc. 86) Ex 25, 40. 87) 1 Io 5, 19. 88) Io 8, 46-47.

patris vestri vultis facere; [89] ignorantiae: *Quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum.* [90] Peccata oris, basphemiae: *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et daemonium habes?* [91] peccata operis: *Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum.* [92] *Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam!... A planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.* [93]

Imo inique lapidare volebant.

Videmus hodie in Christo divinam sanctitatem: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* solus enim Deus natura est sine peccato: *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;* in Iudaeis autem satanicam iniquitatem. Principem iniuria aliqua afficere crimen est laesae maiestatis; eum autem in domo sua magnis probris afficere et occidere verberibus aut lapidibus velle, summum crimen. Christus princeps paradisi, verus Deus, in domo sua erat, in templo Patris sui: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis;* in sua igitur ipsius domo eum volunt lapidibus perdere: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* [94] Assuerus rex videns Aman supra lectum reginae Esther, suspicatus quod ad laedendam reginam ibi se posuisset ille, ait: *Adhuc me praesente, in domo mea vult opprimere eam?* [95] Ferre non potuit vel suspicionem talis iniuriae. Nos autem, fratres, Deum in domo ipsius offendimus!

Mysteria hodierni Evangelii ostensa fuerunt Ieremiae et Ezechieli.

VI. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Proponit nobis hodie Sancta Ecclesia Ieremiam prophetam a Deo in matris utero sanctificatum, [96] tanquam singularem figuram Christi. Sed et in Evangelio videre mihi videor mysteria quae primo ostensa sunt Ieremiae, cum a Deo institutus propheta fuit missusque ad praedicandum. Vidit enim, ostendente Deo, prius quidem *virgam vigilantem,* hieroglyphicum divinae iustitiae ac rectitudinis, postea vero *ollam ferventem,* ardentem, succensam nimis, quae venire videbatur ab aquilone, quae exercitum designabat regis Babylonis; ait autem: *Ab aquilone pandetur omne malum.* [97] Olla igitur designat synagogam satanae.

89) Ibid. vr. 44. 90) Ibid. vrr. 54-55. 91) Ibid. vr. 48. 92) Ibid. vr. 59. 93) Is 1, 4-6. 94) Ier 11, 15. 95) Est 7, 8. Vulg.: *Etiam reginam vult opprimere, me praesente, in domo mea.* 96) Cf. Breviarium Rom. lectiones primi noct. huius Dominicae. 97) Ier 1, 11-14.

Mysteria etiam quae Ezechieli divinitus ostensa fuere. Vidit enim nubem magnam, aquilonari vento agitatam, quae ex omni parte ignem vomebat, sed infra eam nubem vidit gloriam Dei Christumque, qui totus divino quodam splendore luceque fulgebat. [98] Nubes autem a vento agitata hieroglyphicum est peccatorum, de quibus P e t r u s : *Hi sunt,* inquit, *fontes sine aqua . . . nebulae turbinibus exagitatae ;* [99] et I u d a s a p o s t o l u s: *Hi sunt . . . nubes sine aqua quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae.* [100]

Sic videmus Christum hodie in medio huius nubis exagitatae a vento aquilonari, in medio synagogae Iudaeorum, quae agitata a spiritu satanico igneas flammas evomit irarum hodie in Christum; irati nanque Iudaei contra Salvatorem, prius quidem in blasphemias prorumpunt: *Samaritanus es tu et daemonium habes ;* postea vero maiori ira et furore satanico accensi, ad lapides mittunt manus: *Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum.* Video lucem et tenebras primi diei: *Vidit . . . lucem quod esset bona ;* [101] *Eratis . . . aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino; Ego sum lux mundi; Lux in tenebris lucet,* [102] sicut sol in Aegypto. [103] Videndum nobis est cuinam similes sumus: Christo sanctissimo, an Iudaeis pessimis. A fructibus cognoscetis arborem. [103a]

nam contra Christum hodie synagoga insurgit a spiritu satanico exagitata.

VII. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est,* etc. Mandavit, inquit, Deus vobis in Lege ut veros Prophetas audiretis eisque integram fidem adhiberetis, modo in propheta reperiretur vitae sanctitas et veritas doctrinae. Sic enim Lex ait: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui et ponam verba mea in ore eius ; loquetur . . . ad eos omnia quae praecepero illi. Qui autem verba . . . quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* [104] Cum igitur, inquit, sic Deus praeceperit, *cur non creditis mihi?*

Signa veri prophetae sunt vita sancta et doctrina vera.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis? Magnum quaesitum est, cui responderi non potest; nec priori quidem quaesito respondere potuerunt Iudaei: *Quis ex vobis arguet*

98) Cf. Ez 1, 4 sqq. 99) 2 Petr 2, 17. 100) Vr. 12. 101) Gn 1, 4.
102) Io 1, 5. 103) Cf. Ex 10, 22-23. 103a) Cf. Mt 7, 16; 12, 33. 104) Dt 18, 18-19.

Magnum quaesitum proponit Christus, cui non potuerunt respondere Iudaei,

me de peccato? Per M i c h a e a m Deus similiter loqui videtur: *Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui? Responde mihi.*[105] Per I e r e m i a m etiam: *Quid iniquitatis invenerunt in me patres vestri, quia elongaverunt se a me?*[106] Sic Christus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Cui unquam malum feci? cui nocui unquam? cui damnum vel molestiam attuli?

sicut respondere nequeunt omnes qui in Christum peccant.

Sic dicam, homo: quid mali unquam egit tibi Deus? Cur ergo in Deum peccas? cur Deum offendis? cur Iudaeorum hodie socius esse vis blasphemantium et lapidantium Christum? Peto, homo: si praesens fuisses hodie cum Christo, num tu quoque cum Iudaeis lapides tulisses ut in Christum iaceres? An non Christum defendere voluisses, sicut Petrus fecit in horto,[107] sicut agit bonus miles cum suo duce, bonus servus cum suo domino, bonus subditus cum suo principe, bonus filius cum suo patre? Quis filius patrem non defendit cum ab inimicis impetitur? Cur ergo nunc Christum lapideo corde offendis?

Christus hodie mundum dividit in filios Dei et filios satanae.

VIII. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Duas in partes Christus hodie mundum universum secatum ostendit, sicut etiam in die iudicii apparebit:[108] omne hominum genus dividit in filios Dei et in filios satanae. Filii Dei sunt omnes Christo similes, qui vitam ducunt sine peccato: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Filii satanae sunt peccatores, Iudaeis hisce hodierni Evangelii similes, increduli, inobedientes, blasphemi, mendaces: *Ero similis vobis mendax.* Qui Christo similes sunt, in eo maxime dignoscuntur si peccatum et vitium mentis super omnia abominantur, nam ex omnibus mundi malis Christus peccatum et ignorantiam repulit: *Dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum; ego autem novi eum, et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax; sed scio eum et mandata eius servo.* Ignorantiam Dei et vitium mentis super omnia Christus odit; imo, ut in mundo destrueret mala mundi, alia suscepit: paupertatem, ignominiam, poenas, mortem crucis. Hi igitur vere sunt Christo similes qui vitia et peccata super omnia mala abominantur et fugiunt.

105) 6, 3. 106) 2, 5. Vulg.: *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis*, etc.
107) Cf. Mt 26, 51; Io 18, 10. 108) Cf. Mt 25, 31-33.

III. ALIA HOMILIA

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, etc. [1]

I. Ostenditur nobis divina Christi innocentia sanctitasque. Sicut enim Deus ab initio [hominem] innocentem creavit, [2] ita et Christum; sed primum hominem creavit sicut lunam, Christum sicut solem: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiae.* [3] Christi sanctitas praedicata est a Deo, ab Angelis, a Prophetis et Apostolis et ab ipsomet Christo. A Deo in Iordane [4] et in monte Thabor: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* [5] ab Angelis, nam Gabriel ad Mariam ait: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei;* [6] Seraphim apud Isaiam clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum,* [7] Deum in humana specie collaudantes. Ter sanctus dicitur Christus, quoniam triplex reperitur sanctitas: hominum in Ecclesia, Angelorum in paradiso, et Dei, qui Sanctus Sanctorum est, sol sanctitatis. Christus sanctus ut homo, sanctus ut Angelus, sanctus ut Deus: *Antequam Abraham fieret ego sum,* [8] sicut dixit cum in flamma ignis Moysi apparuit, [9] ignis autem hieroglyphicum est puritatis.

Ostenditur hodie Christi sanctitas, quae praedicata fuit a Deo,

ab Angelis,

Praedicatur a Prophetis. Regius Vates de Christo ait: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis. Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis.* [10] Coniungit Christi sanctitatem cum divinitate, quoniam sanctitas Christi sanctitas Dei est: *Unxit te Deus* unctione Spiritus Sancti *prae consortibus tuis.* Consortes Christi sunt omnes electi Dei tum homines tum Angeli; Christus sanctior hominibus et Angelis; hinc divinum spirabat sanctitatis odorem: *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis,*

a Prophetis.

1) Io 8, 46-47. 2) Cf. Gn 2, 25; Eccle 7, 30. 3) Mal 4, 2. Vulg.: *Orietur vobis timentibus,* etc. 4) Cf. Mt 3, 17. 5) Ibid. 17, 5; Lc 9, 35; 2 Petr 1, 17. 6) Lc 1, 35. Vulg.: *Quod nascetur ex te,* etc. 7) 6, 3. 8) Io 8, 58. 9) Cf. Ex 3, 2-14. 10) Ps 44, 7-9. Vulg.: *Sedes tua, Deus,* etc.

ubi designat divinas Christi virtutes elegantissima metaphora sumpta a pretiosis et odoratis vestibus, quae servantur intra arcas eburneas regias, summa arte elaboratas, in regio thesauro ac repositorio. I s a i a s Christi sanctitatem praedicavit dum dixit: *Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus.* [11]

Christus omnino impeccabilis erat.

Si homo peccat vel peccare potest, triplici ex causa id evenire potest: vel ex carnis fragilitate, vel ex ignorantia, vel ex malitia. Christus non potuit peccare ex malitia, nam in eo erat *spiritus timoris Domini;* non ex ignorantia, quia erat in eo *spiritus sapientiae et intellectus;* non ex impotentia, quia in eo spiritus *fortitudinis.* [12] D a n i e l Christum appellat *Sanctum Sanctorum;* [13] I e r e m i a s Christum appellat *germen iustitiae: Suscitabo David germen iustum;* [14] *Germinare faciam David germen iustitiae;* [15] Z a c h a r i a s : *Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator.* [16]

Sanctitas Christi praedicata fuit etiam ab Apostolis,

Praedicata ab Apostolis et Evangelistis. Ioannes Christum indicans aiebat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* [17] P e t r u s Christum dixit *Agnum immaculatum: Redempti estis ... pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi;* [18] P a u l u s ait quod Christus *factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio.* [19] In *Apocalypsi* legimus quod quattuor animalia ante thronum Dei et Christi semper dicunt: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens.* [20]

et ab ipsomet Christo

Christus tandem de seipso ait: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum,* [21] et hodie: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sic et Samuel dixit universo populo, ut coram Domino et coram rege Saul electo dicerent si quid haberent contra eum, s y n d a c a t u m [21*] non recusabat; [22] sic David dixit Ionathae: *Quae est iniquitas mea et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quaerit animam meam?* [23] Deus ipse sic aliquando locutus est apud I e r e m i a m : *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me et ambulaverunt post vanitatem et vani facti sunt?* [24] et per M i c h a e a m : *Popule*

11) 11, 1-2. 12) Ibid. vrr. 2-3. 13) Cf. 9, 24. 14) 23, 5. 15) Ibid. 33, 15. 16) 9, 9. 17) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae. 18) 1 Petr 1, 18-19. 19) 1 Cor 1, 30. 20) 4, 8. 21) Io 10, 36. 21*) De hac voce cf. Du Cange *Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis.* 22) Cf. 1 Rg 12, 1-5. 23) Ibid. 20, 1. 24) 2, 5.

meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? [25] Sic Christus hodie: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

II. Peccatum committi potest corde, ore vel opere, sicut patet in Iudaeis hodie, nam corde et animo quaerebant Christum interficere, ore blasphemabant: *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et daemonium habes?* [26] operibus lapidabant: *Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum.* [27] Christus nec opere, nec ore, nec corde unquam peccavit: *Peccatum non fecit neque inventus est dolus in lingua, in ore eius.* [28] Regius Vates: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis:* [29] ecce os Christi plenum gratia, sine peccato; *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem:* [30] ecce cor Christi totum sanctum; *Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam et deducet te mirabiliter dextera tua:* [31] ecce manus Christi sanctissimae. *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus,* [32] ait Moyses; Christus autem verus Deus est: *Antequam Abraham fieret ego sum.*

Peccatum committi potest corde, ore, opere;

nullo ex his modis Christus peccare poterat,

Sponsa in *Canticis* vivo modo veluti depingit nobis divinam Christi sanctitatem dicens: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, vexillans in decem millibus.* [34] Consistit sanctitas in candore innocentiae et in ardore divinae caritatis; in his Christus Sanctos omnes excedit. Tunc per partes describit sanctitatem Christi, quod non potuit peccare Christus per ignorantiam, quia *caput eius aurum optimum;* [35] non per malitiam, quia *oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum quae lacte sunt lotae;* [36] non per fragilitatem, quia *crura illius columnae marmoreae, fundatae . . . super bases aureas* [37] – de forti homine dicimus quod bonas columnas habet desubtus; – non peccavit corde, quia *venter eius*, idest pectus, *eburneus, distinctus sapphiris,* [38] animus candidissimus, virtutibus ornatissimus; non ore, quia *labia eius lilia distillantia myrrham primam;* [39] *Si veritatem dico vobis;* non tandem opere, quia *manus illius tornatiles aureae, plenae hyacinthis,* [40] opera eius perfecta, pretiosissima, ornatissima

quia undequaque perfectissima est eius sanctitas.

25) 6, 3. 26) Io 8, 48. 27) Ibid. vr. 59. 28) Is 53, 9; 1 Petr 2, 22.
29) Ps 44, 3. 30) Ibid. vr. 8. 31) Ibid. vr. 5. 32) Dt 32, 4. 33) Io 8, 58.
34) 5, 10. Ex hebraico. 35) Ibid. vr. 11. 36) Ibid. vr. 12. 37) Ibid. vr. 15.
38) Ibid. vr. 14. 39) Ibid. vr. 13. 40) Ibid. vr.14.

sanctis virtutibus. Sic perfectissima undequaque est Christi sanctitas praefigurata in solari luce, in integritate sacerdotis, [41] in paschali agno sine macula, [42] in pulcritudine Absalomi, [43] in arca ipsa testamenti, [44] in qua tabulae legis, [45] virga Dei [46] et urna mannae asservabantur. [47]

Tali sanctitate Deus voluit Christum repletum.

III. Sed quam ob causam voluit Deus Christum tali tantaque sanctitate replere atque ornare? Deus natura sanctissimus, sanctitate summopere delectatur. Hinc habitabat in sancto sanctorum in medio cherubim, habitat in coelo in medio sanctorum Angelorum, et fidelibus suis ait: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.* [48] Deinde, quia misit Christum ad sanctificandum mundum, sicut creavit solem ad illuminandum mundum: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [49] Hanc ob causam dictus est Christus *lux mundi,* [50] quia venit ad pellendas tenebras vitiorum et peccatorum omnium, nam vitia tenebrae sunt: *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* [51] Sanctus graece ἅγιος [52] dicitur, s i n e t e r r a, nam si terra non esset, nulla esset in mundo obscuritas, nulla nox, semper dies perpetuus, aeterna claritas; terra est mater noctis, nidus, imo origo et fons tenebrarum omnisque obscuritatis; et elementa quo magis elevantur a terra eo sunt puriora et clariora, nam sordes omnes a terra sunt.

ut posset mundum illuminare et sanctificare;

Hanc ob causam Christus dictus est *homo coelestis,* [53] in quo nihil terrenum; φιλαυτία [54] in nobis terra est, amor proprius, amor vanitatis, nam creatura omnis vana est, vanitas est, nihil est, quoniam ex nihilo facta est; Christus autem ait hodie: *Ego... non quaero gloriam meam,* non quaero quae mea sunt, *sed honorifico Patrem meum,* [55] quaero gloriam Dei.

hinc dicitur et fuit homo vere coelestis.

41) Cf. Lv 21, 1 sqq. 42) Cf. Ex 12, 5. 43) Cf. 2 Rg 14, 25-26.
44) Cf. Ex 25, 10-12. 45) Cf. ibid. 16, 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4.
46) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 47) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 48) Lv 11, 44-45; 20, 7. 26; 1 Petr 1, 16. 49) Io 1, 14-17. 50) Ibid. 1, 9; 3, 19; 8, 12; 9, 5; 12, 46.
51) Eph 5, 8. 52) Ms.: *Aghios.* 53) Cf. 1 Cor 15, 47-49. 54) Ms.: *Philautia.*
55) Io 8, 49-50. Ordine inverso affert hos vrr.

FERIA SECUNDA POST DOMINICAM PASSIONIS

Miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent Iesum. Iesus autem dixit eis : Adhuc modicum tempus vobiscum, etc. [1]

I. Sicut Moyses et Aaron peccaverunt Deo percutientes petram in deserto virga virtutis Dei, petra tamen, licet male percussa, viscera sua aperuit et sitienti populo magno miraculo aquarum coelestium rivos et flumina dedit, magnum plane et inaestimabilem thesaurum,[2] sicut M o y s e s ait: *Domine Deus, aperi* populo huic *thesaurum tuum, fontem aquae vivae,*[3] sic hodie accidit. En petra: Christus in mundi deserto, nondum pervenimus in terram promissionis; en Moyses et Aaron capita populi: principes et Pharisaei; en virga Dei tradita eorum manibus: principatus, potestas; hac virga petram percutiunt, dum ministros hodie mittunt ad comprehendendum eum, tanquam facinorosum hominem, carcere, vinculis et morte reum. Dominus tamen tali tantaque iniuria lacessitus, « immemor iniuriae, memor clementiae, »[3a] aperit viscera pietatis suae dicens: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.*[4]

Sicut petra a Moyse percussa aquas dedit, sic Christus a Pharisaeis aggressus viscera pietatis suae aperuit.

Peccaverunt Moyses et Aaron percutientes petram illam peccato infidelitatis: *Quia,* inquit, *non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram multitudine;*[5] non crediderunt quod petra illa dare posset aquas, vel si crediderunt, quoniam dixerat: *Loquimini ad petram . . . et illa dabit aquas,*[6] non fuerunt stabiles in ea fide; ubi ad petram devenerunt eamque oculis conspexerunt, dubitavere: *Num de petra hac . . . poterimus aquas educere ?*[7] Forte non agnoverunt Deum ibi prae-

Peccaverunt infidelitate Moyses et Aaron petram illam percutientes;

1) Pericope huius diei Io 7, 32-39. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Dixit ergo eis Iesus,* etc.
2) Cf. Nm 20, 9-11. 3) Ibid. vr. 6. 3a) S. Ambrosius *Expositio Evang. sec. Lucam,* lib. 4, (P. L. 15, 1629). 4) Io 7, 37. 5) Nm 20, 12. Vulg.: *Coram filiis Israel.*
6) Ibid. vr. 8. 7) Ibid. vr. 10. Vulg.: *Aquam poterimus eicere ?*

sentem ad educendas largiendasque aquas, sicut dixerat eis Dominus: *En ego stabo ibi . . . supra petram.* [8] Sic hodie peccaverunt principes et Pharisaei non credentes in Christum. Fuerunt Iudaei similes Moysi et Aaron hac in parte: cum non vidissent ibi petram, sed longe ab ea essent, crediderunt Deo dicenti: *Loquimini ad petram coram omni multitudine et illa dabit aquas ;* nam si non credidissent, non congregassent populum, non accepissent virgam, non abiissent ad locum ubi erat petra; sed cum oculis eam viderunt, non crediderunt, dubitaverunt; sic peccaverunt in Deum indignosque reddiderunt se ingressu terrae promissionis, [9] promissa felicitate privati fuerunt. Sic, inquam, Iudaei crediderunt in Christum venturum, non autem in praesentem, similes Isaac patri ipsorum, qui praesentem Iacob non agnovit tangens eum, cum prius a longe ad vocem agnovisset; [10] non fefellit eum auditus, sed tactus.

sic peccaverunt Pharisaei in Christum non credentes,

Videntes petram Moyses et Aaron, aridam rupem, non crediderunt quod dare posset aquas tantae multitudini; sic videntes Iudaei Christum pauperem et humilem, non crediderunt quod praestare posset, quam expectabant et ardentissime sitiebant felicitatem, non agnoscentes latentem divinitatem, quod Deus erat supra petram, licet non videretur.

quia pauperem et humilem eum videbant.

II. Appellatur petra illa hebraice צוּר, [11] quo nomine saepe Deus in Sacris Litteris appellatur: *Dei perfecta sunt opera et omnes viae eius iudicia:* הַצּוּר [12]; *Recessit a Deo salutari suo:* צוּר יְשֻׁעָתוֹ; [13] *Deum qui te genuit dereliquisti:* צוּר יְלָדְךָ. [14] David eum saepissime sic appellat, [15] forte ab illa petra ex qua fluxerunt aquae, quoniam sicut illa magnum intra se continebat viventium aquarum thesaurum, licet arida siccaque videretur, sic Deus thesaurus est omnium bonorum. Sic videmus hodie petram hanc. Christus homo pauper videbatur et humilis, cum tamen verus esset Deus infinitae potentiae et maiestatis,

Saepe Deus *petra* appellatur in S. Litteris, quia est thesaurus omnium bonorum;

8) Ex 17, 6. 9) Cf. Nm 20, 12. 10) Cf. Gn 27, 22-23. 11) Ms.: *Zur.* Sic vocatur Ex 16, 6. In Nm 20, 8-11, petra haec vocatur hebraice: סֶלַע 12) Dt 32, 4. Ms.: *Hazur.* 13) Ibid. vr. 15. Ms.: *Zur iesuhatho.* 14) Ibid. vr. 18. Ms.: *Zur ieladcha.* 15) Ps 17 (hebr. 18), 3. 47; 30 (hebr. 31), 3; 72 (hebr. 73), 26; 77 (hebr. 78), 35; 88 (hebr. 89), 27; 93 (hebr. 94), 22.

thesaurus infinitus omnium bonorum Dei. Ubi in *Psalmo* legimus: *Sicut laetantium omnium habitatio est in te*, hebraice est: *Omnes fontes mei in te.*[16] Agitur autem ibi de Christi nativitate: *Homo natus est in ea, qui fundavit eam Altissimus, Dominus narrabit;*[17] *Hic natus est ibi, principes sicut choros ducentes erunt; omnes fontes mei in te:* cum nascetur, inquit, Christus, laetabuntur Angeli, quoniam in Christo sunt fontes omnium bonorum.

talis et hodie Christus ostenditur.

Hinc natum Christum Angelus de coelo pastoribus nuntians, *Salvatorem* simpliciter, idest omnis felicitatis largitorem, appellavit, statimque omnes Angeli laetantes ac veluti choros ducentes Deumque laudantes cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis,*[18] sive, ut graece est, εὐδοκίας,[19] *bona voluntas*, quasi natus Christus fons esset gloriae in coelo, pacis in terra, bonae voluntatis, virtutis et gratiae in hominibus, in Ecclesia Sancta Dei: *Omnes fontes mei in te.* Hinc ait hodie: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.*[20] Non unicum fontem appellat, sed *fontes*, sicut etiam in Isaia ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris;*[21] et Regius Vates ait quod Deus *convertit . . . rupem in fontes aquarum.*[22]

ideo dicitur simpliciter *Salvator*, idest omnis felicitatis largitor.

Quattuor singulares fontes legimus in Scripturis: fontem paradisi: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum;*[23] fontem in deserto: *Percussit petram et fluxerunt aquae;*[24] fontem in templo Ezechielis: *Ecce aquae egrediebantur subter limen domus ad orientem,*[25] fluvius enim egrediebatur ex hoc fonte qui, ut Vates ait, transvadari non poterat;[26] et tandem fontem in coelesti Ierusalem: *Ostendit mihi fluvium aquae vitae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.*[27] Non sine mysterio, nam Deus, qui *fons aquarum viventium* dicitur,[28] origo est, primo quidem, aeternorum bonorum in generatione Filii et productione Spiritus Sancti ab aeterno, *ante tempora saecularia;*[29] secundo vero, naturalium bonorum quae coeperunt esse ex tempore in mundi creatione, quando naturas condidit rerum omnium, coelestium et terrestrium, visibilium et invisibilium; tertio, bonorum spiritualium in Ecclesia per

Deus fons est omnium bonorum.

16) Ps 86 (hebr. 87), 7. 17) Ibid. vrr. 5-6. Vulg.: *Et ipse fundavit.* 18) Lc 2, 14. 19) Ms.: *Eudochia.* 20) Io 7, 37. 21) 12, 3. 22) Ps 113, 8. 23) Gn 2, 10. 24) Ps 77, 20. 25) 47, 1. 26) Cf. ibid. vr. 5. 27) Apc 22, 1. 28) Cf. Is 12, 3; 49, 10; Ier 2, 13; 17, 13; Apc 21, 6. 29) 2 Tim 1, 9.

infusionem Spiritus Sancti et gratiam iustificantem et sanctificantem per virtutem Sacramentorum; et tandem quarto, bonorum coelestium in aeterna felicitate et beatissima gloria, in supercoelesti paradiso: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum... vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* [30]

Christus etiam fons est bonorum aeternorum, quia principium Spiritus S.,

Christus fons est omnium bonorum aeternorum, quoniam fons est et principium Spiritus Sancti, sicut hodie ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat; Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum;* [31] quemadmodum etiam samaritanae dixit: *Qui... biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* [32] Fons bonorum naturalium, quia: *Omnia per ipsum facta sunt;* [33] *In ipso*, idest per ipsum, *condita sunt universa;* [34] fons bonorum spiritualium, quoniam: *De plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* [35] hinc *Sol iustitiae* [36] appellatur. Et tandem fons gloriae: *Gratiam et gloriam dabit Dominus,* [37] sicut in gloriosa transfiguratione ostendit, quando *resplenduit facies eius sicut sol;* [38] *Ego sum resurrectio et vita;* [39] *Vitam aeternam do eis.* [40] Sic *omnes fontes mei in te;* thesaurus est omnium bonorum Dei.

necnon bonorum naturalium, spiritualium et coelestium.

Saepe Christus *fons* est appellatus.

III. Saepe Deus in Scripturis Sacris appellatus est *fons: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; Me dereliquerunt fontem aquae vivae;* [41] *Dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* [42] Similiter et Christus; de eo nanque ait I o e l : *Fons de domo Domini egredietur et irrigabit vallem shittim,* [43] quae sunt imputribiles arbores; [44] de eo Z a c h a r i a s : *Erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem.* [45] In libro

30) Ps 41, 1-3. Vulg.: *Ante faciem Dei?* 31) Io 7, 38-39. 32) Ibid. 4, 13-14. 33) Ibid. 1, 3. 34) Col 1, 16. 35) Io 1, 16-17. 36) Mal 4, 2. 37) Ps 83, 12. 38) Mt 17, 2. 39) Io 11, 25. 40) Ibid. 10, 28. 41) Ier 13, 2. 42) Ibid. 17, 13. 43) 3, 18. Ex hebraico. 44) Ex loco Settim, prope lacum Asphaltidis, ubi, uti vertunt Septuaginta, Ex 25, 5, ligna imputribilia crescunt, ex quibus facta fuit arca testamenti et etiam tabernaculum. Cf. S. Hieronymus *Comment. in Ioel*, h. l., (P. L. 25, 986). 45) 13, 1.

Iosue tres legimus fontes: *fontem solis, fontem Rogel* et *fontem Nephtoa,*[46] et alium legimus fontem qui appellatur *Taphuae.*[47] Omnes hi quattuor fontes erant in terra promissionis, forte ad designanda quattuor genera bonorum quae diximus: fons solis primum genus, fons Rogel, quod est p e s sive e x p l o r a t i o, fons Nephtoa a p e r t u m, e v i d e n s, et fons Taphuae, quod est m a l u s, p o m u m: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.*[48] Hi forte sunt quattuor putei aquarum viventium quos Isaac fodit.[49]

Christus fons vitae et satanas fons mortis, uterque invitat ad suum fontem.

Sciendum etiam quod in Sacris Litteris reperitur fons vitae: *Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen,*[50] et S a l o m o n: *Lex sapientis fons vitae,*[51] et iterum: *Timor Domini fons vitae;*[52] et etiam fons mortis: *Adducet Dominus ventum urentem, ascendentem de deserto et siccabit venas eius et desolabit fontem eius,*[53] sicut in paradiso posuit Deus arborem vitae et arborem mortis.[54] Christus fons vitae est, satanas per peccatum fons mortis, sicut S a l o m o n ait: *Fons turbatus pede et vena corruptionis iustus cadens coram impio,*[55] Adam iustus et innocens coram impio satana.[56] Invitat Christus ad aquas saluberrimas fontis huius, ad coelestia, divina, sempiterna bona, ad lignum vitae; invitat et satanas ad carnis concupiscentiam, ad concupiscentiam oculorum, ad superbiam vitae,[57] ad arborem mortis.

et, eheu! satanae magis attenditur quam Christo.

Sed, o nos infelices! vix loquitur satanas et omnes currunt ad fontem ipsius; Christo autem magna voce clamare opus est tanquam ad surdastros: *Stabat Iesus et clamabat . . . Si quis sitit, veniat ad me et bibat,*[58] quoniam nondum gustarunt homines aquas divini huius fontis, non agnoverunt virtutes eius, imo nec vident quidem hunc fontem a satana alucinati; vel fons aridus, sine aqua videtur, sicut petra in deserto priusquam viscera sua aperiret.

Etiam Regius Vates Christum cecinit fontem salutis.

R e g i u s V a t e s intuens mentis oculis divinum hunc fontem et intelligens infinitum quendam esse thesaurum, aiebat: *In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel,* hebraice מִמְּקוֹר

46) 15, 7. 9; 18, 15-17. 47) Ibid. 17, 7. 48) Ct 2, 3. 49) Cf. Gn 26, 17-38. 50) Ps 35, 10. 51) Prv 13, 14. 52) Ibid. 14, 27. 53) Os 13, 15. Vulg.: *Adducet urentem ventum Dominus de deserto,* etc. 54) Cf. Gn 2, 9. 55) Prv 25, 26. Vulg.: *Et vena corrupta.* etc. 56) Cf. Gn 3, 1-6. 57) Cf. 1 Io 2, 16. 58) Io 7, 37.

ישראל, [59] *propter fontem Israel*, propter fontem quem Israeli concessit ac dono dedit, quoniam Salvator est fons salutis copiosissimus: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris ... magnus in medio tui Sanctus Israel;* [60] *Dominus factus est mihi in salutem.* [61]

Vita nostra peregrinatio est,

IV. Sed, quaeso, in verbis hodierni Evangelii advertamus mysterium. *In novissimo*, inquit, *die magno festivitatis.* [62] Celebrabatur festum scenopegiae, ait Ioannes, [63] in memoriam peregrinationis in deserto, [64] ubi Hebraeis Deus et panem de coelo pluit et fontem aquae vivae dedit. [65] Peregrinatio autem illa designat proculdubio praesentis vitae peregrinationem, sicut terra promissionis patriam coelestem. Peregrinantibus aqua ad potandum opus est ad levandam sitim, ad sese refrigerandos. Hinc Christus cunctis peregrinantibus – nam *dum sumus in hoc saeculo, peregrinamur a Domino ;* [66] *Non ... habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus,* [67] – hinc, inquam, Christus cunctis peregrinantibus, ad coelestem patriam pergentibus, in terram promissionis properantibus, seipsum fontem exhibet: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.*

nobis autem peregrinantibus Christus seipsum fontem exhibet.

Regius Vates loquitur de hac peregrinatione, finem ante oculos peregrinationis proponens: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum ;* nam: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te* pro tali tantoque beneficio. Sed quomodo pergendum ad hanc patriam est? *Beatus vir cuius est auxilium, fortitudo abs te, ascensiones disposuit, altas semitas in corde suo, in valle lacrimarum, in loco quem posuit ;* hebraice: *Transeuntes per vallem fletus fontem ponent eum.* Quem ponent fontem? *Etenim benedictionem dabit legislator,* benedictiones amiciet Messias, et sic *videbitur Deus deorum in Sion.* [68]

Finis huius peregrinationis est patria coelestis,

Sic Christus statuitur fons benedictionum, fons gratiarum et consolationum omnibus peregrinantibus per hanc lacrimarum vallem, quousque in supernam civitatem Ierusalem perveniamus, terram

59) Ps 67 (hebr. 68), 27. Ms.: *Mimekor Israel.* 60) Is 12, 3 sqq. 61) Ps 117, 14.
62) Io 7, 37. 63) Cf. ibid. vr. 2. 64) Cf. Lv 23, 24-43. 65) Cf. Ex 16, 13 sqq.; 17, 1-6; Nm 20, 8-11. 66) 2 Cor 5, 6. Vulg.: *Dum sumus in corpore*, etc.
67) Hebr 13, 14. Vulg.: *Manentem civitatem*, etc. 68) Ps 83 (hebr. 84), 2-8.

promissionis ingressi eam perpetuo possideamus. *Fontem ponent cum*, unicum tantum fontem; una petra in deserto omnibus peregrinantibus in deserto, infinitae multitudini potum dedit, quoniam fons maximus Christus est, sufficientissimus ad totum mundum irrigandum sicut sol ad illuminandum.

Christus autem unicus fons est gratiarum omnibus sufficientissimus,

Sunt autem huius fontis aquae optimae; hinc Regius Vates: *Sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea! In terra deserta et invia et inaquosa.* Sed quidnam sitit? *Sic in sancto, in sanctuario, in sanctitate apparui tibi, contemplatus sum te, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam*, ut fruerer bonitate tua, *quoniam melior misericordia tua super vitas :* suavior est, inquit, mihi gratia tua, aqua tui fontis quam ipsa vitae usura, nam bibens de aqua hac omni repleor consolatione: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum:* [69] aqua, inquit, tui fontis saginatur anima mea; nam non solum potus est suavissimus, sed etiam cibus delicatissimus, sicut manna simul cibus et potus erat, famem sitimque levabat. Quare non tantum ad bibendum, sed etiam ad comedendum invitat Christus, sicut de Sapientia legimus in *Proverbiis* Salomonis: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis : Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est : Venite, comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis.* [70] Isaias etiam docet aquam hanc simul et vini et lactis panisque optimi virtutem habere dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas.* [71]

cuius aquae optimae sunt et suavissimae.

V. Fons ostenditur Christus hodie, sed spiritualium bonorum: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Per aquam Spiritus Sanctus designatur, nam, ut Plato in *Euthydemo* ait ex Pindari sententia, aqua est elementum praestantissimum optimumque, elementum est summe necessarium, utile et iucundum. [72] Quoniam vero symbolum est Spiritus Sancti, hanc ob causam Divina Scriptura veluti mare aeneum est in templo Salomonis, [73] semper fere et ubique de aquis loquitur ab initio in finem usque. Elementum

Multis miraculis aqua a Deo nobilitata fuit,

69) Ps 62 (hebr. 63), 2-6. 70) 9, 1-5. 71) 55, 1. 72) Lib. 18, pag. 155.
73) Cf. 3 Rg 7, 23; 2 Par 4, 2.

est a Deo multis miraculis illustratum ac nobilitatum tum in Veteri tum in Novo Testamento.

Licet autem in utranque partem disputet Plutarchus, aquane an ignis praestantius ac utilius sit elementum,[74] aqua tamen haec nostra virtute continet utriusque elementi vires. Hinc Spiritus Sanctus promissus in aqua datus fuit in igne,[75] simul ignis et aqua est, refrigerans ardorem carnalis concupiscentiae et accendens flammas divini amoris in algentibus pectoribus hominum, qui ad divina invisibiliaque bona frigidissimi sunt, ita ut ardentissimi fiant.

quia symbolum est Spiritus S. qui aqua simul et ignis est.

Ostenditur hodie Christus fons divinarum gratiarum ac spiritualium charismatum: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Quare videndum nobis est quaenam sit natura, quae virtutes et proprietates, qui effectus divinae huius aquae.

Ostenditur hodie Christus fons gratiae.

Est quidem gratia participatio quaedam divinae naturae, ut Petrus ait: Magna nobis et pretiosa dona donavit, *ut per haec* efficiamur *divinae consortes naturae.*[76] Sicut ferrum ignitum naturam participat ignis, sicut luna suscipiens solarem radium naturam solis participat, qui bibit aquam ex fonte naturam fontis participat, gratia nos similes Deo efficit, filios Dei constituit, fratres Christi, *heredes . . . Dei, coheredes . . . Christi,*[77] templa et sacraria Spiritus Sancti.

Gratia est participatio quaedam divinae naturae.

Ab effectibus autem cognoscenda nobis est. De hac Regius Vates ait: *Lavabis me et super nivem dealbabor;*[78] de hac Isaias: *Quemadmodum descendit imber . . . de coelo . . . et inebriat terram . . . et germinare eam facit,*[79] tribuit ei fecunditatem; et alibi, quod virtutem habet vini lactisque et optimi cibi, qui hominem impinguat.[80] De hac Ezechiel, quod est aqua munda emundans omnia inquinamenta;[81] et alibi, quod aquae egredientes de templo vivificaturae erant mare Mortuum, ita ut postea pisces optimos esset producturum.[82] De hac Ioannes in *Apocalypsi,* quod est aqua clara sicut crystallum;[83] eam etiam *aquam vitae* appellat: *Qui sitit, veniat, et qui vult, accipiat aquam vitae gratis.*[84] De hac Dominus: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo*

De mirabilibus effectibus gratiae loquuntur S. Litterae.

74) *Ethica sive Moralia,* pag. 412-414. 75) Cf. Act 2, 2-4. 76) 2 Petr 1, 4.
77) Rom 8, 17. 78) Ps 50, 9. 79) 55, 10. Vulg.: *Et quomodo... sed inebriat.*
80) Cf. ibid. vr. 1. 81) Cf. 36, 25. 82) Cf. ibid. 47, 8-10. 83) Cf. 22, 1.
84) Ibid. vr. 17.

fons aquae salientis in vitam aeternam ; et hodie: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat, et flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Duo dixit: quod aufert sitim, omnem afflictionem, omne malum, et confert vitam, sed vitam aeternam, sicut lignum vitae in paradiso, nam tum Ezechiel[85] tum Ioannes[86] dicunt quod iuxta has aquas oritur lignum vitae, afferens fructus per singulos menses. In summa, aqua haec dicitur munda supra nivem, clara sicut crystallum, dulcis sicut mel, suavis sicut manna, viva, vitam vivificans, sanans infirmos sicut aqua Iordanis[87] et aqua piscinae,[88] illuminans caecos sicut aqua Siloe,[89] vivificans etiam mortuos, ita ut simul perpetuam conferat sanitatem et vitam largiatur aeternam: *Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Talium aquarum fons Christus est et fons perennis, perpetuus, inexiccabilis, sicut sol in coelo: *Ego sum qui sum,*[90] semper est idem.

talium aquarum fons perennis Christus est.

VI. Posuit Deus Christum in Ecclesia sicut rex, constructo palatio, aedificat in palatii impluvio magnum ac ornatissimum fontem ad totius familiae tum utilitatem tum voluptatem, cuius aqua per secretos curriculos deducatur ad omnes officinas et etiam ad hortos, ac pomaria regia, ut aquis illis universa irrigari perpetuo possint. In palatio regio ex uno fonte fiunt plures fontes, sicut Deus in coelo posuit unum magnum fontem luminis, solem, ex eo autem facta sunt innumera luminaria; omnis nanque stella fons luminis est, sed a primo fonte. Sic Christus unicus et maximus fons est; post Christum autem et a Christo fontes instituti sunt Apostoli divinae sapientiae ac sanctitatis divinaeque auctoritatis in sacerdotio et divinorum charismatum communicatione ac filiorum spiritualium procreatione per verbum Dei; *nam,* inquit Paulus, *in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.*[91] Sic Apostoli verbo et exemplo multos Christo filios pepererunt. Quis autem unquam regum fontem habuit talium aquarum? Aqua enim haec Spiritus Sanctus est, qui utique Deus omnipotens est, et ipse auctor est gratiae, nec potest esse gratia sine Spiritu Sancto, sicut nec dies in mundo sine sole.

Christus est primus fons gratiae,

ex quo ceteri omnes manant in Ecclesia.

85) Cf. 47, 12. 86) Cf. Apc 22, 2. 87) Cf. 4 Rg 5, 14. 88) Cf. Io 5, 2-4.
89) Cf. ibid. 9, 7. 90) Ex 3, 14. 91) 1 Cor 4, 15.

Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Promittit Christus Spiritum fidelibus suis, quoniam hic in certamine sumus: *Caro... concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.*[92] Caro, cum in sua regione sit, multos habet fautores: favet ei mundus, favent omnes sensus, favet daemon; hinc saepe contra spiritum praevalet, sicut Dalila contra Samsonem,[93] Iezabel contra Eliam,[94] Herodias contra Ioannem.[95] Hinc in favorem spiritus nostri, in favorem virtutis mittit Spiritum suum. Quandiu homo in hoc mundo est, in medio inimicorum est daemonum, sicut Daniel in lacu leonum,[96] imo sicut Christus hodie in medio Iudaeorum, qui quaerebant eum interficere, ideo promittitur Spiritus Sanctus, qui hominem reddat securum et impavidum, sicut hodie Christus manebat: *Ne formides a facie eorum, quia ego tecum sum;*[97] *Dedi te... in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum.*[98]

Promittit autem Spiritum S. fidelibus in mundo,

Sic hominem reddit Spiritus Sanctus: fortificat spiritum et debilitat carnem, sicut Deus auxit nomen Abrahae et diminuit nomen Sarae;[99] nam in principio nomen dedit viro maius quam mulieri: אִשׁ et אִשָּׁה,[100] quinario superat nomen viri nomen mulieris,[101] quia spiritum carne fortiorem ac potentiorem constituit; sed post peccatum mulier vocata est *Eva*, idest *vita*,[102] quia homo in peccato vivens non ducit vitam nisi carnalem et sensualem.

ut reddantur securi et impavidi.

II. ALIA HOMILIA

In novissimo... die magno festivitatis clamabat Iesus in templo dicens: Si quis sitit, veniat ad me.[1]

I. Multis hieroglyphicis Deus in Sacris Litteris designatur: nunc *sol* d'citur,[2] nunc *lux*,[3] nunc *ignis*,[4] sed praecipue per *fontem aquae*

92) Gal 5, 17. 93) Cf. Idc 16, 4. 24. 94) Cf. 3 Rg 19, 1-3. 95) Cf. Mt 14, 3-11; Mc 6, 17-28; Lc 3, 19. 96) Cf. Dn 6, 16-17; 14, 29-31. 97) Ier 1, 8. Vulg.: *Ne timeas ... quia tecum ego sum.* 98) Ibid. vr. 18. 99) Nempe Abram-Abraham, Sarai-Sara. Cf. Gn 17, 5. 15. 100) Ms.: אש, et: אשה. 101) Nomen mulieris hebraice quinario superat nomen viri, quia habet ה, quae littera arithmetice valet 5. 102) Cf. Gn 2, 23; 3, 20.

1) Io 7, 37. 2) Cf. Ps 83 (hebr. 84), 12; Mal 4, 2. 3) Cf. Ps 42, 3; Sap 7, 26 Eccli 46, 18; 50, 31; Is 9, 2; 46, 6; 60, 19-20; Io 1, 4-9; 3, 19; 8, 12; 9, 5; 1 Io 1, 5. 4) Cf. Dt 4, 24; Ez 1, 4-27; 8, 2; Mal 3, 2; Hebr 12, 29.

vivae saepenumero symbolice Deitas ipsa nobis repraesentatur. Regius Vates aiebat: *Deus, Deus meus ... sitivit in te anima mea;* [5] *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum.* [6] Ieremias ait: *Dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum;* [7] et ipse Deus: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae;* [8] item alias: *Omnes sitientes venite ad aquas;* [9] Isaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris,* [10] idest Dei; nam dixerat: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus et factus est mihi in salutem;* [11] postea vero: *Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel;* [12] *Sanctus Israel,* verus Deus, in medio tui est magnus, fons aquarum viventium. Sic designatur Deus fons omnium bonorum. Nam Thales Milesius aquam posuit naturalium rerum principium; [13] Homerus rerum generationem Oceano tribuit, [14] quoniam sine aquae humore in natura nihil generatur.

Deus in S. Scriptura designatur praecipue per fontem aquae vivae, quia ipse fons est omnium bonorum;

Sed si Deus fons est aquarum viventium, fons omnium bonorum, sicut in mundi creatione manifeste ostendit, mirum non est si hodie Christus, unigenitus Filius Dei, *fontem* se appellat dicens: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Sed fontem se dicit in templo: fons [est] gratiarum: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* [15]

sic et Christus hodie se fontem appellat gratiarum.

II. Magnum aperit Evangelista mysterium. Quid est quod adeo honoratum legimus in Sacris Litteris aquae elementum? Creat Deus primam lucem, sed super aquas; creat firmamentum, sed in medio aquarum, [16] plantat paradisum, irrigat aquis; [17] purgare vult mundum diebus Noe, utitur aquis; [18] primum miraculum quod operatur per Moysen in Aegypto, in aquis; [19] primum post exitum de Aegypto, in aquis maris Rubri; [20] primum post ingressum in deser-

Aqua valde honoratur in S. Scriptura,

5) Ps 62, 2. 6) Ps 41, 2-3. 7) 17, 13. 8) Ibid. 2, 13. 9) Is 55, 1. 10) 12, 3. 11) Ibid. vr. 2. 12) Ibid. vr. 6. 13) Cf. Diogenes Laertius *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 1, pag. 16. 14) *Ilias*, lib. 14, vr. 302. 15) Io 7, 37-39. 16) Cf. Gn 1, 5-7. 17) Cf. ibid. 2, 4-10. 18) Cf. ibid. 6, 1-7, 1 sqq. 19) Cf. Ex 7, 14-21. 20) Cf. ibid. 14, 21 sqq.

tum, in aquis Mara;[21] primum in ingressu terrae promissionis, in aquis Iordanis;[22] primum quod inveniebatur in introitu tabernaculi Moysi erat aqua in luteribus;[23] primum quod in templo Salomonis, mare aeneum, magnum vas aquarum;[24] primum miraculum quod fecit Eliseus, cum duplicem spiritum Eliae accepisset una cum pallio ipsius, fuit in aquis Iordanis;[25] si mundare voluit lepram Naaman syri, aquis usus fuit Iordanis,[26] et insuper aquas eduxit in deserto tribus exercitibus trium regum.[27] Christus Dominus noster primo manifestatus a Patre fuit in aquis Iordanis,[28] primum miraculum operatus fuit in aquis,[29] primos Apostolos vocavit ex aquis,[30] primum Sacramentum instituit in aquis;[31] post resurrectionem etiam suam honorare voluit aquas miraculo magnae illius piscationis.[32] Causa huius rei est quoniam aqua Spiritum Sanctum significat: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

quia Spiritum S. significat;

Aqua elementum est valde necessarium, utile et delectabile. Pindarus, lyricorum pater, in 3 libro *Olympiarum*[32*] tradidit aquam elementum esse praestantissimum omnium, ut refert Plato in *Euthydemo.*[33] Disputat Plutarchus quodnam sit utilius aut praestantius elementum, aqua an ignis; sed sub iudice litem reliquit.[34] Nobis sufficiat id quod certum est, aquam esse hominibus summe necessariam, utilem et iucundam. Populus Hebraeorum in deserto summopere expetivit aquam;[35] David desideravit aquam de cisterna Bethlehem.[36] Cognovit mundus qualis et quanta sit aquae tum utilitas tum necessitas, quando in poenam peccatorum Deus clausit coelum, nec pluit *annis tribus et mensibus sex.*[37]

sicut autem aqua valde necessaria, utilis et delectabilis est,

Ideo Spiritus Sanctus per aquam designatur, ut cognoscamus quam necessaria et utilis nobis sit gratia Spiritus Sancti: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat,* quoniam fons sum paradisi, fons de quo scriptum est: *Erit fons patens domui David . . . in ablutionem peccatoris,*[38] et: *Fons de domo Domini egredietur;*[39] fons unde ema-

sic gratia Spiritus S. utilis et necessaria nobis est.

21) Cf. ibid. 22, 25. 22) Cf. Ios 3, 14-17. 23) Cf. ibid. 30, 18; 40, 7. 28. 24) Cf. 3 Rg 7, 23; 2 Par 4, 2. 25) Cf. 4 Rg 2, 6-14. 26) Cf. ibid. 5, 9-14. 27) Cf. ibid. 3, 9-20. 28) Cf. Mt 3, 13-17; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22; Io 1, 32-34. 29) Cf. Io 2, 3-11. 30) Cf. Mt 4, 18-22; Mc 1, 16-20; Lc 5, 1-11. 31) Cf. Mt 28, 19; Mc 16, 16. 32) Cf. Io 21, 6. 32*) Cf. *Olymp.* 3, vr. 42. 33) Cf. not. 72 praec. hom., pag. 555. 34) Cf. not. 74 praec. hom., pag. 556. 35) Cf. Ex 17, 2; Nm 20, 4. 36) Cf. 2 Rg 23, 15. 37) Lc 4, 25. 38) Zach 13, 1. 39) Ioel 3, 18.

nat fluvius ille aquae vivae, splendidus tanquam crystallum, quem I o a n n e s vidit *procedentem de sede Dei et Agni,* [40] quoniam Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit; fons ille in templo E z e c h i e l i s , ex quo magnus ille torrens, imo fluvius, qui transvadari non potuit prae nimia copia aquarum. [41]

III. Mirabile dictu est quanta sit copia aquarum divini huius fontis: *Qui ... biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* [42] *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*

Petra deserti figura Christi.

Magna aquarum copia fluxit de petra percussa in deserto: *Percussit petram et fluxerunt aquae et torrentes inundaverunt;* [43] *Interrupit petram in eremo et adaquavit eos velut in abysso multa; et eduxit aquam de petra et deduxit tanquam flumina aquas.* [44] Sicut autem petra illa Christum designabat et desertum Ecclesiam, ita magna illa aquarum abundantia de petra magnam copiam gratiarum Christi in Ecclesia.

qui est vere magnus fons, a quo omnis gratiarum copia promanat.

Magnus fons erat ex quo fluvius emanabat, qui irrigabat paradisum et inde dividebatur in quattuor flumina; [45] sic magnus fons Christus, quoniam Deus est, quo maius excogitari non potest. Magna est luminis copia in coelo, magna aquarum abundantia in paradiso, aquae et mannae in deserto, lactis et mellis in terra promissionis, divitiarum auri et argenti in regno Salomonis; [46] sic gratiae in regno Christi *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum.* [47]

Sub lege naturae magna erat gratia haec, maior sub lege Moysi, sed maxima in Evangelio;

Semper quidem ab initio saeculi in Ecclesia viguit fides et gratia Spiritus Sancti; sed sub lege naturae magna in Abele, Enos, Enoch, Noe, Patriarchis; in lege Moysi maior in Moyse, Aaron, Iosue, Samuele, Davide, Elia, Eliseo, Ezechia et aliis; in Evangelio maxima in Apostolis, Martyribus et aliis Sanctis, post Mariam Matrem Domini et Ioannem Baptistam. Sic S a l o m o n triplicem Ecclesiae statum descripsit dicens: *Quae est ista quae progreditur sicut aurora consurgens,* ante legem, *pulcra ut luna,* sub lege, *electa ut sol?* post legem, sub

40) Apc 22, 1. 41) Cf. 47, 1-5. 42) Io 4, 13-14. 43) Ps 77, 20.
44) Ibid. vrr. 15-16. 45) Cf. Gn 2, 10. 46) Cf. 3 Rg 10, 14 sqq.; 2 Par 9, 13-24.
47) Tit 3, 5-6.

Evangelio, quoniam sub Evangelio Ecclesia est sicut sol et sicut *castrorum acies ordinata,* [48] *sicut turris David... quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* [49]

hinc Ecclesia comparatur atrio, sancto et sancto sanctorum templi.

Ante legem fuit Ecclesia sicut atrium, in lege sicut sanctum, sub Evangelio ut sanctum sanctorum; ante legem ut regnum Israel sub Saule, sub lege ut sub Davide, sub Evangelio ut sub Salomone. Templum Salomonis multo maius multoque gloriosius extitit tabernaculo Moysi, sic Ecclesia synagoga in gratia et donorum Spiritus Sancti abundantia: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.* [50] Luna plena et sereno coelo non est nox sine lumine, sed dies semper est multo clarior. *Iam... hiems transiit, imber abiit et recessit... tempus putationis advenit:* [51] tempus vernum atque aestivum multo clarius est multoque serenius tempore hiemali, quod obscurum valde est et frigidum, nebulosum, pluvium, ad iter inopportunum; multo maior est copia luminis et caloris fructuumque vere quam hieme. Sic multo maior copia gratiarum in Ecclesia quam in synagoga: *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*

Christus Deus et homo est,

IV. Moyses ait quod *fons ascendebat de terra ad irrigandam universam superficiem terrae;* [52] hebraice est אֵד, quae vox duabus litteris constat: א et ד; [53] prior est divinitatis hieroglyphicum apud secretiores Hebraeorum theologos, [54] quoniam prima est littera alphabeti; posterior vero symbolum humanitatis est ob numerum quaternarium, quo constat humana natura. [55] Sic Christum designat, in quo natura humana coniuncta est divinae.

Ideo vere fons bonorum omnium,

Sic Christus fons est ad irrigandam universam superficiem terrae: הָאֲדָמָה, [56] quae etiam humanitatem significat, quoniam Deus est qui in Sacris Litteris bonorum omnium fons demonstratur in creatione mundi, in formatione hominis; fons generationis, dum Abra-

48) Ct 6, 9. Vulg.: *Quasi aurora,* etc. 49) Ibid. 4, 4. 50) Rom 13, 12.
51) Ct 2, 11-12. 52) Gn 2, 6. Vulg.: *E terra irrigans universam,* etc. 53) Ms.: *Aleph et Dalet.* 54) Tunc sic scribitur: א״. et significat: אֲדֹנָי. Cf. A. Zanolini *Lexicon Hebraicum-Chaldaicum,* pag. 30. 55) Est enim ד quarta littera alphabeti hebraici. Quattuor principia humanae naturae forte intelligit esse, vivere, sentire et intelligere.
56) Ms.: *Adamah.*

hamo filium dedit; [57] fons vitalis nutrimenti, dum populo manna de coelo dedit et aquam de petra; [58] fons sapientiae, dum Salomoni sapientiam dedit; [59] fons vitae, [qui] Ezechiae vitam donavit; [60] fons sanctitatis, qui Moysen, Aaron Prophetasque et sacerdotes sanctificavit. Sic Christus fons bonorum omnium, quia Deus. Talem se ostendit miraculis, illuminando caecos, [61] sanando infirmos, [62] cibando esurientes, [63] suscitando mortuos, [64] iustificando peccatores, [65] dando Spiritum Sanctum: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum ; Fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terrae,* ad explendam sitim desideriorum humanae naturae.

qui irrigat universam Ecclesiam.

Homo nanque suapte natura tria vel maxime desiderat: vitam beatam, scientiam universalem et potestatem magnam atque divinam, ut possit facere omnia quae vult. Explere autem desideria haec nonnisi Deus potest, qui in Beatis explet haec desideria in paradiso; nam haec sunt urna mannae, [66] tabulae legis, [67] et virga virtutis Dei [68] in sanctuario Domini. Explet autem haec quodammodo in electis suis per Spiritum Sanctum in Ecclesia; nam Apostoli, accepto Spiritu Sancto, repleti fuerunt divina sapientia [69] ut Salomon, divina potestate donati ut Moyses, aeterna vita in coelo ut Elias. [70] Sic ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.*

Desideria humani cordis Deus explet per Spiritum S.,

Flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Abundantiam designat gratiarum in Ecclesia: *Puteus hortorum, fons aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano ;* [71] *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei;* [72] *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis.* [73] I o e l ait: *In illa die stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lac* et mel, *et per omnes rivos Iuda ibunt aquae et fons de domo Domini egredietur;* [74] magna utique aquarum copia, sed designat aquam sapientiae salutaris: *Repleta est terra scientia Domini sicut aquae maris operientes ;* [75] *scientia Domini*, idest cognitione Dei. Ex

qui diffundit in corda fidelium abundantiam gratiarum.

57) Cf. Gn 15, 4-6; 17, 19; 21, 1-2. 58) Cf. Ex 16, 14 sqq.; 17, 5-6; Nm 20, 7-11. 59) Cf. 3 Rg 3, 11-12; 2 Par 1, 11-12. 60) Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1-8. 61) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 62) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12. 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 63) Cf. Mt 14, 15-21; 15, 32-38. 64) Cf. ibid. 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 65) Cf. Mt 9, 2-7; Lc 7, 47 sqq.; 19, 2-8; 23, 40-43; Io 5, 13-14; 8, 11. 66) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 67) Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 68) Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4. 69) Cf. Act 2, 1-4. 70) Cf. 4 Rg 2, 11. 71) Ct 4, 15. Vulg.: *Fons hortorum, puteus aquarum*, etc. 72) Ps 45, 5. 73) Ps 71, 7. 74) 3, 18. Vulg.: *In die illa... fluent lacte.* Ms.: *Ascendit*, loco: *Ibunt.* 75) Is 11, 9.

cognitione autem Dei oritur amor caritasque divina, hinc divinae legis observantia, hinc vitae puritas sanctitasque, hinc pietas cultusque divinae religionis, orationes, vota, sacrificia, sanctioris vitae instituta. Sic *flumina de ventre eius fluent aquae vivae; Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam;*[76] *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo.*[77] *Flumina . . . fluent aquae vivae: Divisiones . . . gratiarum sunt, idem autem Spiritus.*[78]

Proprium Dei est reddere bona pro malis, mundus autem reddit ei mala pro bonis;

V. *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat: Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Proprium Dei est reddere bona pro malis. Deus sicut coelum est, quod nonnisi multa magnaque beneficia confert dimittitque in terram; sed mundus sicut terra est, quae nonnisi impuros vapores umbrasque, quibus luna aliquando eclipsatur, mittit in coelum. Reddit mundus Deo mala pro bonis, Deus autem mundo bona pro malis.

at bonitate Dei abutentibus accidet sicut principibus et synagogae Iudaeorum.

Sed vae iis qui, cum vitam ducant in peccatis, bona tamen accipiunt a Deo, bona utique mundi huius! Clamat enim tunc Deus: *In novissimo . . . die magno festivitatis*, scenopegiae, tabernaculorum, quod festum erat divinae providentiae; divina nanque providentia reprobis dat bona in hoc mundo, sicut epuloni: *Erat dives . . . induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide;* sed *mortuus est . . . dives et sepultus est in inferno.*[79] Sic est omnis qui Deo reddit mala pro bonis, ut fecerunt hodie principes synagogae.[80] Ubinam sunt nunc principes Iudaeorum? ubi eorum respublica? ubi status? ubi dominia? eorum gloria? *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat.* Funditus eversa est Iudaeorum respublica causa malorum principum. Vae iis qui Dei bonitate abutuntur! Nam in novissimo Deus ultimum, ut ita dicam, de potentia apponit; hinc clamat hodie Christus invitans ad suam gratiam, sicut voce magna clamavit ad Lazarum suscitandum.[81] Si homo obduraverit cor cum Pharaone ut non audiat vocem Domini,[82] secundum duritiam cordis sui thesaurizat sibi iram in die irae,[83] sicut et Pharao.[84]

76) Ps 64, 10. 77) Eph 1, 3. 78) 1 Cor 12, 4. 79) Lc 16, 19-22.
80) Cf. Io 7, 45. 81) Cf. ibid. 11, 43. 82) Cf. Ex 5, 2. 83) Cf. Rom 2, 5.
84) Cf. Ex 14, 23 sqq.

Rari sunt principes veri Christi servi.

Mali principes similes sunt Pharaoni, imo satanae; sunt in republica sicut caput infirmum morboque affectum gravi in corpore. In mundo Christus a principibus nonnisi mala accepit, nonnisi persecutionem passus fuit: Herodes ipsum infantem occidere voluit;[85] alter Herodes, qui Ioannem occidit,[86] eum illusit;[87] Pilatus crucifixit,[88] principes Iudaeorum, Annas et Caiphas cum ceteris principibus sacerdotum, mortalissimo odio ipsum semper ad necem quaesiverunt. Quam rari sunt principes qui non sint vel inimici Christi, vel rebelles! qui Christi leges et iussa non contemnant! qui Christum factis non persequantur! Quam rari sunt qui vere Christi servos ministrosque se agnoscant et profiteantur, cum vere non sint nisi ministri Dei, in hoc ipsum servientes! sed Adamum imitantur, qui factus a Deo princeps mundi, statim satanae opera rebellis factus fuit Deo, transgressor divini mandati, sicut Ieroboam qui, cum a Deo regnum Israel accepisset, postea regnandi causa a Deo deficiens, idololatriam introduxit vitulosque aureos erexit adorandos dicens: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*,[89] sicut Aaron fecerat in deserto.[90]

85) Cf. Mt 2, 16. 86) Cf. ibid. 14, 3-10; Mc 6, 17-27. 87) Cf. Lc 23, 8-11. 88) Cf. Mt 27, 26; Mc 15, 15; Lc 23, 24-25; Io 19, 16. 89) 3 Rg 12, 28. Vulg.: *Ecce dii tui*, etc. 90) Cf. Ex 32, 4-8.

FERIA TERTIA POST DOMINICAM PASSIONIS

Ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere. [1]

Exulare cogitur Christus a Iudaea, quia persequebantur eum Iudaei

I. Sicut gravem mortalemque persecutionem passus fuit Abel iustus et sanctus a Caino, [2] Isaac ab Ismaele, [3] Iacob ab Esau, [4] Ioseph a fratribus, [5] Moyses a Pharaone, [6] David a Saule, [7] Elias a Iezabele, [8] populus Dei ab Aegyptiis, [9] a Chananaeis, [10] a Philisthaeis, [11] a Chaldaeis et rege Babyloniae, [12] sic Christus gravissimam passus fuit persecutionem a Iudaeis, a synagoga agitata a satana, qui Christum flagellare et bonis omnibus spoliatum summis malis affligere quaerebat, sicut olim cum Iob sanctissimo egit. [13] Hinc exulare cogitur Christus a Iudaea, sicut olim Iacob a domo patris, [14] Elias a terra Israel apud Sidonios, [15] David a Ierusalem et universo regno apud Philisthaeos, [16] ut gravem persecutionem declinarent, ut mortem effugerent. Sic enim ait: *Quia quaerebant eum Iudaei interficere,* Iudaei *qui dicunt se Iudaeos esse et non sunt, sed sunt synagoga satanae.* [17] Sicut enim Saul a malo spiritu, a daemone agitatus, persequebatur Davidem sanctum, electum et dilectum Dei, sic Iudaeorum populus a satana actus; quemadmodum de Iuda legimus quod, cum introisset in eum satanas, Christum ad necem nefarie prodidit. [18]

satanico spiritu acti.

1) Pericope huius diei Io 7, 1-30. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 4, 5-8. 3) Cf. ibid. 21, 9-10; Gal 4, 29. 4) Cf. Gn 37, 41. 5) Cf. ibid. 37, 4-28. 6) Cf. Ex 2, 15. 7) Cf. 1 Rg 18, 8-19, 1 sqq. 8) Cf. 3 Rg 19, 2. 9) Cf. Ex 1, 9-16; 5, 5 sqq. 10) Cf. Ios 12, 1 sqq. 11) Cf. Idc 3, 1-14; 1 Rg 4, 1-11; 13, 5. 12) Cf. 4 Rg 25, 1 sqq; 2 Par 36, 17-20. 13) Cf. Iob 1, 13-2, 1-8. 14) Cf. Gn 28, 1 sqq. 15) Cf. 3 Rg 17, 8-10. 16) Cf. 1 Rg 27, 1-7. 17) Apc 2, 9.Vulg.: *Qui se dicunt,* etc. 18) Cf. Lc 22, 3-4.

Hanc ob causam *mundum* eos appellat, idest regnum satanae: *Venit ... princeps mundi huius;* [19] *Non potest*, inquit, *mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de eo, quod opera eius mala sunt.* [20] Mundus regnum ac veluti corpus est satanae. Sicut ad libitum animae movetur corpus, nam nonnisi ab anima movetur, ita mundus a satana. Rex nanque est veluti anima regni, dux et imperator veluti anima exercitus, sic satanas, *princeps mundi huius*, est veluti anima huius mundi, qui *totus in maligno positus est.* [21]

Mundus regnum est ac veluti corpus satanae,

Hinc est quod mundus tantopere Christum mortali et implacabili odio persecutus fuit, quoniam satanas, mundi spiritus, hostis est capitalis, acerrimus Christi inimicus, unde ait: *Inimicus homo hoc fecit ... superseminavit zizania.* [22] Ab initio nanque satanas Dei inimicus constitutus per peccatum, semper Christum unigenitum Filium Dei acerrimo ac mortalissimo crudelissimoque odio prosecutus ac persecutus fuit. Vix natus fuit Christus et fugere in Aegyptum coactus fuit, declinandae persecutionis causa, quia quaerebat eum Herodes de medio tollere, unde in Bethlehem et omnibus finibus eius innumeros occidit infantes ad perdendum Christum. [23] Sic item hodie fugit persecutiones.

Ideo semper Christum implacabili odio persecutus fuit.

II. Et quidem, fratres, mirari non possum cur Deus unico ac dilectissimo Filio suo in hoc mundo tales tantasque persecutiones permiserit. Cum Ismael persequeretur Isaac in domo Abrahae, iussit Deus ut una cum matre foras expelleretur, nolens ut innocens et sanctus Isaac ab impio fratre iugiter persecutionis molestias pateretur. [24] Num magis dilexit Isaacum Deus quam Christum unicum Filium suum? Absit. Hac de re veluti miratus fuit Christus in cruce dicens: *Deus ... Deus meus, ut quid dereliquisti me?* [25] Quam ob causam me ab inimicis meis non liberasti? non defendisti? Cur me ab inimicis meis crucifigi permisisti? Cum apparuisset Gedeoni Angelus Domini dixissetque: *Dominus tecum, virorum fortissime*, ait vir sanctus: *Si Dominus nobiscum est*, quomodo nocuerunt nos mala ista? [26] Nam gravissima persecutione angebatur populus a Madianitis. [27]

Deus tantas persecutiones Filio suo evenire permisit,

Sed voluit Deus Christum in mundo multa pati, ut sciremus quod

19) Io 14, 30. 20) Ibid. 7, 7. Vulg.: *Perhibeo de illo*, etc. 21) 1 Io 5, 19. 22) Mt 13, 25-28. Ordine inverso affert hos vrr. 23) Cf. Mt 2, 13-16. 24) Cf. Gn 21, 9-12; Gal 4, 29-30. 25) Mt 27, 46; Mc 15, 34. 26) Idc 6, 12-13. 27) Cf. ibid. vrr. 1-6.

ut sciremus passiones mundi viam esse ad coelum,

per hanc viam eundum nobis in coelum est, per desertum in terram promissionis: *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* [28] Sic *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* [29] Sic nanque ostendere voluit Dominus quanti pretii et valoris sit gloria paradisi, cum tam caro eam Christus vendiderit. Si mercator etiam filio quidem suo, quem unice diligit, quoniam a se emancipatus, caro aliquid vendit, nec nisi numerata pecunia, quid cum aliis aget?

et ut Christus in hoc mundo exemplar esset patientiae.

III. Voluit etiam Deus ut Christus in hoc mundo hominibus exemplar esset patientiae, nam ab aeterno *praedestinavit* electos omnes *conformes fieri imagini Filii sui.* [30] Necessaria est autem patientia nobis, ut ait Apostolus: *Patientia... vobis necessaria est ut... reportetis promissiones,* [31] et Christus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras,* [31*] quoniam ordinavit ac disposuit non dare electis suis praemia virtutum in hoc mundo, sed in coelo, in paradiso.

Deus in hoc mundo electos suos malis afficit ut facilius ab amore mundi eos avertat,

Hinc ne putarent homines quod bona mundi huius, quae ipsissima vanitas sunt et umbrae tantum ac larvae bonorum, condigna essent praemia virtutum, voluit in hoc mundo electos suos omni virtutum supellectili ornatos, malis potius quam vanis hisce bonis afficere, multis quidem de causis. Primo, ut eos ab amore mundi huius veluti ablactaret; nam amaritudinibus ablactantur infantes ut solidioribus cibis nutriantur. Diligimus mundum hunc mille miseriis et calamitatibus plenum, quid si in eo tanquam in paradiso deliciarum bonis omnibus frueremur, absque ulla penitus molestia vitam ducentes? Quomodo aeternam patriam desideraremus? Nunquam Hebraei egressi fuissent ex Aegypto, nisi magno atque gravissimo tyrannicae servitutis et captivitatis iugo pressi fuissent maximisque tribulationibus affecti. Afflictiones illae utiles admodum fuerunt eis, nam urgente angustia facile adducti fuerunt ut Aegyptum relinquerent. Sic in desertum ingressi legem Dei susceperunt [32] ac tandem in terram promissionis pervenerunt. [33]

Mundus hic mare est, Ecclesia navis, paradisus portus, tribulatio ventus secundus est, prosperitas autem contrarius potius quam se-

28) Lc 24, 26. 29) Act 14, 21. 30) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui.*
31) Hebr 10, 36. Vulg.: *Promissionem.* 31*) Lc 21, 19. 32) Cf. Ex 20, 1 sqq.
33) Cf. Ios 3, 1 sqq.

cundus; nam si ea sit in mari tranquillitas ut nulla penitus spiret aura, non potest navis iter suum peragere, neque tranquillitatem hanc prudentes nautae desiderant, sed cum secundis ventis. Mundi autem prosperitas est sine ulla Spiritus Sancti aura, sed potius cum aura contraria, nam qui multis fulcitur bonis in hoc mundo, non coelum desiderat, sed diu in terra vivere vellet, in mundo immortaliter ac aeterno tempore vitam protelare; qui autem hic multa patitur, finem videre cupit miseriarum vitae huius.

qui enim multis bonis abundat, coelum non cogitat nec desiderat;

Hinc Regius Vates aiebat: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!* Sed quam ob causam? Ait: *In terra deserta et invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam; quoniam melior est misericordia tua super vitas;* [34] quoniam in terra hac erat veluti in arido horridoque deserto absque ulla consolatione: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi;* [35] propterea summopere cupiebat gloriam coelestis patriae. Sic etiam alibi ait: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Sed quia *fuerunt mihi lacrimae ... panes die ac nocte,* [36] quia in magna tribulatione versabatur.

qui autem multa patitur, finem miseriarum vitae huius videre cupit.

IV. Deinde vero immittere disposuit electis suis tribulationes ut eos tentaret atque probaret, sicut probatur aurum in fornace, sub malleo et incude. Sic tentavit Abraham, [37] sic probare voluit virtutem Iob, quem satanas calumniabatur quod non solida et constanti virtute praeditus erat, [38] sed sicut vas vitreum minime frangitur, cum tutissimo loco positum est et a periculis omnibus custoditum, sic erat Iob, qui licet adamas videretur, vitrum tamen erat; quare periculum facere voluit virtutis ipsius, ut viderent omnes quod Iob verus erat adamas, non adulterinus, non vitreus lapis. Sunt iustis tribulationes [quod] ignis auro, malleus et incus argento, lima ferro, scalprum malleusque vivo lapidi, ex quo a peritissimo sculptore regis statua facienda est. Appellantur iusti in Sanctis Litteris *triticum,* [39] *vitis,* [40]

Secundo, Deus electis suis immittit tribulationes, ut eorum virtutem probet,

34) Ps 62, 2-4. 35) Ps 142, 6. 36) Ps 41, 2-4. 37) Cf. Gn 22, 1-12.
38) Cf. Iob 1, 8-2, 1-10. 39) Cf. Ier 23, 28; Mt 3, 12; 13, 25-30; Lc 3, 17.
40) Cf. Eccli 24, 23; Io 15, 5.

oliva. [41] Triticum ut excutiatur a paleis, ab aristis, ut a gluma separetur, percussionibus et pressuris ventilationeque opus est; uva et olivae torculari et prelo, ut fiat vinum et oleum. Tribulatio iustis torcular et prelum est.

neve inter prospera divinis inspirationibus obsurdescant,

Aliquando etiam electi ex carnis infirmitate divinis inspirationibus internisque vocibus obsurdescunt, dum eis prospera cuncta succedunt. Sed agit cum eis sicut Absalom cum Ioab. Cum enim misisset ad vocandum eum semel et iterum, differebat ille ac dissimulabat; quare misit Absalom servos suos ut incenderent segetes Ioab. Quod cum factum fuisset, statim abiit ad Absalom factique causam requisivit, novitque quod non inimicitiae causa segetes ipsius incenderat Absalom, sed ut sic eum ad se traheret. [42]

nam adveniente procella excitatur spiritus Christi, qui in nobis secunda fortuna saepe obdormit.

Sic, inquam, nobiscum agit Deus in tribulatione. Agunt iusti cum Deo quod egerunt Apostoli cum Christo, orta tempestate magna in mari: cum enim Christus dormiret, obdormivit nanque flante aura secunda, orta tempestate excitaverunt eum dicentes: *Domine, salva nos, perimus... Surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* [43] Saepe in secunda fortuna obdormit spiritus Christi in nobis, sed adveniente procella excitatur. Terra, licet natura bona et optima, ut fructum afferat copiosum, necesse est ut aratro proscindatur; cor nostrum tribulatione proscinditur et sic fructum centuplum affert. Aquae ni moveantur, vitia contrahunt, putrescunt, gignunt noxia et venenata animalia. Sic homo, ut patuit in David, [44] in Salomone, [45], in epulone illo, [46] in Pentapoli etiam [47] et nunc in mundanis divitibus.

Insuper tribulatione electi purgantur,

V. Tribulatione purgantur electi ab omni inquinamento carnis et spiritus, sicut aurum in fornace purificatur, exercentur veluti in palaestra vel in arte militari. Hanc ob causam cum introduxisset Dominus populum suum in terram Chananaeorum, noluit omnes habitatores terrae illius disperdere, sed multos reliquit, contra quos Israelitae iugiter pugnarent, ne si omnes deleti fuissent, otio torperent ac marcescerent. [48]

41) Cf. Ps 51, 10; 127, 2; Eccli 24, 19; Ier 11, 16; Apc 11, 4. 42) Cf. 2 Rg 14, 29-32. 43) Mt 8, 25-26. 44) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 45) Cf. 3 Rg 11, 1-8. 46) Cf. Lc 16,19 sqq. 47) Cf. Gn 19, 4-25. 48) Cf. Idc 2, 3. 21-3, 1-4.

Illuminantur in cognitione Dei, in secunda nanque fortuna saepe obliviscimur Dei, nam Ephraim et Manasses fratres sunt,[49] o p u l e n t i a et o b l i v i o.[50] Pincerna Pharaonis in prosperitate oblitus fuit Ioseph,[51] vexatio autem dat intellectum.[52] Sic saepe legimus de Hebraeis in Sacris Litteris quod in florenti fortuna obliviscebantur Dei, ad idola defluebant, sed in tribulatione convertebantur ad Deum.[53] Etiam impii in tribulatione Deum agoscunt: Pharao,[54] Nabuchodonosor,[55] Antiochus,[56] Ninivitae,[57] nam [timore] divinae ultionis moti poenitentiam egerunt; Loth timore futurae eversionis egressus fuit a Sodoma.[58]

In cognitione Dei illuminantur,

Tandem perficiuntur: *Virtus in infirmitate perficitur.*[59] Vivi lapides et marmora tunsionibus expoliuntur; arbor bene radicata et humido loco plantata, ardenti sole, quo malae radicatae plantae in arido solo exiccantur ac veluti exuruntur, nullum patitur detrimentum, imo magis magisque firmatur, roboratur, crescit fructusque ad optatam maturitatem perducit. Iustus autem arbor est iuxta aquas plantata.[60]

in virtute perficiuntur.

Quoniam igitur tribulationes maxime utiles sunt, sicut hiems, frigus, pruinae seminatis regionibus et segetibus – licet enim pruina et nimium frigus, borea flante, exortas herbas in fine autumni exurere videatur eisque plurimum officere, obesse, prodest autem, nam virtus seminis intus se colligit firmasque radices agit, ut maius a terra nutrimentum suscipere possit et in vere multo felicius exoriri et in spicas crescere et usque ad maturitatem pervenire, – sic, inquam, utiles sunt hominibus tribulationes, sicut amarae potiones malevalentibus ad eos vel curandos, vel praeservandos a morbis et noxiis humoribus.

Quoniam ergo tribulationes maxime utiles sunt,

Deus igitur immittens electis suis tribulationes medicum agit, et etiam equitem cum generoso et magni spiritus equo: agitat eum freno, calcaribus, flagello, et licet aliquando bene currat, retinet eum, huc et illuc, ad dexteram et sinistram convertit, ut eum freno ac, ut ita dicam, nutui suo obedientissimum efficiat, quod non fit

Deus eas electis immittit ut eos curet vel praeservet a malis.

49) Cf. Gn 41, 50-52. 50) Sic enim latine haec nomina interpretantur. 51) Cf. Gn 40, 20 sqq. 52) Cf. Is 28, 19. 53) Cf. Ps 77, 54 sqq.; 105, 35-46. 54) Cf. Ex 8, 8. 28; 9, 27-28; 10, 16-17. 55) Cf. Dn 4, 31 sqq. 56) Cf. 2 Mach 9, 1 sqq. 57) Cf. Ion 3, 4 sqq. 58) Cf. Gn 19, 15-23. 59) 2 Cor 12, 9. 60) Cf. Ps 1, 3.

cum vili equo oneribus portandis destinato. Sic, inquam, Deus cum electis suis agit, nam eques Christus est, ut in *Apocalypsi* legimus.[61]

Tandem, electos tribulationibus Deus vexat ad eorum maiorem exaltationem;

VI. Tandem, ad multo maiorem gloriam et exaltationem electorum suorum Deus multis tribulationibus eos in hoc mundo vexat. Iosephum voluit a fratribus vendi ex odio et invidia, duci in Aegyptum,[62] multa ibi sustinere incommoda, pati persecutiones,[63] ut tandem totius Aegypti principem constitueret;[64] sic etiam Davidem per multa pericula ad regni amplitudinem evexit.[65] Vidit Moyses una cum Aaron et septuaginta senioribus Israel Deum in gloria et maiestate et sub pedibus eius opus quasi ex lapidibus sapphirinis, ubi hebraice: *Quasi ex lateribus sapphirinis.*[66] Hebraei in Aegypto a Pharaone vilissimo erant deputati ministerio, ad efficiendos coquendosque lateres;[67] sed vilissimi illi lateres conversi erant a Deo in coelo in pretiosissimas gemmas. Tribulationes huius mundi lateres sunt Hebraeorum in Aegypto. Opus illud eos maxime affligebat, nobilissimo genere ortos tam vili deputatos esse ministerio; sed quod vilissimum erat in terra, pretiosissimum erat in coelo. Nihil pretiosius in paradiso, nil carius tribulationibus hic propter Deum et iustitiam toleratis.

Ideo eas pro se quoque Christus elegit.

Hanc ob causam Christus non elegit pro se bona huius mundi, sed mala. Quod si hodie fugere videtur et declinare persecutiones, fugit quidem minores ut multo plures multoque maiores sustinere posset; sicut prudens mercator lucri cupidus renuit minora lucra, dum multo maiora expectat, dum certo scit quod merces suas multo carius vendere post paucos dies potest.

Hodie Christus prudentiam nos docet.

VII. Hoc etiam egit hodie Christus ut doceret prudentiam, quae cum animi fortitudine coniungenda est, sine qua temeritas et audacia est, non fortitudo, ut sciamus quod prudenter cavenda sunt pericula vitae et salutis, maxime vero salutis animae a persecutionibus invisibilium inimicorum.

Duo sunt genera hostium,

Nam duo sunt genera persecutionum, sicut duo sunt genera hostium et homo duplici substantia constat: carne et spiritu, interiori et exteriori homine, et duplex est vita: temporalis et aeterna:

61) Cf. 6, 2; 19, 11-12. 62) Cf. Gn 37, 28. 63) Cf. ibid. 39, 1-20. 64) Cf. ibid. 41, 1 sqq. 65) Cf. 2 Rg 22, 1 sqq. 66) Ex 24, 9-10. 67) Cf. ibid. 5, 5 sqq.

Non est, inquit, *nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes... tenebrarum... contra spiritualia nequitiae.* [68] Daemones enim inimici nostri sunt capitales, nec nisi nostra damna malaque quaerunt, sicut patet in Iob: qualia quantaque mala inflixit satanas, permissus a Deo ut eum affligeret! [69] Hi sunt mystici Iudaei qui nos quaerunt interficere, inimici Dei et nostri, nam: *Inimicus* homo *superseminavit zizania in medio tritici.* [70]

contra quos pugnare debemus: daemones

Mundus etiam inimicus est noster: *Inimici hominis domestici eius.*[71] Sic fratres, idest consanguinei et consobrini Christi, persuadebant ei hodie ut ascenderet in Iudaeam, ut se exponeret vitae discrimini ascendens ad diem festum. [72] Christus autem tutiorem ac securiorem locum elegit, praetulit Galilaeam Iudaeae; licet Iudaea multo esset nobilior ac illustrior Galilaea, hic tamen securior Christus erat.

et mundus;

Sic docet Christus fugienda nobis esse pericula, ne temere salutem nostram in discrimen deducamus. Docet ut fugiamus mundum, qui a satana agitatus nos odio habet et electos Dei persequitur: *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de eo, quod opera eius mala sunt.* [73] Sic Christus nihil vult habere commune cum mundo.

exemplo autem suo Christus docet fugienda nobis esse pericula,

VIII. Docet ut persecutiones patienter feramus, de manu Dei omnia accipientes: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* [74] *Calicem quem dedit mihi Pater non* vis ut *bibam?* [75] Nam sine divina providentia nihil fit in mundo: *Deus* est *qui operatur omnia in omnibus*, [76] *secundum consilium voluntatis suae.* [77] Scimus autem quoniam Deus pater noster est amantissimus, nec iudicium ipsius fallitur aut falli potest. Si ex caritate tribulationes nobis immittit, non possunt malae esse tribulationes, sed bonae, cum eas etiam unico Filio dederit; imo Christus eas pro se elegit et his onustus voluit ex hoc mundo in coelum abire. Voluit Deus ut Hebraei ex Aegypto egrederentur divites et onusti auro et argento gemmisque; [78] electi Dei ex hoc mundo et ex hac Aegypto has deferunt in coelum divitias:

et omnia mala accipienda de manu Dei,

qui ex amore tribulationes nobis immittit.

68) Eph 6, 12. 69) Cf. Iob 1, 12-2, 1-8. 70) Mt 13, 25. 71) Ibid. 10, 36. 72) Cf. Io 7, 3-5. 73) Ibid. vr. 7. 74) Iob 2, 10. Vulg.: *De manu Dei, mala quare non suscipiamus?* 75) Io 18, 11. *Vis ut* lect. cod. 76) 1 Cor 12, 6. 77) Eph 1, 11. 78) Cf. Ex 3, 21 sqq.; 11, 2; 12, 35-36.

poenas, tribulationes, humilitatem, paupertatem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum... Beati qui patiuntur persecutiones propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*[79]

Tribulatio etiam saepe in causa est ut ad Deum ex animo convertamur.

Christus patiens persecutiones a Iudaeis ambulat in Iudaeam, quae c i r c u l a t i o interpretatur, symbolum perfectionis. Sic ait: *Virtus in infirmitate perficitur.* Perfectus est circulus cum linea circino ducitur ad suum principium, ad punctum unde incepit. Tribulatio autem saepe in causa est ut ad Deum ex animo convertamur. Hebraei in Aegypto in tribulatione positi, ad Dominum clamaverunt;[80] Apostoli in navi, orta tempestate, dormitantem Christum excitaverunt dicentes: *Domine, salva nos, perimus.* Sic ait ille: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.*[81] Sic filius prodigus per tribulationem eruditus resipuit et ad patrem suum rediit.[82] Ad nostrum principium deducit, imo reducit nos tribulatio; operante Deo purgat, illuminat, perficit animum divinis virtutibus dignosque nos reddit corona vitae.

79) Mt 5, 3-10. Vulg.: *Qui persecutionem patiuntur,* etc. 80) Cf. Ex 2, 23 sqq.
81) Ps 119, 1. 82) Cf. Lc 16, 19 sqq.

FERIA QUARTA POST DOMINICAM PASSIONIS

Facta sunt encaenia in Ierosolymis, et hiems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis, etc. [1]

Festum encaeniorum mystice significat dedicationem hominis Deo factam per Baptismum.

I. Cum celebraretur Ierosolymae festum renovationis et dedicationis templi Salomonis, voluit Dominus festivitati huic interesse eamque praesentia sua honorare. Quod minime censendum est vacare mysterio, sed quod gratissima Christo est spiritus renovatio et dedicatio, cum homo seipsum Deo dedicat in templum vivum. Fuit Salomon figura Christi, templum figura et typus Ecclesiae et cuiuscunque fidelium, nam per fidem quisque Spiritus Sancti templum efficitur in Baptismo; baptizato siquidem Christo, descendit super eum Spiritus Sanctus, apertis coelis, et vox Dei intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*[2] Ibi nanque effectus designatur Baptismi; nam hominem suscipientem Baptismum Deus filium suum constituit, heredem coelestis regni et templum efficit Spiritus Sancti.

Triplex effectus Baptismi indicatur a D. Paulo.

Hinc Paulus ait quod *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed per suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.*[3] Videtis omnes hos tres effectus: *Lavacrum*, inquit, *regenerationis*, quia homo filius generatur in spiritu, nova fit creatura ; *quod si filius et heres*,[4] hinc ait: *Heredes simus . . . vitae aeternae.* Sed vocat etiam Baptismum *lavacrum renovationis Spiritus*

1) Pericope huius diei Io 10, 22-38. Cf. Missale Rom. 2) Mt 3, 17. 3) Tit 3, 4-7. Vulg.: *Benignitas et humanitas apparuit... sed secundum suam misericordiam*, etc.
4) Gal 4, 7.

Sancti, quia reparatur templum Domini, quod per hominis peccatum in paradiso corruerat satanae serpentis opera;[5] hic templum renovatur et Deo iterum dedicatur.

Triplex legitur dedicatio templi in figura renovationis spiritualis hominis,

II. Triplex nanque salomonici templi dedicatio in Sacris Litteris celebratur: prima, postquam a Salomone constructum fuit, septimo nanque anno absoluto, septimo mense dedicatum Deo fuit maxima cum solemnitate;[6] sed postea destructum a Nabuchodonosor rege Babelis funditusque eversum, a Zorobabele et Iesu, filio Iosedech, sacerdote magno, illo principe populi, hoc autem principe sacerdotum et hierarcha Ecclesiae, reparatum, Esdra et Nehemia etiam instaurantibus, Deo iterum dedicatum fuit post babylonicam captivitatem;[7] tertia Machabaeorum tempore a gentibus idolorum cultu profanatum, a Iuda autem Machabaeo repurgatum et sanctificatum, veteri altari destructo et novo constructo, quoniam illud daemonum sacrificiis pollutum erat, postremo loco fuit consecratum Deo magna cum solemnitate, maxima cum totius populi laetitia, exultatione et iubilo, statutumque fuit ut singulis annis in posterum semper celebraretur dies dedicationis huius.[8]

nam in Baptismo reparantur ruinae peccati,

In Baptismo renovatur vetustas templi, reparatur templum in Adamo collapsum ac funditus eversum satanae opera, et propterea Baptismus dicitur *lavacrum renovationis*. Sed quoniam adhuc per peccatum et vitia, quae sunt idolorum cultus, sicut de avaritia dixit Apostolus[9] et de gula: *Quorum deus venter est*,[10] polluitur templum hoc et profanatur, adhuc indiget renovatione, licet non sit funditus eversum. Nam peccata haec non auferunt fidem, nisi haeresim inducant, tamen quia profanatum est pollutumque cultu idolorum, renovandum iterum est Deoque sanctificatum dedicandum, veteri demolito altari novoque puro constructo et sancto: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.*[11] En David, templum profanatum adulterio et homicidio,[12] novum requirit altare, veteri destructo: *Cor contritum et humiliatum*, hebraice *contusum, Deus, non despicies.*[13]

sed iterum homo peccato polluitur, ideo indiget renovatione et dedicatione.

5) Cf. Gn 3, 1-6. 6) Cf. 3 Rg 6, 38; 8, 1 sqq.; 2 Par 5, 1 sqq. 7) Cf. 4 Rg 25, 1-17; 2 Par 36, 6-20; 1 Esr 6, 1 sqq. 8) Cf. 1 Mach 4, 36-59. 9) Cf. Eph 5, 5; Col 3, 5. 10) Phil 3, 19. 11) Ps 50, 12. 12) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 13) Ps 50 (hebr. 51), 19.

Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Per salutarem poenitentiam renovatur templum animae nostrae vetustate peccati confectum: *Renovamini... spiritu mentis vestrae*, ait Apostolus veluti declarans quidnam sit festum encaeniorum: *Deponite*, inquit *ad Ephesios*, *deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris ; renovamini autem spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis;* [14] et *ad Colossenses : Deponite... omnia* vitia *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum.* [15] Deponere iubet pristinam conversationem secundum carnem, deponere omnia vitia, deponere *veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris ;* saepe enim ex fragilitate carnis aut ignorantia peccamus.

Hanc triplicem renovationem templi spiritualis D. Paulus declarat.

Et quidem omnia quae in mundo sunt, corruptioni et interitui sunt obnoxia; corrumpuntur quaecunque a natura generantur, deficiente virtute; senescunt et deficiunt homines, animalia, plantae; senescit in autumno annus et deficit in hieme tanquam decrepitus; initio autem veris universa natura renovatur, adventante sole et coelesti virtute omnia fecundante ac reparante. Etiam quae arte fiunt omnia antiquantur; etiam quae aeterna videbantur aedificia templorum, palatiorum, turrium, moenium, arcium, civitatum, omnia indigent reparatione ac renovatione; sic etiam in moralibus. Haec est triplex renovatio templi, cum lex naturae veluti confecta vetustate esset, per legem Moysi in decalogo renovata fuit; lege etiam Moysi vetustate collapsa, reparata est per Evangelium; antiquato tabernaculo Moysi, aedificatum fuit novum templum; synagoga veteri deleta, nova a Christo condita est Ecclesia.

Sicut in naturalibus omnia corrumpuntur et renovantur, sic etiam in spiritualibus.

III. In hieme celebrabatur festum encaeniorum, quoniam tunc incipit renovari natura, cum sol a nobis longissime semotus incipit ad nos reverti et lento licet gradu, accedit tamen. Frigus in causa est vetustatis naturae, recedente a nobis sole, calor autem causa

Renovatio haec fit exuendo vetustatem vitiorum

14) 4, 22-24. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Deponere vos*, etc. 15) 3, 8-10.

et induendo novitatem virtutum.

renovationis et regenerationis, eodem ad nos accedente sole. Exuamus igitur cum natura vetustatem peccati vitiorumque omnium et induamus novitatem virtutum; exuamus veterem Adam et induamus novum, nam: *Quicunque... in Christo baptizati estis, Christum induistis;* [16] *Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de coelo, coelestis... sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis.* [17] Hinc reperitur Christus in templo dum celebratur festum renovationis, quoniam sine Christo non potest fieri spiritualis haec renovatio, sicut nec sine sole potest renovari natura; Christus enim *sol* est *iustitiae.* [18]

In hodierno Evangelio habemus tum vetustatem peccati tum novitatem virtutis et gratiae;

Habemus autem in hodierno Evangelio tum vetustatem peccati in Iudaeis tum novitatem virtutis et gratiae in ovibus Christi; nam Iudaei hodie a Christo tacite insinuantur esse satanae oves, non ex ovibus Iacob, sed ex ovibus Laban: [19] Vos *non estis ex ovibus meis.* [20] Vetustas peccati in Iudaeis, quoniam circumdederunt Christum: *In circuitu impii ambulant,* [21] sicut Samson captus a Philisthaeis et oculis orbatus, positus fuit in pistrino ut moleret. [22] Via iustitiae linea recta est, non curva, quae in seipsam reflectitur; iusti in Deum omnia dirigunt, Deum super omnia diligentes; peccatores autem omnia dirigunt ad seipsos, ad se omnia trahunt atque convertunt. Circulum ergo impietatis hieroglyphicum aliquando est.

cernitur enim in Iudaeis hodie triplex peccatum: cordis, linguae et operis.

Cum autem sit triplex peccatum: cordis, linguae et manus, cogitatione nanque verbo et opere peccamus, omnia cernimus hodie in Iudaeis. Peccatum cordis: *Loquor vobis et non creditis... Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis ;* [23] *Corde* autem *creditur ad iustitiam,* [24] unde etiam increpuit incredulitatem et duritiam cordis [25] et duros corde ad credendum discipulos appellavit, sive tardos corde. [26] Peccatum vero linguae, nam dixerunt ei: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* [27] O quot mendacia paucis verbis sunt comprehensa! *Quousque animam nostram tollis?* Mentiuntur se maximo desiderio agnoscendae veritatis teneri: *Si tu es Christus, dic nobis palam ;* mentiuntur quod Christus non praedicaverit eis nec dixerit veritatem, et clare et manifeste quod ipse esset Messias. Quod si palam dixisset, credidissent? Quod si palam

16) Gal 3, 27. 17) 1 Cor 15, 47-49. 18) Mal 4, 2. 19) Cf. Gn 30, 35-40.
20) Io 10, 26. 21) Ps 11, 9. 22) Cf. Idc 16, 21. 23) Io 10, 25-26.
24) Rom 10, 10. 25) Cf. Mc 16, 14. 26) Cf. Lc 24, 25. 27) Io 10, 24.

diceret, crederent? Nam propterea in concilio *damnaverunt eum esse reum mortis,* [28] pleno concilio, uno ore, una omnium et communi sententia tanquam blasphemum, eo quod manifeste dixerat se esse Messiam. Plura igitur mendacia et falsitates dicunt. Tertio peccatum operis, nam cum audissent Christum dicentem: *Ego et Pater unum sumus, sustulerunt... lapides... ut lapidarent eum,* [29] ut tanquam blasphemum lapidibus populari furore obruerent, ut auctorem vitae interficerent. [30]

Haec vetustas deponenda nobis est.

Haec igitur peccati vetustas est: lapidare voluerunt Christum in templo, sicut olim sanctissimum pontificem Zachariam filium Ioiadae, [31] virum Spiritu Sancto plenum, summum sacerdotem et hierarcham synagogae. Haec vetustas deponenda nobis est et procul abicienda, induenda autem novitas virtutis, de qua ait: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis ;* [32] *Vos* autem *non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* [33]

Tangit hodie Christus mysterium praedestinationis divinae,

IV. His verbis Christus altissimum tangit et imperscrutabile praedestinationis divinae mysterium; nam ipse novit omnes, tum electos tum reprobos, ipse solus potuit aperire librum ad dexteram Dei sigillis septem signatum, quem nullus hominum vel Angelorum potuit aperire nec videre quidnam in eo scriptum esset; [34] sed Christus, *in quo sunt... thesauri sapientiae et scientiae* [35] Dei, omnia novit. Non sine causa autem loquitur hodie Christus de altissimo hoc mysterio dum festum celebrat renovationis et dedicationis templi, sed ut sciamus quod renovatio haec, quae fit per iustificationem, effectus est divinae praedestinationis, sicut Paulus ait: *Nam* Deus *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit ; quos autem vocavit, hos et iustificavit ; quos autem iustificavit, illos et magnificavit.* [36] Hinc ait scribas et Pharisaeos non respondisse vocationi divinae, ut per Christi fidem iustificarentur et

cuius effectus est renovatio spiritualis, quae fit per iustificationem.

28) Mc 14, 64. Vulg.: *Condemnaverunt eum*, etc. 29) Io 10, 30-31. 30) Cf. Act 3, 15. 31) Cf. 2 Par 24, 20-22; Mt 23, 35. 32) Io 10, 27-28. 33) Ibid. vr. 26. 34) Cf. Apc 5, 1-8. 35) Col 2, 3. 36) Rom 8, 29-30. Vulg.: *Imaginis Filii sui... et quos vocavit... illos et glorificavit. Magnificavit* lect. cod.

sanctificarentur fierentque templum sanctum Domino dedicatum, quia non erant ex ovibus suis, ex electis et praedestinatis, sicut Iacob dilectus, sed ex praescitis et reprobatis, sicut Esau odio habitus.[37]

Paucis verbis multa dicit de hoc altissimo mysterio,

Et quidem paucis verbis Christus multa dicit de altissimo hoc et imperscrutabili mysterio; nam licet nobis sit imperscrutabile mysterium hoc, sicut fluvius ille apud Ezechielem, qui transvadari non potuit,[38] unde Paulus: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!*[39] Christus tamen plenissime novit omnia secreta et arcana divini pectoris, nam inquit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, cum loqueretur de hoc mysterio dicens: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.*[40] Nemo hominum aut Angelorum novit omnia divini pectoris mysteria, nisi Christus, ideo certissime et verissime loqui potuit de hoc mysterio nobis imperscrutabili. Sicut enim Deus solum Moysen voluit ascendere in montis cacumen et caliginem intrare, in qua Deus erat, ei soli secreta sua revelare tanquam amico intrinseco et fidelissimo,[41] sic solum Christum nosse voluit secreta praedestinationis divinae mysteria.

omnibus imperscrutabili, excepto Christo, qui omnia novit secreta Dei;

ideo paucis totum fere ordinem huius mysterii explicavit.

Cum igitur Christus haec perfectissime nosset, paucis verbis de ea complexus multa fuit, ita ut totum fere ordinem seriemque huius mysterii generatim explicarit dicens: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea*, quia *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est*, sive ex graeco: *Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego* autem *et Pater unum sumus.*[42] Habemus hic oves Iacob et oves Laban, animalia munda et immunda, vasa misericordiae et vasa irae, vasa in honorem et vasa in contumeliam;[43] habemus

37) Cf. Mal 1, 2-3; Rom 9, 13. 38) Cf. 47, 5. 39) Rom 11, 33. 40) Mt 11, 25-27. Vulg.: *Sic fuit placitum*, etc. 41) Cf. Ex 19, 8 sqq. 42) Io 10, 26-30.
43) Cf. Rom 9, 21-23; 2 Tim 2, 20.

filios Dei et filios satanae, Iacob dilectum et Esau odio habitum, electos et reprobos, praedestinatos et praescitos.

V. Cum sit autem Christus qui librum signatum sigillis septem solus aperire potuit, qui solus novit divina mysteria, de altissimo hoc et divinae praedestinationis mysterio tria in universum dicit, ostendens principium, finem et media necessaria et sufficientia ad finem consequendum. Principium auctoremque seipsum ostendit quatenus Deus [est] et quatenus homo. Christus enim non solum causa efficiens est nostrae praedestinationis, sed etiam, ut Paulus docet, exemplaris: *Conformes fieri imaginis Filii* eius; finalis etiam et meritoria: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati . . . Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae.* [44] *In ipsum* inquit, idest in gloriam ipsius: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus ;* [45] *Ut sit ipse in omnibus primatum tenens.* [46]

Tria in universum dicit ostendens principium, finem et media praedestinationis.

Non sine causa autem Christus de mysterio hoc loquitur in festo encaeniorum, idest consecrationis et dedicationis templi, et in porticu Salomonis, regis sapientissimi, qui alpha et coryphaeus [47] extitit hominum sapientum, sed ad designandum quod praedestinatio ipsa est quaedam consecratio ac dedicatio rationalis creaturae in templum sanctum Domini, ad inhabitandum perpetuo per gratiam in praesenti et per gloriam in futuro. Hanc enim ob causam electi dicuntur *templa Dei: Templum . . . Dei sanctum est, quod estis vos;* [48] *Vos . . . estis templum Dei vivi;* [49] Hoc est *tabernaculum Dei in hominibus et habitabit in eis.* [50]

Praedestinatio est veluti dedicatio creaturae in templum sanctum Domino.

Loquitur autem de hoc mysterio in porticu Salomonis, sapientissimi simulque religiosissimi et felicissimi regis, quoniam supernaturali, divina summaque opus est sapientia ad tractandum de tali tantoque mysterio; hinc solus Christus potuit aperire librum signatum sigillis septem in *Apocalypsi : Radix David aperire librum et solvere septem signacula eius.* [51] Per librum enim designatur hoc mysterium,

Supernaturali sapientia opus est ad tractandum de tanto mysterio.

44) Eph 1, 4-5. 45) Rom 8, 29. 46) Col 1, 18. Vulg.: *Ut sit in omnibus ipse*, etc.
47) Modus dicendi proverbialis, de quo cf. P. Mannuccius *Adagia*, col. 819. 48) 1 Cor 3, 17. 49) 2 Cor 6, 16. 50) Apc 21, 3. Vulg.: *Cum hominibus et habitabit cum eis.*
51) 5, 5.

de quo M o y s e s : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui . . . Dominus : Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* [52]

de quo solus Christus loqui potest, qui est ipsa sapientia Dei.

Quoniam vero licet hic sit, quemadmodum I s a i a s ait, liber signatus quem legere nemo potest, nec indoctus nec doctus,[53] Christus tamen facillime aperuit legitque; hinc tanquam sapientissimus Salomon, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei, qui ille est super quem requievit *Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus,* [54] imo qui est ipsamet sapientia Dei, [55] hanc ob causam aperit hodie divini pectoris arcana, ipse enim summus est pontifex qui solus intrabat in sanctum sanctorum, ubi erant in arca thesauri sapientiae et scientiae Dei. [56]

Pastorem Christus hodie se dicit, quia praedestinatio oritur ex bonitate Dei.

VI. *Oves meae vocem meam audiunt.* Pastorem se dicit Christus, Deus enim tanquam piissimus pastor, imo amantissimus pater, sua tantum bonitate et caritate motus praedestinat et eligit ad vitam aeternam. Ostendit hodie Christus divinitatem suam dicens: *Ego et Pater unum sumus ;* cumque hanc ob causam lapidibus obruere vellent eum Iudaei, argumento probat ex eo quod Prophetae et sancti appellati sunt dii: *Ego dixi : Dii estis,* quanto magis Messias? Nam ad hoc Deus nomen et titulum divinitatis dedit hominibus, quia Deus aliquando futurus erat verus homo et homo verus Deus.

Agit etiam de divinitate sua, quia solus Deus potest praedestinare.

Ideo autem agit de divinitate sua, quoniam ad solum Deum spectat praedestinare, cum sit actio aeterna; quare Deum et pastorem se ostendit, quia divina bonitas principium, radix et origo est praedestinationis. Non enim ex praevisis meritis praedestinat hominem ad vitam aeternam, nam bona opera sunt effectus praedestinationis: *Quos* enim *praedestinavit, hos et vocavit . . . et iustificavit . . . et magnificavit,* sed ex mera bonitate sua, sicut etiam mundum creavit. Sicut enim natura non potest cadere sub merito, ita nec gratia, nam alioquin non est gratia: [57] *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te; Non* est *volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* [58]

Quid sit autem praedestinatio ostendit dicens: *Cognosco oves*

52) Ex 32, 31-33. 53) Cf. 29, 11-12. 54) Ibid. 11, 2. 55) Cf. 1 Cor 1, 24. 30.
56) Cf. Hebr 9, 1-12. 57) Cf. Rom 11, 6; S. Thomas *S. Theolog.*, 3, q. 2, a. 11.
58) Rom 9, 16.

meas, cognitione beneplaciti, nam praedestinatio, licet concludat actum divini intellectus, ut Paulus ait: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui,* simul tamen concludit actum divinae voluntatis. Nam hanc ob causam praedestinati dicuntur *electi* et *dilecti: Iacob dilexi;*[59] *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem;* imo potius actus est voluntatis quam intellectus; nam propterea in Sacris Litteris saepe appellatur nomine *electionis : Pauci* sunt *electi;*[60] nomine *propositi : Ut secundum electionem propositum Dei maneret ;*[61] *His qui secundum propositum vocati sunt sancti ;*[62] nomine *dilectionis* et *miserationis : Miserebor cui misertus sum, et misericordiam praestabo cui miserebor.*[63]

Praedestinatio est actus divini intellectus et voluntatis, imo potius voluntatis quam intellectus.

VII. Finis praedestinationis est gloria perpetua: *Ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum ;* media vero sunt: *Vocem meam audiunt* per fidem, *et sequuntur me* per caritatem, credunt mihi et imitantur exempla virtutum mearum: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;*[64] *Exemplum ... dedi vobis.*[65] Multi sunt quibus cum non placeat virtus, sed blanda vitia carnis eos delectent nolintque per coelestem scalam divinarum virtutum in coelum ascendere, similes sunt Iudaeis hodie Christo dicentibus: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis palam:* Christo imputant suam incredulitatem, sicut Adam culpam suam in Deum reiecit: *Mulier quam dedisti mihi*[66] Sic, inquam, multi, cum in peccatis vivant et in statu perditionis perseverent, eo deveniunt ut existiment et dicant Deum nolle eos salvare, quia si salvare eos vellet et ex animo diligeret, multo maiora beneficia multoque maiorem gratiam contulisset.

Finis praedestinationis est gloria aeterna, media vero sunt fides et caritas.

O insensati! Quis unquam pastor ovem suam odio habuit? Deus autem non tantum pastor, verum etiam pater noster est. Quis pater filium odio habuit? Si ovis sit morbida, ita ut suo morbo ovile inficiat, ceteris ovibus causa sit morbi, tunc pastor eam eicit ab ovili; si filius sit inobediens, contumax, iniquus, scelerosus, tunc a patre domo eicitur et paterna hereditate privatur.

Deus vult omnes salvari, quia omnes diligit

59) Mal 1, 2; Rom 9, 13. 60) Mt 20, 16; 22, 14. 61) Rom 9, 11. 62) Ibid. 8, 28. Vulg.: *Iis qui,* etc. 63) Ibid. 9, 15. Vulg.: *Miserebor cuius misereor... cuius miserebor.* 64) Mt 11, 29. 65) Io 13, 15. 66) Gn 3, 12.

et omnibus dat media salutis, sicut pro omnibus mortuus est.

Quod si nosse vis, homo, quod Deus *vult omnes homines salvos fieri*, [67] quod *Salvator est omnium hominum, maxime* autem *fidelium*, [68] vide media, quae instituit in hominum salutem, vide in hodierno Evangelio templum dedicatum Deo in domum orationis, ad quod, ut legimus *1 Paralipomenon*, per quattuor portas iuxta quattuor mundi plagas ibatur: [69] *Domus mea domus orationis est*, inquit, *cunctis gentibus*. [70] In templo autem videre est Sacramenta, sacrificia, sacerdotes, doctores et ministros divini verbi; ibi asservabantur divinae Scripturae coelitus revelatae, sicut coelitus data fuit sapientia Salomoni. [71] Haec autem omnia communia sunt omnibus et Christus hodie praesens in templo pro salute omnium venit in mundum, pro salute omnium mortuus est.

II. ALIA HOMILIA

Facta sunt encaenia in Ierosolymis... Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis... Si tu es Christus. [1]

Praesens est Christus festo dedicationis templi, quod figurabat Ecclesiam,

I. Honorat Christus festum dedicationis templi sua praesentia, sicut Deus honoravit dedicationem tabernaculi Moysi, nam descendit in columna nubis et ignis illudque sua gloria replevit; [2] honoravit etiam dedicationem templi Salomonis, nam in die dedicationis, spectante universo populo, descendit de coelo in flamma ignis totumque templum sua maiestate implevit; [3] nam templum illud Ecclesiam designabat: *Templum... Dei sanctum est, quod estis vos*; [4] *Vos... estis templum Dei vivi*, [5] aiebat Paulus; et alibi: *Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu* Sancto; [6] Petrus etiam: *Ad quem accedentes*

67) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult*, etc. 68) Ibid. 4, 10. Vulg.: *Est Salvator*, etc. 69) Cf. 26, 12-18. 70) Is 56, 7. Vulg.: *Vocabitur cunctis populis.* 71) Cf. 3 Rg 23, 11-12; 2 Par 1, 11-12.

1) Io 10, 22-24. 2) Cf. Ex 33, 9-10. 3) Cf. 2 Par 7, 1-2. 4) 1 Cor 3, 17. 5) 2 Cor 6, 16. 6) Eph 2, 19 sqq.

lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis. [7]

Beatus homo qui seipsum totum Deo dedicat! Nam Enoch, qui aedificatio interpretatur, quoniam totum se divino cultui dedicavit et cum Deo ambulavit, raptus in coelum fuit. [8] Hinc Christus in dedicatione templi loquitur de vita aeterna: *Ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea ;* [9] imo loquitur Christus de ineffabili mysterio divinae praedestinationis in festo dedicationis templi dicens: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis.* [10]

et loquitur de mysterio praedestinationis,

Nec immerito, nam praedestinare nihil aliud videtur esse nisi templum rationalis creaturae, quae Dei capax est per cognitionem et amorem, dedicare Deo in habitaculum sanctum in praesenti quidem vita per gratiam et in futura per gloriam, ut sit homo similis Christo, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis;* [11] nam: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* [12] Hanc ob causam praesens est Christus in sacratissimo hoc festo dedicationis.

quia praedestinare est dedicare creaturam in habitaculum Dei.

II. De hoc autem mysterio Christus tria docet: principium, finem et media. Principium. *Ego cognosco eas et vitam aeternam do eis,* idest animo paratus sum dare; opus est divini tum intellectus tum voluntatis, opus divinae sapientiae et bonitatis; hinc *ambulabat in templo, in porticu Salomonis,* regis pacifici, sapientissimi, optimi. Finis est: *Vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Media autem sunt: *Oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me.* Ad consequendum finem divinae praedestinationis opera requiruntur: *Quos . . . praedestinavit . . . vocavit . . . iustificavit . . . magnificavit;* [13] *Satagite, fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* [14] Promiserat Deus Hebraeis terram Chanaan, sed ad eam acquirendam armis

De hoc mysterio Christus tria docet: principium, finem et media;

7) 1 Petr 2, 4-5. 8) Cf. Gn 5, 24. 9) Io 10, 28. 10) Ibid. vrr. 26-28. 11) Col 2, 9. 12) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis Filii sui,* etc. 13) Ibid. vr. 30. Vulg.: *Glorificavit. Magnificavit* lect. cod. 14) 2 Petr 1, 10. Vulg.: *Fratres, magis satagite* etc.

opus fuit, post longam peregrinationem in deserto; [14*] promiserat regnum Davidi, sed tamen multa prudentia et fortitudine multaque patientia opus fuit priusquam ad illud perveniret.

et vitam sanctam signum esse dicit praedestinationis.

Docet Christus hodie quod vita sancta, plena fide et bonis operibus signum est divinae praedestinationis et salutis. Cum Salomon templum aedificavit, adducebantur ex Libano lapides vivi, marmora pretiosa, sed adducebantur lapides illi elaborati et expoliti, [15] hinc non audiebatur in templo sonitus malleorum nec ferramentorum. [16] Lapides autem illi electos designabant. Cum aliquod aedificium construitur, si secernantur lapides elaborati et expoliti, signum est quod sapiens architectus disposuit lapides illos in aedificio collocare suisque coaptare locis; ita cum videntur fideles sanctis virtutibus ornati, expoliti, exculti, signum est quod tanquam lapides vivi collocandi sunt in templo coelestis gloriae in paradiso.

Omnis homo vel Dei ovis est vel satanae.

Hoc igitur est quod ait: *Oves meae vocem meam audiunt et cognosco eas et sequuntur me; Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, estis ex ovibus Laban non Iacob, [17] ex ovibus satanae non Dei: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* [18] Omnis homo ovis est, sed vel Dei vel satanae; omnis homo creatura Dei est, sed vel praedestinatus vel praescitus, vel electus vel reprobatus, vel Iacob dilectus vel Esau odio habitus; [19] nam duo illi fratres duos populos designabant: *Duae gentes sunt in utero tuo et duo populi ex te dividentur populusque populum superabit et maior serviet minori.* [20] Plures enim sunt reprobi quam electi, plura vasa in contumeliam quam in honorem, [21] plura grana arenae in litore maris quam stellae in coelo, plures oves satanae quam Christi, quia plures sunt qui secundum carnem vivunt quam qui secundum spiritum, [22] qui seminant in carne ut metant corruptionem, quam qui seminant in spiritu ut metant vitam aeternam. [23]

Mysterium hoc incomprehensibile est,

III. Est autem mysterium hoc supramodum mirabile et incomprehensibile; nam Isaac, quando cognovit electionem Iacob et reprobationem Esau, obstupuit stupore vehementi et supra quam credi

14*) Cf. Ios 24, 1-13. 15) Cf. 3 Rg 5, 14 sqq. 16) Cf. ibid. 6, 7. 17) Cf. Gn 30, 35-40. 18) Ps 48, 15. 19) Cf. Mal 1, 2 3; Rom 9, 13. 20) Gn 25, 23. Vulg. *Ex ventre tuo dividentur.* 21) Cf. Mt 20, 16; Rom 1, 21-23; 2 Tim 2, 20. 22) Cf. Rom 8, 13. 23) Cf. Gal 6, 8.

potest miratus fuit,[24] nam, ut Paulus ait: *Cum... nondum nati fuissent aut boni aliquid egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui,*[25] idest minus dilexi, sicut in Scriptura mulier minus dilecta dicitur odio habita et contempta.[26] *Quid ergo dicemus?* ait Paulus: *Nunquid iniquitas* est *apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cui misereor et misericordiam praestabo cui*[27] *misereor.*[28] Ubi ostendit Paulus praedestinationem opus esse divinae pietatis, pendet ex sola voluntate et electione: *Non* est *volentis neque currentis, sed miserentis est Dei;*[29] *An non licet mihi quod volo facere?... Non facio tibi iniuriam.*[30] Potest homo quae sua sunt donare cui magis libet, nec iniuriam tibi infert si tibi non donat, cum nihil tibi debeat.

sicut docet D. Paulus,

Ostendit etiam Paulus praedestinationem esse actum divinae voluntatis, sicut praescientia opus est intellectus divini; nam cum dixisset: *Scimus... quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti,*[31] ad hoc comprobandum subtexuit: *Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri.* Quod prius *propositum* dixerat, nunc *praedestinationem* dicit, sicut Theophylactus exponit: *Secundum propositum,* idest praedestinationem; declarans autem quid sit praedestinatio ait: « Praedestinationem velim intelligas optimam et immutabilem Dei voluntatem ».[32] Sic postea Paulus dixit: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret,* nam *operatur omnia secundum consilium voluntatis suae;*[33] sic etiam Dominus ait: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*[34] Quare *praedestinavit* idem est ac proposuit, deliberavit, firmiter determinavit conferre beneficia gratiae et gloriae; nam etiam gratia, virtutes, opera bona, liberi arbitrii bonus usus, effectus sunt divinae praedestinationis. Non ergo ex praevisis meritis aut praevi-

ostendens praedestinationem esse actum divinae voluntatis;

hoc innuit etiam Christus ipse.

24) Cf. Gn 27, 33. 25) Rom 9, 11-13. 26) Cf. Dt 22, 13. 27) Ms.: *Cui* bis ponitur. 28) Rom 9, 14-15. Vulg.: *Miserebor cuius misereor... cuius miserebor.* 29) Ibid. vr. 16. 30) Mt 20, 13-15. Ordine inverso affert hos vrr. 31) Rom 8, 28. 32) *Exposit. in Epist. ad Rom.*, (P. G. 124, 451). 33) Eph 1, 11. 34) Mt 11, 25-26. Vulg.: *Fuit placitum ante te.*

sione meritorum; non ait: *Oves meae vocem meam* audient et sequentur me, non loquitur in futurum, nam qui vero Dei spiritu repletus est, non procrastinat bonam vitam, sed pro viribus sanctam vitam ducit: *Vocem meam audiunt et sequuntur me.*

Ab ovibus suis Christus tria requirit: fidem, obedientiam et imitationem.

Tria dicit de ovibus suis: quod credunt, quod audiunt, quod sequuntur; fidem, obedientiam, obsequium praedicat fidelium suorum; quod credant dicta, exequantur iussa, imitentur virtutum exempla: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;* [35] *Exemplum ... dedi vobis ut quemadmodum ego feci ... ita et vos faciatis.* [36] Credere oportet Christi divinitatem, quam hodie ex operibus probat: *Si mihi non vultis credere, operibus credite,* [37] nam *opera quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me;* [38] a divina etiam virtute et potestate: *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei;* [39] tandem ab ipsa essentia: *Ego et Pater unum sumus;* [40] *Ut cognoscatis et credatis quia ego in Patre et Pater in me est.* [41] Sic obediendum Christo est tanquam vero Deo: *Oves meae vocem meam audiunt.* Sic Christum sequuntur veri fideles et imitantur tanquam verum Deum, sicut Hebraei in deserto divinum sequebantur ductum in columna nubis et ignis; [42] sequuntur tanquam pastorem oves: *Vocem meam audiunt et sequuntur me.*

Duo haec necessaria nobis sunt: renovatio et dedicatio Deo.

IV. *Facta sunt encaenia in Ierosolymis, et hiems erat.* Festum erat renovationis templi et dedicationis. Duo simul necessaria sunt: renovatio et dedicatio: *Renovamini autem spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* [43] Natura in vere, [44] sole ad nos ab austro accedente, incipit vetustatem deponere ac renovari, omnia reviviscunt ac revirescunt. Sic renovationem vitae a nobis requirit Deus, ut *in novitate vitae ambulemus,* [45] ut deponamus *secundum pristinam conversationem veterem hominem.* [46] Nec sufficit, sed opus est nos totos Deo in perpetuum dedicare: cor, linguam, sensus, manus, pedes, corpus, totum et omnia, ut habitet Christus per fidem in cordibus nostris. [47]

35) Ibid. vr. 29. 36) Io 13, 15. 37) Ibid. 10, 38. 38) Ibid. vr. 25. Vulg.: *Haec testimonium,* etc. 39) Ibid. vr. 29. 40) Ibid. vr. 30. 41) Ibid. vr. 38. Vulg.: *Quia Pater in me est, et ego in Patre.* 42) Cf. Nm 9, 15 sqq.; Dt 1, 33. 43) Eph 4, 23-24. 44) Ms.: *Hieme,* loco: *Vere.* 45) Rom 6, 4. 46) Eph 4, 22. 47) Cf. Ibid. 3, 17.

Omnis homo vel mundo vel Deo dedicatus est.

Facta sunt encaenia Ierosolymis. Legimus in Sacris Litteris renovationem templi et civitatis Ierusalem,[48] et renovationem etiam civitatis Ericho;[49] sed renovator Ericho maledictus fuit a Iosue, quoniam civitas illa divino miraculo funditus eversa fuit.[50] Legimus etiam Enoch sanctum, qui Deo totum se dedicavit, ambulans semper cum Deo,[51] sicut servus fidelissimus cum domino suo; legimus etiam Enoch filium Cain, cui pater civitatem aedificavit,[52] qui totus mundo deditus fuit, mundo totum se dedicavit. Omnis homo est Enoch, sed vel mundo vel Deo dedicatus est, vel templum reaedificat vel maledictam civitatem Iericho.

48) Cf. 2 Esr 3, 1 sqq. 49) Cf. 3 Rg 16, 34. 50) Cf. Ios 6, 17-21. 51) Cf. Gn 5, 21-22. 52) Cf. ibid. 4, 17.

FERIA QUINTA POST DOMINICAM PASSIONIS

Rogabat Iesum quidam pharisaeus ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisaei discubuit. Et ecce, etc. [1]

Proponuntur hodie convivium Christo exhibitum a pharisaeo et poenitentia Magdalenae.

I. Duo proponuntur nobis in hodierno Evangelio: convivium Christo exhibitum a pharisaeo et poenitentia Magdalenae ad pedes Christi. In convivio recipit Christus a pharisaeo corporalia, in poenitentia dat Christus Magdalenae spiritualia; ubi clare cernitur id quod Christus ipse, Apostolo teste, dixit quod *beatius est magis dare quam recipere.* [2] Non enim petit Christus a pharisaeo, licet pauper esset, nam qui dives erat, pro nobis egenus factus est, [3] sed rogatus multis precibus flectitur ad acceptandum convivium; sed spiritualia bona dat non rogatus; promptior est ad dandum quam esuriens ad manducandum.

Promptior Christus est ad dimittenda peccata quam esuriens ad comedendum.

Hoc nanque est quod coram divino propitiatorio, ubi condonabantur peccata poenitentibus, semper parata erat mensa panum propositionis cum libaminibus optimorum vinorum, [4] in mysterium quod nil minus promptus est Deus ad dimittenda peccata quam esuriens ad comedendum optimos cibos; imo multo promptior, nam Christus hodie reliquit cibum et potum ut susciperet et commendaret poenitentiam peccatricis huius; sicut etiam cum samaritide egit. Nam cum fatigatus ex longo itinere, ieiunus usque ad sextam diei horam, usque ad meridiem, esuriret et sitiret, invitatus a discipulis ut manducaret respondit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius*

1) Pericope huius diei Lc 7, 36 sqq. Cf. Missale Rom. Vulg.: *Quidam de Pharisaeis,* etc.
2) Act 20, 35. Vulg.: *Quam accipere.* 3) Cf. 2 Cor 8, 9. 4) Cf. Ex 25, 30; 29, 40; Nm 15, 7.

qui misit me, ut perficiam opus eius. [5] Salus, inquit, animarum meus est cibus, is me cibus supramodum delectat, hunc esurio, salutem animarum ardentissime sitio; sic hodie ostendit. Et etiam ut sciremus quod poenitentia sacrum quoddam convivium est Dei et peccatoris, in quo Lazarus cum Christo convivatur, [6] filius prodigus cum patre clementissimo. [7]

Poenitentia sacrum quoddam convivium est Dei et peccatoris.

Hoc est quod in *Apocalypsi* legimus: Ego *sto ad ostium et pulso; si quis ... aperuerit mihi ... intrabo ... et coenabo cum illo et ille mecum.* [8] Instruemus, inquit, convivium commune, coenam faciemus, ministrabimus, apponemus cibos, ille suos, ego meos, ille de meis cibis manducabit et ego de suis. Nam poenitens proponit in mensa Dei cor contritum et spiritum humiliatum, quo maxime delectatur Deus, nam carnes quae Deo in sacrificium et holocaustum offerebantur, cibus dicuntur. Sed *sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* [9] Lacrimae sunt potus Christi suavissimus, caritas et devotio cibi, quibus noster Isaac maxime delectatur, quibus gustatis, daturus est benedictionem. [10] Cibus autem quo maxime delectatur poenitens peccator, est misericordia Dei, remissio peccatorum, pax conscientiae, salus animae. Ecce omnes hi cibi: *Dimittuntur tibi peccata* tua; *Fides tua te salvam fecit: vade in pace.* [11]

Proponitur hodie vivum exemplar verae poenitentiae,

II. Quare proponitur nobis hodie vivum exemplar poenitentiae, quae simul est gratissima Deo, sicut cibus esurienti, potus sitienti, et summe utilis nobis, cum afferat misericordiam Dei, remissionem peccatorum, pacem conscientiae et salutem animae, vitam sempiternam. Exemplar, inquam, nobis proponitur verae poenitentiae, quam Deus per Ioelem a nobis requirit: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et ... fletu et ... planctu, et scindite corda vestra et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae et praestabilis super malitia,* [12] idest facile placatur, facile sententiam mutat flectitque a malo inferendo in peccatores animum, sicut in

qua facile Deus placatur,

5) Io 4, 34. 6) Cf. ibid. 12, 1-2. 7) Cf. Lc 15, 11 sqq. 8) 3, 20. Vulg.: *Et ipse mecum.* 9) Ps 50, 19. 10) Cf. Gn 27, 3-10. 11) Lc 7, 48 sqq. Vulg.: *Remittuntur tibi*, etc. 12) 2, 12-13.

Exodo legimus. Cum enim populus idololatriae impietate se contaminasset adorans aureum vitulum, dixit Dominus Moysi: *Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos;* sed Moysi oratione: Quiescat ira tua *et esto placabilis super nequitia populi tui; recordare Abraham, Isaac et Iacob servorum tuorum... placatus... est,* inquit, *Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat, adversus populum suum.* [13]

sicut cernitur in Christo benignissime Magdalenam excipiente;

Sic videmus hodie Christum verum Deum benignissimum, misericordissimum, clementissimum, suscipientem prodigum filium, imo prodigam filiam, quod acerbius animum laedit, nam macula honoris non alia aqua aut liquore abstergi et lavari posse dicitur, quam sanguinis. Quis hominum, cui vel maxima sit honoris cura, ferre potest honoris iniuriam ab uxore vel filia? Sic per Ieremiam [14] ait: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam et recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra?... Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus.* [15]

Deus enim magis cupidus est salutis nostrae quam honoris sui.

Magis cupidus Deus est salutis nostrae quam honoris sui ex infinita benignitate et clementia sua. Non sequitur leges mundi, sed leges bonitatis et misericordiae suae ad dimittenda peccata poenitentibus, modo vera sit poenitentia, ex corde, non externa tantum, sed interna: *Scindite corda vestra; Revertimini ad me in toto corde vestro.* Talis fuit poenitentia Magdalenae, quae vivum exemplar proponitur verae poenitentiae. Non sedet ad mensam pharisaei, sed ieiunat ad pedes Christi et ieiunat cum fletu et planctu: *Lacrimis coepit rigare pedes eius.* [16]

Veram poenitentiam expressit Isaias.

III. Veram poenitentiam expressit paucis verbis Isaias dicens: *Convertimini sicut in profundum recesseratis;* [17] de qua idem alibi: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, quaerite iudicium... et venite et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur... si fuerint sicut vermiculus rubra, quasi lana alba erunt,* [18] ostendens poenitentiae effectum.

13) 32, 10-14. Vulg.: *Isaac et Israel*, etc. 14) Ms.: *Isaiam* loco: *Ieremiam*.
15) 3, 1. 16) Lc 7, 38. 17) 31, 6. 18) Ibid. 1, 16-18. Vulg.: *Ut coccinum... rubra quasi vermiculus, velut lana*, etc.

Sed paucioribus verbis ad vivum expressit: *Convertimini sicut in profundum recesseratis.* Ad quod Paulus alludens ait: *Sicut . . . exhibuistis membra vestra servire immunditiae . . . ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem.* [19] Sic hodie in Magdalena cernimus.

Apud Lucam Dominus tribus parabolis veluti depinxit veram poenitentiam: parabola ovis pereuntis, drachmae amissae et filii prodigi, [20] quoniam ad conversionem et poenitentiam veram necesse est ut Deus simul et homo concurrant: Deus quaerens ovem quae perierat, et homo ut filius ad patrem clementissimum rediens veniam petiturus. Magdalena hodie per seipsam quidem venit ad Christum, sed tamen divinitus tracta, nam: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* [21] *Traham vos in funiculis Adam, in vinculis caritatis.* [22]

et ipse Dominus tribus parabolis illustravit.

Habet veram poenitentiam, contritionem cordis, confessionem oris, et opera satisfactionis. Sic enim Regius Vates saepe poenitentiam suam describit: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo,* [23] natare faciam; et alibi: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam:* [24] en vehementem cordis contritionem, vehementem acerbissimumque dolorem. Sed etiam confitebatur peccatum suum Domino: *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* [25] Affligebat etiam seipsum ieiunio: *Genua mea infirmata sunt a ieiunio et caro mea immutata est propter oleum.* [26] Sic in Magdalena profluvium lacrimarum ostendit magnam cordis contritionem; oscula pedum Christi symbolum sunt confessionis, capillorum opera et unguentum opera satisfactionis [significant].

Vera poenitentia consistit in contritione cordis, in confessione oris et in operibus satisfactionis.

IV. *Ecce mulier quae erat in civitate peccatrix.* [27] Magnum Dei donum poenitentia, quam Deus peccantibus Angelis non concessit, minime concessit, sed eorum ruina irreparabilis fuit, [28] sicut fractura

Vera poenitentia magnum Dei donum est.

19) Rom 6, 19. 20) Cf. 15, 4 sqq. 21) Io 6, 44. Vulg.: *Nemo potest venire ad me,* etc. 22) Os 11, 4. Vulg.: *In funiculis Adam traham eos,* etc. 23) Ps 6, 7. 24) Ps 118, 36. 25) Ps 31, 5. 26) Ps 108, 24. 27) Lc 7, 37. 28) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6.

vasis crystallini reparari non potest, vas autem argenteum et aureum, si aliquo frangatur casu, reparari potest. Maria, soror Moysi, a lepra infecta, mundata ab ea divinitus fuit;[29] sic peccatrix ista mundata a peccato Dei miseratione fuit: *Dimittuntur tibi peccata* tua. Dimissa tamen ei fuerunt peccata ob veram poenitentiam.

nec tamen impossibilis est.

Existimabat forte hodie pharisaeus impossibilem esse poenitentiam et veram contritionem conversionemque peccatricis, forte quia apud Ieremiam legerat: *Si mutare potest aethiops pellem suam aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.*[30] Hinc eam adhuc iudicat peccatricem: *Hic si esset propheta, sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum, quia peccatrix.*[31] Sed hodiernum Evangelium ostendit possibilem esse poenitentiam veram, sicut in David patuit[32] et in Ninivitis;[33] nec tantum veram, sed etiam magnam, vehementem, amaram valde, sicut cum mulier plangit unicum filium; nam Magdalena hodie ad pedes Christi videtur sunamitis illa ad pedes Elisei amarissime flens propter mortem unici filii sui.[34] Nam talis a nobis requiritur pro peccatis dolor, sicut apud Ieremiam legimus: *Filia populi mei, accingere cilicio ... conspargere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*[35] Flevit Magdalena alias ad pedes Christi ob mortem unici fratris sui Lazari, et amare quidem, nam Christum movit ad lacrimas;[36] sed non tam amare nec tantam vim profudit lacrimarum ut hodie, quoniam non tam acerbum sentiebat ob eam mortem dolorem.

sicut patet in Davide, in Ninivitis et hodie in Magdalena.

Gratior Deo quodammodo est peccatoris poenitentia quam iusti innocentia.

V. Ostendit autem hodiernum Evangelium quam grata sit Christo vera poenitentia, quod gratior sit quodammodo peccatoris poenitentia quam iusti innocentia. Quod quidem tribus parabolis supradictis ostendit Dominus apud Lucam de magno gaudio Dei et Angelorum in coelo *super uno peccatore poenitentiam agente;*[37] et hodie etiam ostendit proposita parabola de duobus debitoribus,[38] ubi concludit quod, cum caritas sit quod a nobis summopere et principe loco requirit Deus, primum et maximum mandatum in lege,[39] peccator autem videns multa sibi a Deo remissa debita, multa condo-

29) Cf. Nm 12, 15. 30) 13, 23. 31) Lc 7, 39. 32) Cf. 2 Rg 12, 13. 33) Cf. Ion 3, 5 sqq. 34) Cf. 4 Rg 4, 27-30. 35) 6, 26. 36) Cf. Io 11, 32-35. 37) 15, 10. 38) Cf. ibid. 7, 41-43. 39) Cf. Mt 32, 38; Mc 12, 30.

nata peccata, magis Deum diligit quam iustus, qui vel nulla vel admodum pauca admisit peccata; hinc multo gratior est Deo peccator poenitens quam iustus innocens, tanquam maiori in Deum praeditus caritate. Hinc ferventiori caritate praeditum legimus Petrum quam Ioannem: *Diligis me plus his?... Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* [40] Christus magis dilexit Magdalenam poenitentem quam Martham innocentem, *quoniam dilexit multum,* [41] unde postea *optimam partem elegit.* [42]

quia peccator conversus ferventior est caritate quam innocens;

Hinc hodie Christus eam praefert pharisaeo viro religioso, qui iustitiam sanctitatemque vitae profitebatur. Non arguit eam de anteacta in peccatis vita, sed dulcibus verbis consolatur, sed defendit a pharisaeo patrocinium et protectionem eius suscipiens, imo laudat eam ostendens magnitudinem fidei, caritatis operum ipsius, ac tandem iusto pharisaeo praefert, longo spatio et intervallo anteponit.

hinc hodie Christus tantopere Magdalenam honoravit.

VI. Honoravit Deus semper poenitentiam. Ad honorandam commendandamque poenitentiam David Salomonem filium Bethsabee, cum qua adulterium commiserat, [43] regem constituit omnium sapientissimum et felicissimum; [44] eandem ob causam Petrum poenitentem instituit caput et hierarcham Ecclesiae, ovium suarum summum pastorem; Aaronem, post factum adoratumque vitulum aureum, [45] poenitentem facti constituit magnum sacerdotem summumque synagogae pontificem. [46] Isaias ait: *Expectat Dominus ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicii Dominus ; beati omnes qui expectant eum.* [47] Veluti magnum lucrum reputat Dominus condonare peccata, sicut mercator distrahens merces suas multo pretio. Dives mercator Deus est, merces eius sunt misericordia et miserationes; has merces distrahere cupit, sed honesto pretio.

Semper Deus honoravit poenitentiam,

In poenitentia nostra maxime elucet misericordia Dei, nam: *Secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum misertus est*

quia in ea maxime elucet divina misericordia,

40) Io 21, 15-17. 41) Lc 7, 47. 42) Ibid. 10, 42. 43) Cf. 2 Rg 11, 2-4. 44) Cf. 3 Rg 3, 11-13; 2 Par 1, 11-12. 45) Cf. Ex 32, 1-6. 46) Cf. ibid. 40, 12-13. 47) 30, 18.

Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. [48] *Timentes Dominum* poenitentes dicit.

dummodo poenitentia vera sit et ex corde.

Sed sciendum nobis [est] quod non omnis poenitentia hominum Deo accepta est: non poenitentia Pharaonis, cum divinis plagis flagellatus dixit: *Dominus iustus* est, *ego* autem *et populus meus peccatores,* [49] sed ut Deus averteret flagella irae ab eo; non poenitentia Esau, ut reciperet ac hereditaret benedictionem; [50] non poenitentia Saulis, ne regno Israelis privaretur ac spoliaretur; [51] sed poenitentia Magdalenae vera et ex corde, supramodum nanque contrita et humiliata ad pedes Christi humillime sese deiecit.

Ostenditur processus conversionis Magdalenae.

VII. Sed videamus, quaeso, inspiciamus, contemplemur sanctissimae huius peccatricis poenitentiam, qualis fuerit, quomodo ad Christum conversa sit; videamus quomodo facta est ex peccatrice sancta, ex mundana divina, ex terrena coelestis, similis utique coelesti illi mulieri, quam Ioannes vidit in coelo. [52]

Poenitentia oritur ex cognitione, sic Magdalena ut cognovit, flere coepit.

Ut cognovit, inquit. Ex cognitione habuit originem, hinc sumpsit initium vera ipsius poenitentia; nam quae minime vidimus, diligere quidem possumus bona aut odio habere mala, non autem quae minime saltem mente cognoscimus. Si quis domi aut in agro suo magnum habeat absconditum thesaurum et ipse ignoret, non laetatur nisi cum invenerit; et si amantissimae matri occisus sit ab inimicis unicus filius, non dolet, non plangit, nisi cognita, visa vel audita crudeli morte. Sic Magdalena ut cognovit Deum et seipsam, peccatorum suorum turpitudinem et perniciem, tunc amarissime flere coepit et magnam vim lacrimarum profundere.

Facilis est mulier ad lacrimas.

Facilis est ad lacrimas mulier, sed ad amarissimas lacrimas fletumque et inconsolabilem dolorem nonnisi magna ex causa movetur, vel mortis, vel magnitudine incommodi vel damni. Agar in deserto flentem legimus, eo quod unicus filius eius moriebatur ex necessitate; [53] Anna, mater Samuelis, amarissime flebat sterilitatem et ignominiam suam, eo quod maledicta reputabatur a Domino; [54] filia Iephte flevit multis diebus virginitatem, adolescentiam suam, eo quod iuvenis

48) Ps 102, 11-14. 49) Ex 9, 27. Vulg.: *Et populus meus impii.* 50) Cf. Gn 27, 34-36. 51) Cf. 1 Rg 15, 24-30. 52) Cf. Apc 12, 1. 53) Cf. Gn 21, 16. 54) Cf. 1 Rg 1, 5-10.

moritura erat ob votum a patre factum; [55] vidua sareptana flebat coram Elia mortem unici filii, [56] similiter sunamitis coram Eliseo [57] et vidua Naim coram Domino; [58] ipsam hanc mulierem alias flentem et plorantem legimus: nunc ob mortem [59] unici fratris, [60] nunc ob mortem Salvatoris in sepulcro ipsius, cum etiam raptum corpus Domini credidit. [61]

Sed hodie quam ob causam flevit, lacrimas tam amaras profudit? Num forte Lazarus et sui districtis gladiis eam insequebantur ob illatam domui et familiae iniuriam, dedecus, ignominiam? Minime, sed: *Ut cognovit :* ex cognitione magni, imo maximi mali magno, imo maximo dolore affecta fuit. In libro *Iudicum* legimus quod cum homo quidam, nomine Michas, cognovisset furata sibi fuisse idola sua, quae ipse tanquam deos colebat, coepit amare flere; interrogatus autem: Quid fles? respondit: Tulistis deos meos, et dicitis: Quid fles? [62] Existimabat se omnia amisisse bona, quoniam deos suos amiserat.

sed Magdalena hodie flet ex cognitione maximi mali peccati,

Quaenam mulier non plangit cum simul se amisisse novit et patrem amantissimum et amantissimum sponsum et omnes a quibus auxilium aliquod sperare posset? Magdalena agnovit quod ob peccata sua Deum vere amiserat, patrem amantissimum, sponsum dilectissimum, dilectissimum protectorem, defensorem, omne bonum suum; flebat ergo amissionem infiniti thesauri.

quia noverat se Deum bonum omne amisisse,

Nurus Heli sacerdotis magni, cum gravida esset et partus doloribus teneretur audiens quod arca Domini, quae habebatur thesaurus omnium bonorum, thesaurus ipsius Divinitatis, capta erat a Philisthaeis, hanc ob rem animi deliquium passa, prae nimio dolore expiravit dicens: *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.* [63] Mirabile dictu! Mulier multis doloribus circumdata – uno eodemque tempore angebatur doloribus partus, certum nuncium accepit mortis viri et etiam cognati, in oculis etiam suis eadem hora mortuus fuit socer ipsius Heli, summus sacerdos et pontifex, [64] – et tamen nonnisi hunc sentire acerbissimum dolorem videtur, quod amissa esset arca Dei, quod Deus ab Israel discessisset. Sic hodie Magdalena amarissime flet sciens se amisisse Deum.

sicut nurus Heli, capta arca Dei;

55) Cf. Idc 11, 29-38. 56) Cf. 3 Rg 17, 17-18. 57) Cf. 4 Rg 4, 27-28. 58) Cf. Lc 7, 12. 59) Ms.: *Ob morte.* 60) Cf. Io 11, 32-33. 61) Cf. ibid. 20, 11-15. 62) Cf. 18, 21-24. 63) 1 Rg 4, 21. 64) Cf. ibid. vrr. 11 sqq.

Et praeterea *ut cognovit* quod a divina iustitia damnata erat ad aeternam mortem perpetuosque inferni ignes inextinguibiles, et propterea tradita in manus daemonum, qui erant et sunt ministri divinae iustitiae – siquidem Magdalena a septem daemonibus tenebatur et septem daemonia ab ea Christus hodie eiecit,[65] – *ut cognovit* etiam se ab antiquo serpente morsam ac mortalissimo veneno infectam, amarissime plangit.

noverat se damnationem aeternam meruisse

Et quae mulier cum noverit quod noctu a fure pessimo, qui amicum et familiarem domus agebat, direpta sibi fuerint aurea ornamenta, margaritae, vestes pretiosae, ita ut etiam crines comasque, capitis omne ornamentum, totonderit faciemque dehonestaverit, non plangat amarissimo eiulatu videns se tam male tractatam, se nudam ac bonis omnibus spoliatam relictam? Sic Magdalena hodie a satana per peccatum se agnovit non tantum honore et pudicitia apud Deum et homines orbatam, sed etiam omnibus spiritualibus bonis, ornamentis, omni spiritus pulcritudine; sic deformatissimam ac dehonestatissimam se ad speculum pedum Christi hodie clara luce seipsam aspiciens, non potuit a fletu et amarissimis lacrimis abstinere.

et omnia amisisse spiritualia bona;

VIII. *Ut cognovit* autem infinitum malum suum, venit statim ad Christum tanquam ad asylum, sicut qui multo aere alieno gravatus, sciens iam decretum ut coniciatur in carcerem, videns adventantes satellites ad se capiendum currit ad asylum. Sic Magdalena hodie, sicut veneno infecta ad medicum pro salutari antidoto, sicut qui accensum videns domui suae ignem currit ad aquam. Venit autem ad Christum non compta et ornata, sicut nostrae mulieres veniunt ad Ecclesiam, etiam ad sacram ἐξομολόγησιν,[66] pompatice ornatae ac si ad nuptias pergerent; venit dimissis crinibus, tota verecunda et humilis, sicut Hebraeis Deus iussit, post vitulum adoratum, ut ornamenta omnia deponerent,[67] ac sic ad veniam consequendam veluti in cinere et cilicio poenitentiam agerent; venit, accessit, inquit, quae longe fuerat.[68]

hinc venit ad Christum tanquam ad medicum,

Hoc est peccatum: elongari a Deo corde et animo; haec igitur poenitentia: ad Deum spiritu et mente accedere. Hinc peccatum dicitur a v e r s i o a D e o, poenitentia autem c o n v e r s i o a d D e u m.

tota verecunda et humilis,

65) Cf. Mc 16, 9; Lc 8, 2. 66) Ms.: *Exomologesin.* 67) Cf. Ex 33, 5.
68) Cf. Eph 2, 13. 17.

Accessit: *Accedite ad eum et illuminamini;* [69] accessit: *Et stans retro secus pedes* [70] Domini. Humilem necesse est ac verecundam esse poenitentiam simulque spontaneam; nam sua sponte venit, parata recipere correptionem et correctionem: *Quia ego in flagella paratus sum et dolor meus in conspectu meo semper.* [71]

Mundari voluit Deus Hebraeos ipsos admissum facinus idololatriae, ut agnoscerent se servos esse dignos flagellis. Sicut [72] autem servus, cum dignum plagis aliquid egerit, spoliatus, cum flagello ad dominum quem laesit accedat dicens: Male egi, flagellis dignus sum, ecce adsum, paratus sum, tantum ne me a domo tua eicias, flagello percute, sic Magdalena hodie ad Christum accessit et ad eius pedes se deiecit, tanquam uxor in delicto a viro comperta, ad pedes ipsius prostrata veniam supplex petit. Ad pedes Christi Magdalena cernitur sicut Semei ad pedes David, eo quod ei iniurius fuerat, veniam petiit humillime prostratus ac per seipsum accedens sicque obtinuit. [73] Imo est hodie Magdalena ad pedes Christi sicut anima ipsius David ad pedes Dei poenitens, contrita, humiliata, dicens: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam... Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum.* [74]

ad pedes eius provoluta supplex veniam petens.

IX. In hodierno Evangelio quattuor sunt quae in summa proponuntur nobis. Primum, spectaculum, imo miraculum conversionis, multo illustrius ac mirabilius miraculo suscitationis Lazari; [75] hodie conversa est Magdalena in coelestem mulierem. Secundum, quod conversio et poenitentia possibilis ac facilis nobis est, adiuvante et cooperante Deo interius per spiritum suum; nec qualiscunque poenitentia, sed perfecta et integra ex toto corde, talis enim poenitentia nobis proponitur, exemplar utique perfectissimum verae poenitentiae et conversionis ad Deum. Tertium est quod conversio et poenitentia nostra [Deo est] sicut convivium esurienti et sitienti, imo multo gratior, sicut in conversione mulieris samaritidis Dominus ostendit; [76] hinc defendit hodie Christus poenitentem peccatricem, non tantum

Conversio magnum miraculum est, tamen possibilis.

gratissima Deo et nobis utilis ac delectabilis.

69) Ps 33, 6. 70) Lc 7, 38. 71) Ps 37, 18. Vulg.: *Quoniam ego*, etc.
72) Ms.: *Si*. 73) Cf. 2 Rg 16, 13; 19, 18-23. 74) Ps 50, 3. 75) Cf. Io 11, 1-44.
76) Cf. ibid. 4, 1-32.

benignissime suscipit, sed protegit, laudat, honorat, consolatur: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*[77] Quartum, tandem, quod nobis est summe utilis et iucunda, ita ut in hac vita nil esse possit nobis utilius aut iucundius: *Vade in pace.*

Magdalena peccatrix arx erat satanae, sed hodie a Christo capta.

Hodie Dominus tulit arcem Sion, sicut David de manu iebusaei, ex qua illi, ut inimici populi Dei, multa mala inferebant civitati Ierusalem. Cum autem tulisset eam David, multo magis communivit reddiditque inexpugnabilem pro custodia et defensione civitatis,[78] de qua ait: *Turris David... quae aedificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*[79] Et quidem Magdalena turris sive arx interpretatur, sed a daemonibus possessa et custodita erat, nam ab ea Dominus, ut Marcus ait, septem daemonia eiecit:[80] hi erant Iebusaei in arce Sion, qui multa mala inferebant civitati Ierusalem. *Mulier... in civitate* fidelium *peccatrix* arx est satanae, ex qua multos perimit et occidit. Cepit autem hanc arcem Christus non armorum vi, non obsidione, impugnatione et expugnatione, sed deditione.

ab immunditiis expurgatur et iterum Deo dedicatur.

Sicut synagoga ex Aegypto egrediens exportavit inde in obsequium Dei pretiosiora quaeque: aurum, argentum, margaritas gemmasque pretiosissimas,[81] sic hodie Magdalena *attulit alabastrum unguenti;*[82] et sicut Gedeon destruens aram Baal, destruxit etiam nemus et lucum ibique Domino sacrificium obtulit,[83] sic hodie factum est in Magdalena: hodie templum Domini ab idolorum immunditiis repurgatum ac emundatum, iterum dedicatum ac consecratum Domino est: *Corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti.*[84] Sic hodie celebratum est spirituale festum encaeniorum.[85]

77) Lc 7, 50. 78) Cf. 2 Rg 5, 7-9; 1 Par 11, 5-8. 79) Ct 4, 4. 80) Cf. 16, 9. Iuxta S. Auctorem unica mulier est peccatrix hodierna, Maria soror Lazari et Maria Magdalene, de qua Christus septem daemonia eiecerat. De hac quaestione cf. *Quadragesimale Secundum*, part. 3, pag. 136, not. 80. 81) Cf. Ex 3, 22; 11, 2; 12, 35-36.
82) Lc 7, 37. 83) Cf. Idc 6, 25-27. 84) 1 Cor 6, 19. Vulg.: *Membra vestra*, etc.
85) Cf. 1 Mach 4, 38 sqq.

II. ALIA HOMILIA

Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Iesus accubuit in domo pharisaei, attulit, etc. [1]

I. Pulcherrimam imaginem, vivam, naturalem verae et perfectae poenitentiae depictam a Spiritu Sancto in tabula Mariae Magdalenae habemus in hodierno Evangelio; pulcra adeo ut Christus Dominus noster, sapientissimus artifex totius universi, cum sederet ad mensam, hanc cum dono accepisset a Patre imaginem: *Nemo* enim *venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* [2] *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet;* [3] cum, inquam, ad mensam Christus cum pharisaeo sederet, hoc dono accepto, ad eam contemplandam et commendandam reliquit cibum et potum.

Exhibetur imago pulcherrima perfectae poenitentiae.

II. Ostendit primo in hodierno Evangelio Spiritus Sanctus quod poenitentia mirabilis est, miraculum quoddam magnum est: *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix,* facta est sancta, conversa est in coelestem mulierem sole amictam. [4] Magnum miraculum suscitatio Lazari, maius conversio Magdalenae, quanto anima est nobilior corpore, quanto coelum maius est terra; imo maius miraculum est, inquit Augustinus, conversio peccatoris quam creatio coeli et terrae, propter liberi arbitrii resistentiam, [5] nec cogi suapte natura potest; veluti si sol per folium arboris veluti per vitrum transmitteret radium suum, miraculum esset maius propter opacitatem, quam illuminatio totius coeli, totius aeris, totius mundi. Si nunc sol per tectum huius templi transmitteret radios suos ac si totum crystallinum esset, quis non miraretur? Non resistit radio solis totum coelum, totus mundus, et resistit tectum unius domus, et resistit folium arboris ne pertranseat radius. Sic maius miraculum est conversio unius peccatoris quam creatio totius mundi; ibi enim *dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt,* [6] hic autem minime;

Ostenditur primo, maximum miraculum esse poenitentiam,

et quidem maius creatione mundi;

1) Lc 7, 37. 2) Io 6, 44. Vulg.: *Nemo potest venire ad me,* etc.
3) Ibid. vr. 37. 4) Cf. Apc 12, 1. 5) *In Ioannem,* tract. 72, (P. L. 35, 1823).
6) Ps 32, 9.

resistit homo divino imperio. Sed tamen: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* [7]

secundo, poenitentiam impossibilem esse naturae sed non gratiae;

Ostenditur secundo quod possibilis est poenitentia; naturae quidem impossibilis est sicut mortui suscitatio, sed non impossibilis gratiae et potentiae Dei. *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix : erat,* non est amplius, sicut *terra ... erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi,* [8] וְחֹשֶׁךְ, [9] *obscuritas erat : erat,* non est amplius, quoniam *dixit ... Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.* [10] *Erat in civitate peccatrix,* sicut Maria, soror Moysi, lepra infecta, sed divinitus curata; [11] sicut templum fuit a rege Babylonis destructum, [12] sed postea reparatum a Zorobabele et Iesu, sacerdote magno. [13]

tertio, esse Deo summopere gratam,

Tertio, quod poenitentia Deo summopere grata est. Gratus est cibus esurienti, gratus potus sitienti, sed poenitentia Deo multo gratior. Ante divinum propitiatorium erat mensa panum propositionis, aureum candelabrum semper ardens et lucens, altare aureum incensi odoratissimi. [14] Grata est lux oculis, gratus odor suavis olfactui, gratus panis homini; sic poenitentia Deo, qui ex infinita misericordia et caritate sua *vult omnes homines salvos fieri;* [15] salvari autem non possunt, nisi remissione peccatorum accepta et plenaria indulgentia; haec autem nonnisi per poenitentiam acquiri a peccatoribus potest. En Christus hodie esuriens et sitiens relinquit cibum et potum corporalem propter spiritualem, nam poenitentia cibus Christi est, sicut in conversione samaritidis mulieris Dominus dixit Apostolis: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* [16] Sed: *Haec est ... voluntas Dei, sanctificatio vestra;* [17] Deus *vult omnes homines salvos fieri ; Nunquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus, et non* magis *ut convertatur ... et vivat ?* [18]

dummodo ne ficta sed vera sit,

Grata est Deo poenitentia, sed vera non ficta; grata poenitentia Davidis [19] non Saulis, [20] poenitentia Nabuchodonosor [21] non Pharaonis; [22] grata poenitentia Petri [23] non Iudae, [24] conversio Pauli [25] non Simonis

7) Lc 1, 37. 8) Gn 1, 2. 9) Ms.: *Vehoschec.* 10) Gn 1, 3-4. 11) Cf. Nm 12, 10 sqq. 12) Cf. 4 Rg 25, 1-17; 2 Par 36, 6-19. 13) Cf. 1 Esr 5, 1-6, 13 sqq. 14) Cf. Ex 40, 1-27. 15) 1 Tim 2, 4. Vulg.: *Omnes homines vult,* etc. 16) Io 4, 34. 17) 1 Thess 4, 3. 18) Ez 18, 23. 19) Cf. 2 Rg 12, 13. 20) Cf. 1 Rg 15, 24 sqq. 21) Cf. Dn 4, 31 sqq. 22) Cf. Ex 8, 8; 9, 27-28; 10, 16. 23) Cf. Mt 26, 75; Mc 14, 72; Lc 22, 61-62. 24) Cf. Mt 27, 3-5; Act 1, 18. 25) Cf. Act 9, 1 sqq.

Magi;[26] grata poenitentia Ninivitarum[27] non Samaritanorum.[28] Gratissima fuit poenitentia Magdalenae, quoniam vera, quoniam perfecta et numeris omnibus absoluta, nam accessit *et stans retro secus pedes eius, lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat.*[29] Lacrimarum copia testis est fidelis et verax cordis afflicti, animi dolentis. Magnus dolor stringit ac innodat cor, ita ut verba proferre et loqui minime sinat. Magdalena hodie nec verbum dicit. In morte Lazari ad pedes Christi prostrata plorabat quidem, sed tamen locuta fuit: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus ;*[30] sed hodie prae doloris magnitudine loqui non potest; corde tantum loquitur, imo palpebrae eius sunt labia, lacrimae verba: *Lacrimis coepit rigare pedes eius.*

Plorabat mulier sunamitis ad pedes Elisei prophetae mortem unici filii sui suisque lacrimis a viro Dei vitam extincto filio obtinuit;[31] Magdalena autem mortem spiritus sui ad pedes Christi deflet, sicut anima David ad pedes Dei: *Peccavi Domino ;*[32] *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam ;*[33] *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*[34] Hanc ob causam flere coepit et lacrimis rigare pedes Christi, quia peccatrix fuerat; et sicut Deus mundi impietatem lavit aquis diluvii,[35] sicut in aquis maris Rubri demersit Pharaonem cum universa multitudine Aegyptiorum salvavitque synagogam electam et dilectam,[36] sicut in aquis Iordanis mundavit lepram Naaman syri,[37] in aquis Siloe tersit tenebras caeci nati,[38] in aquis piscinae sanabat omnem languorem et omnem infirmitatem,[39] sic lacrimis Magdalenam purificat, sanctificat, illuminat, mundat, sanat, salvat: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*[40]

ut poenitentia Magdalenae,

Nec tantum vera ostenditur poenitentia, sed etiam perfecta, nam omnibus modis quibus potest satagit satisfacere pro peccatis suis. Si peccaverat per superbiam, nunc iacet ad pedes Christi: *Stans retro secus pedes eius;* peccaverat inverecundia, nunc prae erubescentia stat *retro secus pedes ;* abusa fuerat ore, oculis, crinibus, manibus, toto corpore, unguentis et vanitatibus pomparum, nunc totam

et perfecta;

26) Cf. ibid. 8, 24. 27) Cf. Ion 3, 1 sqq. 28) Cf. 4 Rg 17, 24 sqq.
29) Lc 7, 38. 30) Io 11, 32. Vulg.: *Non esset mortuus frater meus.* Cf. not. 80 praec. hom., pag. 600. 31) Cf. 4 Rg 4, 27-37. 32) 2 Rg 12, 13. 33) Ps 50, 3.
34) Ps 118, 136. 35) Cf. Gn 7, 11 sqq. 36) Cf. Ex 14, 23 sqq. 37) Cf. 4 Rg 5, 14. 38) Cf. Io 9, 7. 39) Cf. ibid. 5, 2-4. 40) Lc 7, 50.

seipsam Christo exhibet, convertitur ex *toto corde . . . in ieiunio et . . . fletu et . . . planctu.* [41] Hodie ex ea Christus septem daemonia eiecit, [42] ex inferno paradisum fecit, habitaculum Spiritus Sancti, ex turri Babel turrim David, *quae aedificata est cum propugnaculis.* [43]

quarto, poenitentiam facilem esse, Deus enim facilis est ad veniam;

Nec tantum mirabilis, possibilis et Deo valde cara ostenditur poenitentia, verum etiam valde facilis. Bone Deus! Mulier, si virum, si patrem, si fratrem iniuria affecerit, quantis opus est ad placandum animum laesi hominis! Licet homo iustus sit et timoratus, tamen illatam iniuriam vix unquam ex animo deponit, vix unquam, licet propter Deum veniam concesserit, aequis oculis eam aspicere potest maritus, pater, frater. Hoc est quod Deus per I e r e m i a m ait: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam et recedens ab eo fuerit cum viro altero, nunquid revertetur ad eam amplius ? . . . Tu autem fornicata es cum amatoribus* mundi *multis. Attamen revertere ad me, dicit Dominus.* [44] Suscipit hodie Christus Magdalenam sicut clementissimus pater filium prodigum suscepit: [45] non obiurgat, non improperat, non exacerbat; dat veniam et commendat poenitentiam. Sic dicere Deo poterat cum Ezechia liberato a morte: *Proiecisti post tergum . . . omnia peccata mea.* [46]

quinto, utilissimam esse et iucundissimam,

Sed tandem ostenditur quam utilis et iucunda sit poenitentia: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace ; Dimittuntur tibi peccata* tua. [47] Liberat poenitentia animam a potestate satanae et servitute peccati, sicut synagoga per Moysen liberata fuit a tyrannide Pharaonis et crudelissima servitute Aegypti. [48] Affert homini salutem aeternam: *Fides tua te salvam fecit,* sicut Ninivem a perditione. sicut Loth ab incendio, [49] sicut Noe a diluvio, [50] sicut Rahab a ruina Iericho. [51]

in poenitentia enim reperitur vera pax,

Tandem: *Vade in pace:* in poenitentia reperitur vera pax, quies et consolatio. In deserto pluit Deus manna Hebraeis, [52] in ore leonis occisi in solitudine reperiit Samson favum mellis: [53] *Lactabo eam et ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius.* [54] Sic Magdalena discessit a Christo divina consolatione repleta, facta ex inferno paradisus

41) Ioel 2, 12. 42) Cf. Mc 16, 9; Lc 8, 2. 43) Ct 4, 4. 44) 3, 1. Vulg.: *Duxerit virum alterum nunquid revertetur ad eam ultra?... Tamen revertere,* etc.
45) Cf. Lc 15, 20 sqq. 46) Is 38, 17. 47) Lc 7, 48. Vulg.; *Remittuntur tibi peccata.*
48) Cf. Ex 14, 19 sqq. 49) Cf. Gn 19, 16-17. 50) Cf. ibid. 7, 17-23.
51) Cf. Ios 6, 22-23. 52) Cf. Ex 16, 13 sqq. 53) Cf. Idc 14, 8. 54) Os 2, 14.

deliciarum Dei, quoniam ex habitaculo daemonum repente in templum Spiritus Sancti mutata est.

quoniam transmutatur infernus in paradisum.

O mirabilem metamorphosim! o divinam transmutationem! Poenitentia mirabilis quaedam alchymia est, qua transmutatur lutum in aurum, terra in coelum, daemon in angelum, infernus in paradisum, quoniam transmutatur nox in diem, obscuritas in claritatem, vitium in virtutem, peccatum in gratiam, mors in vitam. Hanc ob causam poenitentia Christo gratissima est. Cariores Christo fuerunt lacrimae Magdalenae quam si uniones pretiosissimae optimaeque fuissent: *Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum.* [55]

In poenitentia Magdalenae reperitur fides, humilitas, caritas,

III. Sed nihilne nobis dicendum est de coloribus, quibus divina haec imago depicta est in tela Magdalenae a Spiritu Sancto excellentissimo pictore? Sunt tres praecipue colores quibus utuntur pictores in imaginibus pingendis: candidus, obscurus et rubeus. Hic reperitur candor fidei: *Fides tua te salvam fecit;* lumen divinae cognitionis: *Ut cognovit quod* Iesus *accubuit in domo pharisaei;* [56] color obscurus humilitatis: Accessit *secus pedes eius;* rubeus color divinae caritatis: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* [57] hinc lacrimae, hinc oscula, hinc pretiosa unguenta, hinc depressio carnis et exaltatio spiritus; nam caro et spiritus in nobis sunt veluti bilances: quo magis altera deprimitur, eo magis altera exaltatur. Videmus Magdalenam ad Christi pedes corpore humiliatam, sed spiritu a Christo exaltatam, nam ait: *Qui se humiliat exaltabitur.* [58] Hinc nanque multis laudibus eam Christus extollit, sicut Deus extulit sacrificium Abrahae, [59] nam poenitentia Deo gratissimum sacrificium est: *Holocaustis non delectaberis ; sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* [60]

hinc a Christo tantopere laudatur.

Vera poenitentia paradisum constituit.

Fides tua te salvam fecit, vade in pace, vade consolata, compos voti facta. Per I s a i a m Dominus ait: *Consolabitur... domus Sion et consolabitur omnes ruinas eius, et ponet desertum eius quasi delicias et solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in eis, gratiarum actio... vox laudis.* [61] Sic poenitentia vera paradisum consti-

55) Apc 7, 17. 56) Lc 7, 37. Vulg.: *Accubuisset in domo pharisaei.* 57) Ibid. vr. 47. Vulg.: *Remittuntur ei,* etc. 58) Ibid. 14, 11; 18, 14. 59) Cf. Gn 22, 1-18. 60) Ps 50, 18-19. 61) 51, 3. Vulg.: *Invenietur in ea,* etc.

tuit; nam alibi etiam idem Vates ait: *Laetabitur deserta et invia et exultabit solitudo et florebit quasi lilium; germinans germinabit et exultabit laetabunda et laudans; gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron; ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri.* [62] Sic Magdalena, cum prius esset aridum horridumque desertum, facta est paradisus Domini.

Ostenditur hodie duplex aspectus Magdalenae: unus turpissimus, alter pulcherrimus.

IV. *Ecce mulier quae erat in civitate peccatrix.* Duplici cum facie ostenditur nobis hodie Magdalena: prius quidem cum facie turpi, nocti obscurae simili, postea vero cum facie pulcherrima, diei, coelo simillima; prius cum larva daemonis infernalis, postea cum vultu Angeli paradisi; prius *mulier... in civitate peccatrix,* postea: *Vides hanc mulierem?* [63] Praetulit illam Christus pharisaeo, *quoniam dilexit multum.* Contemplemur prius faciem peccatricis ut eam detestemur: *Ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix.* Beata civitas, quoniam nonnisi una mulier peccatrix erat! Sed existimo quod multae erant peccatrices, sed una tantum conversa. Rarissimum ut peccatrix mulier, sicut Magdalena, ad Christum vere ex animo convertatur, ut salvetur: *Fides tua te salvam fecit.*

Mulier... in civitate peccatrix. Scimus quod opera serpentis antiqui mulier peccatrix evasit, [64] cum a Deo sancta et innocens condita esset. Sic Magdalena daemonum opera peccatrix evasit; deinde quia mulier fragilis, infirma animo, modici intellectus, prudentiae et iudicii, ignorans quidnam sit peccatum, quanti facienda sit virtus.

62) Ibid. 35, 1-2. 63) Lc 7, 44. 64) Cf. Gn 3, 6.

FERIA SEXTA POST DOMINICAM PASSIONIS

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? etc. [1]

Colligunt Pharisaei iniquissimum concilium contra Iesum.

I. Sicut impius Absalom una cum Achitophele coegerunt concilium contra sanctissimum Davidem, ut eum regno simul et vita privarent, [2] et sicut Iudaei contra Ieremiam: *Cogitaverunt contra me consilia dicentes :* Venite, *mittamus lignum in panem eius,* sive *corrumpamus lignum,* arborem, *cum pane,* cum cibo, cum fructu suo, *et eradamus eum de terra viventium et nomen eius non memoretur amplius;* [3] ita hodie pontifices et Pharisaei, videntes Christum quod erat veluti arbor illa, de qua Regius Vates: *Beatus vir... erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo ; et folium eius non defluet et omnia quaecunque faciet prosperabuntur ;* [4] arbor mirabiles fructus producens: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt;* [5] *Hic homo multa signa facit ;* cogitant iniquissimum concilium: Venite, destruamus hanc arborem cum fructibus suis, eradicemus eam de terra, interficiamus eum, sicut egerunt filii Iacob contra sanctum Ioseph fratrem suum: *Ecce somniator... venite, occidamus eum.* [6]

Concilium hoc praevidit in spiritu Ezechiel,

II. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium:* magnum concilium *Sanhedrin* septuaginta seniorum, qui a Deo electi fuerunt atque pro-

1) Pericope huius diei Io 11, 47-54. Cf. Missale Rom. 2) Cf. 2 Rg 16, 15 sqq.
3) Ier 11, 19. Vulg.: *Super me consilia,* etc. 4) Ps 1, 1-3. 5) Mt 11, 5; Lc 7, 22.
6) Gn 37, 19.

moti ad regimen reipublicae una cum Moyse, principe supremo totius populi. [7] Ezechiel 8 capite suarum *Revelationum*, ut mihi quidem videtur, praevidit in spiritu hodiernum concilium. Nam ductus ab Angelo in templum vidit septuaginta seniores Israel una cum suo principe congregatos: *Ingressus vidi, et ecce... septuaginta viri de senioribus domus Israel, et* ecce *Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum... et unusquisque habebat thuribulum in manu sua et vapor nebulae de thure consurgebat.* [8]

oncilium vere satanicum.

Videmus congregatum concilium. Sed quidnam agebant? Quae negotia pertractabant? *Fili hominis... veni et vide abominationes pessimas quas isti hic faciunt.* [9] Ait enim quod vidit totum templum plenum idolis abominabilibus, depictis per circuitum in parietibus, ipsi vero idola adorabant eisque thura offerebant, non Deo; quare dixit ei Dominus: *Certe vides, fili hominis, quae seniores domus Israel faciunt in tenebris... dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* [10] O concilium satanicum, diabolicum! Erat concilium seniorum Israel concilium sacrum principum synagogae, virorum qui prudentissimi ac sapientissimi simulque sanctissimi habebantur; coactum erat in templo, sacro loco; quisque habebat in manu thuribulum, sacrum instrumentum destinatum ad sacra ministeria; sed tamen finis pessimus est huius concilii.

Bonum est cogere concilium pro optimo regimine reipublicae;

III. Bonum quidem est cogere concilium pro optimo regimine reipublicae, ad decernendum, ad consultandum de republica tuenda, conservanda, amplianda. Cum filii Ruben et Gad aedificassent altare trans Iordanem, quod videbatur contra divinae legis praescriptum, filii Israel coegerunt cum summo sacerdote concilium ad decernendum de altari illo, ne forte idololatriae causa aedificatum fuisset; coactum autem fuit magna cum solemnitate in Silo, [11] ubi erat arca Domini, ubi summus pontifex residebat. [12]

sic multa coacta fuerunt concilia in Ecclesia,

Sic etiam in Novo Testamento ab initio nascentis Ecclesiae multa fuere coacta concilia: a Petro quidem primum, post Christi ascensionem, pro electione Mathiae; [13] secundum, pro electione septem Diaco-

7) Cf. Nm 11, 16-25. 8) Vrr. 10-11. 9) Ibid. vrr. 8-9. Vulg.: *Ingredere et vide... faciunt hic.* 10) Ibid. vr. 12. 11) Cf. Ios 22, 10 sqq. 12) Cf. ibid. 18, 1; 1 Rg 1, 3. 13) Cf. Act 1, 15 sqq.

norum, in quo electus fuit Stephanus protomartyr;[14] tertium, pro libertate evangelica, ne imponeretur fidelibus iugum mosaicae legis;[15] quartum, pro purificatione Pauli.[16] Sic postea in successu temporis multa fuerunt congregata oecumenica concilia ad extirpandos errores tum contra fidem tum contra bonos mores; haec nanque sunt zizania quae inimicus Christi diabolus superseminavit in agro sacro Sanctae Ecclesiae.[17] Sic congregatum fuit Nicaenum concilium contra Arium negantem Christi divinitatem,[18] Ephesinum contra Nestorium impugnantem Deiparae Virginis inviolatam puritatem,[19] Constantinopolitanum contra Macedonium qui Spiritum Sanctum sacrilego ore negabat,[20] Chalcedonense contra Eutychen pessumdantem duas in Christo operationes iuxta duas naturas, divinam et humanam.[21] Et quidem Christus magnam dedit sacris conciliis auctoritatem: *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo . . . ubicunque enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*[22]

quibus Christus magnam contulit auctoritatem.

Et mirabile dictu est quanta sit sacrorum conciliorum auctoritas; patet ex hodierno Evangelio. Nam licet hodiernum concilium contra Christum a pessimis pontificibus et Pharisaeis esset coactum, et licet Caiphas, caput huius concilii, homo esset nequissimus, acerrimus inimicus Christi, tamen Spiritus Sanctus voluit huic interesse concilio et per linguam Caiphae loqui, ita ut, si non cor, linguam tamen moverit; nam cum tulisset sententiam: *Expedit . . . ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat,* licet nequissimo animo hoc dixerit, non intendens nisi necem Christi, tamen, inquit Evangelista, *hoc . . . a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Iesus,* etc.[23] Non fuit passus Deus ut pontifex, licet mente et moribus impius et scelestissimus, decernendo erraret, licet credendo

Quanta sit sacrorum conciliorum auctoritas patet ex hodierno concilio,

cui interesse voluit Spiritus S. ne pontifex erraret in decernendo.

14) Cf. ibid. 6, 1-7. 15) Cf. ibid. 15, 1-19. 16) Cf. Gal 2, 1-19. 17) Cf. Mt 13, 24-30. 18) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis*, vol. 2, part. 1, pag. 150. 165; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 54. 19) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis*, vol. 2, part. 1, pag. 150. 165; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 113. 20) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis*, vol. 2, part. 1, pag. 150. 165; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 85. 21) Cf. S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis*, vol. 2, part. 1, pag. 150. 165; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 148. 22) Mt 18, 18-20. Vulg.: *Ubi enim sunt duo*, etc. 23) Io 11, 50-51.

toto coelo erraret. Quare potest quidem Pontifex errare in credendo quatenus singularis persona, sed non in decernendo quae ad fidem spectant quatenus caput Ecclesiae, [24] propter divinam assistentiam et Spiritus Sancti praesentiam, qui omnibus vult interesse sacris conciliis: *Cum esset pontifex... prophetavit*, idest Spiritu Sancto dictante ac movente linguam locutus fuit. Sic Ecclesia nunquam errare potest in fide, quoniam *columna et firmamentum* est *veritatis;* [25] *Portae inferi non praevalebunt adversus eam;* [26] *Rogavi pro te*, Petre, *ut non deficiat fides tua.* [27]

Hodiernum concilium partim Dei et partim diaboli opera coactum fuit;

IV. Sciendum tamen quod hodiernum concilium partim quidem Dei opera coactum fuit, partim opera satanae. Opera Dei, qui universalis est causa omnia producens, omnia gubernans, omnia conservans, sicut in natura sol. Ut nascatur serpens, venenata vipera, concurrit sol, sine cuius virtute generari nil potest; concurrit autem tanquam causa universalis, tribuens ei calorem, vitam, sensum, motum, prudentiam; sed quod nascatur animal venenatum, plenum veneno mortifero, causa particularis est, pater et mater a quibus est genitum. In vipera duo reperiuntur: venenum mortiferum et etiam virtus contra venenum, si, occisa vipera, fiat ex ea theriaca; sicut etiam in scorpione venenum est et virtus contra venenum, si ex scorpionibus oleum fiat; venenum est a causa particulari, virtus autem contra venenum a causa universali.

ex parte Dei sanctissimum est,

Hodiernum concilium veluti viperarum congregatio fuit. Caiphas tanquam serpens, filius antiqui serpentis: *Vos ex patre diabolo estis et voluntatem patris vestri vultis facere ; ille homicida erat ab initio;* [28] hinc mortale venenum evomuit: *Unus moriatur homo*. Venenum hoc a satana est, sed virtus contra venenum pro salute totius generis humani a Deo est, causa universali; quatenus a satana est, pessimum est, sicut concilium Pharaonis et Aegyptiorum contra Hebraeos, [29] filiorum Iacob contra Ioseph, [30] concilium Absalom et Achitophel contra David, concilium Philisthinorum contra Samsonem, [31] satraparum contra Danielem, [32] Aman contra Mardochaeum, [33] conci-

ex parte diaboli pessimum,

24) Haec doctrina definita fuit in Conc. Vaticano, cfr. Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum*, n. 1839-1840. 25) 1 Tim 3, 15. 26) Mt 16, 18. 27) Lc 22, 32.
28) Io 8, 44. Vulg.: *Desideria patris.* 29) Cf. Ex 1, 9-10. 30) Cf. Gn 37, 18-20.
31) Cf. Idc 16, 23. 32) Cf. Dn 6, 4-7. 33) Cf. Est 3, 6-10.

lium etiam regis Syriae contra Israelem.[34] Imo omnium pessimum, de quo sanctus patriarcha: *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea,*[35] quoniam satanicum praevidit concilium, congregationem seniorum Israel convenientium in unum ad idola colenda. Quis nesciat quod avaritia *est idolorum servitus?*[36] Similiter ambitio et superbia. Ecce idola: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.*[37] Romanos timent, Deum minime timent, quia aiunt: Non videbit nos Dominus et recessit Dominus a terra; ita enim cogunt hoc concilium, ita consultant ac si non esset Deus, cuius providentia regitur mundus, qui omnia moderatur, qui regna mundi administrat, qui respublicas aedificat, conservat et evertit etiam funditus, iustitia sic exigente. Romani, inquiunt, privabunt nos omnibus nostris fortunis: *Tollent nostrum locum,* nostras divitias, *et gentem,* omnem dignitatem et potestatem super populum, captivos nos abducent, sicut olim Nabuchodonosor rex Chaldaeorum.[38] Sic avaritia tantum et ambitione regebantur, haec idola colebant, non Deum adorabant, nam in introitu templi positum erat idolum Zeli,[39] idolum Baal, possessionis et dominii.[40]

Inspiratum enim fuit avaritia et superbia.

Vae qui in templum ingrediuntur ad dominandum et possidendum, ut ditiores et honoratiores fiant! Hi enim non Deum in templo colunt, sed idola. Sacra servorum Dei congregatio est sicut thuribulum aureum in manu Angeli, ut in *Apocalypsi* legimus, plenum prunis ignitis, in quo ponens incensa odoris suavissimi, offerebat incensa Domino. *Et ascendit,* inquit, *fumus incensorum de orationibus Sanctorum . . . coram Domino.*[41] Sed congregatio malorum sacerdotum, religiosorum hypocritarum, qui ficte Deo serviunt, thuribulum sunt satanae, prunis plenum, sed non ponit super has prunas satanas incensum odoratum ac bene olens, sed sulphur putentissimum. *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium:* ecce prunae collectae; sed princeps huius concilii, Caiphas, minister satanae, sulphur imponit: *Nescitis quicquam, nec cogitatis quia expedit . . . ut unus moriatur homo . . .*

Congregatio servorum Dei sancta est,

sed malorum et hypocritarum abominabilis Deo.

34) Cf. 3 Rg 20, 23-30. 35) Gn 49, 5-6. 36) Eph 5, 5. 37) Io 11, 48. 38) Cf. 4 Rg 25, 1-11. 39) Cf. Ez 8, 3. 40) *Baal* enim interpretatur dominium, possessio. 41) 8, 4. Vulg.: *Coram Deo.*

Ab illo ergo die cogitaverunt, idest decreverunt, statuerunt, *ut interficerent eum.* [42]

Iniquum hoc concilium praevidit in spiritu Regius Vates,

V. Sed, quaeso, quam ob causam? *Quia*, inquiunt, *multa signa facit.* Odio habent noctuae solem, quia lucidus est: lux mortalium omnium oculis gratissima, vespertilionibus molestissima est. Regius Vates, cum praevidisset in spiritu hodiernum concilium, ait: *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius.* [43] Miratur vehementer factum hoc Sanctissimus Vates, causa autem tantae admirationis est quoniam, Spiritu Sancto revelante, iam cognoverat divinam Christi sanctitatem. Et in *1 Psalmo* cecinerat divinam Christi, primo quidem, innocentiam: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, etc.; [44] secundo, divinam sanctitatem numeris omnibus absolutam: *Sed in lege Domini voluntas eius*, etc.; [45] tertio, divina Christi opera in reipublicae utilitatem: *Et erit tanquam lignum*, etc., [46] arbor enim non sibi, sed aliis fructificat, ad aliorum utilitatem et voluptatem fructus producit atque maturat. Sic praevidit Christum quod futurus erat instar admirabilis arboris Danielis, [47] et tamen videt quod hodie in hoc concilio agitur de vita Christi ac si homo esset reipublicae perniciosissimus, cum tamen fons esset omnium bonorum, ita ut omnes infirmos curaret, [48] et mortuos etiam resuscitaret. [49] Quare ergo *convenerunt principes in unum adversus Dominum et adversus Christum eius?* Quoniam aiunt: *Nolumus hunc regnare super nos;* [50] *Dirumpamus vincula eorum et abiciamus a nobis iugum ipsorum*, [51] Domini et Christi eius; timebant enim ne Christus eorum rex fieret, si omnes in eum crederent, si mundus totus post ipsum iret. [52] Hanc ob causam etiam filii Iacob fratrem suum Ioseph interficere quaesivere, aiebant enim: *Nunquid rex noster eris? aut subiciemur ditioni tuae?* [53] Sed, inquit, *qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos*, [54] sicut olim filii Iacob mortali odio persecuti fuerunt Ioseph ne eorum dominus fieret;

dum cecinit Christum divina sanctitate praeditum,

et tamen odio habitum a Iudaeis ne Iesus rex eorum fieret;

42) Io 11, 53. 43) Ps 2, 1-2. 44) Vr. 1. 45) Ibid. vr. 2. 46) Ibid. vr. 3. 47) Cf. 4, 7-9. 48) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 49) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 50) Lc 19, 14. 51) Ps 2, 3. Vulg.: *Proiciamus a nobis*, etc. 52) Cf. Io 12, 12. 53) Gn 37, 8. 54) Ps 2, 4.

sed quia persecuti fuerunt eum, propterea factus fuit dominus eorum.[55]

Iudaei occidere voluerunt Dominum ne omnes in eum crederent et eorum respublica funditus everteretur; sed quia Dominum occiderunt, propterea omnes in Christum crediderunt, ipsi vero miserabiliter perierunt, quoniam sicut Deus pro mundi salute firmiter decreverat extollere sanctum Ioseph ad mundi principatum, sic et Christum: *Narrabo praeceptum : Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te; ego . . . constitutus sum rex ab eo*, sive *constitui regem meum super Sion montem sanctum meum.*[56] **sed quia cum occiderunt, ipsi miserabiliter perierunt.**

Hinc Regius Vates, quasi concilio huic interesset, monet omnes ut resipiscant, ut ad mentem redeant: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Servite Domino in timore*[57] *et exultate ei cum tremore ; apprehendite disciplinam, adorate Dominum, ne forte irascatur et amittatis viam, quoniam cum exarserit ut modicum ira eius, beati omnes qui confidunt in eo:*[58] nam a Christo, inquit, omnis pendet et expectanda salus aeterna est; *cum exarserit ira eius*, reget *eos in virga ferrea et tanquam vas figuli* confringet *eos.*[59] Sic alio quoque *Psalmo* ad concilium hoc concionem habet Regius Vates dicens: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. Usquequo iudicatis iniquitatem et facies peccatorum sumitis ? Iudicate egeno et pupillo, humilem et pauperem iustificate; eripite pauperem et egenum de manu peccatoris liberate. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant ; movebuntur omnia fundamenta terrae. Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut Adam moriemini et sicut unus de principibus cadetis. Surge, Deus, iudica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.*[60] **Unde monet omnes ut resipiscant.**

55) Cf. Gn 50, 15-21. 56) Ps 2, 6-7. Ex hebraico. Ordine inverso affert hos vrr.
57) Ms.: *In timore* bis ponitur. 58) Ps 2, 10 sqq. Ex hebraico. 59) Ibid. vr. 9.
60) Ps 81 (hebr. 82), 1 sqq.

II. ALIA HOMILIA

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? [1]

Concilium hoc simile est concilio fratrum Ioseph.

I. Ecce horrendum concilium filiorum Iacob contra Ioseph innocentem et sanctum simul, cum congregati dixerunt: *Ecce somniator venit, venite, occidamus eum,* [2] timentes ne princeps eorum fieret: *Nunquid rex noster eris? aut subiciemur ditioni tuae?* [3] Sed tamen Dei providentia pro salute totius domus Iacob coactum fuit concilium illud, et cum illi cogitassent malum, Deus vertit illud in bonum. [4] Sic Evangelista ait quod Caiphas *prophetavit quia Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios,* etc. [5]

Principes necessarii sunt reipublicae.

II. Sed philosophandum nobis parumper est hodie circa concilium hoc: *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium.* Cum Deus populum suum ex Aegypto eduxisset, noluit eum esse sine principe et sine magistratu tanquam oves sine pastore, nam reipublicae non minus necessarii sunt principes quam gregibus pastores, militibus, exercitibus duces, navibus gubernatores in medio maris, imo mundo luminaria coeli, corpori caput et oculi, imo anima ipsa, nam princeps est veluti anima reipublicae. Sed noluit ut principatus populi esset democratia popularis, nec simplex monarchia, imo nec oligarchia, principatus paucorum genere nobilium; sed cum instituisset Moysen principem populi, voluit ut exequeretur consilium Iethro soceri sui: *Elige... viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis... qui iudicent populum omni tempore.* [6] Sic Deus mandavit Moysi dicens: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus populi, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri;* [7] quos cum Moyses congregasset, tulit Deus de spiritu Moysi et dedit septuaginta viris, Spiritu Sancto et prophetiae spiritu eos replevit, [8] hoc est divina auctoritate, sapientia et sanctitate eos donavit, sicut

et Deus ipse eos instituit ut una cum Moyse populum regerent,

1) Io 11, 47. 2) Gn 37, 19-20. 3) Ibid. vr. 8. 4) Cf. ibid. 50, 20.
5) Io 11, 51-52. Vulg.: *Quia Iesus,* etc. 6) Ex 18, 21-22. Vulg.: *Provide,* etc.
7) Nm 11, 16. Vulg.: *De senibus Israel,* etc. 8) Cf. ibid. vr. 17.

Moysen donaverat. Tria nanque in rectoribus reipublicae requiruntur: auctoritas, sapientia, idest magna prudentia et scientia, tertio bonitas, candor animi, rectitudo mentis, bona voluntas, zelus iustitiae, ut diligant iustitiam et odio habeant iniquitatem.

Cum igitur Deus instituisset septuaginta iudices et principes populi, dedit eis divinam auctoritatem sicut Moysi virgam dederat, [9] divinam sapientiam sicut Moysi legem, [10] divinam sanctitatem sicut Moysi divinum splendorem. [11] Sic magnum instituit synedrium, supremum in synagoga tribunal, collegium optimatum, quorum prudentia et consilio Iudaeorum respublica optime instituta, optime regeretur et gubernaretur iuxta sanctissima ac iustissima divinae legis decreta atque iudicia.

quibus contulit divinam auctoritatem, sapientiam et sanctitatem.

De hoc igitur collegio loquitur hodiernum Evangelium: *Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium. Pontifices et Pharisaei:* ecce auctoritas; *quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* ecce prudentia, erant nanque legis doctores, viri sapientes et prudentes, apud populum magnae existimationis. *Collegerunt pontifices... concilium.* Sic in Ecclesia consueverunt Summi Pontifices concilia generalia convocare, sicut Petrus Ierosolymis egit ad decernendum an servanda esset lex Moysi; [12] sic celebrata sunt multa concilia ad extirpandas haereses et reformandos mores, ut in Ecclesia iugiter perpetuo servaretur fidei veritas et vitae puritas illibata. [13] Merito *collegerunt*, nam agebatur de summa rerum: an Christus esset verus Messias necne, an suscipiendus esset, an credendum illi, quid agendum; hinc aiunt: *Quid facimus?* quia *si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.* [14]

Concilium hodie colligitur ut consulatur de re maximi momenti.

Oritur consultatio ex prudentia posita inter timorem et spem; cum enim nullum timetur malum nec speratur bonum, nulla fit consultatio; sed consilium necessarium est ad evitandum malum quod timetur et consequendum bonum quod speratur. Imperator exercitus congressurus cum hoste, prius cogit concilium ducum, convocat consiliarios belli, consultat quid agendum, nam positus est inter timorem et spem, non est certus de victoria.

Oritur consultatio ex prudentia posita inter timorem et spem.

9) Cf. Ex 4, 2-4. 10) Cf. ibid. 20, 1 sqq. 11) Cf. ibid. 34, 29 sqq. 12) Cf. Act 15, 1-19. 13) Cf. not. 18-21 praec. hom. pag. 609. 14) Io 11, 48.

Principes qui avaritia et ambitione ducuntur, in causa sunt ruinarum.

III. Sed vae reipublicae quae principes habet potentes quidem et prudentes, sed malos, sed iniustos, iniquos, in quorum animis nonnisi ambitio et vanitas insatiabilisque avaritia tyrannice dominatur et regnat! Nam in causa sunt ruinarum, ut respublica evertatur, ut patet in Iudaeorum republica. Felices Iudaeos et ter quaterque beatos, si tunc bonos principes habuissent quales Deus ab initio dedit eis! Non corruisset eorum respublica, ut irreparabiliter corruit. Nec sine causa, nam hodie columnae ipsius commotae sunt.

Tales erant principes synagogae,

Super duas nanque columnas Deus synagogam fundavit: super principatum regium et potestatem sacerdotalem; hodie commotae sunt hae columnae, ruinam minatae sunt. Palatium principum Philisthaeorum super duas columnas fundatum erat, quas cum Samson apprehendisset ac loco dimovisset, corruit palatium;[15] sic hodie evenit, commotae sunt columnae: *Si dimittimus eum sic.* Non timebant nisi temporalia mala, quia non sperabant nec diligebant nisi temporalia bona. Populi autem principes suos sequuntur, sicut exercitus imperatorem.

et talis etiam populus, qui rectorum sequitur mores.

Quaerit Isaias: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii ? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua.* Respondet: *Principes tui infideles, socii furum ; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.*[16] Sic idem, cum dixisset: *Audite verba Domini, principes Sodomae,* statim intulit: *Percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhae ;*[17] et item sumpta metaphora: *Omne caput languidum et omne cor moerens ; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*[18] In populum Dei mali principes idololatriam induxerunt, quae ruinarum causa fuit et babylonicae captivitatis.[19]

Depravatus affectus mentem excaecat et imprudentem reddit, sicut hodie cernitur,

IV. Videmus autem in hoc Evangelio quod depravatus affectus hominem reddit imprudentem, mentem excaecat, ita ut male ac pessime discurrat et, ut loquuntur logici, ex praemissis veris conclusiones falsas educat, quod est impossibile, et possibilius est ut ex falsis praemissis sequatur vera conclusio. Hodie tamen contra accidit, nam ex praemissis veris: *Hic homo multa signa facit,* idest multa miracula ad compro-

15) Cf. Idc 16, 19-30. 16) 1, 21-23. 17) Ibid. vr. 10. Vulg.: *Verbum... Princip Sodomorum,* etc. 18) Ibid. vrr. 5-6. 19) Cf. 2 Par 36, 14-21.

bandum se esse verum Messiam missum a Deo, consequens erat ut dicerent: Credamus ergo, sicut patres nostri in Aegypto, visis miraculis, Moysi, crediderunt ei;[20] hinc tamen concludunt ut occidant eum, ne forte in causa esset ruinarum reipublicae. Deinde: *Si dimittimus*, inquiunt, *omnes credent in eum*, consequens erat ut dicerent: Credent etiam Romani; contrarium tamen concludunt: *Venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.*

nam ex ipsis miraculis Christi concilium infert mortis sententiam.

Deinde in tanto candidatorum consessu non disputatur causa, sed praecipitatur mortis sententia, afferuntur mala quae timeri poterant ex Christi miraculis, non bona quae sperari, nam, visis miraculis Christi, iure poterant argumentari quod potuisset Christus liberare eos de manu Romanorum, sicut Moyses liberavit eos de manu Aegyptiorum, cum multo plura multoque maiora miracula Christus operaretur; non adducunt mala quae timeri poterant ex Christi morte, nec bona quibus rempublicam privabant, cum Christus sanaret infirmos eorum,[21] mortuos etiam suscitaret.[22]

dum credere debuisset eius divinae potentiae.

Balac rex Moabitarum existimavit quod Balaam magus potuisset incantationibus suis perdere universum populum Hebraeorum,[23] credidit unum hominem potentiorem esse potentissimo Hebraeorum exercitu; quanto melius Iudaei hodie hoc de Christo existimare potuissent, videntes divina ipsius miracula, quod Christus superare potuisset Romanorum potentiam! Nemo est qui sapiat in tanto consessu, qui dicat: Quid igitur? Non est suscipiendus nobis rex Messias, missus a Deo pro salute gentis nostrae, propter metum Romanorum? Putamus romanum imperium Deo esse potentius? Quod non poterit facere nobiscum Messias ad hoc missus a Deo, quod fecit Moyses cum patribus nostris in Aegypto? Nemo inventus est inter eos vere sapiens, quia nemo vere iustus; vere Astraea in coelum ascenderat purissima virgo,[24] ut merito diceret I e r e m i a s quod nec in populo,

20) Cf. Ex 4, 30 sqq.; 14, 31. 21) Cf. not. 48 praec. hom. pag. 612. 22) Cf. not. 49 praec. hom. pag. 612. 23) Cf. Nm 22, 5-6. 24) De hac Ovid. *Metamorph.*, lib. 1, vrr. 149-150:

« Virgo caede madentes
Ultima coelestium terras Astraea reliquit »;

et Seneca *Octavia*, vrr. 318-320;

« Neglecta terras fugit et mores feros
Hominum et cruenta caede pollutas manus
Astraea virgo, siderum magnum decus ».

Astraea Iovis et Themidis filia, iustitiae ac aequitatis dea, quae aureo saeculo e coelis in terram

nec in optimatibus populi principibusque reperiit iustitiam, sed *magis hi... confregerunt iugum, ruperunt vincula.* [25]

Concilium hoc divinum simul et humanum fuit;

V. *Collegerunt ergo pontifices et Pharisaei concilium et dicebant: Quid facimus, quia hic homo,* etc.? Concilium hodiernum est sicut columna nubis et ignis, Hebraeis lucida, Aegyptiis vero obscura et tenebrosa, [26] sicut Ianus apud veteres duas dicebatur habere facies; [27] et sicut in homine duplex est homo: interior et exterior, sicut in mundo duplex est mundus. corporalis et spiritualis, sicut in paradiso duplex est arbor: vitae et mortis; [28] duplex concilium: divinum et humanum, humanum dicam an satanicum? *Se dicunt Iudaeos esse et non sunt, sed sunt synagoga satanae.* [29] Quatenus divinum, paradisus est, in quo summa lux sapientiae et bonitatis divinae resplendet; quatenus vero humanum, iudaicum, pharisaicum, infernus est, ubi tenebrae ignorantiae et malitiae. Est sicut arca Noe, in qua duplex congregatio: hominum et animalium irrationalium; quatenus humanum est, plenum est horribilibus tenebris ignorantiae et iniquitatis; quatenus divinum, splendidissima luce sapientiae et caritatis: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* [30] *Prophetavit quia Iesus moriturus erat pro gente* et *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* [31]

qua divinum ostendit sapientiam et bonitatem Dei, qua humanum ignorantiam et malitiam hominum:

In eo enim tum Iudaei tum Deus convenerunt ut Christus moreretur;

Non sine providentia Dei coactum fuit hodiernum concilium, unde Petrus de Christo ad populum Iudaeorum: *Hunc vos definito consilio et Dei praescientia... interemistis;* [32] et iterum: *Convenerunt... vere... adversus... puerum tuum Iesum... facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.* [33] Assistere voluit Deus huic concilio, sicut legimus quod satanas astitit in concilio et conventu filiorum Dei, in quo lata fuit sententia contra sanctum Iob ut usque ad mortem flagellaretur, bonis omnibus privatus. [34] Voluit Deus ut affligeretur Iob, voluit et satanas; sed Deus ad ostendendam veram

migrasse dicitur, tandemque mortalium sceleribus offensa coelum repetisse. Cf. Pierius Valerianus *Hieroglyphicorum Comment.*, pag. 634-635. 25) 5, 5. 26) Cf. Ex 14, 19-20. 27) Cf. Plutarchus *Illustrium Vitae, Numae Pompilii Vita*, f. 23; Ovid. *Fast.*, lib. 1, vr. 65: « Iane bifrons, anni tacite labentis origo ».
28) Cf. Gn 2, 9. 29) Apc 2, 9. 30) Io 3, 16. 31) Ibid. 11, 51-52. Vulg.: *Quod Iesus*, etc. 32) Act 2, 23. Vulg.: *Praescientia Dei*, etc. 33) Ibid. 4, 27-28.
34) Cf. Iob 1, 6-12.

sanctitatem veramque et solidam virtutem illius, satanas vero ad eam destruendam, ad pertrahendum illum in peccatum, ita ut penitus iustitiam desereret.

Sed Deus ex infinita caritate, Iudaei ex odio et invidia.

Sic hodie tum Deus tum Iudaei convenerunt ut Christus moreretur, sed Deus ex infinita caritate pro mundi salute, Iudaei vero ad perdendum Christum et penitus obscurandam, denigrandam atque delendam gloriam Christi; Deus ad maiorem Christi gloriam, quae ei resultat ex animarum salute, Iudaei contra. Quare videntur mihi fuisse sicut fabri lignarii, qui arcam Noe construxerunt, sed in ea salvati minime fuerunt in diluvio iniquitatis et peccati, [35] nam peccatum instar diluvii totum mundum inundavit.

Synagoga tulit sententiam mortis contra Christum et seipsam perdidit.

Collegerunt pontifices et Pharisaei concilium. Fuit concilium hoc instar arboris pulcherrimae, sed quae fructus amarissimos ac pessimos facit, sicut arbor malorum medicorum pulcra quidem est, sed fructus, maxime immaturi, si quis comedere velit uti sunt, amari valde sunt; sic, inquam, arbor fuit concilium hoc sicut arbor scientiae, pulcra visu aspectuque delectabilis, sed fructus eius fructus mortis fuit. [36] Tulit contra Christum auctorem vitae mortis sententiam, et causa fuit ruinarum reipublicae. Malum consilium mala arbor est, bonum consilium arbor bona.

Caiphas locutus fuit ex afflatu Spiritus S. et ex suggestione satanae.

VI. *Expedit vobis ut unus moriatur homo.* [37] Lingua Caiphae veluti fons fuit ex eodem foramine simul dulcem et amaram aquam emittens, locutus simul fuit ex afflatu Spiritus Sancti et ex suggestione satanae. Sententia haec quatenus a Spiritu Sancto est, lignum vitae est, quatenus vero a satana, arbor mortis. *Expedit vobis,* dicit Deus, et: *Expedit vobis,* dicit satanas; sed *Deus verax est,* [38] veritas est, satanas *mendax . . . et pater mendacii.* [39] Exitus comprobavit an expediens Iudaeis fuerit Christi mors. *Expedit,* dicit Deus, nam quaecunque dixit, imo quaecunque fecit Deus, omnia ad nostram utilitatem et dixit et fecit in mundo, in natura, in Ecclesia, in paradiso. Satanas etiam dicit: *Nequaquam . . . moriemini . . . eritis sicut dii scientes bonum et malum ;* [40] cum etiam tentavit Christum in deserto,

35) Cf. Gn 6, 13 sqq. 36) Cf. ibid. 3, 6 sqq. 37) Io 11, 50. 38) Ibid. 3, 33; Rom 3, 4. 39) Io 8, 44. Vulg.: *Pater eius.* 40) Gn 3, 4-5.

ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum dicens: *Haec omnia tibi dabo*, etc. [41]

nam eius sententia causa fuit vitae et mortis.

Omnis homo sequitur istud *expedit;* sed veri fideles sequuntur *expedit* Dei, animales autem homines *expedit* satanae. *Expedit* istud positum est inter timorem et spem; sed homo spiritualis non timet nisi aeterna mala, nec sperat nisi aeterna bona; carnalis autem temporalia timet et sperat. Ab illo *expedit* oriuntur bona omnia in mundo, ab isto vero omnia mala; ab illo vita aeterna, ab isto mors.

Existimabat Caiphas Christi morte rempublicam Iudaeorum salvare,

Expedit... ut unus moriatur homo. Exitus comprobavit quam utilitatem attulerit Christi mors reipublicae Iudaeorum. Multa sunt quae prima facie, ut dicitur, utilia videntur, cum revera sint maxime noxia, ut potus aquae frigidae febricitanti. Hinc Salomon ait: *Favus... distillans labia meretricis... novissima autem eius amara quasi absynthium;* [42] et: *Ne intuearis vinum cum flavescit, cum splenduerit in vitro color eius ; ingreditur blande, sed in novissimo mordebit sicut coluber et sicut regulus venena diffundet.* [43] E contra multa sunt quae primo aspectu noxia videntur, cum sint maxime utilia, sicut amara potio infirmo, sicut virga Moysi in serpentem versa terruit Moysen, ita ut fugeret, sed Deus iussit ut per caudam serpentem acciperet. [44] Finis inspiciendus est, ut ait ille:

« Quidquid agis, prudenter agas et respice finem ». [45]

sed, e contra, eam perdidit.

Sic res unaquaeque habet duas quodammodo facies, sicut Ianus, alteram a fronte, alteram vero a tergo; inspicienda quam oculate utraque est. Existimavit Saul bonum esse parcere regi Amalecitarum et optimis quibuscunque; [46] existimarunt parentes nostri utile fore vetitum fructum ligni scientiae gustare. Sic multi prima rerum specie primoque falluntur aspectu. [47]

41) Mt 4, 8-9. 42) Prv 5, 3-4. Vulg.: *Novissima autem illius*, etc. 43) Ibid. 23, 31-32. Vulg.: *Quando flavescit... ut coluber*, etc. 44) Cf. Ex 4, 2-4. 45) Aesopus *Fabulae*, fab. 22, vr. 5, t. 2, pag. 327, apud Leopold Hervieux *Les Fabulistes Latins*, Gualtero Anglico interprete. 46) Cf. 1 Rg 15, 8. 47) Pro sabbato ponitur simplex inscriptio; quattuor autem foliis albis relictis, transitur ad sequentem Dominicam Palmarum.

DOMINICA PALMARUM

Cum appropinquasset Dominus *Ierosolymam et venisset Bethphage ad montem Oliveti... misit duos de discipulis*, etc. [1]

Excipitur hodie Christus cum triumpho, morte in Lazaro superata.

I. Sicut sanctissimus David, superato fortissimo hoste, prostrato impio et superbo gigante philisthaeo Goliath, cum triumpho vel ovatione ingressus fuit Ierosolymam, [2] sic Christus ob victam et superatam mortem, quae omni gigante fortior est, eo quod Lazarum ab inferis ad lucis huius usuram magno miraculo revocavit, cum triumpho susceptus in Ierusalem fuit. [3]

Duo meditanda sunt: historia et mysterium.

In hoc autem Evangelio duo nobis vel maxime meditanda sunt: historia et mysterium; historia quidem, quoniam Christus vere hodie cum triumpho aut ovatione potius ingressus Ierosolymam fuit, sicut vere Lazarum suscitavit a monumento; susceptus autem fuit tanquam verus Messias, nam hoc est quod turbae clamant: *Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis.* [4] Filius enim David periphrasis est regis Messiae; hinc apud Marcum legimus: *Hosanna... benedictum quod venit regnum patris nostri David, hosanna in excelsis;* [5] apud Lucam etiam: *Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in coelo et gloria in excelsis;* [6] et apud Ioannem: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.* [7]

II. Hoc igitur est quod vel maxime quidem ostenditur in hodierno Evangelio, quod Christus sit verus Messias in lege et Prophetis pro-

1) Pericope huius diei Mt 21, 1-9. Vulg.: *Duos discipulos*. Cf. Missale Rom.
2) Cf. 1 Rg 18, 6-7. 3) Cf. Io 12, 12-18. 4) Mt 21, 9. Vulg.: *In altissimis.*
5) 11, 9-10. 6) 19, 38. 7) 12, 13.

Quoad historiam ostenditur Christus verus Messias;

missus; hinc Sacer Evangelista vaticinium adducit Zachariae: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem; ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper, sedens super asinam et pullum filium subiugalis.* [8]

saepissime enim in S. Litteris Messias *rex* appellatur.

Ecce rex tuus, rex tibi promissus, ut veniat ad salvandum te. Saepissime in Sacris Litteris Christus *rex* appellatur; nam hoc est quod Iacob patriarcha ait: *Veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium, ipse erit congregatio populorum,* [9] idest princeps erit gentium; de hoc Balaam: *Orietur stella ex Iacob et exurget virga*, sceptrum, *ex Israel;* [10] Regius Vates: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius;* [11] et alibi: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* [12] Isaias: *Dominus . . . iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos;* [13] Ieremias: *Suscitabo David semen iustum, et regnabit rex et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra;* [14] Ezechiel: *Rex unus erit omnibus imperans . . . servus meus David rex super eos et pastor unus erit omnium;* [15] Sophonias item ait: *Laetare et exulta in omni corde, filia Ierusalem . . . rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra.* [16]

Quoad mysterium videndum est cur rex iste tam pauper et humilis appareat.

Quoniam vero regem hunc pauperem humilemque videmus, humilibus turbis circumseptum, super humile iumentum, sine triumphali curru et phaleratis equis, absque ulla regali pompa et regio apparatu, sine corona, sine sceptro, non in throno aut palatio regali, non comitatum regni principibus, non circumseptum copiis et exercitibus, videndum nobis est qualis sit regis huius nostri maiestas, qualis corona, quale sceptrum, qualis thronus, quale regnum.

Figurae Christi regis Saul, David et Salomon.

Rex noster iste praefiguratus fuit in primis tribus regibus regni Israelis: Saule, David, Salomone, quorum primus extitit statura procerrimus, ita ut in medio totius populi positus ab humeris sursum superaret omnes; [17] alter fuit animo fortissimus atque sanctissimus, contra hostes suos semper invictissimus; [18] tertius sapientissimus, ditissimus et felicissimus: [19] *Et ecce plus quam Salomon hic.* [20]

8) Zach 9, 9; Mt 21, 5. 9) Gn 49, 10. Ex hebraico. 10) Nm 24, 17. Vulg.: *Consurget virga de Israel.* 11) Ps 2, 6. 12) Ps 109, 4. 13) 33, 22. 14) 23, 5. Vulg.: *Germen iustum*, etc. 15) 37, 22-24. 16) 3, 14-15. 17) Cf. 1 Rg 10, 23. 18) Cf. Eccli 47, 1-13. 19) Cf. ibid. vrr. 14-20. 20) Mt 12, 42; Lc 11, 31.

De Christo apud Danielem legimus quod cum, comitantibus Angelis, usque ad thronum Dei pervenisset, Deus dedit ei omnem honorem omnemque potestatem, regem eum constituit in aeternum super omne regnum suum, [21] sicut David cum Salomone egit. [22] Sic ipse ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra ;* [23] sic Regius Vates: *Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius.* [24] O infinitam Christi maiestatem! Rex est sicut Deus infinitae aeternaeque maiestatis: *Potestas eius potestas aeterna quae non auferetur, et regnum . . . quod non corrumpetur;* [25] *Regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis.* [26] Hinc de throno Christi legimus: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga aequitatis virga regni tui ;* [27] *Thronus eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum.* [28] Hinc de regia Christi maiestate ait: *Ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae.* [29]

Christus rex est infinitae maiestatis.

In *Apocalypsi* appellatur *Rex regum et Dominus dominantium* [30] diciturque habere in capite *diademata multa,* [31] quoniam multa habet regna. Regnum ipsius est terra, regnum ipsius coelum, regnum ipsius mundus hic, regnum ipsius paradisus, regnum ipsius Ecclesia militans in terris, regnum ipsius Ecclesia triumphans in coelis, regnum ipsius vita, regnum ipsius mors, nam etiam mortuorum dominatur.

rex universalis.

Rex Christus in sacris Litteris describitur omnipotens, sapientissimus et optimus sicut Deus. Apud Ieremiam regnum Iudaeorum comparatur lagenae fictili, quae facile frangitur, [32] et apud Danielem omnia regna mundi et imperia per statuam illam, quae a lapide de monte cadente confracta fuit et in tenuissimum pulverem redacta, [33] nam regna mundi fragilia sunt, vitrea sunt, regnum autem Christi, inquit Daniel, maximum est, totum mundum implet et aeternum est.

rex omnipotens, sapientissimus, aeternus.

III. Sed, ut verum fatear, si intelligantur hodierni Evangelii mysteria, nil aliud requirendum nobis est ad agnoscendam regis huius

21) Cf. 7, 14. 22) Cf. 3 Rg 1, 29-30; 1 Par 29, 22-24. 23) Mt 28, 18. 24) Ps 8, 6-7. 25) Dn 7, 14. 26) Lc 1, 32-33. 27) Ps 44, 7. Affert ex Hebr. 1, 8. 28) Ps 88, 38. 29) Ibid. vr. 28. 30) 19, 16. 31) Ibid. vr. 12. 32) Cf. 19, 10-13. 33) Cf. 2, 31-45.

Humilitas Christi hodie ostendit eius divinam gloriam:

nostri divinam magnitudinem et maiestatem: nam licet humilis, impotens, pauper, humili stolidoque vectus iumento, tamen haec humilitas in Christo infinita est gloria, haec impotentia infinitum robur, haec paupertas infinitae divitiae, potentia formidabilis, divitiarum infinita copia, incomparabiles thesauri, aeraria plena auro et argento, sapientia et prudentia mirabilis et tandem gloria et maiestas amplitudoque maxima in domo et familia sua.

sedet super asinum qui sedet super Cherubim,

Quae omnia in Salomone fuere valde conspicua, cui Dominus ante omnia veluti infinitum thesaurum sapientiae contulit ad regendum populum optimeque moderandam Israelitarum rempublicam, deinde vero infinitam pene divitiarum copiam. Sed qualis est sapientia Christi? Sedet super asinum. Saepe legimus in Scripturis Sacris quod Deus sedet super Cherubim. Regius Vates ait: *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim,* etc.;[34] alibi: *Ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum,*[35] sive spirituum – nam apud Ezechielem[36] et in *Apocalypsi*[37] legimus alatos Cherubim, sicut apud Isaiam alatos Seraphim,[38] – hebraice est: *Qui inequitat super Cherubim.*

ut significet se esse Dei sapientiam

O mysterium! Cherub plenitudo scientiae sive multitudo scientiae interpretatur. Sed tamen talis ac tanta est Christi sapientia – *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae*[39] Dei, qui est Dei virtus et sapientia,[40] – quod omnis Angelorum sapientia ei comparata ruditas est, stoliditas est. Hoc est quod Christus rex super asinum hodie equitavit, quoniam omnis creata sapientia apud Deum stultitia est, nihil est. Luna soli comparata, quid luminis habet?

et Dei virtutem,

Sicut autem Christus Dei sapientia est, ita et Dei virtus; hinc inermis hodie cernitur, non comitatus exercitibus copiisque armatorum militum, equitum peditumque. Regibus mundi necessarii sunt exercitus et arma, quoniam sine his nihil sunt ceteris hominibus potentiores. Si quis regum potentiam ac fortitudinem Samsonis haberet, qui solus poterat armatorum militum copias inermis fundere, fugare, perdere,[41] quid exercitibus opus est? Sol astrum est potentissimum, solus virtute sua fugare ac disperdere potest omnes tenebrarum exer-

34) Ps 79, 23. 35) Ps 17 (hebr 18), 11. 36) Cf. 10, 5. 37) Cf. 4, 8; 14, 6. 38) Cf. 6, 2. 39) Col 2, 3. 40) Cf. 1 Cor 1, 24. 41) Cf. Idc 14, 15-20; 15, 6-20.

citus. Sic Christus hanc potentiam suam hodie demonstravit, dum eiecit de templo *omnes vendentes et ementes*,[42] hinc per Samsonem figuratur, cuius nomen s o l e m significat.

Ideo appellatur in S. Scriptura *Dominus exercituum.*

Ad designandam Christi potentiam ait Divina Scriptura, quod *de ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes*,[43] quia solo verbo Christus omnia potest, sicut solo verbo prostravit exercitum militum qui venerant ad comprehendendum eum in horto.[44] Hanc ob causam appellatur *Dominus exercituum*, sive ex hebraico *Deus exercitus*, quasi Deus ipse sit instar potentissimorum exercituum, quemadmodum Elias dictus fuit *currus Israel et equites*,[45] idest exercitus potentissimus, paratus semper in regni totius salutem.

Paupertas Christi ostendit infinitas eius divitias,

IV. Paupertas etiam Christi ostendit infinitas Christi divitias; nam reges terrae divitiis ac thesauris opus habent, nam aerarium est nervus exercitus, nemo enim militat suis stipendiis:[46] exercitus duces, milites, equites, pedites stipendia expectant a rege, omnes servi et ministri mercedis causa et utilitatis intuitu aut honoris consequendi contemplatione serviunt coronae. Multis beneficiis necesse est ut attrahant ad se multorum et maxime principum regni animos, alioquin soli ab omnibus relinquuntur.

non eget enim thesauris terrenis,

At vero Christus externis divitiis terrenisque thesauris opus non habet, seipso ditissimus est, quoniam ipse fons est omnium bonorum. Solem Deus nudum in coelo posuit, quia seipso ac luce sua ditissimus est; nudum hominem in paradiso, quia indumentis non egebat mundique totius dominus constitutus, eius nutui omnia obtemperabant.

quia sibi et omnibus sufficiens est,

Deus hebraice saepe in Sacris Litteris dicitur שַׁדַּי,[47] quod est s u f f i c i e n s, ipse sibi et omnibus sufficit, nulla externa re opus habet. Coelum Deus ornavit astris, solem autem nulla alia re ornavit, quoniam ipse ornamentum est mundi huius; aurum nullo alio metallo ornatur, quoniam metallorum omnium nobilissimum est ipsoque omnia alia ornantur et illustrantur. Sic Christus nulla re extrinseca opus habebat, quoniam ipse in seipso infinitus erat totius divinitatis

42) Mt 21, 12. 43) Apc 19, 15. 44) Cf. Io 18, 6. 45) 4 Rg 2, 12. Ex hebraico.
46) Cf. 1 Cor 9, 7. 47) Gn 17, 1; Ex 6, 3. Ms.: *Sadai*.

thesaurus. Divitiae regibus sunt sicut ocularia senibus, baculi infirmis, vestes pelliceae frigore laborantibus, arma militibus, thorax, galea, scutum, gladius, quae in bello necessaria sunt. Sed qui optimo visu praeditus est, quid opus habet ocularibus? Potens viribus et robustus ut quid scipionem requirat? In media aestate et torrida regione ad quid vestes pelliceae? Si miles pellem haberet fatalem, nulli ferro cedentem, ad quid arma pro defensione parata? Nuditate sua contentus felicissimus haberetur. Ostendit Dominus se illum esse cui dicitur: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* [48] Sic ditissima est Christi paupertas et quae mundum ditat: *Cum esset dives,* inquit, Paulus, *egenus factus est, ut illius inopia vos divites essetis.* [49] Divitias suas ostendit hodie Dominus in templo, nam: *Accesserunt ad eum caeci et claudi ... et curavit eos.* [50] Rex pauper Christus, sed pauper spiritu, pauper voluntate, contemptor divitiarum, quia nil peius in principe divitiarum amore, nam *radix ... omnium malorum est cupiditas ;* [51] hinc Christus in templum ingressus, cum ibi vidisset nummularios sedentes, effudit in terram aes, subvertit mensas, nummularios de templo eiecit. [52]

sicut demonstrat hodie in templo infirmos curando;

Rex Christus est, non exigens a nobis tributa et census, nec nostra requirens, sed sua distribuens, sicut sol in coelo; rex naturalis sicut rex apum: sequuntur suum regem apes nullius mercedis intuitu, sic omnes turbae Christum sequuntur hodie tanquam unicum et verum Dominum suum, nam Christus dominus est etiam humanarum voluntatum: movet eas sicut vult, ducit eas quo vult, trahit ad se quando vult, sicut egit hodie.

rex est non exigens nostra, sed sua distribuens.

V. Tandem, quoad gloriam et maiestatem, solus Christus hodie equitat, omnes turbae et populi et praecedentes et sequentes pedes ambulant, sed cum ramis palmarum et olivarum collaudant, vestimenta etiam sua sternentes in via ad eum pro dignitate honorandum. Humile hoc iumentum Christi veluti thronus regius [est], veluti currus triumphalis: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium.* [53] *Currus Dei* angelica natura, Dei comparatione humillimum animal.

Humile iumentum equitans magis ostendit maiestatem suam.

48) Ps 15, 2. 49) 2 Cor 8, 9. Vulg.: *Egenus factus est cum esset dives,* etc.
50) Mt 21, 14. Vulg.: *Sanavit eos.* 51) 1 Tim 6, 10. 52) Cf. Mt 21, 12; Mc 11, 15.
53) Ps 67, 18.

Cum triumpho a turbis comitatur et excipitur, ut ostendat se regem esse hominum et Angelorum.

Magna hominum multitudo hodie Christum a Bethania sequebatur, sed multo plures ab Ierusalem obviam ei venerunt et in Ierusalem exultantes susceperunt tanquam suum regem. Hoc mysterium est. Bethania mundus hic est, Ecclesia fidelium; Ierusalem paradisus, Christus tanquam rex tum hominum tum Angelorum ingreditur Ierosolymam, imperii sui sedem, regni metropolim. Talis autem ac tantus ei exhibetur honor, quoniam Lazarum hominem suscitavit a monumento, quia genus humanum salvavit, devicto satana, destructo peccato, superata morte, spoliato inferno. Sic Christus post redivivam resurrectionem suam, infinita cum gloria ascensurus erat in coelestem Ierusalem, cui omnes Angeli obviam erant venturi eumque infinito cum iubilo erant in coelo suscepturi tanquam divinum triumphatorem mortis et inferni.

Ostenditur etiam hodie infinita Christi caritas erga nos.

VI. Sed quoad historiam, intelligendum adhuc nobis est quod regis huius nostri infinita erga nos ostenditur caritas, hoc est enim: *Rex tuus venit tibi*, totus *tuus* est, totus *tibi ;* non sicut reges mundi, qui omnia quaerunt sibi et filiis suis; hic rex totus est omnium et totus singulorum. Sicut Deus totus est in toto mundo et totus in qualibet vel minima parte mundi, in qualibet creatura, totus in tota Ecclesia et totus in quolibet fideli per fidem et gratiam, sic et Christus totus *tuus* est, totus *venit tibi*, ad utilitatem salutemque tuam. *Venit tibi iustus*, iustificans, sanctificans, auferens omnem infelicitatis causam; nam ex peccato omnis orta est infelicitas, omne malum in mundum invectum est, hinc ait: *Venit . . . iustus et salvator*, sive, ut hebraice est, *salvatus;* nam quoniam pauper venit in mundum, pertulit multa mala, ac tandem mortem crucis.

Regius Vates praevidit et cecinit hodierni Evangelii mysteria.

Hinc Regius Vates praevidens in spiritu hodierni Evangelii mysteria, dixit: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli ; a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris. Haec est dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea. O Domine, salvum me fac ; o Domine, bene prosperare ; benedictus qui venit in nomine Domini.*[54] Sophonias propheta 3 capite suarum *Revelationum*, eodem spiritu afflatus, cum Zacharia ait: *Lauda, filia Sion, iubila, Israel, laetare et exulta in omni corde, filia Ierusa-*

54) Ps 117, 22-26.

sic Sophonias et Zacharias.

lem, abstulit Dominus iudicium tuum, idest peccati poenam, *avertit inimicos tuos,* idest daemones, *Rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra;* [55] et iterum: *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit; gaudebit super te in laetitia, silebit in dilectione sua* et *exultabit super te in laude.* [56] Sic Sophonias interpretatur Zachariam: *Ecce rex tuus venit tibi,* dum ait: *Rex Israel Dominus,* יְהוָה, [57] *in medio tui, Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit.*

Caritas Christi ex effectibus hodie demonstratur,

VII. Exultandum autem et iubilandum nobis est hodie, quoniam divino hoc spectaculo ostenditur nobis divina caritas bonitasque infinita, quae ex effectibus utique demonstratur, sicut arbor a fructibus cognoscitur. *Ecce rex tuus* vivus et verus Deus, unigenitus Filius Dei: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;* [58] *venit tibi* de coelo in terram: *A summo coelo egressio eius;* [59] *Exivi a Patre et veni in mundum.* [60] Venit autem non ad puniendum te, non ad exigenda tributa, ad accipienda munera, sed ad utilitatem tuam, ad praestanda tibi beneficia: *Iustus et salvator,* ad condonanda tibi peccata.

et quidem in summo gradu;

Cum autem triplex sit bonitatis gradus in praestandis beneficiis: primus, praestare quidem ea, sed cum spe remunerationis; secundus, gratis et amore, absque ulla spe, sed tamen absque ullo incommodo; tertius, absque ulla spe aut intuitu retributionis et magno cum incommodo; hic gradus Christi est: *Venit.... iustus et salvator, ipse pauper,* multa passus, sicut Apostolus ait: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* [61] O qualia quantaque passus est propter nos incommoda!

pertulit enim maxima incommoda,

Sed videte, quaeso, magnitudinem divinae erga nos caritatis. Praestitit nobis magna, imo maxima beneficia cum magno, imo maximo suo incommodo, imo cum maximis summisque incommodis; et tamen passus est omnia non tantum patienter aut libenter,

55) Vrr. 14-15. 56) Ibid. vr. 17. 57) Ms.: *Iehovah.* 58) Phil 2, 6.
59) Ps 18, 7. 60) Io 16, 28. 61) Phil 2, 7-8. Vulg.: *Semetipsum exinanivit,* etc.

sed exultanter, nam laetus hodie et exultans pergit ad mortem, pergit in Ierusalem, in qua sexto post die moriturus erat pro salute humani generis in ligno crucis. O signum infinitae caritatis, infiniti amoris! Sic dicitur rex noster, totus noster, quia ex amore totus voluit esse noster: *Ecce rex tuus.*

ut nobis conferret maxima beneficia.

VIII. Proponitur autem nobis hodie ut eum diligamus et imitemur. Quoniam nos ea praediti natura sumus, ut non diligamus nisi bona nostra, voluit Deus noster fieri, ut eum diligeremus; hinc ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;*[62] sed etiam ut eum imitemur, humilitatem, patientiam, paupertatem: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[63] Sicut Iacob proponebat ovibus virgas diversicolores ut fetus ederent vario colore notatos,[64] sic proponitur nobis hodie Christus dives et pauper, dives spiritualibus, pauper temporalibus bonis: *Iustus et salvator, ipse pauper,* utique ut nos suo moveret exemplo ad contemptum fugacium ac fallacium bonorum mundi huius, quae vitiorum fomenta sunt et irritamenta avaritiae, libidinis, vanitatis. Ut igitur vitia haec radicitus nostris ex pectoribus evelleret, mundana haec Christus ex alto contempsit, nostri utique causa, nam Christo haec non poterant esse vel causa, vel occasio peccati, sicut Salomoni et aliis.

Proponitur nobis hodie Christus rex noster ut eum diligamus et imitemur,

Sed cum sint tria actionum genera, quaedam sunt solius Dei, ut creatio mundi, quaedam solius hominis, ut peccatum, et quaedam Dei simul et hominis, ut iustificatio et sanctificatio peccatoris, quae non fit nisi per conversionem hominis ad Deum, relicto sponte vitio ac peccato, ut suo nos Christus exemplo moveret ad mundana contemnenda ac pessumdanda, qui dives erat, in omnibus egenus propter nos factus est; *Rex regum et Dominus dominantium*[65] hodie nostri causa pauper humilisque comparet, iumento omnium humillimo vectus.

peccatum relinquendo et mundana omnia contemnendo.

62) Mt 22, 37; Mc 12, 30; Lc 10, 27. 63) Mt 11, 29. 64) Cf. Gn 30, 37-43.
65) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.

II. ALIA HOMILIA

Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator.[1]

Hodie Christus tanquam imperator videtur pergens ad bellum,

I. Hodie Christus Dominus turbis comitatus populorum, *qui praeibant et . . . sequebantur* eum palmas et ramos olivarum gestantes atque clamantes: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini,*[2] imperator exercitus videtur, qui militum copiis circumseptus pergit ad bellum. Nam ad passionem hodie pergit Christus; passio autem ipsius pugna et conflictus fuit cum satana et angelis eius.

sicut in spiritu vidit Ioannes,

In *Apocalypsi* legimus quod Christus equitans super equum album, arcu et sagittis armatus pergebat ad bellum: *Exivit vincens ut vinceret.*[3] Iterum etiam Ioannes Christum vidit super equum album pergentem ad bellum: *Vidi coelum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verax, et cum iustitia iudicat et pugnat. Oculi . . . eius . . . flamma ignis et in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse, et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen eius Verbum Dei. Et exercitus, qui sunt in coelo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. Et de ore eius procedit gladius . . . acutus, ut in ipso percutiat gentes . . . Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.*[4] His verbis declarat Ioannes quisnam sit rex iste, de quo ait: *Ecce rex tuus venit.*

pergit enim ad bellum contra satanam.

Ad bellum pergit contra satanam, mundi principem et inferni, cum exercitu fidelium suorum. Rex iste est *Dominus exercituum,* nam Deus ipse imperator et ductor esse voluit exercituum Israelis per desertum ad acquirenda regna Chananaeorum, ipse praecedebat populum in columna nubis et ignis.[5]

Deus imperatorem egit cum populo hebraeo in deserto,

Ad bellum gerendum in primis optimo imperatore opus est, deinde bonis ducibus et consiliariis ingentique aerario; requiruntur boni milites et bene armati, abundans commeatus, ne laboret exercitus annonae penuria; requiruntur insignia atque vexilla, sub quibus colligantur militum copiae, ac tandem, recensito exercitu, pergere

1) Zach 9, 9. Vulg.: *Veniet tibi,* etc. 2) Mc 11, 9-10. 3) 6, 2. 4) Ibid. 19, 11-16. 5) Cf. Ex 13, 21 sq.; Nm 14, 14.

laeto et forti animo ad bellum. Deus imperator exercitus, Moyses et Aaron duces, tabernaculum aerarium, manna commeatus, duodecim tribus exercitus et copiae militum, columna nubis et ignis vexillum regale. Sic itum fuit ad pugnandum contra Chananaeos, acquisitum regnum Palaestinae, hostibus superatis et victis. [6] Sic nunc Christus Dominus noster imperator exercitus est, Apostoli duces, turbae exercitus, rami palmarum et olivarum arma, [6a] sicut Gedeon iturus ad pugnandum contra Madianitas milites suos armavit tubis et lagenis, in quibus lumina essent abscondita, sicque pugnatum fuit cum victoria. [7]

sic nunc Christus in Ecclesia.

II. *Ecce rex tuus venit tibi.* Ecce *rex novus*, [non] qui surrexit in Aegypto magnum crudelitatis monstrum, [8] sed *rex novus* totus mirabilis, ita ut nunquam visus sit talis rex in mundo. Fuit David mirabilis in fortitudine, [9] Salomon in sapientia, [10] Iosias in sanctitate, [11] Ezechias in religione; [12] sed Christus rex supramodum mirabilis, ideo *rex novus*. Hinc in ingressu Christi hodie in Ierusalem *commota est universa civitas dicens: Quis est hic?* [13]

Rex novus Christus est, omnibus mirabilior,

Mirabilis et supramodum mirabilis, quia Deus et homo; adeo mirabilis in potentia, in sapientia, in bonitate, ut ipsius comparatione Angeli in paradiso nec potentes sint, nec sapientes, nec boni. Hinc Deus, qui equitare dicitur super Cherubim, [14] hodie super asinum equitat, [15] animal infirmum viribus, rude ingenio, immundum secundum legem; [16] tales suapte natura sunt Angeli comparatione Dei, qui infinita potentia, sapientia et bonitas est. Christus autem rex noster verus Deus suapte natura est.

quia Deus et homo;

Hinc apparet pauper quia non eget divitiis, inermis quia non eget armis, sine curribus, sine equitibus, sine armatis exercitibus, quia solus potest inimicos omnes debellare, sicut solus Samson omnes Philisthaeos, [17] sicut solus Moyses divina virtute praeditus omnes Aegyptios; [18] ipse est sicut Elias: *Currus Israel et auriga eius,* [19] hebraice: *Et equites eius*, idest exercitus potentissimus Israelis, quoniam

hinc apparet pauper et inermis, quia ex se ditissimus et potentissimus est.

6) Cf. Ios 6, 1 sqq. 6a) Ms.: *Enim* adicitur. 7) Cf. Idc 7, 15-23. 8) Cf. Ex 1, 8. 9) Cf. Eccli 47, 1-8. 10) Cf. ibid. vrr. 16-19. 11) Cf. ibid. 49, 1-4. 12) Cf. ibid. 48, 25. 13) Mt 21, 10. 14) Cf. Ps 17, 2; 79, 2. 15) Cf. Mt 21, 7; Mc 11, 7; Lc 19, 35. 16) Cf. Lv 11, 26. 17) Cf. Idc 15, 6-20; 16, 23 sqq. 18) Cf. Ex 14, 1 sqq. 19) 4 Rg 2, 12.

lingua poterat hostes omnes perdere. Hinc dicitur ex ore eius procedere gladius acutus. Balac rex Moabitarum vocavit Balaam magum ad perdendum exercitum innumerabilem Hebraeorum, quoniam sola lingua poterat homines perdere, peribant omnes quibus incantationibus suis malediceret;[20] sic unus vocatus fuit contra exercitum potentissimum. Christus non magus, sed ipsa Dei virtus et Dei sapientia est;[21] omnia novit, omnia potest; sic rex supramodum mirabilis.

Christus rex est universalis,

III. *Ecce rex tuus.* Rex est, non tyrannus, rex qui omnia regit, omnibus dominatur nihilque est cui subiectus sit, cui serviat. Multi reges servi sunt vitiorum et cupititatum, ambitionis, avaritiae, libidinis inexplebilis, cui etiam David aliquando servivit et adulterium homicidio cumulavit.[22] Rex iste noster est cui nulla penitus dominatur iniustitia: *Venit tibi iustus et salvator, faciet iudicium et iustitiam in terra* et *salvabitur Iuda,*[23] quia *germen iustum ... regnabit rex et sapiens erit.*[24] Rex est qui nulli subiectus est necessitati, nullius rei eget; hinc venit tibi non sibi, ad utilitatem et salutem tuam non suam.

rex infinitae caritatis, maiestatis

Denique singulares regis huius conditiones sunt: caritas, iustitia, humilitas, quae vel nunquam vel raro reperiuntur in regibus. Humilitas honorata rara, proprius locus superbiae pectus regum et principum est, nam ex principe Angelorum ducit originem; in pectore Adami, qui princeps mundi constitutus erat, facile locum invenit; Christus autem ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[25] Caritas vero ubi invenitur, ita ut rex pastor et pater sit populi? ut non quaerat nisi bonum reipublicae, sicut paterfamilias? Utinam reperiatur iustitia et non verum sit quod Astraea reliquit terras in coelumque ascendit purissima virgo![26]

et humilitatis.

Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, pauper, mansuetus. Quam humilis ostenditur in gloria sua Christus hodie! quam differens a regibus terrae! Illi cum coronantur vel triumphant, laetantur, Christus plangit; illi superbos phaleratos equos. currus triumphales inequitant, Christus humile iumentum; illi magnis principibus circumsepti, Christus humili turba; illi armatis exercitibus, Christus

20) Cf. Nm 22, 5-6. 21) Cf. 1 Cor 1, 24. 22) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 23) Ier 33, 15-16. 24) Ibid. 23, 5. 25) Mt 11, 29. 26) Cf. supra, Feria Sexta post Dominicam Passionis, pag. 617, not. 24.

pueris Hebraeorum puris et innocentibus; illis coelum operitur, Christo autem terra, nam vestimenta multi prosternebant in terra, [27] coelum voluit semper videre.

Christus semper praedicatur rex in S. Litteris;

IV. *Rex* praedicatur Christus semper in Sacris Litteris. In figura ipsius Adam constitutus fuit princeps mundi, in figura ipsius Ioseph princeps Aegypti, Moyses princeps populi, David rex Israel, figura ipsius Salomon: *Ecce plus quam Salomon hic;* [28] *Orietur stella ex Iacob et exurget virga*, sceptrum, *ex Israel;* [29] *Factus est principatus super humerum eius;* [30] *Regnabit rex et sapiens erit.* D a n i e l vidit in spiritu magnitudinem huius regis; nam in nubibus coeli pervenit usque ad thronum Dei et data est ei omnis potestas in aeternum. [31] Angelus de eo dixit: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum.* [32]

nam rex est mundi, Ecclesiae, paradisi, inferni et mortis;

Rex Christus ter unctus sicut David, [33] constitutus super omnia regna Dei. Regnum Dei mundus, regnum Dei Ecclesia, regnum Dei paradisus. Christus rex etiam paradisi: *Assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei;* [34] *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [35] Rex etiam inferni, nam pellebat imperio daemones; quare non solum Angeli boni ministri Christi sunt, quem in nativitate adoraverunt, [36] et in deserto *accesserunt et ministrabant ei*, [37] verum etiam daemones ei subiecti sunt. Dominus etiam mortis, sic enim imperio mortuos suscitabat; [38] Dominus naturae: imperio infirmos sanabat, [39] illuminabat coelesti lumine caecos; [40] Dominus universi: imperabat ventis et mari, [41] in morte pendens in cruce mundum totum commovit, coelum, terram, infernum ipsum. [42] O regem mirabilem!

rex noster per naturam, sed magis per caritatem;

Ecce rex tuus, rex quidem omnium per naturam, sed singulariter *tuus* per affectionem: *Ecce rex tuus venit tibi.* O felices qui Christum regem agnoscunt hodie cum sanctis turbis et sicut Ierusalem tanquam verum regem suscipiunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex*

27) Cf. Mc 11, 8; Lc 19, 36. 28) Mt 12, 42; Lc 11, 31. 29) Nm 24, 17. Vulg.: *Consurget virga de Israel.* 30) Is 9, 6. 31) Cf. 7, 14. 32) Lc 1, 32. 33) Cf. 1 Rg 16, 13; 2 Rg 2, 4; 5, 3. 34) Mc 16, 19. 35) Mt 28, 18. 36) Cf. Lc 2, 13. 37) Mt 4, 11. 38) Cf. ibid. 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 39) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 40) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 41) Cf. Mt 8, 26; Mc 4, 39; Lc 8, 24. 42) Cf. Mt 27, 45. 50-52; Mc 15, 33; Lc 23, 44-45.

Israel! [43] Quoniam rex noster iste vere optimus et maximus est, omnia potest, nam omnium conditor et servator est, infinitae potentiae et simul infinitae bonitatis est, nam quae condidit, non propter se condidit, cum nullius egeat, sed propter nos omnia creavit. Regina Saba sapientissima beatum existimavit populum Israel eo quod regem haberet Salomonem; [44] sed Christus rex noster tanto maior est Salomone quanto Deus maior est homine: *Rex regum et Dominus dominantium.* [45] P a u l u s ait quod si Iudaei Christum Dominum gloriae cognovissent, nequaquam crucifixissent. [46] Hanc ob causam flevit hodie Christus super Ierusalem, quia vere non cognoscebat regem suum: *Quia si cognovisses*, etc. [47]

rex infinitae potentiae et sapientiae.

V. Aliorum regum gloria conspicua oculis est, quoniam tota externa est; externa tantum dignitate et auctoritate superiores sunt ceteris hominibus, multis autem ingenio, iudicio, prudentia, sapientia rerum cognitione, virtutibus animi, viribus corporis et optima valetudine inferiores sunt. Christi autem gloria interna, vera. Sicut Saul rex ab humeris et sursum maior erat universo populo, [48] sic Christus in omnibus maior Angelis, maior omnibus hominibus.

Christi gloria intrinseca est et vera.

Salomon in die qua unctus et coronatus rex fuit per Nathan prophetam et Sadoch sacerdotem, iubente David, a quo regnum eo die accepit, super mulam regiam inequitavit. [49] Sic Christus hodie, declaratus rex Israel, super asinam equitavit, quod non vacat mysterio. Nam hebraice asinus חֲמוֹר [50] dicitur, idest m a t e r i a , quoniam valde rudis et materialis est. Omnis creatura tanto nobilior est quanto materia elevatior, ut patet in ordine elementorum, sphaerarum coelestium et angelicarum hierarchiarum. Omnis creatura aliquid habet materiei; solus Deus spiritus purissimus est; hinc solus Deus supra omnem materiam. Christus super asinum, Deus supra scalam Iacob, [51] supra templum, sedens in solio excelso et elevato. [52]

Equitat hodie Christus super asinam, ut ostendat se excelsiorem esse omni creaturu;

Abraham cum perrexit Dei iussu ad immolandum filium suum Isaac in monte Moria, ubi templum aedificatum fuit in Ierusalem, [53]

43) Io 12, 13. 44) Cf. 3 Rg 10, 8; 2 Par 9, 7. 45) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 46) Cf. 1 Cor 21, 8. 47) Lc 19, 42. 48) Cf. 1 Rg 10, 23. 49) Cf. 3 Rg 1, 32-40. 50) Ms.: *Chamor.* 51) Cf. Gn 28, 13. 52) Cf. Is 6, 1. 53) Cf. 2 Par 3, 1.

super asinum equitavit;[54] Moyses etiam pergens in Aegyptum missus a Deo ad liberandum populum a tyrannide Pharaonis;[55] sic Christus hodie pergit ad sacrificandum Deo seipsum et ad mundum redimendum a captivitate satanae, a dura servitute peccati. Hinc pergit hodie ad bellum contra satanam; sanctae autem turbae sequuntur eum magna cum laetitia, ovantes et clamantes: *Hosanna Filio David*, sicut exercitus laetus sequitur imperatorem felicissimum et fortunatissimum. Nam in optimo imperatore exercitus non tantum valor requiritur et prudentia, quae sunt sicut oculus et manus necessarii militi ad pugnandum, nam si vel oculus vel manus desit, pugnare non potest; sed praeter haec, etiam requiritur fortuna, favor quidem coelestis, ut dici possit fatalis imperator. Hunc milites, pedites equitesque laetissimi sequuntur ad bellum tanquam certi de victoria, de praeda, de spoliis opimis. Sic hodie sanctae turbae magna cum laetitia Christum sequebantur, ac si non pergeret ad bellum sed, parta victoria, superato hoste, triumphans reverteretur a bello. Nam tanquam princeps triumphator suscipitur in Ierusalem hodie.

pergit autem ad sacrificandum seipsum et ad mundum redimendum,

hinc tanta cum laetitia comitatur et acclamatur.

54) Cf. Gn 22, 1-4. Cf. supra, Feria Sexta post Cineres, pag. 54, not. 45.
55) Cf. Ex 4, 20.

FERIA SECUNDA MAIORIS HEBDOMADAE

Ante sex dies Paschae venit Iesus in Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus, etc. [1]

Sabbato parabatur mensa panum propositionis,

I. Hodie in sanctuario Domini paratur mensa propositionis cum panibus et libaminibus ante divinum propitiatorium, sicut in *Exodo* legimus: *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper,* [2] et in *Levitico: Accipies similam et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues, et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monimentum oblationis Domini; per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel foedere sempiterno.* [3] Sabbato parabatur a sacerdotibus et ministris templi mensa illa. Sic dicitur hodie: *Ante sex dies paschae,* sabbato ante pascha, quod proxime celebrandum erat, in quo etiam Dominus crucifigendus erat; sabbatum autem sextus utique dies ante pascha fuit. Die sabbati, die festo et solemni, fecerunt Christo convivium.

et sabbato paratur Christo hodiernum convivium.

Nemo est autem, fratres, qui nesciat eleemosynam Christi cibum esse, nam ait: *Esurivi ... et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere, hospes eram et collegistis me;* [4] nam, inquit: *Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet;* [5] cum dives esset, propter nos egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus. [6]

Eleemosyna cibus gratissimus Christo est.

Agitur autem in hodierno Evangelio de eleemosyna tum Christo tum pauperibus exhibenda, et illa huic praefertur et anteponitur,

1) Pericope huius diei Io 12, 1-9. Cf. Missale Rom. 2) 25, 30. 3) 24, 5-8. 4) Mt 25, 35. 5) Ibid. 8, 20; Lc 9, 58. 6) Cf. 2 Cor 8, 9.

sicut amor erga Deum amori erga proximum; illud enim primum et maximum mandatum in lege est, hoc autem secundum simile illi.[7] Agamus igitur et nos prius de eleemosyna exhibenda Christo, postea vero de ea quae pauperibus Christi largienda est.

Agitur hodie de eleemosyna tum Christo tum pauperibus exhibenda.

II. Iudas, haereticus et haereticorum patriarcha, murmurat contra eleemosynam Christo factam, sed sub specie pietatis: *Ut quid perditio haec unguenti facta est? Potuit.... unguentum istud venumdari plusquam trecentis denariis et dari pauperibus.*[8] *Hoc autem dicebat quia fur erat*[9] et latro, exagitatus stimulis cupiditatis, quae *radix est omnium malorum.*[10]

Contra eleemosynam Christo factam obmurmurat Iudas.

Ad Christi honorem Maria Spiritu Sancto afflata affert alabastrum unguenti pretiosi, libram unguenti nardi spicati et pistici,[11] fidelis, puri, sincerissimi, quia pretiosa quaeque offerenda Deo sunt, optima quaeque. Sic Abel iustus obtulit Domino *de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum;* non sic autem Cain, sed *de fructibus terrae,* non electiora quaeque; hinc *respexit Dominus ad Abel et ad munera eius. Ad Abel,* inquit, *et ad munera eius,* quoniam ardentem caritatem ante omnia requirit, sicut ex magna caritate Magdalena hodie obtulit Domino pretiosum unguentum; *ad Cain autem et ad munera eius non respexit,* quia non bene obtulit, unde ait illi Deus: *Nonne si bene egeris recipies?*[12]

Optima quaeque Deo offerenda sunt cum ardenti caritate.

Voluit Dominus ut a populo, postquam egressus ac liberatus a *fornace ferrea*[13] fuerat, construeretur sanctuarium in habitaculum Domini et locum orationis, sed eleemosynis et oblationibus populi; sed tamen non vilia, sed pretiosa quaeque ab eis requisivit, ait enim Moysi: *Loquere filiis Israel ut offerant mihi primitias; ab omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas. Haec sunt autem quae accipere debetis: aurum... argentum et... hyacinthum et purpuram coccumque bis tinctum et byssum... lapides onychinos et gemmas ad ornandum Ephod et Rationale.*[14]

Voluit Deus construi tabernaculum eleemosynis pretiosissimis totius populi.

Panes propositionis voluit confectos esse ex simila, ex purissimo

7) Cf. Mt 22, 27-39; Mc 12, 29-31. 8) Mc 14, 4-5. Vulg.: *Perditio ista... poterat... unguentum,* etc. 9) Io 12, 6. Vulg.: *Dixit autem hoc,* etc. 10) 1 Tim 6, 10. Vulg.: *Radix enim omnium malorum est.* 11) Cf. Mc 14, 3; Io 12, 3. 12) Gn 4, 3-7. Vulg.: *Ad Cain vero et ad munera illius,* etc. Ordine inverso affert hos vrr. 13) Dt 4, 20. 14) Ex 25, 2-7. Vulg.: *Ut tollant mihi primitias... ac Rationale.*

et omnia quae ad sacra ministeria addicebantur optima esse voluit.

flore farinae, ex adipe frumenti; voluit etiam magnos esse, ut singuli haberent duas decimas ephi, idest ad minus octo libras, [15] et ut essent duodecim sicut erant duodecim tribus, et ut apponerentur super mensam auream, et ut etiam vasa omnia in ministerium huius mensae aurea essent: *Parabis*, inquit in *Exodo*, *acetabula ac phialas, thuribula et cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo, et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* [16] Sic omnia quae ad templi ministeria ususque, ad ornatum etiam sacerdotum et sacrificia, optima esse voluit et pretiosissima.

Ita quae a nobis offeruntur ad honorem Dei, pretiosa esse debent.

Sic quae a nobis offerenda sunt ad honorem Dei, ad gloriam Christi, ad ornatum ecclesiarum, altarium, ministrorum, si grata et accepta volumus, necesse est ut pretiosa sint, ut Deo semper pretiosiora et meliora quaeque offeramus cum Abele, non peiora et viliora cum Caino. Sic Regius Vates monet: *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino gloriam et honorem*, idest honestissima munera et pro viribus amplissima, *afferte Domino gloriam nomini eius ;* [17] *Tollite hostias et introite in atria eius, adorate Dominum in atrio sancto eius.* [18] Nam ipse sic fecit pro aedificando templo Domini: multa obtulit millia talentorum auri et argenti, quia, inquit, domus quam aedificari volo talis esse debet ut in cunctis nationibus nominetur, nam, ait, Deo non homini habitaculum praeparatur. [19]

Imitanda nobis est mulieris huius devotio.

III. Obtrectent, oblatrent, obmurmurent hodie cum Iuda eorum patriarcha haeretici et dicant inanem esse cultum et ornatum ecclesiarum ad Christi gloriam: *Ut quid perditio haec ... facta est ? Quare non veniit ... et datum est egenis ?* [20] Christum habemus patronum in causa nostra: *Quid molesti estis huic mulieri ? Bonum opus operata est in me, nam pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* [21] Utinam nos, fratres, sanctam hanc mulierem mirabilemque eius in Christum Dominum nostrum devotionem, fidem, caritatem ardentem imitaremur, vel Hebraeorum saltem devotionem in Deum in deserto! Nam, inquit Sacer Textus quod, cum retulisset Moyses populo quae Dominus petebat pro tabernaculo construendo,

15) Cf. Lv 6, 20-21. 16) 25, 29-30. 17) Ps 28, 1-2. 18) Ps 95, 8-9. 19) Cf. 1 Par 29, 1-4. 20) Io 12, 5. 21) Mt 26, 10-11. Vulg.: *Opus... bonum... nam semper pauperes*, etc.

egressa . . . omnis multitudo filiorum Israel a conspectu Moysi, obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi . . . quod ad cultum et ad vestes sanctas necessarium erat; viri cum mulieribus praebuerunt armillas et inaures, anulos et dextralia, omne vas aureum in donaria Domini . . . principes vero obtulerunt lapides onychinos et gemmas. [22] Sic obtulerunt Domino viginti novem talenta auri cum septingentis siclis, argenti vero talenta centum, [23] tantaque erat populi devotio ut opus fuerit praeconis voce edictum fieri per Moysen ne quid amplius populus ferret. [24] Nam mulieres offerebant aurea quaeque ornamenta et etiam specula, [25] quae tunc ex aere fiebant vel etiam argento, ut Plinius auctor est. [26]

sicut etiam populi devotio in deserto;

Nunc autem nos miseros! quoniam abundavit iniquitas, refriguit omnis caritas, [27] omnis devotio in Deum et Christum Dominum nostrum. Ubi est Mariae Magdalenae devotio? Facta fuit haec coena Christo in domo Simonis pharisaei, viri religiosi, Deo dicati; hic Martha nobilis ministrabat, hic Lazarus suscitatus cum Christo discumbebat, hic Magdalena supra Christum fregit alabastrum et unguentum effudit pretiosissimum. [28] Nunc ubi sunt opera piae religionis in Deum, in cultum ecclesiarum et altarium? Ubi sunt devotae et piae mulieres ad pietatis opera promptissimae, quae ornamenta corporis sui, argumenta vanitatis suae, in signum verae pietatis offerant Deo ad ornatum ecclesiarum, ad gloriam Christi?

sed quoniam abundavit iniquitas, refriguit omnis devotio in Deum.

IV. Matthaeus et Marcus referunt non solum divina Christi sententia commendatam fuisse hodie Magdalenae pietatem, sed etiam praemium declaratum: *Amen amen dico vobis, quod ubicunque praedicatum fuerit Evangelium hoc in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius.* [29] Magnum profecto praemium et perfectum in hoc mundo, praeter sempiternum illud et infinitum in paradiso coram Deo. Sic per Aggaeum prophetam multa magnaque a Deo promissa fuere praemia aedificantibus templum Domini a Chaldaeis funditus eversum promisitque Deus se domum illam

Magnum praemium promittitur eleemosynae in hoc mundo et in futuro,

22) Ex 35, 20-27. Vulg.: *De conspectu quicquid ad cultum*, etc. 23) Cf. ibid. 38, 24.
24) Cf. ibid. 36, 3-7. 25) Cf. ibid. 38, 8. 26) *Hist. Nat.*, lib. 33, cp. 9, col. 373; lib. 34, cp. 17, col. 385. 27) Cf. Mt 24, 12. 28) Cf. Mc 14, 3; Io 12, 2-3.
29) Mt 26, 13. Vulg.: *Hoc Evangelium*, etc.; Mc 14, 9. Vulg.: *Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit haec narrabitur*, etc.

summopere enim Deo placet domus suae ornatus.

supramodum glorificaturum.[30] Nam placet Deo sacrorum templorum ornatus, non ad pompam et vanitatem, sed ad Dei gloriam et ad excitandam fidelium devotionem comparatus. Davidis pietas et devotio, qua templum Domini voluit aedificare et illud quidem magnificentissimum, Deo summopere placuit eique in praemium huius pietatis aeternam gloriam innumeraque bona repromisit. Sic ipse, cum in *Psalmo* monuisset ut Deus muneribus sacris honoraretur: *Afferte Domino filios arietum,*[31] tandem in fine *Psalmi* ait: *Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace:*[32] hoc, inquit, est pietatis in Deum praemium: *Dominus diluvium inhabitare facit,* sive *ad diluvium sedit, et sedebit Dominus rex in aeternum*[33] iudicaturus mundum; sed pios cultores suos eruet a perditione, sicut olim Noe iustum atque perfectum;[34] nec tantum eruet a malis, sed etiam multis remunerabit bonis. Magi obtulerunt Domino munera pretiosa: aurum, thus et myrrham,[35] grataque Domino fuere.

Gratissima etiam Deo est eleemosyna pauperibus facta

V. Sed iam tempus est ut de eleemosyna erga pauperes aliquid dicamus. Hanc Deo gratissimam esse nemo Sacrarum Litterarum studiosus ambigit, nam Salomon ait: *Facere misericordiam et iudicium magis placet Deo quam victimae;*[36] et Deus ipse per Oseam: *Misericordiam volo et non sacrificium.*[37] Necessitate nanque urgente, praeferenda est eleemosyna erga pauperes sacrificio quod Deo fit, nam Dominus scribas et Pharisaeos tanquam divinae legis transgressores arguit, eo quod docebant semper praeferenda esse sacrificia pietati etiam erga egenos parentes.[38] Nam sacrificium Deus non praecipit, sed consulit; eleemosynam vero erga pauperem egentem non consulit, sed praecipit: *Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis;*[39] *Qui . . . viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?*[40] Et: *Qui . . . non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*[41] In *Deuteronomio* legimus: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae, idcirco ego praecipio tibi ut aperias manum*

quae, necessitate urgente, praeferenda est ipsi sacrificio Deo exhibendo.

30) Cf. 2, 19 sqq. 31) Ps 28 (hebr. 29), 1. 32) Ibid. vr. 11. 33) Ibid. vr. 10. 34) Cf. Gn 6, 9. 35) Cf. Mt 2, 11. 36) Prv 21, 3. Vulg.: *Placet Domino,* etc. 37) 6, 6. Vulg.: *Misericordiam volui,* etc. 38) Cf. Mt 15, 3-6. 39) Ibid. 7, 12. 40) 1 Io 3, 17. 41) Ibid. 4, 20.

fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra. [42] Hominem Deus produxit de humo cui praeceperat: *Producat, germinet terra herbam virentem et facientem semen lignumque pomiferum faciens fructus,* [43] ut esurientibus animalibus cibum afferret.

Magna praemia promissa sunt eleemosynae erga pauperes;

Eleemosynae autem Deus magna ingentiaque praemia promittit tum in praesenti saeculo tum in futuro; in praesenti quidem, quod facultates non minuit sed potius auget, sicut qui seminat frumentum: patet in vidua Eliae, [44] in vidua Elisei, [45] in miraculo quinque [46] et septem panum. [47] Salomon ait: *Honora Dominum de tua substantia... et implebuntur horrea tua* frumento, *et vino torcularia... redundabunt.* [48] Idem monens homines liberales esse in pauperes ait: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum. Da partem septem* pauperibus, da partem *octo,* idest omnibus petentibus, *quia ignoras quid futurum sit mali super terram. Si repletae fuerint nubes, imbrem super terram effundent; si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit:* [49] quia post mortem, inquit, operari nil poteris, nec de tua substantia pauperibus benefacere. Sicut alibi ait: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia... nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* [50]

in praesenti facultates non minuit sed auget,

De hac eadem ait: *Feneratur Domino qui miseretur pauperis,* [51] nam Christus ait quod *centuplum recipiet.* [52] Hinc idem ait: *Qui... miseretur pauperis beatus erit,* [53] nam Dominus ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* [54] *Date et dabitur vobis, eadem... mensura qua mensi fueritis remetietur vobis, mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* [55] *Beatus erit,* quoniam eleemosyna delet peccatum, [56] ex quo omnis infelicitas. Hinc Daniel Nabuchodonosor regi dixit: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas miserationibus pauperum;* [57] *Quod superest date eleemosynam et... omnia munda sunt vobis.* [58] *Beatus erit,* nam epulo propterea damnatus fuit, quia in Lazarum

in futuro invenire facit misericordiam,

quoniam eleemosyna delet peccatu,

42) 15, 11. 43) Gn 1, 11. Vulg.: *Et lignum... faciens fructum.* 44) Cf. 3 Rg 17, 10-16. 45) Cf. 4 Rg 4, 1-7. 46) Cf. Mt 14, 15-21; Mc 6, 35-44; Lc 9, 12-17; Io 6, 5-13. 47) Cf. Mt 15, 32-38; Mc 8, 1-9. 48) Prv 3, 9-10. 49) Eccle 11, 1-3. 50) Ibid. 9, 10. 51) Prv 19, 17. 52) Mt 19, 29. Vulg.: *Accipiet.* 53) Prv 14, 21. 54) Mt 5, 7. 55) Lc 6, 38. Ordine inverso affert huius pericopes vr. 56) Cf. Tob 4, 11. 57) 4, 24. Vulg. *Misericordiis pauperum.* 58) Lc 11, 41.

mendicum pius non fuit, [59] et in die iudicii Dominus dicet reprobis: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius; esurivi enim et non dedistis mihi manducare;* [60] electis vero: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum... esurivi enim et dedistis mihi manducare.* [61] *Beatus erit*, quia thesaurizavit sibi thesauros non deficientes in coelo, nam ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* [62] *thesaurum non deficientem in coelo;* [63] et alibi: *Nolite thesaurizare vobis ... in terra ... sed thesaurizate vobis thesauros in coelo*, etc. [64]

et magnos thesauros recondit in coelo;

Laudavit Dominus prudentem villicum nosque monuit ut similiter faciamus, [65] non quidem ut furemur ad faciendas eleemosynas, sed sicut alibi dixit: *Estote... prudentes sicut serpentes,* [66] ita nunc quoque. Si historiam, qua impius Cain iustum Abelem occidit, [67] pictor excellentissimus summa arte, diligentissimo penicillo, vivis coloribus depinxerit, laudamus quidem picturam, non fratricidium; sic inquit: *Facite vobis amicos ... ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* [68]

hinc laudavit Dominus villicum prudentem.

I s a i a s pluribus ostendit ingentia eleemosynae praemia dicens: *Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum et sanitas tua citius orietur et anteibit faciem tuam iustitia tua et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis et Dominus exaudiet, clamabis et dicet: Ecce adsum ... Cum effuderis esurienti animam tuam et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua et tenebrae tuae erunt sicut meridies; et requiem tibi dabit Dominus semper et implebit splendoribus animam tuam et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae.* [69]

Isaias etiam pluribus ostendit ingentia praemia eleemosynae.

59) Cf. ibid. 16, 19 sqq. 60) Mt 25, 41-42. Vulg.: *Discedite a me, maledicti*, etc.
61) Ibid. vrr. 34-35. 62) Lc 16, 9. 63) Ibid. 12, 33. Vulg.: *In coelis.*
64) Mt 6, 19-20. Vulg.: *Thesaurizate autem*, etc. 65) Cf. Lc 16, 1-9. 66) Mt 10, 16.
67) Cf. Gn 4, 8. 68) Lc 16, 9. 69) 58, 7-11.

II. ALIA HOMILIA

Maria... accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi et unxit pedes Iesu et extersit, etc. [1]

I. Refert nobis Magdalena imaginem animae fidelis et piae, qualis sit post iustificationem, cum a Christo fuerit sanctificata, mundata a culpa originali et omnibus peccatis *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde.* [2] Ad Christum venit cum libra unguenti pistici, fidelis, puri, veri, non adulterati, pretiosissimi: *Potuit... venumdari plusquam trecentis denariis,* [3] odoratissimi, nam: *Domus impleta est ex odore unguenti.* [4]

Refert Magdalena imaginem animae fidelis iustificatae.

Unguentum procul dubio gratiam Spiritus Sancti isgnificat: *In odorem unguentorum tuorum currimus;* [5] oleum, unguentum effusum, effusionis, quod cum effunditur, magnum valdeque suavem spirat odorem. Semper autem gratia cum iustitia et cum fide est, cum humilitate et cum vera caritate erga Deum et erga proximum. Libra nanque iustitiam significat, symbolum et hieroglyphicum iustitiae est. Hoc primum efficit gratia Spiritus Sancti in homine, ut diligat iustitiam et odio habeat iniquitatem, sicut ait: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem*, quia *unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae,* [6] nam Spiritus Sanctus *unctio* appellatur; [7] efficit in anima ut velit unicuique reddere quod suum est: *Quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.* [8]

Unguentum significat gratiam, quae semper cum iustitia est,

Quoniam vero *iustus... ex fide vivit,* [9] coniuncta est cum fide pura, illibata, integra, vera, nam: *Sine fide... impossibile est placere Deo;* [10] coniungenda est fides cum operibus iustitiae, sicut in sacris vestibus magni sacerdotis coniuncta erant ac colligata simul *Rationale* et superhumerale. [11] Necesse est ut iustitia fidei aequetur et fides iustitiae, ut facta respondeant dictis et dicta factis, sicut iussit Deus ut sumerentur aromata aequi ponderis ad conficiendum thymiama, quod adolendum Deo erat. [12]

iustitia autem cum fide et operibus,

1) Io 12, 3. 2) Tit 3, 5. 3) Mc 14, 5. Vulg.: *Poterat venumdari*, etc.
4) Io 12, 3. 5) Ct 1, 3. Vulg.: *Curremus in odorem*, etc. 6) Ps 44, 8. 7) Cf. Is 61, 1; Act 10, 38; 2 Cor 1, 21-22; 1 Io 2, 20. 27. 8) Mt 22, 21; Mc 12, 17; Lc 20, 25.
9) Rom 1, 17. 10) Hebr 11, 6. 11) Cf. Ex 28, 4-35. 12) Cf. ibid. 30, 34-35.

cum vera humilitate

Tunc unguentum vere pretiosum ac suavissimi odoris est, cum fides viva coniuncta est cum perfecta iustitia, idest divinorum mandatorum observantia, coniuncta est magna cum humilitate, nam: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* [13] Hinc Magdalena ad pedes Christi cernitur humillimo loco posita, sicut in die conversionis suae stetit *secus pedes* Domini lacrimis eos rigans. [14]

et cum caritate erga Deum et proximum;

Pretioso autem unguento Christi tum pedes tum caput unxit. Caput Christi Deus est, pedes Christi fideles Christi pauperes: *Quod uni fecistis ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* [15] Caritas vera Deum ex toto corde diligit, nam Deus primum caritatis obiectum est; verum etiam hominem quoque diligit propter Deum: *Primum et maximum mandatum est: Diliges Dominum Deum tuum... Secundum... simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae.* [16] Hae sunt duae tabulae legis. [17]

caritatem autem patientia sequitur.

Sic anima sancta unguento pretiosissimo divinae caritatis caput Christi divinum et pedes ungit: Deum diligit propter seipsum et hominem propter Deum. Caritatem autem patientia sequitur, de qua Christus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras;* [18] de qua Paulus: *Patientia... vobis necessaria est ut... reportetis promissiones.* [19] *Caritas* autem *patiens est... omnia suffert... omnia sustinet.* [20] En patientia Magdalenae: patitur persecutiones propter iustitiam; audit murmur Iudae et aliorum, qui indigne ferunt eam fecisse hoc opus, ipsa autem tacet, non respondet, fert patienter. Aurum ad incudem sub malleis probatur; sed Christus suo patrocinio eam defendit: *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* [21] Quod fecit, non ex seipsa fecit, sed a Spiritu Sancto mota: *Praevenit ungere corpus meum in sepulturam.* [22]

II. Ostendit autem hodiernum Evangelium quod virtus in puro corde tanquam in vase alabastrino posita placet Deo sicut unguentum odoratissimum ac pretiosissimum: *Domus repleta est ex odore unguenti,*

13) Iac 4, 6. Vulg.: *Deus superbis resistit,* etc. 14) Lc 7, 38. 15) Mt 25, 40. Vulg.: *Quandiu fecistis uni,* etc. 16) Ibid. 22, 37-40. Vulg.: *Est maximum et primum mandatum,* etc. 17) Cf. Ex 31, 18. 18) Lc 21, 19. 19) Hebr 10, 36. 20) 1 Cor 13, 4-7. 21) Mt 26, 10. 22) Mc 14, 8.

modo sit unguentum nardi pistici, fidelis, veri, ne sit virtus ficta, sanctitas simulata, hypocrititia; modo serviamus Domino *in sanctitate et iustitia coram ipso;* [23] modo una cum Magdalena non studeamus nisi Christo placere, nam: *Si... hominibus placerem, Christi* verus *servus non essem.* [24]

Hodiernum Evangelium ostendit quautopere Deo placeat vera virtus

Videmus Magdalenam totam mortificatam postquam ad Christum conversa fuit, nam: *Qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* [25] Nec tantum mortificata sensu, sed etiam mortificata anima. Hinc murmurantibus contra se cum indignatione nihil respondit, nam per cordis munditiam et animi puritatem consecuta erat a Christo veram pacem mentis et spiritus. *Beati mundo corde... beati pacifici... beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* [26]

et mortificatio;

Magdalena hodie est sicut altare incensi coram propitiatorio Domini, quod positum erat inter candelabrum aureum a dextris et mensam panum propositionis a sinistris, [27] quae quidem tria mystice designabant quae in Ecclesia futura erant: praedicatio Evangelii, orationis exercitium, vita contemplativa, coelestis conversatio et, tertio, vita activa, opera misericordiae erga pauperes et egenos. Omnia haec mysteria sunt in hodierno Evangelio, ubi Christus agit de praedicatione Evangelii, de vita activa et de contemplativa; ubi Martha ministrans est mensa panum, Maria replens domum odore unguenti altare incensi, Christus docens candelabrum aureum cum septem luminibus, nam multa docet, multa vaticinatur.

continet etiam mysteria vitae activae et contemplativae in Ecclesia.

23) Lc 1, 75. 24) Gal 1, 10. 25) Ibid. 5, 24. 26) Mt 5, 8-10.
27) Cf. Ex 37, 10-25; 40, 20-25.

FERIA TERTIA MAIORIS HEBDOMADAE

Peccatum meum cognitum tibi feci et iniustitiam meam non abscondi. Dixi : Confitebor adversum me, etc. [1]

Poenitentia sacramentalis remedium divinum est

I. De Poenitentia sacramentali, quam ἐξομολόγησιν [2] Graeci dicunt, verba facturi, fratres carissimi, quid aliud dicere possumus, nisi quod ipsa remedium quoddam divinum est, quod non solum infirmos sanat et caecos illuminat, sicut hirundo, ut naturales dicunt, caecatos filios chelidonia oculat [3] et cervi ac capreae dictamo sua vulnera curant, [4] sed etiam mortuos suscitat? Quid enim languidus in piscina nisi symbolum peccatoris? Quid caecus natus, quid Lazarus sepultus et quatriduanus, corruptus in monumento? Sed languidus sanatus fuit, [5] caecus illuminatus, [6] Lazarus suscitatus. [7] De filio prodigo dixit pater quod *mortuus erat et* per poenitentiam *revixit.* [8] Hinc summopere laudatur poenitentia in Divinis Litteris tanquam salutare antidotum contra venenum letale peccati, ut serpens in deserto exaltatus. [9]

et divinum donum, sed in corde bene praeparato.

Videtur esse poenitentia sicut arcus coelestis, de quo, mirabile dictu! inquit Divina Scriptura quod figens Deus oculos suos in eum, placatur omnemque deponit iram contra peccatores conceptam. [10] Vere coelestis arcus tribus coloribus constans poenitentia est. Fit ille a solaribus radiis in nube rorida et speculari; sic utique poenitentia gignitur: donum Dei est, sed in corde praeparato. Respexit Dominus in Petrum: en radius solaris; *et egressus foras* Petrus *flevit*

1) Ps 31, 5. 2) Ms.: *Exomologesim.* 3) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 27, pag. 86; lib. 25, cp. 8, pag. 290. 4) Cf. ibid. lib. 8, cp. 27, pag. 86. 5) Cf. Io 5, 2-9. 6) Cf. ibid. 9, 1-7. 7) Cf. ibid. 11, 1-44. 8) Lc 15, 24. 32. 9) Cf. Nm 21, 8-9. 10) Cf. Gn 9, 12-16.

amare: [11] ecce nubes rorida, cor contritum ex quo stillae roris, ros lacrimarum. Sic, visa Petri poenitentia, placatus ei fuit Deus, et in signum placationis, ad ostendendum quam grata sit ei poenitentia, nonnisi Petrum instituit principem Ecclesiae. [12] Visa poenitentia regis David adulteri et homicidae, placatus ei fuit, et in signum placationis voluit ut ex multis filiis ipsius nonnisi Salomon, quem ex adultera Bethsabee susceperat, [13] post ipsum coronam sceptrumque imperii susciperet et gloriosissime ac beatissime regnaret. [14]

Poenitentia gratissima Deo est.

Sic gratissima Deo semper fuit poenitentia, ut patet in Magdalena, [15] in publicano, [16] in filio prodigo, ita ut Christus dicat quod totum laetificat paradisum: *Gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente.* [17] Poenitentia est sicut Rebecca, quae induit Iacob filium suum *vestibus Esau*, maioris fratris, *valde bonis*, [18] ad percipiendam patris benedictionem. Sic, inquam, poenitentia induit nos meritis et virtutibus Christi, similes nos Christo in oculis Dei constituit, ita ut mereamur ab eo accipere vitae aeternae et gloriae benedictionem. Haec sacrificium pro peccato est et holocaustum Deo gratissimum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* [19]

Extra Ecclesiam Catholicam non est vera poenitentia.

Victima sacrificii sacerdoti Domini offerebatur et a sacerdote super altare Deo immolabatur in loco sancto, extra quem non erat gratum Deo sacrificium, [20] nam extra Ecclesiam Catholicam non est vera poenitentia. Statim ut rex David peccatum suum agnovit et prophetae Nathan confessus fuit, absolutionem accepit: *Dominus ... transtulit peccatum tuum, non morieris.* [21] Ad vocem Angeli statim solutus fuit Petrus a vinculis et catenis, quibus ab iniquo Herode vinctus tenebatur ut morti traderetur post Pascha; [22] sic ad vocem sacerdotis absolvitur homo ab omnibus vinculis peccatorum, quibus a satana alligatus tenetur. Unde ait Dominus Apostolis de Lazaro: *Solvite eum et sinite abire;* [23] et alibi: *Quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo;* [24] itemque: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* [25]

11) Lc 22, 61-62. 12) Cf. Io 21, 15-17. 13) Cf. 2 Rg 11, 1-12, 1-25. 14) Cf. 3 Rg 3, 5-13; 2 Par 1, 7-12. 15) Cf. Lc 7, 36 sqq. 16) Cf. ibid. 18, 10-14. 17) Ibid. 15, 7. 18) Gn 27, 15. 19) Ps 50, 19. 20) Cf. Ex 29, 38 sqq.; Lv 1, 1 sqq. 21) 2 Rg 12, 13. 22) Cf. Act 12, 1-7. 23) Io 11, 44. 24) Mt 18, 18. 25) Io 20, 22-23.

Poenitentia restituit hominem in pristinum gradum,

II. Poenitentia hominem in pristinum statum gradumque reducit ac restituit, sicut de Nabuchodonosor legimus, qui ob peccatum regno privatus fuit et rationis usu, ita ut in bestiam quodammodo fuerit commutatus; sed per poenitentiam pristinae incolumitati et dignitati redditus fuit.[26] Sic homo, nam per peccatum similis factus est brutis: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est,* etc.[27] Poenitentia est arca Noe quae salvat nos a diluvio,[28] virga Moysi quae petram percutit cordis lapidei et aquas inde compunctionis et lacrimarum educit;[29] imo veluti aqua Iordanis est, in qua cum Naaman syrus septies ad iussum Elisei se lavasset, mundatus a lepra fuit;[30] sicut aqua piscinae quae ab Angelo commota hominem sanabat *a quacunque detinebatur infirmitate.*[31] *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.*

quia delendo peccatum, etiam peccati damna reparantur;

Quare cum peccatum per poenitentiam deleatur, per ipsam etiam omnia damna peccati resarciuntur ac reparantur. Peccatum quidem multa et gravia mundo intulit mala, quod Christus significavit in homine descendente ab Ierusalem in Iericho, qui a latronibus spoliatus ac plagis affectus, semivivus relictus fuit.[32] Per peccatum homo spoliatur nuptiali veste gratiae, virtutum splendore et ornamento divino, privatur meritis vitae aeternae et gloriae, privatur ipsomet Deo, cuius per gratiam adoptionis filius erat; per peccatum autem adoptionis gratia et hereditate privatur, infinito utique thesauro, quo nihil maius, nihil pretiosius excogitari potest.

Deus enim, qui per peccatum ab anima discesserat, per poenitentiam revertitur.

Sed per poenitentiam reparantur haec mala, quoniam Deus, qui per peccatum discedit a templo animae nostrae, sicut apud Ezechielem legimus, discessisse de templo,[33] per poenitentiam revertitur, sicut apud eundem Prophetam habemus.[34] Sic discessit arca Dei de terra Israel, Hebraeis victis et superatis a Philisthaeis,[35] sed reversa postmodum fuit,[36] sicut Christus discessit a Iudaea, persequente eum Herode, sed post Herodis mortem reversus fuit in terram Israel.[37] Malus animus Herodes est rex in animae

26) Cf. Dn 4, 28 sqq. 27) Ps 48, 13. 21. 28) Cf. Gn 7, 1 sqq. 29) Cf. Ex 17, 5-8; Nm 20, 8-11. 30) Cf. 4 Rg 5, 1-14. 31) Io 5, 4. 32) Cf. Lc 10, 30. 33) Cf. 10, 18-19. 34) Cf. 43, 1. 35) Cf. 1 Rg 4, 1-11; 5, 1-2. 36) Cf. ibid. 7, 1-2. 37) Cf. Mt 2, 13 sqq.

nostrae regno; hic Christum persequitur; sed, eo defuncto, revertitur Christus.

Sic poenitentia fit nobis via salutis, scala coeli, porta paradisi: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [38] Poenitentia restituit Iob duplicata omnia bona, quae diaboli opera prius amiserat. [39] Magnam habet apud Deum virtutem. Statim ut Isaias peccatum suum agnovit et confessus fuit, descendit Seraph de coelo eumque coelesti igne purgavit: *Ecce tetigi hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur;* [40] tanta autem celeritate descendit Seraph, ut volasse dicatur, adeo grata et accepta est in oculis Dei peccatoris poenitentia.

Sic poenitentia nobis fit via salutis et porta coeli,

Videtur esse mira quaedam Dei alchymia, quae tenebras convertit in lucem, lutum in aurum, dum peccatores iustificat, et ex coelesti cum peccatum hominem reddidisset terrenum, uti diaboli alchymia, haec, e contra, ex terreno coelestem facit, ex cacodaemone agatangelum. O mirabilem transformationem, divinam plane metamorphosim!

quia peccatores iustificat.

III. Sed contemplemur coelestem hunc arcum tribus coloribus constantem. Nam tribus partibus constat vera poenitentia: contritione, confessione et satisfactione. Contritio patuit in Magdalena, [41] confessio in filio prodigo [42] et publicano, [43] satisfactio in Zachaeo, [44] contritio, confessio et satisfactio in David, nam in poenam delicti voluit Deus ut moreretur infans natus ex adulterio. [45] Sed a contritione incipit vera poenitentia: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu, et scindite corda vestra.* [46] Sic Moyses ait: Si *quaesieris... Dominum... invenies eum; si tamen* in *toto corde quaesieris et* in *tota tribulatione animae tuae;* [47] sic: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* est, *cor contritum.*

Vera poenitentia constat contritione, confessione, satisfactione.

Qualis autem sit vera contritio descripsit Regius Vates dicens: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei,* hebraice *rivos aquarum, quia non custodierunt legem tuam;* [48] et iterum alibi: *Quoniam*

Vera debet esse contritio,

38) Ibid 3, 2; 4, 17. 39) Cf. Iob 42, 10 sqq. 40) Is 6, 7. Sic legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Tetigit.* 41) Cf. Lc 7, 37 sqq. 42) Cf. ibid. 15, 11 sqq. 43) Cf. ibid. 18, 10-14. 44) Cf. ibid. 19, 1-9. 45) Cf. 2 Rg 12, 14-18. 46) Ioel 2, 12-13. 47) Dt 4, 29. 48) Ps 118 (hebr. 119), 136.

qualis describitur a Regio Vate.

iniquitates meae supergressae sunt caput meum et sicut onus grave gravatae sunt super me ... Miser factus sum et gravatus usque in finem, tota die contristatus ingrediebar ... Afflictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei ... Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum: [49] prae nimio, inquit, fletu et lacrimis caligaverunt, fere defecerunt oculi mei, obscuratum est lumen oculorum meorum. Sed eodem loco addit animum satisfaciendi et confitendi peccatum suum dicens: *Quoniam ... in flagella paratus sum et dolor meus in conspectu meo semper; quoniam iniquitatem meam annuntiabo et cogitabo pro peccato meo.* [50] Novit enim quod humili peccatorum confessione obtinetur a Deo remissio peccatorum.

Humili confessione obtinetur a Deo peccatorum remissio.

In *Psalmo* illo, in quo poenitentiae virtutem declarat, quod ipsa restituat hominem amissae felicitati: *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata; beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus,* [51] ostendit etiam quomodo obtineatur peccatorum remissio: *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Et Salomon *Proverbiis: Qui abscondit peccata sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* [52]

Etiam in Lege Veteri confitebantur peccata

IV. Nam et in Veteri Lege Hebraei peccata sua confitebantur sacerdoti, dum victimam pro peccatis offerebant. [53] Nam, ut Rabbini dicunt in libro *Siphra*, offerentes victimam coram sacerdote ponebant manus supra caput, inter cornua victimae immolandae, commemorabant peccatum de quo poenitentiam agebant, illudque detestantes promittebant se nunquam in posterum tale facinus commissuros. [54] Quam quidem confessionem Hebraei וִדּוּי הַדְּבָרִים [55] appellant, quod verbis fieret talis confessio.

et quidem publice.

Quid ergo est quod multi conqueruntur grave nimis esse onus hoc confitendi peccata? An non multo gravius erat Hebraeis peccata

49) Ps 37, 5-11. Vulg.: *Et curvatus sum usque in finem*, etc. 50) Ibid. vrr. 18-19. 51) Ps 31, 1-2. 52) 28, 13. Vulg.: *Qui abscondit scelera sua*, etc. 53) Cf. Lv 5, 4-13; Nm 5, 6-8. 54) *Midrash Siphra*, III, 6, 4. Cf. A. Zanolini *Lexicon Chaldaicum Rabbinicum*, pag. 414-415. 55) Ms.: *Viddui hadebarim.*

publice confiteri? Achan, qui de anathemate Iericho pallium, auream regulam et siclos argenti furatus fuerat, confessus fuit publice coram Iosue peccatum suum, nec tamen veniam obtinuit, sed damnatus ad mortem fuit, [56] sicut damnantur rei qui coram iudice confitentur patrata crimina et commissa delicta.

Quod si absolverentur rei per confessionem criminum, licet publicam coram iudice, sicut damnantur, quis non confiteretur delicta, certus sciens quod tali confessione absolveretur et ab omni periculo et molestia liberaretur? Quis sciens se in cibo vel potu venenum accepisse, vel noxium humorem ad os stomachi sentiat, unde et magna molestia afficiatur et in maximo sit vitae discrimine, sciens posse per vomitum liberari ab omni non solum periculo, sed etiam molestia et vexatione, non procuret, vel digitis immissis vel potione aliqua sumpta vomitum excitante et potenter provocante, venenum illud vel noxium humorem a stomacho extrahere?

Sicut noxius humor expellitur a stomacho vomitu, sic peccatum confessione expellitur ab anima.

Sic ait Origenes *Homilia 2 in Psalmum 37*, agens de peccatorum confessione. [57] Qui etiam *Homilia 2 in Leviticum*, [58] obiciens quod melioris esset conditionis lex Moysi, in qua tot erant instituta sacrificia ad expianda peccata, quam Evangelium, in quo nullum horum est, obiectionem diluens, ait multis quoque modis in lege gratiae expiari peccata: expiantur enim Baptismo, martyrio, eleemosynis, remissione iniuriarum, dilectione qua mulieri peccatrici multa sunt remissa peccata; [59] expiantur etiam, inquit, alia ratione, « quamvis acerbius et laboriosius, poenitentia, cum lavat peccator lacrimis stratum suum et fiunt ei lacrimae panis die ac nocte, [60] et cum non erubescit sacerdoti Domini dicere peccatum suum et quaerere medicinam secundum eum qui ait: *Dixi : Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*, etc., in qua impletur illud quod Iacobus apostolus ait: *Infirmatur quis in vobis? Vocet presbyteros Ecclesiae* », etc. [61] Quare de sacramentali Confessione facta sacerdoti locum *Psalmi* interpretatur Origenes.

Hoc explicat etiam Origenes

Nam, ut Basilius ait *In Regula Brevi*, [62] in peccatorum confessione eadem ratio est, quae in aperitione vitiorum corporis.

et D. Basilius similiter confirmat.

56) Cf. Ios 7, 20 sqq. 57) P. G. 12, 1386. 58) Ibid. col. 417-419.
59) Cf. Lc 7, 37 sqq. 60) Cf. Ps 6, 7; 41, 4. 61) 5, 14. Vulg.: *Inducat presbyteros*, etc. 62) *Interr. 229*, (P. L. 31, 1235).

Ut igitur vitia corporis nequaquam homines quibusvis temere aperiunt, sed iis tantum qui rationem qua ea curanda sint teneant, eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos qui ea possint curare. Hoc inquit B a s i l i u s.

Mandavit Deus solis sacerdotibus aperire plagam leprae,

V. Nam et in Lege Veteri nonnisi sacerdotibus aperienda erat plaga leprae; sacerdotes a Deo instituti fuere medici ad curandam lepram, ita tamen ut non temere eam curarent, sed summa diligentia adhibita ad eam cognoscendam, ita ut in lepra dubia lege praeceptum sit ut septem diebus recluderetur aeger, et aliquando iterum etiam septem aliis diebus, ut in ea causa optime sciret sacerdos quidnam pronunciandum esset et non temere iudicandum ad illum sive absolvendum sive relegandum; nam leprosi ab hominum consortio et a civitatibus relegabantur ne alios inficerent,[63] sicut Maria soror Moysi facta leprosa, extra castra relegata fuit.[64]

significans magna cautela procedendum esse sacerdotibus cum dubitant de vera poenitentia,

Voluit autem Dominus ea lege monitos esse sacerdotes, quibus animarum cura demandata est, ut cum dubii sunt de poenitentium vera contritione firmoque proposito et constanti voluntate contra peccata confessa, aliquo temporis spatio interiecto, periculum faciant, sumant experimentum, non praecipitent sententiam, non absolvant eum qui in foro Dei ob malam ac perversam voluntatem minime absolutus est, ne sanum pronuncient[65] eum qui adhuc lepra infectus et contaminatus est.

multorum enim poenitentia ficta est et instabilis;

Multorum enim ficta est poenitentia, sicut poenitentia Saul, qui cum prius apud Samuelem peccatum suum accusasset, tandem confessus fuit, sed ficto animo,[66] unde ait Samuel: *Triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur;*[67] sicut poenitentia Pharaonis, qui aliquando poenitentiam simulavit, peccatum suum Moysi confessus fuit, plagis urgentibus poenitentiam et obedientiam pollicebatur; sublatis vero plagis, ad solitam pertinaciam continuo redibat *sicut canis . . . ad vomitum,*[67a] unde tandem iusto Dei iudicio damnatus cum universo exercitu suo in mari Rubro demersus interiit.[68] Multi agunt sicut nautae in mari gravissima tempestate iactati, qui ad nau-

63) Cf. Lv 13, 1 sqq.; Nm 5, 2-3. 64) Cf. Nm 12, 10 sqq. 65) Ms.: *Periculum faciat sumat... praecipitet... absolvat... pronunciet.* 66) Cf. 1 Rg 15, 14-25. 67) Ibid. vr. 29. 67a) Prv 26, 41. 68) Cf. Ex 8, 8-15. 25 sqq.; 9, 27 sqq.; 10, 8-27; 12, 31-32; 14, 5 sqq.

fragium fugiendum navim exonerant, merces in mare proiciunt; sed tempestate cessante, tranquillo mari, proiecta in mare perquirunt.

Deus autem non fictam, sed veram a nobis exigit poenitentiam, in tota animi tribulatione. Hinc *Levitico* 5 mandavit ne in sacrificio similae, quae pro peccato offerebatur, oleum aut thus adhiberetur, [69] quae sunt laetitiae et suavitatis hieroglyphica; lacrimae tantum amaritudinis requiruntur, quibus lavetur hostia pro peccato. Noluit Deus in sacrificiis unquam mel adhiberi, sed sal, [70] quod vitia carnis corripit et urit; hinc Apostolis ait: *Vos estis sal terrae . . . vos estis lumen mundi,* [71] utique ad depellendas peccatorum tenebras, ad corruptos mores corripiendos; nam ad hoc dedit Apostolis divinam auctoritatem: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* [72]

Deus autem a nobis veram poenitentiam exigit, quae corrigat mores

VI. Non dicat haereticus: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* [73] Nam: *Glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus.* [74] *Accipite Spiritum Sanctum :* an Spiritus Sanctus non est Deus? Ideo sacerdotes dimittere possunt peccata, quia Spiritum Sanctum habent, ut ait Cyrillus libro 12 *in Ioannem,* [75] et Ambrosius libro 1 *De Poenitentia,* [76] Augustinus etiam *Sermone 11 De Verbis Domini.* [77] Chrysostomus libro 3 *De Sacerdotio* ait: Deus *Pater . . . omne iudicium dedit Filio;* [78] sed hoc totum video a Dei Filio sacerdotibus traditum. [79] Et in eodem libro conferens sacerdotium nostrum cum antiquo ait: « Corporis lepram non purgare, sed purgatam ostendere et probare iudaeis sacerdotibus datum est; at nostris sacerdotibus non corporis lepram, verum animae sordes, non dico purgatos ostendere, sed purgare prorsus concessum est ». [80]

Christus ipse sacerdotibus dedit divinam potestatem dimittendi peccata.

Et ideo hanc ob causam existimo misisse Dominum leprosos ad sacerdotes: *Ite, ostendite vos sacerdotibus,* [81] etiam illum quem tactu carnis suae et virtute ac imperio divinitatis suae curaverat dicens:

quod etiam significavit mittens leprosos ad sacerdotes.

69) Cf. vr. 11. 70) Cf. ibid. 2, 11-13. 71) Mt 5, 13-14. Vulg.: *Lux mundi.*
72) Io 20, 21-23. 73) Lc 5, 21. 74) Mt 9, 8. 75) P. G. 74, 719-722.
76) Cp. 2, (P. L. 16, 467-468). 77) Iuxta Migne *Sermo 71*, cp. 12, ibid. 38, 454.
78) Io 5, 22. 79) P. G. 48, 643. 80) Ibid. col. 644. 81) Lc 17, 14.

Volo, mundare, ad sacerdotes misit,[82] ad honorandum utique sacerdotium legale tanquam typum evangelici sacerdotii et ad designandum quod etiam is qui in spiritu a Deo remissionem peccatorum accepit, indiget ut a sacerdote absolvatur; sicut Cornelius centurio, cum ante Baptismum accepisset Spiritum Sanctum, tamen post Spiritus Sancti acceptionem baptizatus a Petro fuit;[83] et Paulus a Christo conversus ex corde et sanctificatus, tamen ab Anania baptizatus fuit et per Baptismum illuminatus;[84] Lazarus a Christo suscitatus, ab Apostolis solutus fuit: *Solvite eum et sinite abire;*[85] *Quaecunque solveritis super terram.*

In hac parte sacerdotes vere sunt Christi vicarii.

Venerabilis Beda libro 5 *in Lucam* ait quod « sacerdotium Iudaeorum figura fuit regalis sacerdotii quod est in Ecclesia ».[86] Sunt sacerdotes hac in parte Christi vicarii; ipse enim Christus summus est pontifex, pastor et episcopus animarum,[87] *princeps pastorum*,[88] *Agnus Dei . . . qui tollit peccata mundi*,[89] quem *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*,[90] qui est *lux mundi*,[91] illuminans omnem hominem,[92] *Sol iustitiae*,[93] *splendor gloriae . . . purgationem peccatorum faciens*,[94] medicus coelestis atque divinus; sacerdotes autem gerunt vices ipsius. Homo, ut sit aut vivat, opus habet matre concipiente et in utero gestante, ut prodeat in lucem, ut nutriatur, ut curetur. Pater noster Deus est, mater Ecclesia, nativitas Baptismus, *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti*,[95] cibus Eucharistia, medicamen Poenitentia, medici sacerdotes animarum curatores. O mirabiles medicos, qui non tantum infirmos curant, sed etiam caecos illuminant et mortuos resuscitant, sicut Christus medicus, cuius vices gerunt!

Sacerdos ut rite absolvat, cognoscere debet peccata tanquam iudex sedens in tribunali.

Sicut Christus Lazarum suscitavit, ita sacerdotes hominem Deo spiritu mortuum. Sed aperiri voluit Christus sepulcrum ut mortuum videret,[96] ut statum defuncti cognosceret; sic revelanda est peccati mors sacerdoti, necesse est ut peccata cognoscat tanquam iudex sedens in tribunali ad iudicandum. Iudices enim sunt sacerdotes, ut ait Augustinus libro 20 *De Civitate Dei*,[97] tractans illud *Apoca-*

82) Mt 8, 3-4; Mc 1, 41-44; Lc 5, 13. 83) Cf. Act 10, 44 sqq. 84) Cf. ibid. 9, 1-18. 85) Io 11, 44. 86) P. L. 92, 542. 87) Cf. 1 Petr 2, 25. 88) Ibid. 5, 4. 89) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum. Peccata* lect. cod. et Liturgia Ecclesiae. 90) Rom 3, 25. 91) Io 8, 12; 9, 5. 92) Cf. ibid. 1, 9. 93) Mal 4, 2. 94) Hebr 1, 3. 95) Tit 3, 5. 96) Cf. Io 11, 39. 97) Cp. 9, (P. L. 41, 673).

*lypsis : Vidi sedes et sedentes sup*r *eas, et iudicium datum est illis:* [98] iudicium intelligit quo in Ecclesia vel absolvuntur vel condemnantur peccatores: *Quodcunque solveritis super terram,* etc. Iudex autem, incognita causa, non potest ferre sententiam ad absolvendum vel condemnandum. Manifestanda sunt ergo sacerdotibus peccata, ita ut sit integra et inviolata confessio, ut sit confessio universale diluvium submergens ac perdens omne animal quod extra arcam virtutis est, [99] mare Rubrum suffocans omnes Aegyptios, [100] ignis devorans universam Pentapolim, [101] gladius Saul occidens omnes Amalecitas, peccavit enim Saul quia non omnes Amalecitas occidit iuxta praeceptum Domini. [102]

manifestanda ergo sunt ut sit vera et integra confessio.

VII. Divina Scriptura *Levitico* 6 agens de sacrificio et hostia pro peccato, inquit quod *sanctum sanctorum est,* [103] idest sacrificium Deo gratissimum. Ubi advertendum est etiam quod, dum agitur capite 5 de sacrificio pro peccato non ex ignorantia admisso, dicitur ut offerat, qui tale peccatum admisit, arietem sacerdoti ad mensuram aestimationemque delicti; cum ageret de peccatis per ignorantiam admissis, iussit offerre arietem, sed qui duobus siclis valeret. [104] Nunc, quoniam gravius est peccatum scienter patratum, aries mandatur offerri ad aestimationem sacerdotis. Agitur autem de peccato occulto, ut ait Iosephus libro 3 *Antiquitatum,* [105] et Philo libro *De Victimis,* [106] arguente se intus conscientia, confessus fuerit et veniam petierit, merebitur delicti oblivionem.

Hoc designabatur caeremoniis quae observandae erant in sacrificio pro peccato,

In sacrificio autem pro peccato animal immaculatum, integrum, perfectum offerri praecipitur, quoniam necesse est ut integra atque perfecta sit confessio; sed si peccavit sacerdos, offerret vitulum; si princeps, hircum aut arietem; si homo de populo, capram aut ovem. [107] Ubi insinuat Dominus gravius esse peccatum sacerdotis quam principis, principis quam plebei hominis, et quod pro graviori peccato maior requiritur poenitentia, dolor animi, contritio cordis. Iubetur offerens ponere manus suas supra caput victimae, quae interficienda erat pro peccato, ut sciat homo omne peccatum dignum esse morte et

quibus significabatur etiam gravitas peccati,

98) 20, 4. Vulg.: *Et sederunt super eas,* etc. 99) Cf. Gn 7, 1 sqq. 100) Cf. Ex 14, 21 sqq. 101) Cf. Gn 10, 24-25. 102) Cf. 1 Rg 15, 1 sqq. 103) Vrr. 25. 29. 104) Cf. vrr. 14 sqq. 105) Cp. 9, pag. 203. 106) Pag. 523-531. 107) Cf. Lv 4, 1-6.

agnoscat atque confiteatur se dignum esse omni plaga et morte ipsa propter admissum peccatum. Fundendus erat sanguis victimae ad basim altaris, nam sanguis peccatum est: *Sanguis sanguinem tetigit;*[107*] *Libera me de sanguinibus.*[108] Prohibetur lege homo sanguinem comedere, idest peccare.[109] Fundendus est sanguis ad basim altaris: altare Christus est, basis autem ipsa divinitas est, confitenda sunt nanque peccata sacerdoti, sed tanquam Deo, a quo petenda et obtinenda venia est.

quoniam peccatum meretur ignem aeternum

Capite 4 *Levitici*, ubi agitur de sacrificio pro peccato populi, iubetur non tantum mactari victima, sed etiam extra castra cremari, quoniam peccatum meretur ignem aeternum; iubetur sacerdos sanguinem sumere, intrare in tabernaculum Domini, aspergere digito septies sanguinem contra coelum, idest versus propitiatorium, linire etiam cornua altaris thymiamatis et Dominum orare et deprecari pro remissione peccati.[110] Quae omnia mysteria sunt ad insinuandum quod ad remissionem peccati multa opus est misericordia Dei, opus meritis Christi, opus ferventi sacerdotis oratione; quod lacrimis etiam sanguinis multis et copiosis opus esset coram Deo, hoc enim significat septem vicibus repetita sanguinis aspersio; licet etiam significaret mysterium quod ipse Deus humanatus pro mundi peccatis copioso sanguine aspergendus erat, sicut ipsa Christi passio manifeste declaravit: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra ; disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus . . . Posuit . . . super eum iniquitates omnium nostrum . . . Iustificabit . . . servus meus in scientia sua multos et iniquitates*, etc.[111]

et opus est multa misericordia Dei ad obtinendam remissionem.

Immensum est beneficium poenitentiae a Deo hominibus concessum,

VIII. Quale et quantum sit beneficium poenitentiae concessum a Deo hominibus peccantibus, non Angelis,[112] nemo est qui verbis assequi possit. Quis enim pro dignitate aperire poterit damna quae homini affert peccatum? I e r e m i a s ait: *Olivam uberem, pulcram, fructiferam, speciosam vocavit Deus nomen tuum; ad vocem loquelae grandis exarsit ignis in ea . . . combusta sunt fruteta eius. Et Dominus . . . qui plantavit te, locutus est super te malum pro malis domus Israel.*[113]

107*) Os 4, 2. 108) Ps 50, 16. 109) Cf. Lv 3, 17; 7, 26; 17, 12-14.
110) Cf. vrr. 1-10. 111) Is 53, 5-11. Vulg.: *Posuit in eo iniquitatem... In scientia sua iustificabit... servus meus multos*, etc. 112) Cf. 2 Petr 2, 4; Iud vr. 6.
113) 11, 16-17. Vulg.: *Vocavit Dominus*, etc.

Illud, inquit, efficit peccatum in homine quod ignis in arbore pulcherrima olivae, cum combusserit ramos omnes illius et truncum, ita ut non relinquatur nisi truncum cum ramis quibusdam nigris instar carbonum extinctorum et videtur malum irremediabile. Hinc idem Ieremias ait: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas in quibus gloriata es?* [114] Quidnam remedii esse potest ad reparandam arborem combustam, eam in pristinum statum restituendam? Nihil plane, nisi forte radix viva remanserit superstes.

nam immensa sunt damna peccati;

Sub hac eadem imagine idem ostendit nobis Divina Scriptura in Nabuchodonosor. Proponit eum tanquam arborem pulcherrimam, maximam, mirabilem, quae celsitudine coelum tangebat, latitudine totum mundum occupabat; sed succisa fuit ita ut nonnisi radices remanserint in terra. Nabuchodonosor ob peccatum regno privatus fuit et in bestiam transformatus, sed per poenitentiam in pristinum statum rediit. [115] Sic Regius Vates ait: *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* [116] Per peccatum, inquit, amissa fuit felicitas, pulsus homo e paradiso. [117] Remota autem causa tanti mali, necesse est ut removeatur effectus; remota interpositione terrae, cessat lunae eclipsis, cessat luminis deliquium, revertitur luna ad pristinum splendorem. Sic poenitentia, qua deletur culpa et restituitur gratia, reddit hominem paradiso: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* [118] Sic filius prodigus per poenitentiam restitutus fuit pristino statui, sic Lazarus magno Christi miraculo suscitatus in domum suam rediit.

per peccatum enim amittitur felicitas aeterna et dignitas humana;

at per poenitentiam deletur culpa, restituitur gratia, homo redditur paradiso,

Modo vera sit poenitentia, non sicut poenitentia Pharaonis, qui obdurato corde redibat ad pristinam iniquitatem, non sicut poenitentia Saul, qui coram Samuele omnibus modis quibus potuit peccatum suum excusare voluit, et licet tandem dixerit: *Peccavi*, dixit tamen non ex animo, unde a Samuele audivit: *Triumphator Israel non parcet et poenitudine non flectetur, neque enim homo est ut poenitentiam agat.* [119] Poenitentia vera Deo summopere placet, sicut fuit poenitentia David,

modo ficta non sit, sed vera, quae sola abluit a sordibus.

114) Ibid. vr. 15. 115) Cf. Dn 4, 8 sqq. 116) Ps 31, 1-2. 117) Cf. Gn 3, 6 sqq. 118) Mt 3, 2; 4, 17. 119) 1 Rg 15, 29. Vulg.: *Agat poenitentiam.*

qui coram Nathan propheta dixit: *Peccavi Domino,* [120] statimque remissionem peccati accepit, hinc ait: *Sacrificium Domino spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies,* [121] idest acceptabis, placebit tibi. Sic poenitentia hominem Deo reconciliat. Abluit a sordibus: *Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor,* [122] aqua lustrationis est ex cineribus vitulae rufae, [123] ex merito mortis et infinitae caritatis Christi.

Semper fuit in Ecclesia poenitentia: sub lege ut virtus, nunc autem etiam ut Sacramentum.

IX. Designatur etiam poenitentia per vas aeneum in tabernaculo Moysi plenum aqua pro purificandis levitis; [124] similiterque per vas illud magnum in templo Salomonis, quod *mare aeneum* appellatur. [125] Semper fuit poenitentia in Ecclesia: in synagoga sub lege et nunc sub Evangelio; sed tunc poenitentia tanquam virtus, nunc autem et tanquam virtus et tanquam Sacramentum; hinc multo maius fuit vas aquae purificatoriae in templo Salomonis quam in tabernaculo Moysi; sacerdotes autem et levitae nonnisi aqua illa purgati ad Deum accedere poterant.

Imaginem quandam poenitentiae exhibet Isaias.

Habemus quandam imaginem poenitentiae in Isaia, qui cum vidisset maiestatem Dei supra templum audissetque Seraphim clamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum,* agnoscens inde peccatum suum, cum illud humiliter confessus fuisset: *Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum,* statim Seraph descendit et purgavit eum calculo ignito ac sanctificavit eum: *Ecce tetigit hoc labia tua et auferetur iniquitas tua et peccatum tuum mundabitur.* [126] Isaias poenitentis refert imaginem, Seraph vero coelestis imago est sacerdotis, cuius plane coelestis, superangelica, divina auctoritas est. Iob, qui testimonio ipsius Dei *simplex* vir dicitur, *rectus* corde, *timens Deum et recedens a malo,* [127] tamen quoniam *septies* in die *cadit iustus,* [128] confitebatur Domino peccata sua, hinc aiebat: *Abscondi quasi homo, sicut Adam, peccatum meum et celavi in sinu meo iniquitatem meam.* [129]

120) 2 Rg 12, 13. 121) Ps 50, 19. Vulg.: *Sacrificium Deo,* etc. 122) Ibid. vr. 9. 123) Cf. Nm 19, 2 sqq. 124) Cf. Ex 30, 18-21; 40, 28-29. 125) Cf. 3 Rg 7, 23-44; 2 Par 4, 2-15. 126) Is 6, 3-7. 127) Iob 1, 1. 128) Prv 24, 16. *In die* lect. cod. 129) Iob 31, 33. Ex hebraico

FERIA QUARTA MAIORIS HEBDOMADAE

Fecerunt autem ei coenam ibi, et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus. [1]

I. Sacra haec coena symbolum quoddam fuit divinae mensae supersanctissimi sacramenti Eucharistiae, quod in coena paschali institutum fuit et ab ipsomet Christo *coena magna* appellatur: *Homo quidam fecit coenam magnam,* [2] magnum convivium, magnum et inaestimabile, supra modum mirabile etiam Angelis, hominibus vero multis incredibile: *Quomodo potest* homo *carnem suam dare ad manducandum* [3] et [sanguinem suum] bibendum? Ita Capharnaitae dixerunt; quibus Christus: Nisi manducaveritis meam carnem et biberitis meum sanguinem, *non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam... Caro... mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* [4] O cibum divinum, verum Angelorum panem! Sed *non omnes capiunt verbum istud:* [5] *Durus est hic sermo et quis potest eum audire?... Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro,* [6] non capientes veritatem divini huius mysterii, quod Christus *mysterium fidei* appellavit. [7]

SS. Eucharistia convivium mirabile est, sed multis incredibile videtur.

C h r y s o s t o m u s *Homilia 46 in Ioannem* ait quod Iudas fuit unus ex illis qui mysterium hoc minime crediderunt; [8] imo

Iudas dux fuit haereticorum,

1) Io 12, 2. In codice homilia haec sub inscriptione: « Feria Quarta Maioris Hebdomadae » invenitur post Feriam Quintam sequentem, forte ex errore collectoris. 2) Lc 14, 16. 3) Io 6, 53. 4) Ibid. vrr. 54-57. Vulg.: *Et ego in illo.* 5) Mt 19, 11. 6) Io 6, 61-67. 7) Liturgia Ecclesiae, forma consecrationis calicis. De his verbis *Catechismus Romanus:* « Verba illa: *aeterni* et *mysterium fidei,* sancta traditio catholica, veritatis interpres et custos, nos docuit ». Part. 2, *De Eucharistiae Sacramento,* n. 21. 8) P. G. 59, 267.

qui mysterium hoc non crediderunt.

E v a n g e l i s t a ipse ibi testatur dicens: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt; sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes et quis traditurus esset eum.* [9] Quare sicut Iudas *fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum,* [10] ita quoque patriarcha fuit perfidorum haereticorum. Accidit in Ecclesia id quod in mundo; sol nanque oriens, statim ortu suo tenebras depellens, maximas gignit umbras, sed quae paullatim diminuuntur usque ad meridiem, post meridiem vero, sole ad occasum vergente, iterum crescunt et in occasu maximae fiunt.

Error Sacramentariorum confutatus fuit a D. Paulo, ab oecumenicis conciliis, ab ipsomet Christo.

II. Est divinum hoc Sacramentum inter cetera sol inter planetas; statim ut sol iste ex ore Christi ortus fuit, ecce magnae umbrae errorum haeresumque: *Quomodo potest hic... carnem suam dare ad manducandum? Durus est hic sermo et quis potest eum audire?... Abierunt retro,* non crediderunt. Sed repressus fuit error hic ab ipsomet Christo: *Sciens... Iesus... quod murmurarent de hoc discipuli eius, dixit... Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* [11] Miraculo ascensionis suae in coelum comprobat Christus divini huius Sacramenti veritatem, quasi diceret divinae virtuti, qua Christus in coelum ascendit, non esse impossibile miraculum hoc operari. Quare error iste Sacramentariorum non solum confutatus semper fuit ab omnibus theologicis Academiis catholicis, oecumenicis conciliis, [12] a P a u l o a p o s t o l o *ad Corinthios,* quos arguit eo quod non diiudicarent corpus Domini, nec discernerent a communibus cibis, [13] sed etiam ab ipsomet Christo, qui propterea in institutione divini huius Sacramenti apertissimis, planissimis, clarissimis usus est verbis dicens: *Accipite et manducate, hoc est* enim *corpus meum... hoc facite in meam commemorationem.* [14]

Verba Christi non figurate sed litteraliter accipienda sunt,

Non dicant haeretici figuratam esse locutionem: *Hoc est corpus meum,* significat *corpus meum,* [15] sicut: *Petra... erat Christus,* [16] idest significat Christum; nam si non est nisi figura corporis Christi, quomodo ait A p o s t o l u s reum esse corporis et sanguinis Domini eum

9) Io 6, 65. 10) Act 1, 16. 11) Io 6, 62-63. Vulg.: *Quia murmurarent,* etc.
12) Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae, De Sacramento Eucharistiae,* lib. 2, cp. 36, t. 3, col. 499-500; Denzinger-Bannwart *Enchiridion Symbolorum,* n. 355. 581-583. 883-890.
13) Cf. 1 Cor 11, 29. 14) Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24. 15) Cf. S. Rob. Bellarminus *Controversiae,* t. 3, *De Sacramento Eucharistiae,* lib. 1, cp. 9, pag. 196-199; S. Laurentius a Br. *Lutheranismi Hypotyposis,* vol. 2, part. 2, pag. 317. 16) 1 Cor 10, 4.

qui sumit indigne, eo quod non diiudicat corpus Domini? Quomodo Christus ait: *Caro . . . mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus?* Quomodo clarius loqui potuisset? Mitto quod verba testamentaria necesse est esse plana, aperta, clara, non figurata, non metaphorica; et Christus ait: *Hic est calix sanguinis mei novi et aeterni Testamenti;* [17] quod Christus moriturus corpus suum tanquam hereditatem pignusque hereditatis aeternae nobis testamento legavit, et Paulus eadem Christi verba planissime retulit a Christo accepta; [18] quae si metaphorica fuissent, declarasset utique ad evitandum idololatriae periculum, cum soleant Evangelistae declarare et aperire Christi sensum quando metaphorice et figurate locutus est. Et quidem quomodo apertius loqui potuit Christus, clarioribus uti verbis? *Hoc est corpus meum.* Si pro libitu dicendum est quod verbum illud *est* idem valet ac significat, quid clarum, quid certum erit in Divinis Litteris? *Verbum caro factum est,* [19] significat carnem; Christus est Salvator mundi, significat.

secus nil certum erit in S. Scripturis.

Clarissimis et apertissimis verbis locutum fuisse universa semper intellexit Ecclesia, omnes Patres, omnia Concilia, omnes theologi, catholici omnes. Sic semper divinum hoc Sacramentum summa reverentia, divinis honoribus venerata Ecclesia est; sicut Christus in coelo ab Angelis adoratur, sicut in praesepio a Magis adoratus fuit, [20] sic adorandum Christum in altari semper docuit, iussit, adoravit. Et Deus ipse innumeris miraculis divini huius Sacramenti veritatem comprobavit et testificatus est, sicut multis miraculis fidem Christi divinitus comprobatam testatamque esse voluit.

Hoc docuit semper Ecclesia verbis et factis.

III. Est quidem mysterium hoc magnum, ineffabile, incomprehensibile; sed si propterea non sit credendum, quis mysterium capiet Trinitatis, creationis mundi ex nihilo, incarnationis Verbi in Virgine? Et quidem Christus Sacramentum hoc specialiter *mysterium fidei* appellavit, eo quod in eo specialis sit et magna difficultas intelligendi. Quod si non esset nisi figura corporis Christi, quid, quaeso, magni aut singularis mysterii contineretur in eo? Et tamen: *Cum dixerint vobis filii vestri: Quae est ista religio? dicetis... Victima transitus Domini est.* [21]

Est quidem hoc mysterium magnum, ineffabile, sed non ideo non credibile.

17) Cf. supra not. 7. 18) Cf. 1 Cor 11, 23-26. 19) Io 1, 14. 20) Cf. Mt 2, 11. 21) Ex 12, 26-27.

nam Deus maiora potest facere quam mens nostra capere possit.

Intellectu valde difficile; sed quis nescit quod multo plura multoque maiora potest Deus facere quam nostra mens capere aut intelligere? Captivandus est intellectus in obsequium Christi. [22] Si dixisset Christus in coena, sicut alibi post miraculum quinque panum: Caro mea cibus est, sanguis meus potus est, corpus meum potus est, intelligi potuisset figurate dixisse, sicut *lucem* se dixit,[23] *vitem,*[24] *ostium,* [25] *viam,*[26] et in Scripturis appellatur *leo,*[27] *agnus,*[28] *sol iustitiae,*[29] *petra angularis.*[30]

Si Christus figurate locutus fuisset, admodum improprie fuisset locutus.

Sed non sic, imo accipiens panem dixit: *Hoc est corpus meum;* ubi Christus, si figurate locutus fuisset, improprie admodum fuisset locutus. Nam ait Divina Scriptura quod David erat fortis sicut leo, [31] quoniam notissima est leonis fortitudo; quod si quis diceret leonem esse fortem sicut David, improprie loqueretur. Ita plane si Christus dicere voluisset quod caro ipsius instar panis mentem reficit ac nutrit, ac propterea carnem suam panem aut cibum appellasset, intelligi potuisset figurata locutio, et quidem proprietate servata loquendi. Sed non sic ait. Accepto pane dixit: *Hoc est corpus meum;* neque dixit: Hic panis est corpus meum, sed *hoc*, quod manibus teneo, quod vobis porrigo, quod vobis videtur panis, hoc quod est sub specie panis, *hoc est corpus meum;* sicut alibi locutus est Dominus: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt,* [32] idest prius caeci, claudi, surdi, leprosi, mortui, nunc vident, audiunt, ambulant, mundi sunt, resurgunt, vivunt; ita prius panis, nunc sub specie panis corpus meum est: *Hoc est* enim *corpus meum.*

In coena Dominus instituit sacerdotium et sacrificium,

IV. Instituit in coena Dominus sacerdotium et sacrificium secundum ordinem Melchisedech, iuxta illud oraculum: *Iuravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* [33] hoc est quod Christus dixit novum et aeternum Testamentum. Si Christus futurus est verus sacerdos *secundum ordinem Melchisedech,* ergo oblaturus erat Deo sacrificium panis et vini, sicut obtulit Melchisedech *sacerdos Dei Altissimi.* [34] Quod si in coena non

22) Cf. 2 Cor 10, 5. 23) Cf. Io 1, 4-9; 3, 19; 8, 12; 9, 5; 12, 46. 24) Cf. ibid. 15, 1-5. 25) Cf. ibid. 10, 7-9. 26) Cf. ibid. 14, 6. 27) Cf. Apc 5, 5. 28) Cf. Is 16, 1; 53, 7; Io 1, 29. 36; Apc 5, 6-13; 6, 1. 16; 7, 9-10. 14. 17. 29) Mal 4, 2. 30) Cf. Ps 117, 22; Is 28, 16; Mt 21, 42; Eph 2, 20; 1 Petr 2, 4-8. 31) Cf. 2 Rg 10, 7. 32) Mt 11, 5; Lc 7, 22. 33) Ps 109, 4. 34) Gn 14, 18.

obtulit Christus sacrificium hoc cum accepit panem et calicem vini, quando alias obtulit? Et si non obtulit, quomodo sacerdos *secundum ordinem Melchisedech ?* Si non sacerdos, quomodo verum vaticinium, quomodo *iuravit Dominus et non poenitebit eum ?* At si sacerdotium secundum ordinem Melchisedech perpetuum futurum erat in Ecclesia, sicut sacerdotium aaronicum perpetuum fuit in synagoga, et Christus non erat perpetuo mansurus cum hominibus in terra, sicut nec Aaron perpetuo vixit; si Christus post ascensionem suam ac redivivam resurrectionem perpetuo sessurus erat ad dexteram Dei, sicut, in eodem *Psalmo* dicitur: *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis,* [35] ergo institutum erat sacerdotium hoc in Ecclesia perpetuum, usque in finem saeculorum. Ecce ait Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem :* hoc quod ego facio tanquam sacerdos *secundum ordinem Melchisedech,* vos quoque, quos vicarios meos instituo et sacerdotes tradita auctoritate constituo, *facite in meam commemorationem,* offerte Deo huiuscemodi sacrificium, in quo passio et mors mea repraesentatur: *Hoc facite in meam commemorationem.*

utraque perpetuo mansura in Ecclesia.

Facere in Scripturis Sanctis saepe accipitur pro offerre. *Levitico : Facietis . . . hircum pro peccato agnosque anniculos hostiam pacificorum;* [36] *Numeris: Offeret duos turtures . . . sacerdoti . . . facietque sacerdos unum pro peccato et alterum in holocaustum ;* [37] et saepe alibi. [38] Sic ait: *Facite,* idest offerte sacrificium *secundum ordinem Melchisedech in meam commemorationem.* Sed quidnam fecit Christus in coena ? Accepit panem et vinum, sed panem in corpus suum commutavit, vinum in sanguinem: *Hoc est corpus meum . . . hic est sanguis meus ;* et tunc ait: *Hoc facite,* sacrificium hoc tanquam veri sacerdotes a me summo sacerdote et pontifice maximo instituti et ordinati, offerte paschalem hunc agnum.

Facere in S. Scriptura accipitur pro offerre.

V. Nam duplex pascha celebravit Christus: iudaicum, quod erat figura et typus, et christianum: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum ;* [39] non utique vervecinum, typicum, sed verum, nam: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* [40] Illud fuit velut umbra, hoc autem veritas; sicut sanguis agni illius Hebraeis causa salutis, Christi

Duplex pascha celebravit Christus.

35) Ps 109, 1. 36) 23, 19. Vulg.: *Duosque agnos . . . hostias,* etc. 37) 6, 10-11. 38) Cf. Lv 9, 6. 16; 14, 19; 15, 15. 30. 39) Lc 22, 15. 40) 1 Cor 5, 7.

sed iudaicum figura et typus erat paschatis christiani.

sanguinem praefiguravit, pretium nostrae salutis; illud celebrabatur in memoriam *transitus Domini* exitusque de Aegypto, [41] hoc autem in memoriam transitus Domini ex hoc mundo ad Patrem. Mandavit Deus Iudaeis ut immolarent agnum illum umbratilem; [42] sic et Christus hunc agnum Dei *qui tollit peccata mundi.* [42*] Illud celebrari iussit Deus in memoriam magni plane beneficii: *Cum dixerint vobis filii vestri: Quae est ista religio ? dicetis ... Victima transitus Domini est ;* sic divinum hoc Sacramentum *victima transitus Domini est ; hoc facite in meam commemorationem,* ut sit grata quaedam recordatio perpetua, nunquam interitura infinitae caritatis meae erga vos, qua pro ovibus meis animam meam posui. [43]

ideo illius caeremonias spiritualiter intelligendas docet D. Paulus.

Summa religione voluit Deus agnum illum immolari, summa reverentia, multis adhibitis sacris caeremoniis, quae Paulus spiritualiter docuit intelligenda, in nostro paschali Agno: *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus ; itaque epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* [44] Non poterat ex illo participare incircumcisus, neque ex hoc non baptizatus; accinctis renibus comedebatur agnus ille, quoniam parati erant tunc Hebraei ad iter peregrinationis in terram promissionis, hoc viaticum est peregrinorum; baculos illi tenebant in manibus comedentes, [45] hic firma requiritur fides, quoniam est singulare mysterium fidei, veluti compendium, ανακεφαλαίωσις, [46] thesaurus omnium articulorum fidei: hic articulus divinitatis et Trinitatis, incarnationis, passionis, resurrectionis, ascensionis et omnium pene aliorum articulorum. Mysterium infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis, iustitiae, misericordiae et caritatis Dei: *Cum dilexisset suos ... in finem dilexit eos.* [47]

Sacramentum hoc magnum miraculum est amoris Christi erga Ecclesiam suam.

VI. Miraculum est amoris et caritatis Christi erga dilectissimam sponsam suam, Sanctam Ecclesiam, animas nostras. Amoris vehementia efficit ut amantes, cum non possint semper simul esse, per imagines naturales ad vivum a pictoribus excellentissimis effectas, praesentes habeant semper quos diligunt. Sponsus iter facturus relinquit sponsae dilectissimae et amantissimae pulcherrimam sui imagi-

41) Ex 12, 11. 17. 42) Cf. ibid. vrr. 3-11. 42*) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum. Peccata* lect. cod. et Liturgia Ecclesiae. 43) Cf. Io 10, 15. 44) 1 Cor 5, 7-8. 45) Cf. Ex 12, 43-48. 46) Ms.: *Anachephaleosis.* 47) Io 13, 1.

nem, cum non possit seipsum relinquere. Christus autem, quoniam Deus omnipotens est, sicut potuit, ita, caritate urgente, voluit seipsum totum dilectissimae sponsae suae relinquere. Sic Sacramentum hoc magnum est amoris miraculum et divinae erga nos caritatis testimonium vivum, quia maximum Dei donum est, infinitus thesaurus omnium bonorum Dei.

de quo plura habentur in S. Scriptura.

Hinc per Zachariam ait: *Quid enim bonum eius est et quid pulcrum, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* [48] Hoc est frumentum et vinum in benedictione Isaac, de qua ait: *Frumento et vino stabilivi eum, et tibi ... fili mi, ultra quid faciam?* [49] Videtis in frumento et vino copiam omnem thesaurorum Dei: *Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini.* [50] *Bonum* dixit et *pulcrum*, idest suave, quoniam manna est, suavissimus Angelorum panis, panis vitae et suavitatis aeternae. Quid amplius dici potest quam panem hunc et vinum esse totum *bonum* et *pulcrum* Dei? Hinc Paulus ait: *Qui ... proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* [51]

Sic supra modum Christus Ecclesiam magnificavit,

Hic vere admiratione et stupore pleni dicere possumus: *Sic ... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* [52] Sic Christus dilexit Ecclesiam, ut daret semetipsum pro illa; [53] hic supra modum magnificavit Ecclesiam suam, ut si Moysi dicere licuit: Quae est enim *natio tam grandis quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest* [54] nobis, eo quod Deus habitabat in medio populi, in sacello illo divino; quanto maiori cum ratione nos hoc dicere possumus?

et nos quoque supra modum honoravit.

Hic nos supra modum honorati sumus. Aman, princeps regis Assueri, supramodum honoratum se putabat, eo quod solus cum rege Assuero invitatus fuerat a regina Esther ad convivium; [55] Rex David honorare volens Miphiboseth, filium Ionathae, et facere *cum eo*, ut ait Scriptura, *misericordiam Dei,* [56] fecit eum commensalem suum dicens: *Tu comedes panem super mensam meam semper* et, ut ibi dicitur, *quasi unus de filiis regis.* [57] Magnus plane honor, magna gratia,

48) 9, 17. 49) Gn 27, 37. 50) Ibid. vr. 28. 51) Rom 8, 32. 52) Io 3, 16. 53) Cf. Eph 5, 25. 54) Dt 4, 7. Vulg.: *Gens tam grandis*, etc. Affert ex Breviario Rom. in festo Corporis Christi, ad Mat. respons. 7. 55) Cf. Est 5, 12. 56) 2 Rg 9, 3. 57) Ibid. vrr. 7, 11. Vulg.: *In mensa mea semper.*

singularis favor, sed non adoptavit illum David in filium; panem suum dedit illi ad vescendum, sed non carnem suam, non seipsum. Hic autem, bone Deus, quid maius vel summi Angeli, Cherubim, Seraphim excogitare potuissent? Sed sicut Deus ipse in paradiso cibus est Angelorum, ita Unigenitum suum voluit in Ecclesia sua cibum et nutrimentum esse electorum suorum: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* [58]

Infinita est huius cibi pretiositas, suavitas et virtus,

VII. Sed cum velit nos Deus divino hoc cibo nutriri, sicut Nabuchodonosor pueros Hebraeorum de semine regio nutriri praecepit de mensa regis, [59] contemplemur hanc mensam, regale hoc magni Assueri convivium factum anno tertio regni sui, [60] non sub lege naturae aut sub lege Moysi, sed sub lege gratiae. Cibus huius mensae valde pretiosus est: *Calix meus inebrians quam praeclarus est!* [61] Cibus magnae virtutis, sicut panis Eliae ab Angelo ei porrectus; [62] cibus magnae suavitatis sicut manna, [63] qui homini confert scientiam divinorum sicut fructus arboris scientiae, qui vitam perpetuam confert sicut fructus arboris vitae: [64] *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum;* [65] nec tantum vitam, sed etiam felicitatem aeternam tribuit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei;* [66] *Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* [67]

nam confert homini divinam quandam fortitudinem contra satanam.

Confert homini divinam quandam fortitudinem: *Panis cor hominis confirmat;* [68] virtutem contra inimicos salutis nostrae, quoniam gladius victoriae Gedeonis, qui per panem subvertentem castra Madianitarum designatus fuit, [69] nam caro Christi gladius Christi fuit quo contra satanam pugnavit: *Accingere gladio ... super femur tuum, potentissime.* [70] Prius enim caro nostra gladius erat in manu satanae, quo victus fuit Samson fortis, [71] David sanctus, [72] Salomon sapiens, [73] imo Adam innocens per Evam, [74] per sensum carnis; sed sicut David Goliam proprio ipsius gladio interemit, [75] ita et Christus satanam. Sic Christus in hoc Sacramento factus est nobis armatura Dei contra

imo confert ipsam divinitatem,

58) Lc 22, 29-30. 59) Cf. Dn 1, 5. 60) Cf. Est 1, 3-8. 61) Ps 22, 5. 62) Cf. 3 Rg 19, 5-8. 63) Cf. Sap 6, 20. 64) Cf. Gn 2, 9. 65) Io 6, 59. 66) Lc 14, 15. 67) Apc 19, 9. 68) Ps 103, 15. Vulg.: *Confirmet. Confirmat* lect. cod. 69) Cf. Idc 7, 13 sqq. 70) Ps 44, 4. 71) Cf. Idc 16, 4 sqq. 72) Cf. 2 Rg 11, 1 sqq. 73) Cf. 3 Rg 11, 1-9. 74) Cf. Gn 3, 6. 75) Cf. 1 Rg 17, 50-51.

spirituales nequitias.[76] Sed tandem ipsam etiam divinitatem tribuit: *Magna nobis et pretiosa . . . donavit, per quae efficiamur divinae consortes naturae.*[77] Boni cibi bonum sanguinem, bonos humores, bonos spiritus gignunt; cibus autem iste optimus est, divinus est, Deus ipse est.

Deus enim hoc cibo fit totus noster intrinsecus et extrinsecus;

O magnum et infinitum divinae caritatis miraculum, quae Deum non tantum creatorem, conservatorem, Dominum, pastorem, patrem nostrum amantissimum et summum benefactorem effecit, sed etiam cibum nostrum facere voluit! *Caro . . . mea vere est cibus,* imo: *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi ;*[78] *Pater meus dat vobis panem de coelo verum.*[79] Cibus est qui totum corpus sustentat, quia totum nutrit, penetrans per omnes partes, spiritibus ac viribus roborat caput, manus, pedes, totum corpus, partes omnes; sine cibo totum corpus viribus destitutum languet ac deficit, ita ut ex omnibus quae homo possidet, nihil sit homini cibo iucundius et utilius, nihil magis suum, cum in suam ipsius substantiam convertatur. Sic Deus totus noster esse voluit, intrinsecus et extrinsecus.

confert etiam gratiam et remissionem peccatorum,

Confert nobis gratiam Dei et peccatorum remissionem tanquam sacrificium mundum, acceptissimum Deo. Hinc ait: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra ; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.*[80] Munda oblatio est, quia conscientias nostras emundat sicut sacrificium pro peccato,[81] Deum nobis reconciliat tanquam hostia pacifica. Si enim existimavit Pilatus placare se posse Iudaeorum iram, cum in furias infernales satanae opera versi essent contra Christum, ostendens eis ipsum Christum flagellatum et coronatum spinis,[82] quomodo non placabitur ira Dei contra nos concitata, cum Christum dilectissimum Filium pro nobis crucifixum ei ostenderimus? Quoniam totus Christus hic Deo offertur, sicut in sacrificio Gedeonis et Manue una cum flamma holocausti ascendit in coelum Angelus qui in humana forma illis visus fuerat;[83] ita plane in hoc Sacramento contingit.

quoniam Christus ipse hic offertur ad placandam iram Dei.

76) Cf. Eph 6, 12. 77) 2 Petr 1, 4. Vulg.: *Maxima et pretiosa nobis... donavit, ut per haec efficiamini,* etc. 78) Io 6, 41. 79) Ibid. vr. 32. 80) Mal 1, 10-11. 81) Cf. Lv 6, 1-7. 82) Cf. Io 19, 4-5. 83) Cf. Idc 6, 20-21; 13, 19-21.

Egit Christus in hoc Sacramento sicut Eliseus egit ut filium sunamitidis suscitaret,

VIII. Egit nobiscum Christus in hoc Sacramento quod Eliseus egit ut filium sunamitidis suscitaret, quem utique ipse a Deo obtinuerat: semel et iterum se ad eum inclinavit et contactu carnis suae super mortuum puerum totus extensus eum vivificavit. Cum mortuus esset puer ille, ad eum suscitandum misit Eliseus Giezi puerum suum cum baculo suo, sed non surrexit puer; tunc ipsemet abiit ad preces afflictae matris, nec tantum abiit et in domum defuncti pueri ingressus fuit, sed super mortuum puerum se totum extendit ponendo faciem super faciem, pectus supra pectus, manus supra manus, pedes supra pedes; [84] quare necesse est ut nimium se contraxerit, cum ipse esset vir perfectae aetatis, defunctus autem puer in prima aetate. Sic Christus Dominus, verus Eliseus, ad suscitandum hominem venit in hunc mundum, sicut ad suscitandum Lazarum venit in Bethaniam, [85] non enim baculo legis vivificari potuit homo spiritu Deo mortuus; semel et iterum se contraxit: in incarnatione et in divini huius institutione Sacramenti; miraculo parvulum se fecit et contactu sanctissimae carnis suae puerum hunc suscitavit. Nam, ut Cyrillus Alexandrinus libro 4 *In Ioannem* ait: Salvatoris caro Verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, vivifica effecta est; quando eam comedimus, tunc vitam in nobis habemus. [86] Hac de causa in exsuscitandis mortuis non solummodo verbo aut imperio utebatur ut Deus, verum etiam carnem suam nonnunquam cooperatricem adhibebat, ut reipsa ostenderet carnem suam, quae sibi coniuncta erat, vivificam esse atque suum doceret, non alterius corpus esse. Sic archisynagogi filiam suscitans manum eius apprehendit. [87] Quod si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo non vivemus, qui carnem illam gustamus et manducamus?

nam dum semel se contraxerat in incarnatione, iterum se contraxit in Eucharistia.

De venerabili hoc Sacramento multa vaticinati sunt Prophetae,

IX. De venerabili hoc et divinissimo Sacramento multa vaticinati sunt Divini Vates Spiritu Sancto afflati et divini splendoris iubare illustrati, sed praecipue Regius Vates: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Tecum oblationes proelii tui in splendoribus sanctitatis, de matrice aurorae tibi ros nativitatis tuae.* [88] Locum hunc pertractavit de Christo Paulus

84) Cf. 4 Rg 4, 13-37. 85) Cf. Io 11, 1-44. 86) Cp. 2, (P. G. 73, 578).
87) Cf. Mc 5, 35 sqq.; Lc 8, 49 sqq. 88) Ps 109 (hebr. 110), 3.

ad Hebraeos ; [89] nec tamen divinum hoc Sacramentum aperuit ne, ut inquit Hieronymus *ad Evagrium*, Iudaeis infidelibus tantum proderet Sacramentum. [90] Imo ipsemet Paulus ait: *De quo nobis grandis sermo et inexplicabilis ad docendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* [91] Hanc ob causam veteres Sacramentum hoc mysterium appellabant et, praesentibus paganis vel catechumenis, nonnisi velate de eo ad populum verba faciebant: Origenes *Homilia* 9 [92] et 13 *in Leviticum* [93] et *Homilia* 4 *in Iosue*, [94] Chrysostomus *Oratio De Beato Philogonio*, [95] Augustinus *In Psalmum 21.* [96] Idem Augustinus *Tractatu 11 in Ioannem:* [97] Corpus, inquit, Christi est manna absconditum a catechuminis, « quia Iesus adhuc non se credidit illis ».

praesertim Regius Vates Ps. 109,

Quoniam vero nonnisi corpus suum Christus oblaturus erat Deo: *Sacrificium et oblationes noluisti, corpus autem aptasti mihi,* [98] hinc ait: *Tecum oblationes ros nativitatis tuae e matrice aurorae,* idest corpus ipsum tuum ex Virgine coelitus conceptum atque formatum. Sed si carnem suam oblaturus erat, quomodo sacerdos *secundum ordinem Melchisedech ?* Utique quia sub specie panis, nam, ut ipse Regius Vates ait, Messias futurus erat placentula frumenti in capite montium, sed spiritualium, [99] de quibus eodem *Psalmo : Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam.* [100] Mirabile mysterium! Erit Messias placentula tritici purissimi secundum speciem, nam oculis nonnisi panis videtur in Eucharistia.

ubi Messiam appellat placentulam frumenti in capite montium;

Alibi: *Adorate*, sive *osculamini Filium*, aut *apprehendite triticum,* sive *purum, ne forte irascatur et pereatis de via, quoniam cum exarserit,* etc. [101] Christum appellat *Filium Dei : Ego hodie genui te,* et etiam *triticum purum,* postquam verba fecit de Christi vita, passione, resurrectione, regno coelesti. Nam Christus post ascensionem suam regnaturus erat in Ecclesia: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* [102] Sed quomodo? Utique in Sacramento sub specie panis, hinc ait: *Adorate Filium et apprehendite triticum purum,* quoniam Christus Filius est Dei et Sacramentum panis

et Ps 2, ubi Christum vocat Filium Dei et triticum purum,

89) Cf. 5, 6; 6, 20; 7, 17-21. 90) Seu *ad Evangelum*, epist. 73, (P.L. 22, 679). 91) Hebr 5, 11. Vulg.: *Et ininterpretabilis ad dicendum*, etc. 92) P. G. 12, 523. 93) Ibid. col. 547. 94) Ibid. col. 843. 95) Ibid. 48, 753. 96) P. L. 36, 178. 97) Cp. 2, ibid. 35, 1476. 98) Ps 39, 7. Affert ex Hebr 10, 5. 99) Cf. Ps 71 (hebr. 72), 16. 100) Ibid. vr. 3. 101) Ps 2, 12 sq. Ex hebraico. 102) Mt 28, 20.

quoniam in Eucharistia Christus cibus est et sacrificium,

purumque et incruentum sacrificium *secundum ordinem Melchisedech: Tecum oblationes;* Sacramentum est institutum ad percipiendum, ad comedendum, et sacrificium ad offerendum, venerandum et adorandum.

in quo continentur omnia Antiquae Legis sacrificia,

Dicit: *Oblationes*, quoniam in eo virtute et mysterio continentur omnia Antiquae Legis sacrificia. Hinc ait *Psalmo 49: Non in sacrificiis tuis arguam te... immola Deo sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua;* [103] *sacrificium laudis*, de quo dicunt Hebraeorum Rabbini quod solum permansurum in diebus Messiae; [104] מִנְחָה תּוֹדָה תְּרוּמָה, [105] quod a sacerdote offerebatur Deo ex farinaceis cum oleo et incenso et sursum elevabatur manibus in coelum supra caput sacerdotis. *Immola Deo sacrificium laudis*, de quo ait : *Sacrificium laudis honorificabit [me], et illic iter quo ostendam illi salutare Dei:* [106] via et causa est salutis aeternae.

sacrificium iustitiae, quia iustificat et Deo super omnia sacrificia acceptissimum.

Hoc est quod Regius Vates appellat *iustitiae sacrificium: Sacrificate sacrificium iustitiae et sperate in Domino;* [107] et alibi, cum dixisset: *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis,* [108] subiunxit: *Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta;* [109] *sacrificium iustitiae* conferens iustitiam, sacrificium iustificans *tunc*, inquit, *acceptabis*, nam alibi ait: *Magnificabo eum in laude*, idest sacrificio laudis, digno omni laude, *et placebit... super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas,* [110] idest acceptius erit omni gratissimo sacrificio. Hoc unum sacrificium est Deo gratissimum post Christi adventum, sicut Malachias ait: *Placebit Domino sacrificium Iuda et Ierusale sicut dies saeculi et sicut anni antiqui,* [111] idest sicut sacrificium Abel, Melchisedech, [113] Abrahae; [114] hebraice autem: *Placebit Dom* מִנְחָה, [115] *oblatio, sacrificium farinaceum;* sic Regius Vat *Tollite hostias et introite in atria eius ; adorate Dominum in atrio eius :* [116] *tollite* מִנְחָה, *oblationem farinaceam ;* hoc enim es ficium odoris suavissimi Domino.

103) Vrr. 8-14. 104) *Midrash Tellim*, in Psalmum 56, 4. 105) *thodah theruman.* 106) Ps 49, 23. 107) Ps 4, 6. 108) Ps 50, 109) Ibid. vr. 21. 110) Ps 68, 31-32. 111) 3, 4. 112) Cf. 113) Cf. ibid. 14, 18. 114) Cf. ibid. 15, 9 sqq. 115) Ms.: *Minhhath*, 116) Ps 95 (hebr. 96), 8-9.

X. Sea ..
venerandum, adorandu...
manducate divinum panem, de quo ..
te laus mea in ecclesia magna, vota mea reddam ..
eum. Edent pauperes et saturabuntur et laudabunt Domin...
runt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi... Manduc...
et adoraverunt omnes pingues terrae; in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram, [117] mortales omnes. De Eucharistia interpretantur locum hunc Chrysostomus[118] et Augustinus.[119] Videtis panem ab omnibus adorandum.

et sumendum, quia vivificat, laetificat et confirmat.

Sed quem parit effectum divinus iste panis? *Panis cor hominis confirmat,* [120] imo, inquit, *vivent corda eorum in saeculum saeculi,* hebraice: *Vivet cor vestrum in aeternum; Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Sed quid est: *Vivet cor vestrum?* Vita aliquando laetitiam et voluptatem significat, animi quandam reviviscentiam, sicut dicimus cum in aestate, magnis caloribus aestuantibus, frigidum potum bibimus: Vinum istud dat nobis vitam; in hieme post magnum frigus, ignis accensus, etc.; sic ait Divina Scriptura quod *revixit spiritus* Iacob, [121] audito quod Ioseph viveret; sic ait Salomon quod *in serenitate vultus regis vita;* [122] sic legimus de Nabal, audita ira David contra eum, quod *emortuum fuit cor eius.* [123] Hoc modo ait: *Vivet cor vestrum in aeternum.*

Divinum hoc Sacramentum adorandum est, quia in eo verus Deus continetur;

XI. Sed, quaeso, advertite: *Edent,* inquit, *pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum.* Quid *edent? Manducaverunt et adoraverunt.* Quid *manducaverunt?* Utique Dominum, auctorem vitae aeternae, non enim nisi Deus vitam aeternam conferre potest. Hinc adorandum est divinum hoc Sacramentum, quoniam in eo verus Deus continetur: *Adorate scabellum pedum eius,* [124] arcam divinitatis sub velamine absconditam, occultam. [125] Augustinus *in Psalmum 98,* tractans hunc locum: *Adorate scabellum pedum eius,* de Sacramento et carne

117) Ps 21 (hebr, 22) 26-30. 118) In operibus S. Io. Chrysostomi nullibi invenimus hanc explicitam interpretationem Psalmi 21; sed sensus in multis locis invenitur, praesertim in homiliis infra citatis, not. 129. 156-157. 119) Epist. 140, cp. 27, (P. L. 33, 566); *Enarrat. in Psalmos,* Ps 21, ibid. 36, 170. 178. 120) Ps 103, 14. Vulg.: *Confirmet. Confirmat* lect. cod. 121) Gn 45, 27. 122) Prv 16, 15. Vulg.: *In hilaritate vultus,* etc. 123) 1 Rg 25, 37. Vulg.: *Emortuum est cor eius.* 124) Ps 98, 5. 125) Cf. Ex 40, 3. 12.

hoc docent omnes SS. Patres

Christi interpretatur, « quam, inquit, nemo manducat, nisi prius adoraverit ».[126] Ambrosius libro 3 *De Spiritu Sancto*, similiter de carne Christi, « quam, inquit, in mysteriis adoramus ».[127] Chrysostomus *Homilia 24 in 1 ad Corinthios* docet adorandum Christum in Sacramento sicut adoratus fuit a Magis in praesepio.[128] Idipsum Augustinus *in Psalmum 21* tractans illud: *Manducaverunt et adoraverunt;*[129] item epistola 113 *ad Ianuarium*,[130] et epistola 120 *ad Honoratum*.[131] Chrysostomus libro 6 *De Sacerdotio* ait sacerdoti Angelos assistere, et visionem sancti viri commemorat, qui circa altare vidit Angelorum multitudinem capite inclinato ac si milites praesente rege starent.[132] In *Liturgiis* Basilii[133] et Chrysostomi[134] compellatur Eucharistia his verbis: *Deus, propitius esto mihi peccatori*,[135] et: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum*,[136] quod etiam Origenes *Homilia 5 In Diversos* ad Eucharistiae adorationem accommodavit,[137] itemque Augustinus epistola 118.[138] Gregorius Nazianzenus *Oratione de Gorgonia Sorore* miraculum refert ob preces ab ipsa ad Sacramentum fusas.[139]

et S. Ecclesia semper venerata fuit Eucharistiam summa religione.

Sic Sancta Ecclesia summa religione et divino cultu venerata semper fuit divinum hoc Sacramentum, ita ut ob insignem Eucharistiae cultum suspicarentur Gentiles quod christiani Cererem et Bacchum colerent, ut Augustinus libro 20 *Contra Faustum* refert.[140] Docuit etiam Augustinus epistola 118 Eucharistiam discerni a ceteris cibis veneratione singulariter debita.[141]

et ideo summus semper honor sacerdotibus exhibitus fuit et summa sanctitas in eis requisita.

Hanc ob causam semper in Ecclesia sacerdotalis dignitas venerabilis fuit, summus honor sacerdotibus habitus, summa in sacerdotibus sanctitas requisita, quoniam, ut Hieronymus *ad Heliodorum* ait, « Christi corpus sacro ore conficiunt »,[142] ut digne hoc divinum Sacramentum tractent, ut ait Ambrosius *1 ad Timotheum*.[143] Summa semper veneratione et divino cultu adoratum

126) P. L. 37, 1264. 127) Cp. 11, ibid. 16, 794-795. 128) P. G. 61, 204.
129) Cf. not. 96 huius hom., pag. 669. 130) Iuxta Migne epist. 54, cp. 3. (P. L. 33, 201-202. 131) Iuxta Migne epist. 140, cp. 27, ibid. col. 566-567. 132) P. G. 48, 681.
133) Ibid. 31, 1630 sqq. 134) Ibid. 63, 902-920. 135) Lc 18, 13.
136) Mt 8, 8. 137) Opera Omnia, part. 2, pag. 441. Basileae 1571. 138) Iuxta Migne epist. 54, cp. 3, (P. L. 33, 201). 139) *Orat. 8*, (P. G. 35, 810-811).
140) Cp. 13, (P. L. 42, 379). 141) Epist. 54, cp. 6, ibid. 33, 203. 142) Epist. 14, ibid. 22, 352. 143) Ibid. 17, 470-471.

in Ecclesia ab omnibus fidelibus vere catholicis supersanctissimum hoc Sacramentum fuit, quoniam firmissima fide creditum est Christum in eo vere contineri cum omni plenitudine divinitatis.

Hilarius 8 *De Trinitate*, ait: « De veritate carnis et sanguinis nullus relictus est dubitandi locus; nunc enim et ipsius Domini professione et etiam fide nostra vere caro est et vere sanguis est, ipse enim ait: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.* An ne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse qui Christum Iesum verum Deum esse negant ».[144] Et Chrysostomus *in Ioannem, Homilia 46:* Quid significat, inquit, *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus ?* Aut, inquit, quod is est verus cibus qui salvat animam, aut ut eos in praedictis confirmet, ne obscure locutum in parabolis arbitrarentur, sed scirent omnino necessarium esse ut corpus comederent.[145] Hinc Dionysius, capite 3 *Ecclesiasticae Hierarchiae* Eucharistiam compellans ait: « O divinissimum Sacramentum, perspicue fac appareas revelatis aenigmatum operimentis, quae te symbolice circumdant et intelligentiae nostrae oculos tuo lumine comple! »[146] Hanc ob causam Christus clarissimis verbis divinum hoc instituit Sacramentum, ut firmissima fide crederetur et piissima veneratione cultuque religiosissimo adoraretur.

Hinc apertissimis verbis Christus usus est hoc Sacramentum instituens,

ut nullus relinqueretur dubitandi locus et firmissima fide adoraretur.

XII. *Hoc est corpus meum.* Non dicat haereticus: significat corpus meum, nam nullus Sanctorum Patrum hoc ita intellexit et interpretatus est, sed simpliciter. Hoc, inquit Damascenus libro 4 *De Fide Orthodoxa*, non dixit Dominus: *Hoc est* non corporis mei signum, sed *corpus meum*, non sanguinis mei signum, sed *sanguis.*[147] Et Chrysostomus *Homilia 60 ad Populum Antiochenum:* « Semetipsum, inquit, nobis miscet, non fide tantum, sed reipsa ».[148] Hilarius libro 8 *De Trinitate:* Vere, inquit, cibo dominico Verbum carnem sumimus naturamque carnis suae sub Sacramento nobis admiscuit.[149] Augustinus *in Psalmum 33* dicit quod Christus dicens: *Hoc est corpus meum*, seipsum portabat in manibus.[150] Sic

Multa dicunt etiam SS. Patres de veritate huius divinissimi Sacramenti,

144) Ibid. 10, 247. 145) P. G. 59, 263. 146) Ibid. 3, 427. 147) Cp. 3, ibid. 94, 1147-1150. 148) Iuxta Migne *hom. 82*, ibid. 58, 743. 149) P. L. 10, 246. 150) *Enarrat. in Psalmos*, ibid. 36, 306.

multa dicunt Patres Sancti de veritate divinissimi huius Sacramenti ut absque ulla dubitatione credatur, quoniam *non erit impossibile apud Deum omne verbum.* [151] Sic Ambrosius libro *De Mysteriis Initiandis*, ex opere et miraculo creationis mundi confirmat fidem miraculi, quod in consecratione Sacramenti huius fit supra omnem naturae ordinem. [152] Eusebius Emesenus *Homilia 5 De Paschate:* « Recedat, inquit, omne infidelitatis ambiguum, quando quidem qui auctor est muneris, ipse testis est veritatis; nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui secreta auctoritate convertit, ita dicens: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum* ». [153] Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi, 4 Mystagogica:* « Omni, inquit, cum certitudine corpus et sanguinem sumamus, nam sub specie panis datur tibi corpus », etc., [154] ubi docet quod, licet sensibus videatur panis et vinum, non est tamen panis, sed corpus Christi, non vinum, sed sanguis Christi, sicque firmissima fide, absque ulla dubitatione, certissime tenendum esse. Chrysostomus *Homilia 2 ad Populum Antiochenum* ait quod Elias discipulo raptus in coelum pallium reliquit, Christus autem ascendens in coelum nobis reliquit carnem suam; sed quod Elias exutus pallio ascendit, Christus autem carnem suam et nobis reliquit et secum habens ascendit. [155] Et *Homilia 60 ad Populum* [156] itemque *83 in Matthaeum* [157] et *45 in Ioannem* [158] docet quod « non egit nobiscum sicut parentes, qui aliis saepe nutriendos filios tradunt; Christus autem carne sua nos alit, proprio sanguine pascit »; unde exclamat: « *Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius?* » [159] Nos autem absque ulla dubitatione aut titubatione animi credere debemus divini huius Sacramenti virtutem; nam propterea, inquit Gregorius Nazianzenus *Oratione 2 De Paschate*, iussi sunt filii Israel ut baculos manibus tenerent comedentes agnum paschalem, qui fuit divini huius Sacramenti typus, ad designandam fidei dignitatem. [160]

ut absque ulla dubitatione credatur.

151) Lc 1, 37. 152) Cp. 9, (P. L. 16, 406-407). 153) Iuxta Migne auctor huius homiliae est S. Caesarius Arelatensis, (P. L. 67, 1052-1053). 154) *Catechesis* 22, (P. G. 33, 1099-1102). 155) Ibid. 49, 46. 156) T. 5, f. 196a. Opera Omnia, Venetiis ad Signum Spei 1549. 157) P. G. 58, 744. 158) Iuxta Migne *hom. 47*, ibid. 59, 261. 159) Ps 105, 2. 160) P. G. 36, 650.

Typus divini huius Sacramenti fuerunt agnus paschalis,

XIII. Et quidem agnus ille paschalis, qui nonnisi cum azymis manducari poterat,[160*] divinum hoc mysterium adumbrabat. Caro ibi manducabatur cum pane, sicut pane et carnibus Deus Eliam miraculo pascere voluit in solitudine,[161] quoniam in hoc Sacramento est vera Christi caro sub specie panis. In tabernaculo Domini iugiter panes offerebantur et carnes: panes propositionis, qui hebraice *panis facierum* dicuntur,[162] et carnes sacrificiorum in Sacramenti huius figuram, sicut Abraham sanctis Angelis panem et carnem tribuit ad comedendum.[163] Sed qualis hic panis? *Cibavit eos ex adipe frumenti;*[164] *Et adipe frumenti satiat te,*[165] idest pane lectissimo, delicatissimo, optimo, quo delicatior aut melior ne cogitari quidem potest. Qualis caro? *Holocausta medullata offeram tibi;*[166] *Placebit... super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.*[167] Ecce panis et caro: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita;*[168] *Accipite et manducate, hoc est corpus meum.*

panes propositionis et carnes sacrificiorum.

Credendum ergo est Christo vero Deo loquenti magis quam sensui.

Pudeat nos, fratres, quod maiorem fidem praestamus sensibus, oculis carnis, vel forte etiam satanae suggestionibus, quam Christo vivo et vero Deo omnipotenti, sicut parentes nostri magis crediderunt serpenti dicenti: *Quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis sicut dii scientes bonum et malum,*[169] quam Deo vitam in ligno vitae promittenti; quia crediderunt serpenti, propterea comederunt ex ligno vetito.

et ad sacram hanc mensam summa cum aviditate accedendum.

Si nos Christo credimus quod hic est panis vitae aeternae, cur non haec divina mysteria frequentamus? Cur non ad hanc divinam mensam summa cum aviditate accedimus? *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me; impinguasti in oleo caput meum et calix meus inebrians quam praeclarus est!*[170] *Dispono vobis regnum sicut disposuit mihi Pater meus, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*[171] Advocat nos ad mensam suam Deus sicut pater filios aetate adhuc teneros, pueros parvulos, quorum praesentia plurimum delectatur, pascit oculos suos, laetatur videns, gaudet

160*) Cf. Ex 10, 1-27. 161) Cf. 3 Rg 19, 5-6. 162) Ex hebraico: לֶחֶם הַפָּנִים. Cf. Ex 25, 30; 35, 13; 39, 36. 163) Cf. Gn 18, 5-8. 164) Ps 80, 17. 165) Ps 147, 14. 166) Ps 65, 15. 167) Ps 68, 32. 168) Io 6, 52. 169) Gn 3, 5. 170) Ps 22, 5. 171) Lc 22, 29-30. Vulg.: *Dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum*, etc.

portiones illis manibus suis distribuens: *Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.* [172] Sic Deus laetatur videns nos [173] ad hanc mensam, in qua cibo oris sui et Angelorum pane nos reficit.

Ultimum hoc Christi miraculum respondet primo quod egit in Cana,

XIV. Voluit Dominus ultimum divinae virtutis suae miraculum primo respondere, quod fecit in Cana Galilaeae, cum *manifestavit gloriam suam.* [174] Ibi convertit aquam in vinum, hic panem in carnem et vinum in sanguinem; divinum illud, divinum istud; in mensa illud, in mensa istud; coram discipulis illud et istud; invitante matre illud, incitante divina caritate istud; absque iussu, solo nutu voluntatis, [175] invisibiliter divina operante virtute, illud et istud; magnum miraculum illud, magnum istud: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator,* idest misericordissimus *Dominus, escam dedit timentibus se.* [176]

sed ultimum hoc multo mirabilius, continet enim multa, magna et incomprehensibilia miracula.

Per excessum loquitur, nam prius dixerat: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eorum,* hebraice mysterium Trinitatis, *gloria et magnificentia opus eius.* [177] *Memoriam fecit mirabilium,* hoc enim ad memoriam revocantur omnia Dei opera pro salute mundi. Compendium est et epitome omnium beneficiorum Dei et in eo multa miracula, magna et incomprehensibilia continentur: conversio panis in carnem, accidentia sine subiecto, corpus Christi perfectum sub tantilla panis specie, unum corpus in pluribus locis, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* [178]

nam ipsa Christi caro, quae passioni tradita fuit, datur in cibum hominibus.

Escam dedit timentibus se, hebraice: טֶרֶף, [179] *praedam dedit.* Fuit Christi caro praeda mortis: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem;* [180] unde Petrus ad Iudaeos: Quem vos *definito consilio et Dei praescientia... per manus iniquorum... interemistis, hunc Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat eum detineri ab eo.* [181] Fuit per tempus passionis praeda iniquorum hominum et daemonum: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum,* [182] unde *Psalmus 21,* qui totus de Christi passione est, inscribitur: *Super cerva aurorae,* [183]

172) Ps 127, 3. 173) Ms.: *Non.* 174) Io 2, 11. 175) Cf. ibid. vrr. 1-10. 176) Ps 110 (hebr. 111), 4-5. 177) Ibid. vrr. 2-3. 178) Col 2, 9. 179) Ms.: *Thereph.* 180) Ps 15, 10. 181) Act 2, 23-24. Vulg.: *Praescientia Dei... quem Deus... detineri illum ab eo.* 182) Lc 22, 53. 183) Hebraice Ps 22.

nam a summo mane Christus a Iudaeis tanquam fera a canibus insectatus et infestatus fuit usque ad mortem: *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.... Erue a framea, Deus, animam meam et de manu canis unicam meam. Libera me ex ore leonis.* [184]

Hanc praedam ereptam ab ore canum dedit Deus Optimus Maximus fidelibus suis in escam. Sed ad quid? *Memor erit in saeculum testamenti sui,* [185] recordari faciet: *Hoc facite in meam commemorationem; Mortem Domini annuntiabitis.* [186] Sic *virtutem,* fructum, *operum suorum annuntiabit populo suo,* copiam magnam gratiae et gloriae ostendet populo suo, fidelibus suis, *ut det illis hereditatem gentium,* terram viventium in hereditatem perpetuam; gratiam enim et gloriam meruit Christus apud Deum, nam: *Opera manuum eius veritas et iudicium,* [187] idest sanctissima atque iustissima; sic Deo gratissima, infiniti meriti; nobis autem non sibi meruit, sicut arbor non sibi, sed nobis fructificat.

ad ostendendam magnam copiam gratiae, quam ipse pro nobis meruit.

XV. Moyses sanctus in eo vel maxime gloriam populi Israel aiebat consistere, quod Deus habitaret semperque cum eis esset: Quae *est alia natio tam grandis quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest* [188] nobis cunctis? Hoc maximum existimabat beneficium et privilegium singulare summumque favorem, post alia et magna de coelo collata. Sic et Ioannes in *Apocalypsi: Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis et ipsi populus eius erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* [189] De divina Ecclesiae excellentia Isaias vaticinatus fuit: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super colles.* [190] Sed ratione divini huius mysterii singulariter dicitur Ecclesia *domus Domini.*

Haec est maxima gloria Ecclesiae, Deum in ipsa habitare.

Divinum hoc Sacramentum in iugi sacrificio typice designatum fuit, quod singulis diebus offerebatur cum simila conspersa oleo

Singularis figura Eucharistiae

184) Vrr. 17-22. 185) Ps 110, 5. 186) 1 Cor 11, 26. 187) Ps 110, 6-7.
188) Dt 4, 7. Vulg.: *Nec est alia natio,* etc. 189) 21, 2-3. 190) 2, 2.

fuit etiam iuge sacrificium lege praescriptum.

et mensura vini; caro agni immolabatur cum pane et vino, sed pane consperso oleo,[191] quod ipsam gratiam, misericordiam et caritatem Dei designat, qua divinum hoc Sacramentum institutum est.

Eucharistia vere coena est a Christo hominibus facta.

XVI. *Fecerunt autem ei coenam ibi.* Coena haec est facta Christo ab hominibus quatenus sacrificium incruentum est, et coena a Christo facta hominibus quatenus Sacramentum. Coena ditissima, supramodum mysteriosa, maxime mirabilis. Ditissima, quoniam in eo continentur omnes thesauri bonorum Dei, nam reperiuntur bona naturalia, quorum thesaurus mundus est; bona gratiae, quorum thesaurus Ecclesia; bona gloriae, quorum thesaurus paradisus, et bona divinitatis, quorum thesaurus ipsa Dei natura est: *Ostendam tibi omne bonum.*[192] In hoc Sacramento continetur Christus auctor naturae, fons gratiae, abyssus et sol gloriae, verus Deus, *omnis plenitudo divinitatis*, ergo omnis thesaurus bonorum Dei. Sic ait D i v i n u s ille V a t e s : *Quod bonum et quod pulcrum eius, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?*[193] Et Isaac: *Frumento et vino stabilivi eum, et tibi post haec, fili mi, ultra quid faciam?*[194] Sic mensa ditissima est, convivium Assueri, convivium quod Ioseph fratribus suis fecit in Aegypto, in quo seipsum eis manifestavit.[195] Hic cognoscitur Christus verus Deus, non quidem visu, nam hic est *Deus absconditus*,[196] sed gustu divinarum consolationum: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*,[197] ubi veluti palpatur manibus ac tangitur Deus: *Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum et non sum deceptus*,[198] sicut caecus visu solem non cognoscit, sed tactu sentiens calorem radiorum solarium.

coena ditissima, quia continet Christum ipsum,

Est etiam mensa mysteriosissima, nam divinum hoc Sacramentum Christus *mysterium fidei* appellavit, nam in eo continentur mysteria omnia, omnes articuli nostrae fidei, nam hic Christus Deus et homo, creator et creatura, Deus humanatus natus ex Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, suscitatus qui ascendit in coelum et sedet ad dexteram Dei.[199] Sic *mysterium fidei*.

coena etiam mysteriosissima

191) Cf. Nm 28, 1-14. 192) Ex 33, 19. Vulg.: *Ostendam omne bonum tibi.*
193) Zach 9, 17. Vulg.: *Quid... bonum... et quid*, etc. 194) Gn 27, 37.
195) Cf. ibid. 45, 1-15. 196) Is 45, 15. 197) Ps 33, 9. 198) Ps 76, 3.
199) Cf. Mc 16, 19.

Et tandem mensa maxime mirabilis: *Memoriam fecit mirabilium suorum*, manna admirabilis Hebraeis: *Quid est hoc? Man hu?*[200] Maximum miraculum omnium miraculorum Dei, panis vivus dans homini vitam aeternam, deificans hominem, nam *solus* Deus *habet immortalitatem* et beatitudinem: *Beatus et solus potens* Deus,[201] sed: *Beati omnes qui confidunt in eo.*[202] Desideravit homo cibum qui eum deificaret: *Quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis sicut dii.* Ecce Deus dedit homini cibum deificum ac beatificum, qui homines convertit in deos: *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes.*[203]

et maxime mirabilis, hominem vere deificans.

200) Ex 16, 15. Ordine inverso affert haec verba. 201) 1 Tim 6, 15-16. Ordine inverso affert hos vrr. 202) Ps 2, 13. 203) Ps 81, 6.

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI

Ante diem festum paschae, sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, etc.

Non agit Ioannes de institutione Eucharistiae, sed fundamenta ponit huius institutionis.

I. Agit Ioannes de ultima coena paschali quam egit Christus cum discipulis suis, de qua ipse Dominus: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar*, [2] quoniam in hac mystica et sacratissima coena instituit mirabile et divinissimum Eucharistiae sacramentum, quod est miraculum omnium miraculorum Christi, miraculum ineffabile et incomprehensibile, thesaurus infinitus totius divinitatis. Et quidem Ioannes non scribit institutionem divinissimi huius Sacramenti, quoniam luce clarius ab aliis Evangelistis erat litteris consignata aeternisque monumentis demandata; [3] sed bases et fundamenta posuit divinae huius institutionis, quod ab aliis fuit praetermissum, et qualis praeparatio requiratur ad illud digne suscipiendum.

idest divinam Christi caritatem et omnipotentiam.

Nam instituit Sacramentum hoc Christus postquam lavit pedes discipulorum. Sed prius Ioannes verba facit de divina Christi caritate: *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* [4] Loquitur etiam de divina Christi omnipotentia: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus et quia a Deo exivit et ad Deum vadit.* [5] Haec duo sunt magna attributa; Deus Optimus Maximus dicitur: optimus caritate, maximus potestate, quia potest quicquid vult: *Omnia quaecunque voluit Dominus fecit in coelo* et *in terra.* [6]

1) Pericope huius diei Io 13, 1. Cf. Missale Rom. 2) Lc 22, 15. 3) Cf. Mt 26, 29; Mc 14, 22-25; Lc 22, 19-20. 4) 13, 1. 5) Ibid. vr. 3. 6) Ps 134, 6.

II. Magna fundamenta iacet Ioannes, magnum igitur aedificium est constructurus, nam ex magnis et alte defossis fundamentis conicitur magna futura moles aedificii. Magna autem, imo maxima fundamenta sunt divina omnipotentia et caritas, nam haec sunt quae vel maxime de Deo Sacrae Litterae praedicant: omnipotentiam in mundi creatione et regimine: *In principio creavit Deus coelum et terram,*[7] אֱלֹהִים[8] hebraice, ab אֵל, quod est potens, potentia.[9] Dicitur autem Deus אֱלֹהִים, Dii potentes, non solum ob Divinarum Personarum numerum, sed etiam ad designandam omnipotentiam Dei. Nam creaturis finita, limitata, divisa potentia est, non omnia possumus omnes, terra non potest facere quod facit coelum, nec coelum quod facit terra, ignis quod agit aqua et e contra, luna quod agit sol; sic in omnibus rerum generibus. Deus autem simul omnis potentia est, et cum legimus יְהוָה אֱלֹהִים,[10] *Dominus Deus,* sive *dii,* interpretari possemus Deus omnipotens, sicut rex in suo regno potest suprema auctoritate sua quicquid possunt omnes ministri per provincias et civitates distributi ac positi ad regendum et iudicandum, sicut Papa potest quicquid possunt omnes Episcopi, Praelati et sacerdotes totius Ecclesiae militantis.

Divinae Litterae maxime praedicant Dei omnipotentiam in creatione et regimine mundi,

Praedicant etiam Sacrae Litterae divinam bonitatem et caritatem; nam cum ipse nullius rei egeat, propter nos omnia fecit ex bonitate et caritate sua, operatus est omnia nostri causa, novissime omnium hominem condidit eique mundum universum dono dedit, quia propter hominem omnia condidit. Nam cum Deus aeternus sit, nonnisi caritas eum movit ut mundi creationem operaretur in tempore. Duo enim haec praeposuit Moyses mundi creationi: aeternitatem Dei et omnipotentiam: *In principio Omnipotens creavit.*

et caritatem, qua motus omnia operatus est.

Ioannes autem hodierno operi divinam Christi caritatem et omnipotentiam veluti bases et fundamenta iecit. Natura nanque amoris veri haec est, ut pro amato faciat quicquid potest, vires expendat omnes, vitam etiam profundat et prodigat. Magna legimus

Sic Ioannes praedicat hodie caritatem et potentiam Christi

7) Gn 1, 1. 8) Ms.: *Elohim*, et infra: *El.* 9) Ms.: *Potentias.* 10) Ms.: *Iehovah elohim.*

Dei dona hominibus: Adamo dedit paradisum mundumque,[11] Abrahamo semen, posteritatem innumerabilem multasque divitias,[12] Iacob primogenituram et paternam benedictionem,[13] Ioseph principatum totius regni Aegypti,[14] Moysi prophetiam divinamque virtutem et potestatem in populum Israel,[15] Aaroni summum pontificatum,[16] populo terram promissionis,[17] Davidi regnum Israel,[18] Salomoni sapientiam pene infinitam,[19] sed tandem mundo dedit unicum Filium suum: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;*[20] *Si scires donum Dei.*[21] Sic Christus multa magnaque dona dedit hominibus: caecis visum,[22] surdis auditum,[23] mortuis vitam,[24] Petro dedit Ecclesiam clavesque regni coelorum,[25] Ioanni Matrem,[26] latroni paradisum;[27] sed hodie toti Ecclesiae totum dedit seipsum, donum super omne donum, infinitis partibus maius mundo ipso, ipsa Ecclesia, ipso paradiso, quoniam hic thesaurus totius divinitatis continetur. Deus ad ostendendam infinitam caritatem suam mundo unicum Filium suum dedit, Christus ad ostendendam caritatem suam Ecclesiae dedit seipsum.

nam sacramentum Eucharistiae adaequat divinam caritatem

Quod quidem potuit, quoniam omnipotens est: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum;*[28] voluit, quia infinitae bonitatis et caritatis est. Sicut Eliseus totus procubuit ad suscitandum filium sunamitidis,[29] ita Christus pro salute humani generis fecit quicquid potuit; opus hodiernum adaequat divinam potentiam. Cum enim possit innumeros alios mundos creare, millies milliesque hoc mundo maiores, opus tamen maius hodierno hoc opere minime facere potest: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus et quia a Deo exivit et ad Deum vadit.* Sic divinam Christi naturam describit Ioannes, sicut in principio Evangelii sui fecerat: *Deus erat Verbum... omnia per ipsum facta sunt... in ipso vita erat et vita erat lux hominum.*[30] Si difficile, si impossibile videtur tibi opus, cogita, cogita divinam omnipotentiam, cogita mundi creationem ex nihilo.

et divinam potentiam,

Deus enim opus maius hoc minime facere potest.

11) Cf. Gn 1, 29-30. 12) Cf. ibid. 12, 1-7. 13) Cf. ibid. 27, 27-29. 14) Cf. ibid. 41, 39 sqq. 15) Cf. Eccli 15, 1-6. 16) Cf. ibid. vrr. 7-27. 17) Cf. Ps 134, 12; 135, 21-22. 18) Cf. Eccli 47, 2-13. 19) Cf. ibid. vrr. 14-19. 20) Io 3, 16. 21) Ibid. 4, 10. 22) Cf. Mt 9, 27-30; 11, 5; 12, 22; 15, 30-31; 20, 30 sqq.; Mc 8, 22-25; 10, 46 sqq.; Lc 7, 21-22; Io 9, 1-7. 23) Cf. Mt 11, 5; Lc 7, 32 sqq.; 9, 24-26; Lc 7, 22. 24) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 25) Cf. Mt 16, 17-19; Io 21, 15-17. 26) Cf. Io 19, 26-27. 27) Cf. Lc 23, 42-43. 28) Ibid. 1, 37. 29) Cf. 4 Rg 4, 25-37. 30) 1, 1-4.

Apparuit Deus Moysi in flamma rubi eique seipsum manifestavit: *Ego sum qui sum,*[31] divinamque tum omnipotentiam tum caritatem erga populum Israel ostendit. Sic utique in divino hoc Sacramento reperitur Christus; latet hic Christus verus Deus et Angelus Dei,[32] Filius missus a Deo, sicut ibi Deus et Angelus Dei latebat in rubo;[33] ibi Moyses Deum cognovit, hic gustatur et videtur *quoniam suavis est Dominus;*[34] Sacramentum hoc vera arbor scientiae.[35] Ibi Moyses sanctificatus a Deo fuit, ibi ex pastore ovium factus pastor hominum, ibi quodammodo deificatus fuit divina potentia et virtute donatus;[36] hi sunt divini huius Sacramenti effectus: sanctificat hominem, deificat, fortissimum reddit contra satanam et infernales potentias, sicut ibi Moyses fortis factus fuit contra Pharaonem et Aegyptum universam.

Sicut in rubo Deus latebat, sic in hoc Sacramento latet Christus;

ibi Moyses sanctificatus fuit, hic deificantur homines.

III. Sed magna cum praeparatione ad divinum hoc Sacramentum acce endum est, sicut Moysi dixit Deus: *Ne accedas... huc, locus enim, in quo stas, terra sancta est; solve calceamenta de pedibus tuis.*[37] Christus ante divini huius Sacramenti institutionem lavit pedes discipulorum suorum,[38] et Petro dixit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.*[39] Mundus a sordibus vitiorum et peccatorum erat Petrus: *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis;*[40] *Qui mundus est, non indiget nisi ut pedes lavet.*[41] Docuit Christus magnam requiri animi puritatem ad percipiendum divinum hoc Sacramentum. Cum Deus descensurus erat super montem Sinai ad dandam legem, misit Moysen ad sanctificandum populum, ut abstinerent ab uxoribus, ut lavarent se ac vestimenta sua essentque parati in diem tertium et ne ad montem ascenderent, nec accederent quidem, ne forte morerentur.[42]

Ad divinum hoc Sacramentum magna cum animi puritate accedendum est.

31) Ex 3, 2-14. 32) Cf. Mal 3, 1. 33) Cf. Act 7, 30. 34) Ps 33, 9. 35) Cf. Gn 2, 9. 36) Cf. Ex 4, 1-17. 37) Ibid. 3, 5. Vulg.: *Ne appropies... huc; solve calceamentum*, etc. Ordine inverso affert hunc vr. 38) Cf. Io 13, 5. 39) Ibid. vr. 8. 40) Ibid. 15, 3. 41) Ibid. 13, 8. Vulg.: *Qui lotus est, non indiget*, etc. 42) Cf. Ex 19, 10-15.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

Tolle filium tuum... quem diligis, Isaac, et... offer illum mihi in holocaustum super unum, etc. [1]

Sacrificium Isaac typus fuit passionis Christi, quae hodie consideranda proponitur.

I. Fuit sacrificium Isaac viva imago et expressa figura passionis Domini nostri Iesu Christi unigeniti Filii Dei; quare cum in ea imagine contineatur veluti argumentum totius passionis Christi, sit nobis ob oculos proposita divina haec figura, ut in ea contemplemur hodie sacratissimae dominicae passionis mysterium et videamus quisnam est qui patitur, a quo patitur, quid patitur et ad quid patitur. Passus tunc fuit Isaac sanctus et innocens, unicus et dilectissimus filius amantissimi patris; passus fuit a patre, qui eum sacrificare voluit Deoque in holocaustum offerre Dei iussu; passus itineris laborem, lignorum onus, vincula, quibus super struem lignorum ligatus fuit, passurus gladium et ignem; tandem passus Dei causa, ut virtus Abrahae pietasque animi ipsius erga Deum instar auri in igne probata mundo manifesta esset, imo ut divinam benedictionem consequeretur, sicut et consecutus fuit copiosissimam. [2]

Videndum est quisnam patitur.

II. Videamus primo quisnam est qui patitur. R e g i u s V a t e s *Psalmo 21,* [3] ubi Christi passionem tragice cantat, quattuor haec consideravit; similiter I s a i a s p r o p h e t a, capite 53. Et quidem quoad primum, R e g i u s V a t e s Christum appellat *cervam matutinam:* עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר, [4] *super cerva matutina,* et insectatam dicit cervam a canibus: *Circumdederunt me canes multi,* [5] con-

1) Gn 22, 2. Vulg.: *Offeres eum,* etc. 2) Cf. ibid. vrr. 3-18. 3) Hebraice 22. 4) Ms.: *Hal aieleth hascahar.* 5) Ps 21 (hebr. 22), 13.

cilium malignantium obsedit me... Erue a framea, Deus, animam meam et de manu canis unicam meam; libera me ex ore leonis et a cornibus unicornium humilitatem meam. [6] *Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens.* [7] Quoad passionem dicit: *Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuvet.* [8] *Foderunt manus meas et pedes meos.* [9] Quoad finem: *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi. Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae.* [10] Isaias etiam Christum appellat *brachium Domini,* [11] dicit *percussum a Deo et humiliatum,* [12] positam esse *in eo iniquitatem omnium nostrum,* [13] ac tandem: *Iustificabit ipse iustus servus meus multos;* [14] *Disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus.* [15]

Quis patitur: Isaac, Abrahae unicus filius, cerva matutina, animal innoxium, mundum secundum legem, quoniam ruminat et bifidam ungulam habet [16] estque serpentibus maxime infestum animal. [17] Patitur, inquit Isaias, *brachium Domini,* Agnus immaculatus, *qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius;* [18] patitur *iustus servus meus.* Sed historia evangelica passionis maxime ostendit quisnam est qui patitur. In horto ait: *Pater mi, abba Pater,* [19] *si possibile est, transeat a me calix iste;* [20] *Si vis, transfer calicem istum a me.* [21] Dei Filius est, verus Deus omnipotens, qui solo verbo prostravit omnes milites, cum enim dixisset: *Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt;* [22] Filius Dei: *An... non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* [23] In domo Caiphae: *Tu es Christus Filius Dei* vivi?... *Ego sum, et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem cum nubibus coeli.* [24] Alludit ad vaticinium et visionem Danielis: *Ecce in nubibus coeli... filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit... et dedit ei potestatem, et honorem et regnum.* [25] In

Patitur mysticus Isaac,

verus Filius Dei,

6) Ibid. vrr. 17-22. Vulg.: *Salva me.* 7) Ibid. vr. 14. 8) Ibid. vr. 12. 9) Ibid. vr. 17. 10) Ibid. vrr. 27-28. 11) 53, 1. 12) Ibid. vr. 4. 13) Ibid. vr. 6. 14) Ibid. vr. 11. 15) Ibid. vr. 5. 16) Cf. Lv 11, 3. 17) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 8, cp. 32, pag. 87; lib. 10, cp. 70, pag. 118; lib. 28, cp. 9, pag. 323. 18) 1 Petr 2, 22, Vulg.: *Nec inventus est dolus,* etc. 19) Mc 14, 36. 20) Mt 26, 39. 21) Lc 22, 42. 22) Io 18, 6. 23) Mt 26, 53. 24) Mc 14, 61-62. 25) 7, 13-14. Vulg.: *Ecce cum nubibus,* etc.

cruce hodie luce clarius demonstratur: ostendit titulus: *Hic est rex Iudaeorum;* [26] ostendit mirabilis mundi totius commotio, [27] unde exclamavit centurio: *Vere Filius Dei erat iste.* [28]

figuratus per templum Salomonis in monte Moria aedificatum

Locus, in quo Isaac immolatus fuit, appellatus est mons Moria, quod interpretatur Domini amaritudo, itemque *Dominus videbitur,* [29] utique in amaritudine. Ibi aedificatum postea fuit templum a Salomone; [30] in eo non immolabantur Deo in sacrificium et holocaustum nisi animalia munda, sicut aries ibi sacrificatus fuit ab Abrahamo. Munda autem animalia Christi innocentiam et sanctitatem divinam designabant: *Ecce Agnus, ecce qui tollit peccata mundi.* [31] Innocens Isaac immolatus fuit, iustus Abel, [32] sanctus Iob, [33] agnus immaculatus occisus, [34] vitula rufa sacrificata, [35] quae ardentem Christi caritatem significabat. Hodie arca Dei viventis

et postea dirutum.

capta fuit a Philisthaeis, [36] templum Domini dirutum a Chaldaeis, [37] Ionas missus in mare et devoratus a cete, [38] Daniel missus in lacum leonum, [39] Deus ipse in rubo, in medio spinarum atque flammarum. [40] Sed quid tibi, Deus, cum flammis et spinis? Poenituit Deum quod hominem fecisset in terra, [41] poenitentia affectus est propter hominem, hanc ob causam divinum propitiatorium sanguine aspergebatur in die expiationis. [42]

Si Deus est qui patitur, non potest pati ex necessitate,

Sed consideremus quod, si Deus est qui hodie patitur, non potest pati ex necessitate, quod non potuerit aut nesciverit evitare pericula, nam Deus suapte natura infinitae potentiae et sapientiae est, omnia novit, omnia potest; sed: *Oblatus est quia ipse voluit,* [43] ad ostendendam infinitam caritatem suam erga homines, quod sicut *bonus pastor animam suam* posuit *pro ovibus,* [44] bonus princeps suo pro populo, sicut Iosias pro salute populi sui in bello interfectus fuit, [45] sicut de Codro dicunt mortuum pro salute Atheniensium, [46] ad ostendendum se verum amicum: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam*

26) Mt 27, 37: Lc 23, 38. 27) Cf. Mt 27, 51-52. 28) Ibid. vr. 54. 29) Cf. Gn 22, 2-14. Cf. supra, Feria Sexta Post Cineres, pag. 54, not. 45. 30) Cf. 2 Par 3, 1.
31) Io 1, 29. Vulg.: *Peccatum mundi. Peccata* lect. cod. et ex Liturgia Ecclesiae.
32) Cf. Gn 4, 4-8. 33) Cf. Iob 2, 3-10. 34) Cf. Ex 12, 5-6. 35) Cf. Nm 19, 2-5.
36) Cf. 1 Rg 4, 1-11. 37) Cf. 4 Rg 25, 1-17; 2 Par 36, 17-19. 38) Cf. Ion 1, 15.
39) Cf. Dn 6, 16-17; 14, 29-31. 40) Cf. Ex 3, 2-6. 41) Cf. Gn 6, 6.
42) Cf. Lv 16, 14-16. 43) Is 53, 7. 44) Io 10, 11. 45) Cf. 2 Par 35, 22-24.
46) Plutarchus *Ethica, De Casibus Comparatis,* pag. 749; Valerius Maximus *Exemplorum Memorabilium* lib. 5, cp. 6, pag. 497.

ponat quis pro amicis suis, [47] ad demonstrandum nihil sibi carius, nihil sibi antiquius salute nostra. Nihil aliud esse videtur Christi passio nisi clara divini amoris sui erga nos demonstratio: *Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis.* [48] Carior Christo salus nostra quam vita propria, hinc tradidit in cruce spiritum ut mortuum hominem vivificaret, sicut ab initio flatu suo inanime hominis corpus vivificavit: [49] *Inclinato capite tradidit spiritum.* [50] Cara homini libertas, cara commoditas, cara lux oculorum, carus honor, cara vita, cara mater; Christo salus nostra multo carior.

sed patitur ex infinita caritate pro nostra salute,

Quis patitur hodie? Adduxit Pilatus Christum foras populoque ostendit et dixit: *Ecce homo... ecce rex vester,* [51] nam eum purpura indutum et spinis coronatum ostendit cum arundine in dextera eius: *Ecce rex vester.*

quamvis rex noster sit.

III. *Tolle filium tuum... quem diligis, Isaac, et... offer illum mihi in holocaustum,* etc. A patre ductus fuit Isaac ad sacrificium, ad mortem. Christus per Regium Vatem ait, sicut hodie dixit in cruce: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti ? Longe a salute mea verba rugitus mei... Clamabo per diem et non exaudies, nocte et non est silentium mihi.* [52] Isaias ait eum *percussum a Deo et humiliatum... Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.* [53] Christus Petro dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non* vis ut *bibam illum ?* [54] Sed non tantum a Deo, licet principaliter sicut Pilato dixit: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset,* [55] sed etiam ab hominibus; hinc Regius Vates ait cervam a canibus insectatam: *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.* Nec tantum a canibus, sed specialem etiam *canem* nominat: *Erue a framea, Deus, animam meam et de manu canis unicam meam ; salva me ex ore leonis et a cornibus unicornium humilitatem meam ;* nam passus est etiam a diabolo, qui canis est infernalis et leo rugiens, [56] nam Iudas tradidit eum postquam *introivit in eum satanas.* [57] Passus ab omnibus daemonibus, quos dicit *unicornes,* nam ait:

Sicut Isaac ductus ad sacrificium a patre fuit, sic Christus patitur a Patre suo;

patitur etiam ab hominibus per diabolum incitatis;

47) Io 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem,* etc. Affert ex Breviario Rom., Com. Apost. 2 antiph. 1 Vesp. 48) Eph 5, 2. 49) Cf. Gn 2, 7. 50) Io 19, 30.
51) Ibid. vrr. 5-14. 52) Ps 21 (hebr. 22), 2-3. 53) 53, 4-6. Vulg.: *Posuit Dominus in eo,* etc. 54) Io 18, 11. *Vis ut* lect. cod. 55) Ibid. 19, 11. 56) Cf. 1 Petr 5, 8. 57) Io 13, 27.

Haec est hora vestra et potestas tenebrarum. [58] Sic insidiatus fuit satanas calcaneum vitae Christi: *Ipsum*, semen, *conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo eius*, sive *conteres calcaneum ipsius.* [59]

patitur ab ipsa Matre sua amantissima,

Age nunc igitur, videamus et satagamus ut intelligamus a quibus Christus passus est, nam passus videtur a Deo, ab Angelis, ab hominibus, ab ipsa etiam Matre dolorem acerbissimum, cum vidit eam stantem iuxta crucem, gladio doloris acutissimo pectore transverberatam. [60] Abraham iturus ad sacrificandum Isaac, nihil dixit Sarae, ne amantissima mater doloris magnitudine exanimaretur; facile enim prae dolore mortua fuisset. Maria autem Mater Christi erat multo amantior, sicut Christus Isaaco multo erat pulcrior, multo gratiosior, multo sanctior. Diligebat adeo Sara Isaacum ut, quia die quodam vidit illum ab Ismaele molestia affectum, institit ut Abraham illum una cum matre domo eiceret, quod et factum fuit. [61] Et quomodo ferre potuisset illius mortem? illius occisionem? Si tulisset, ferre tamen absque acerbissimo maximoque dolore non potuisset. Sic Maria.

quae dolens et stans iuxta crucem, Filii dolorem supra modum augebat;

De nuru Heli sacerdotis legimus quod, cum audisset arcam Dei captam a Philisthaeis, prae doloris magnitudine extincta fuit et mortua; [62] Maria autem magno Dei miraculo remansit viva, sed non sine maximo acerbissimoque dolore. Sicut Iacob videns tunicam filii sui Ioseph sanguine intinctam et credens a fera pessima devoratum, dolore inconsolabili affectus fuit, [63] sic hodie Maria. Ipsa autem sic dolens, stans iuxta crucem, Christi dolorem supra modum augebat.

patitur ab Angelis,

Passus ab Angelis; nam Angelus qui de coelo venit *confortans eum*, [64] magno utique dolore et tristitia affecit, sicut Isaias propheta missus a Deo ad regem Ezechiam et dicens ei: *Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives*, nuntio illo Ezechias magno affectus fuit dolore, nam *convertit faciem suam ad parietem* et *flevit* [65] multis cum lacrimis. De Christo autem, post Angeli confortationem, legimus quod *factus* est *in agonia . . . et factus est sudor eius velut guttae sanguinis decurrentis in terram.* [66]

a daemonibus,

Passus a satana et angelis eius: *Post bucellam introivit in* Iudam *satanas;* [67] *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.* Multo graviora

58) Lc 22, 53. 59) Gn 3, 15. Ex hebraico. 60) Cf. Io 19, 25-26. 61) Cf. Gn 21, 9-14. 62) Cf. 1 Rg 4, 19-20. 63) Cf. Gn 37, 33-34. 64) Lc 22, 43. 65) 4 Rg 20, 1-3; Is 38, 1-3. 66) Lc 22, 43-44. Vulg.: *Sicut guttae*, etc. 67) Io 13, 27.

Christus quam Iob a satana passus est, nam Iob flagellatus quidem et bonis omnibus privatus a satana fuit, sed non occisus;[68] Christus autem occisus in patibulo crucis.

Passus ab Apostolis, derelictus ab omnibus,[69] negatus a Petro,[70] traditus venditusque a Iuda;[71] passus a principibus, ab Anna, a Caipha, a concilio Iudaeorum, ab Herode et exercitu suo,[72] a Pilato et ministris, tandem ab universo populo qui clamavit: *Tolle hunc et dimitte nobis Barabbam;*[73] *Tolle, tolle, crucifige eum!*[74] *Crucifige, crucifige eum!*[75] *Crucifigatur!*[76] Ah gentem ingratissimam! Haeccine reddis Christo pro collatis beneficiis, qui infirmos tuos sanavit,[77] illuminavit caecos,[78] mundavit leprosos,[79] suscitavit mortuos?[80]

ab Apostolis, a principibus et a populo ingratissimo,

Sed tandem a toto passus est mundo, quia propter peccatum Adami, in quo totus continebatur mundus, patitur pro peccatis totius mundi: *Nos sicut oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.*[81] Quare nos omnes in causa mortis Christi extitimus et utinam nunc quoque non clamemus: *Tolle hunc et dimitte nobis Barabbam,*[82] dum mundum Deo praeferimus, satanam Christo, carnem spiritui, vitium virtuti, iterum Christum *crucifigentes... et ostentui habentes!*[83]

a toto mundo

De Isaac nullum peccatum legimus in Sacris Litteris, legimus tamen eum a patre ductum ad mortem, persecutionem passum ab Ismaele fratre et a Philisthaeis in Gerar;[84] cum esset innocens a multis passus est persecutionem. Sic Christus; hinc Regius Vates *cervam* dicit a multis canibus insectatam et exagitatam a summo mane, et Isaias: *De angustia et de iudicio sublatus est*, hebraice: מֵעֹצֶר וּמִמִּשְׁפָּט לֻקָּח,[85] *a coetu et a iudicio*, sive magistratu, iudicum consessu, *sublatus est, praecisus est de terra viventium,*[86]

Deus tamen innocentissimum Filium suum ad mortem tradidit,

68) Cf. Iob 1, 12-2, 1-8. 69) Cf. Mc 14, 50. 70) Cf. Mt 26, 69 sqq.; Mc 14, 66 sqq.; Lc 22, 55-62; Io 18, 17-27. 71) Cf. Mt 27, 47-49; Mc 14, 43-45; Lc 22, 47-48; Io 18, 2-3. 72) Cf. Lc 23, 11. 73) Ibid. vr. 18. 74) Io 19, 15. 75) Lc 23, 21. 76) Mt 27, 23. 77) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 78) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 79) Cf. Mt 8, 1-3; 11, 5; Lc 17, 12-14. 80) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 41-44. 81) Is 53, 5-6. Vulg.: *Quasi oves,* etc. Ordine inverso affert hos vrr. 82) Lc 23, 18. 83) Hebr 6, 6. 84) Gn 26, 14-27. 85) Ms.: *Mehozer umimiscpath lukach.* 86) 53, 8. Vulg.: *Abscissus est de terra viventium.*

sic enim Christus a concilio Iudaeorum et a furente populo postulatus fuit ad mortem.

ut ostenderet cariorem sibi fuisse mundi salutem quam vitam unici Filii sui.

Sed in cruce nonnisi de Patre conqueri videtur: *Deus... Deus meus, quare me dereliquisti?* [87] Isaac a solo patre ductus ad mortem fuit Dei iussu; grave mandatum ut pater amantissimus unicum et dilectissimum filium suis manibus iugularet et combureret. Sed ostendit quod, licet carissimus ei filius esset, multo tamen carior erat Deus; ita hodie ostendere voluit Deus cariorem et antiquiorem illi fuisse salutem mundi vita ipsa unici Filii sui: *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* [88]

Quae Christus passus est aperit Regius Vates et vaticinatur Isaias.

IV. *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis atque ibi offeres eum in holocaustum*, etc. Passus fuit Isaac laborem itineris, onus lignorum, vincula super struem lignorum, aries postea inter spinas inventus passus fuit gladium et ignem. Regius Vates quae Christus passus est ita aperit: *Quoniam tribulatio proxima est et non est qui adiuvet... Sicut aqua effusus sum:* totus, inquit, sanguis meus effluxit corpore multis vulneribus confosso, *et dispersa sunt omnia ossa mea*, separata, divisa, suis locis dimota, ab invicem disiuncta, nam: *Foderunt manus meas et pedes meos dinumeraverunt omnia ossa mea.* [89] O dolorem acerbissimum! Isaias vero ait: *Virum dolorum et scientem infirmitatem... Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum... Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum... Dominus voluit conterere eum in infirmitate... Tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est.* [90]

Passus est intrinsecus et extrinsecus;

Passus est Christus intrinsecus et extrinsecus talia et tanta, ut non valeat quis pro dignitate verbis assequi quae Christus passus est in horto, in domo Caiphae, in domo Pilati, in domo Herodis, iterum in domo Pilati, et tandem crucem portans et in ipsa cruce clavis confixus. Quid passus sit Christus declarat nomen Moria, amari-

87) Mt 27, 46; Mc 15, 34. Vulg.: *Ut quid dereliquisti me.* 88) Io 3, 16. 89) Ps 21, 17-18. 90) 53, 3 sqq.

tudo Dei, phrasis hebraica, qua quaecunque pro rei magnitudine verbis explicari non possunt, divina dicuntur: *mons Dei,* [91] *ignis Dei,* [92] *civitas Dei.* [93]

passus est in anima, nam Deus ipsius passionem et mortem longe ante revelavit;

Abraham Isaaco manifestare minime voluit quod duceret eum ad sacrificandum Domino, sed interrogatus ab ipso: *Pater mi. At ille respondit : Quid vis, fili ? Ecce, inquit, ignis et ligna ; ubi est victima holocausti ?* Respondit: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi.* [94] Noluit illum tali tantoque animi dolore afficere. Deus autem Christo mortem et passionem ipsius longe ante revelavit et hanc ob causam in horto *coepit pavere et taedere,* [95] *contristari et moestus esse* [96] ac dicere: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* [97] Passus fuit Isaac laborem itineris et oneris, portans ligna holocausti usque ad verticem montis, passus est vincula, sed non passus est gladium et ignem, haec enim aries passus est pro eo immolatus; Christus autem et gladium et ignem passus est: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet ?* [98] Si ignis divinae iustitiae et irae ita ardet in viridi ligno, in homine innocente, quid faciet in arido, aptissimo ad comburendum, in homine peccatore? Voluit Dominus Deus ut Christus unigenitus ipsius Filius solveret divinae iustitiae debita pro homine, cuius fideiussor esse voluit usque ad minimum quadrantem. Peccaverat homo per superbiam, en Christus humiliatus: *Ego . . . sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis,* [99] humiliatus est usque ad mortem crucis; [100] peccaverat libidine et voluptate, en Christus poenis doloribusque affectus; peccaverat avaritia, en Christus bonis omnibus spoliatus et nudatus: *Secundum mensuram delicti erit et plagarum modus.* [101]

passus est rigorem divinae iustitiae, ipse enim esse voluit fideiussor pro homine;

passus est odium inimicorum tum invisibilium tum visibilium;

Iob sanctus traditus fuit potestati satanae, sed cum moderamine: *Veruntamen animam illius serva ;* [102] Christus autem traditus fuit potestati daemonum absolute, ut facerent contra eum quaecunque voluissent: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum ;* sic Pilatus tradidit Christum voluntati Iudaeorum, voluntati inimicorum ipsius, *nam sciebat quod per invidiam tradidissent eum* [103] summi sacerdotes.

91) Cf. Ex 3, 1; 4, 27; 3 Rg 19, 8; Ps 23, 3; Ez 28, 14-16. 92) Cf. Nm 11, 1. 3; Iob 1, 16. 93) Cf. Ps 45, 5; 47, 2-3. 9; 86, 3. 94) Gn 22, 7-8. 95) Mc 14, 33. 96) Mt 26, 37. 97) Ibid. vr. 38; Mc 14, 34. 98) Lc 23, 31. 99) Ps 21, 7. 100) Cf. Phil 2, 8. 101) Dt 25, 2. Vulg.: *Pro mensura peccati,* etc. 102) Iob 2, 6. 103) Mt 27, 18. Vulg.: *Sciebat enim,* etc.

Sic traditus Christus est potestati et voluntati inimicorum suorum, cum visibilium tum invisibilium daemonum: *Iesum ... tradidit voluntati eorum; Adiudicavit fieri petitionem eorum.*[104] O sententiam iniquissimam! Sicne damnatur iustus et innocens homo ad mortem, sine causa, sine crimine, sine processu, sine probationibus, sine testibus? Et quis unquam vel scelestissimus a iudice traditus est potestati et voluntati crudelium inimicorum suorum? O summam iniustitiam! Sic a Dalila scelestissima femina traditus fuit Samson in manus Philisthinorum.[105]

passus est omnes poenas sensus et damni supra omnes martyres simul.

Talia et tanta Christus passus est hodie, quod si omnia tormenta, martyria, supplicia martyrum Veteris et Novi Testamenti in unum collata appenderentur in statera una cum Christi passione, *quasi arena maris haec gravior appareret.*[106] Sunt duo poenarum genera: sunt poenae damni et poenae sensus. Christus gladium et ignem passus est, summas maximasque damni et sensus poenas; damni quidem quoad honorem, famam, aestimationem, mortem ipsam, nam mortuus est per summam ignominiam turpissimo mortis genere; sensus vero, quia: *A planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas;*[107] *Nos putavimus eum percussum a Deo et humiliatum.*

Multa fuerunt quae Christi cor affligebant,

V. Multa autem erant quae sanctum Christi cor supra quam credi potest affligebant, maxime in Calvario, in cruce. Affligebat cor ipsius civitas Ierusalem, quam in prospectu habebat, sciens quod in poenam tanti facinoris brevi erat funditus evertenda; nam hanc ob causam in die palmarum *videns civitatem flevit super eam.*[108] Affligebat cor ipsius infinita populi multitudo, quae ex universa Iudaea et Galilaea venerat ad diem festum,[109] tum propter ignominiam mortis ipsius, tum quia sciebat et praevidebat iram Dei cito casuram super eos. Affligebant cor ipsius principes sacerdotum et scribae, qui irridebant et subsannabant eum,[110] laeti de ignominia, cruciatibus et morte ipsius. Affligebant latrones, qui crucifixi erant cum eo, quia *conviciabantur ei,*[111] et quia in bono et malo latronibus praevidebat quam pauci salvandi erant merito sanguinis et mortis ipsius, quam multi damnan-

104) Lc 23, 24-25. Ordine inverso affert hos vrr. 105) Cf. Idc 16, 1-21. 106) Iob 6, 3.
107) Is 1, 6. 108) Lc 19, 41. Vulg.: *Flevit super illam.* 109) Cf. Io 12, 12.
110) Cf. Mt 27, 41-43; Mc 15, 31-32. 111) Mc 15, 32.

di. Affligebat cor ipsius Ioannes dilectus discipulus tum quia eum solum videbat, [112] alios vero Apostolos ob scandalum crucis dispersos: *Quia*, inquit, *scriptum est: Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis;* [113] videbat Apostolos et discipulos suos tanquam oves in faucibus rugientis leonis et lupi infernalis; tum etiam quia videbat eum magno dolore affectum, ita ut prae doloris magnitudine nec loqui potuerit Christo, nec respondere ei cum dixit: *Ecce Mater tua.* [114]

Sed supra modum affligebat cor ipsius afflictissima et dolentissima Mater stans iuxta crucem ipsius, quae cum loqui vellet, non poterat, ut Filium suum consolaretur, nec respondere ei quidem potuit cum dixit: *Mulier, ecce filius tuus;* [115] flere tantum et amarissimas lacrimas fundere cum infinito animi dolore poterat. Quam vere dicere poterat cum Ieremia plangente destructionem civitatis Ierusalem et templi: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus;* [116] dicere cum Noemi: *Vocate me Mara... quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* [117] Si enim David, audita morte Ionathae amici sui, non potuit a lacrimis temperare, dicens quod diligebat eum sicut mater filium suum, [118] et audita morte Absalom, filii parricidae, flebat inconsolabiliter, quomodo flebat hodie Maria mortem et qualem mortem, bone Deus, unici et dilectissimi Filii sui, sponsi sui, patris sui? Nam Christus ei et filius et sponsus et pater erat amantissimus: *Positus est hic... in signum cui contradicetur et tuam ipsius animam pertransibit gladius,* [119] idest mortalissimo afficieris dolore in morte unigeniti Filii tui.

sed supra modum aspectus afflictissimae Matris stantis iuxta ipsius crucem.

VI. *Quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum.* [120] En praemium et corona magni facinoris ex magna erga Deum pietate et caritate: a sacrificio suo Abraham magnam gloriam apud Deum meruit; sic divinum hoc sacrificium. Est etiam crux arbor vitae: [121] *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [122] Virga Moyses humiliavit Pharaonem, vicit Aegyptum, salvavit Israelem, [123] sic Christus cruce; sicut etiam Moyses

Sacrificio suo Christus magnam apud Deum coronam meruit,

112) Cf. Io 19, 26. 113) Mt 26, 31; Mc 14, 27. 114) Io 19, 27. 115) Ibid. vr. 26.
116) Thr 1, 12. 117) Ruth 1, 20. 118) Cf. 2 Rg 1, 26. 119) Lc 2, 34-35.
120) Gn 22, 16-17. 121) Cf. ibid. 2, 9. 122) Io 3, 14-15. 123) Cf. Ex 14, 16 sqq.

nam diabolum vicit,

manu virgam tenens in vertice montis extensis brachiis pugnavit contra Amalec et vicit,[124] sic Christus, extensis in cruce brachiis, diabolum et infernum vicit, in cuius signum *monumenta aperta sunt et multa corpora Sanctorum, quae dormierant, surrexerunt et . . . venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis,*[125] quia ad vitam immortalem, aeternam, beatam surrexerunt. Sic vitam et felicitatem aeternam meruit Christus mundo passione et morte sua.

mundum redemit,

Meruit Abraham obedientia, caritate et pietate sua erga Deum universae posteritati suae divinam benedictionem et gratiam magnamque gloriam apud Deum et homines; Christus autem passione et morte sua non solum per modum meriti, verum etiam per modum sacrificii pro peccato et holocausti Deo gratissimi, per modum etiam redemptionis pretio sanguinis sui et satisfactionis Deo pro nostris debitis, acquisivit nobis tum gratiam tum gloriam Dei, gratiam Spiritus Sancti: *Dimitte illis;*[126] *Ecce Mater . . . ecce filius tuus;* et ipsum etiam Spiritum Sanctum: *Inclinato capite tradidit spiritum;*[127] vitam aeternam: *Multa corpora . . . surrexerunt;* et ipsum etiam paradisum: *Hodie mecum eris in paradiso.*[128] Sic crux Christi facta est nobis veluti navis qua in paradisum navigamus, arca salutis aeternae sicut arca Noe.[129] Sic magnum fructum attulit mundo passio Christi et mors, ait enim: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert;*[130] ipse nanque est granum sinapis.[131] Sibi etiam Christus gloriam acquisivit, nam ait: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum;*[132] *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.*[133] In cruce Christus ostendit gloriam divinitatis suae totam commovens mundi machinam;[134] in morte coepit gloria Christi, quoniam sic ostendere voluit se supra hominem esse, nam hominis gloria, licet potentissimi regis et imperatoris, licet Pontificis Summi, in morte finitur; ante mortem magna gloria principis est, divina quaedam maiestas videtur, post mortem nihil est. In Christo autem e contra evenit: post mortem omnis Christi gloria: *Humiliavit semetipsum . . . usque ad mortem . . .*

gratiam et vitam aeternam nobis acquisivit,

et in cruce gloriam divinitatis suae ostendit.

124) Cf. ibid. 17, 8-13. 125) Mt 27, 52-53. 126) Lc 23, 34. 127) Io 19, 30. 128) Lc 23, 43. 129) Cf. Gn 7, 1 sqq. 130) Io 12, 24-25. 131) Cf. Mt 13, 31; Mc 4, 31; Lc 13, 19. 132) Io 12, 32. Vulg.: *Si exaltatus*, etc. 133) Ibid. 8, 28. 134) Cf. Mt 27, 51; Mc 15, 33; Lc 23, 44-45.

crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen. [135]

VII. *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* [136] Isaias ait: *Pro transgressoribus rogavit;* [137] Paulus vero, quod *exauditus est pro sua reverentia.* [138] De fructu passionis Isaias sic loquitur: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum et voluntas Domini in manu eius dirigetur,* idest *prosperabitur. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur; in scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est... ipse peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit.* [139] Fructus enumerat passionis multos et magnos tum quoad Christum tum etiam quoad nos; nam quoad ipsum ait: *Videbit semen longaevum et voluntas Domini in manu eius prosperabitur... videbit et saturabitur... dispertiam ei plurimos et cum fortibus dividet spolia,* in hebraeo illud *longaevum* est *prolongabit dies,* qua phrasi vita Christi aeterna post mortem designatur.

Isaias praedixit et enumeravit fructus passionis dominicae

quoad Christum

Semen Christi fideles dicit, Ecclesiam dicit, sic enim Deus Abrahamo promisit infinitam pene posteritatem, quia Isaac immolavit. *Videbit et saturabitur,* beatus erit. Cum audivit fructum praedicationis Apostolorum, Christus *exultavit,* ut Lucas ait, in *Spiritu Sancto;* [140] *Gaudium* magnum *[erit] in coelo super uno peccatore;* [141] gaudet pastor inventa ove, mulier inventa drachma, pater clementissimus quia filium salvum recepit. [142] *Et voluntas Domini prosperabitur: Haec est... voluntas Dei, sanctificatio vestra,* [143] ut impius convertatur et vivat; [144] *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* [145]

et etiam quoad nos,

Sic praedixit Isaias de fructu passionis, quod Paulus postea manifestius praedicavit: *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur.* [146] *Dispertiam ei plurimos et cum fortibus dividet*

quos D. Paulus postea manifestius praedicavit.

135) Phil 2, 8-9. 136) Lc 23, 34. 137) 53, 12. 138) Hebr 5, 7. 139) 53, 10 sqq. 140) 10, 21. 141) Ibid. 15, 7. 142) Cf. Mt 18, 12-13; Lc 15, 3 sqq. 143) 1 Thess 4, 3. 144) Cf. Ez 33, 11. 145) Io 4, 34. 146) Phil 2, 9-10.

spolia, hoste superato, parta victoria: *Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.*[147] Quoad nos vero ait: *Iustificabit... multos... peccata eorum portabit... peccata multorum tulit*, nam: *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* Alludit ad typum hirci, supra cuius caput sacerdos in die expiationis ponebat omnia totius populi peccata et in desertum mittebat.[148]

Sic omnia instrumenta passionis facta sunt instrumenta gloriae.

Acquisivit Christus in passione vestem candidam, vestem purpuream, coronam spineam, sceptrum arundineum, tandem crucem et clavos, quae etiam mysteria sunt et Dei dona sunt. Sicut enim Moyses vidit lateres,[149] quos Hebraei faciebant in Aegypto, conversos in sapphiros sub pedibus Dei,[150] sic omnia haec conversa sunt in altissimam gloriam divinumque Christi honorem, quae ad iniuriam et contumeliam illata fuerunt.

II. ALIA HOMILIA[1]

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, etc.[2]

Passio Christi multis figuris praesignata et multis oraculis praedicta fuit.

I. Celebramus hodie sacratissimum dominicae passionis mysterium, ex quo totius humani generis salus dependet. Hodie iustus Abel ab iniquo fratre impie crudeliterque occiditur;[3] hodie innocentissimus Iob a satana immanissimo humani generis hoste crudelissime flagellatur[4] et *a planta pedis usque ad verticem*[5] capitis plagatur; hodie sanctissimus Isaac a proprio patre supra altare ligneum immolatur;[6] et tandem hodie serpens aeneus in deserto super lignum exaltatur.[7] Cum enim divinissimum hoc salutis nostrae mysterium in Sacris Litteris a prima mundi origine multis sit sacrarum figurarum veluti hieroglyphicis praesignatum, multis Prophetarum oraculis praedictum

147) Eph 4, 8. 148) Cf. Lv 16, 20-22. 149) Cf. Ex 5, 7-18. 150) Cf. ibid. 24, 10.

1) In codice iterum ponitur inscriptio: « Feria Sexta in Parasceve » quam nos omisimus.
2) Io 3, 14-15. 3) Cf. Gn 4, 10. 4) Cf. Iob 1, 12-2, 1-8. 5) Is 1, 6.
6) Cf. Gn 22, 9-10. 7) Cf. Nm 21, 8-9.

et quatenus sacrificium Deo gratissimum ad placandam iram Dei, vel quatenus pretium redemptionis nostrae, vel quatenus punitio et satisfactio divinae iustitiae, vel tandem quatenus sacramentum pro remedio humanae salutis; specialiter tamen praefiguratum fuit in sacrificio Isaac quatenus sacrificium Deo gratissimum, et in exaltatione serpentis in deserto quatenus remedium salutis efficacissimum; sicut etiam fuit sanguis agni paschalis, ut liberarentur electi Dei ab Angelo mortis. [8]

Quoniam vero serpentis exaltatio singularissimum et illustrissimum fuit ipsius Christi testimonio divini huius mysterii et sacramenti hieroglyphicum, animus est ut, favente Deo et Spiritus Sancti gratia suffragante, dicamus de tanto, tam ineffabili et incomprehensibili passionis dominicae sacramento, saltem quae in sacra hac figura mystice designantur. Videndum autem erit nobis primo quidem, cur Christi passio *exaltatio* dicitur; secundo, cur Christus per serpentem aeneum designatur; tertio, de fine huius exaltationis et effectu quem sortita fuit; quarto, a quibus, ubi et quando exaltatus fuit; quinto, tandem, de spectaculo exaltati serpentis, ut eum omnis populus spectaretur.

Quatenus remedium salutis specialiter figurata fuit per serpentis aenei exaltationem in deserto.

II. Nobis igitur dicendum primo est aliquid de passione Christi in communi et, ut hinc exordiamur, cur Christus passionem dixit exaltationem, cum Paulus humiliationem maximam eam dixerit: *Humiliavit semetipsum... usque ad mortem, mortem autem crucis,* [9] mortem facinorosorum hominum, indignam viro ingenuo, ita ut non liceret civem romanum in crucem adigere, [10] et tamen Christus Dei Filius, *Rex regum et Dominus dominantium,* [11] passionem dixit *exaltationem: Oportet exaltari Filium hominis; Cum exaltaveritis Filium hominis;* [12] *Cum exaltatus fuero a terra.* [13] Plane, quoniam passio Christi simul fuit exaltatio et humiliatio, sicut ipse ait in *Psalmo: Exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus;* [14] exaltatio in oculis Dei, humiliatio in oculis mundi; exaltatio in oculis fidelium et electorum

Passio Christi fuit exaltatio et humiliatio:

exaltatio in oculis Dei et electorum, humiliatio in oculis mundi et reproborum;

8) Cf. Ex 12, 1-10. 9) Phil 2, 8. 10) Cf. Cicero *In Verrem*, lib. 5, vol. 2, col. 297-298; Brissonius Barn. J. C. *Antiquitates selectae ex Iure Civili*, lib. 1, cp. 13, pag. 21.
11) 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16. 12) Io 8, 28. 13) Ibid. 12, 32. Vulg.: *Si exaltatus*, etc.
14) Ps 87, 16.

Dei, humiliatio in oculis reproborum et infidelium, sicut Paulus ait: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, iis autem qui salvi fiunt, Dei virtutem et Dei sapientiam,* [15] sicut columna nubis, in qua erat Angelus Domini, splendida erat oculis Hebraeorum, obscura et tenebricosa oculis Aegyptiorum. [16]

sed Christus eam dicit exaltationem, quia ipse nunquam maior fuit coram Deo quam in cruce positus.

Christus autem non humiliationem dicit, sed exaltationem, quoniam sicut de gemmis non est iudicandum nec aestimandae sunt ad iudicium imperiti bubulci, sed ad iudicium peritissimi gemmarii, sic de rebus sentiendum est secundum iudicium sapientissimi Dei, non secundum iudicium insipientis et stulti mundi. Tunc magni fit aurum cum in fornace optimum invenitur, tunc magnopere aestimatur adamas cum in incude ictus malleorum sustinet; nunquam maior fuit Iob in oculis Dei quam cum in sterquilinio nudus totusque plagatus solidissimam animi sui virtutem ostendit tanquam aurum in fornace probatum; sic Christus nunquam maior fuit in oculis Dei quam in sua passione in cruce positus.

Passio dominica dicitur exaltatio, quia illustrissimum fuit Christi martyrium,

III. Dicitur *exaltatio* quoniam fuit illustrissimum martyrium Christi, tanto illustrius quovis alio martyrio cuiusvis alterius martyris, quanto sol splendidior est quovis splendidissimo coeli astro. Si quis suspendatur in infami patibulo ob patrata scelera iuste damnatus ad ultimum supplicium, huius quidem infamis et vituperio digna mors est; si quis damnetur ad acerbissima tormenta et supplicia a crudeli tyranno ob Christi fidem, huius mors illustris est, omni laude digna, quia de morte iudicandum ex causa est. Laudantur omnes martyres quia propter iustitiam, propter virtutem, propter legem Dei passi sunt persecutiones et supplicia; at Christus caput est martyrum.

sed praecipue quia in cruce quam maxime exaltata fuit misericordia, iustitia et caritas Dei,

Dicitur *exaltatio* quia causa fuit exaltationis: *Propter quod et Deus exaltavit illum,* etc.; [17] sed praecipue dicta est *exaltatio* quia in cruce et passione Christi hodie quam maxime exaltata est Dei misericordia, iustitia et caritas: misericordia erga peccatores, iustitia contra peccatum, quod sic Deus punit in persona unici Filii, et caritas

15) 1 Cor 1, 23-24. Inserit pericopen vr. 18. 16) Cf. Ex 14, 19-20. 17) Phil 2, 9.

erga mundum: *Sic . . . Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* [18]

Christi potentia,

Hic exaltata Christi potentia, sapientia et bonitas omnisque virtus Salvatoris: iustitia, prudentia, fortitudo et temperantia; nunquam se maiorem Christus ostendit. Exaltata Christi potentia in miraculis maximis in cruce editis: commovit mundum, vicit diabolum, superavit mortem, spoliavit infernum, aperuit paradisum, velum templi scissum est ut sancta sanctorum revelarentur; [19] destruxit peccatum, donavit gratiam: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [20]

prudentia,

Exaltata Christi sapientia atque prudentia, quia hic Deum praetulit mundo, vitam aeternam temporali, coelestia bona terrenis, salutem animarum proprio corpori, commutavit vitam temporalem cum aeterna, mundanum honorem cum gloria paradisi, imo cum gloria Dei, modicum voluptatis cum felicitate perpetua, mortuus est unus homo ne tota gens periret, [21] mortuus in corpore ne totus mundus periret in corpore et spiritu, mortuus in tempore ne mundus periret in aeternum, passus est in corpore ut toti mundo daret felicitatem et beatitudinem tum corporis tum animae.

sapientia,

Exaltata Christi sapientia et ars, qua satanam humani generis seductorem ac deceptorem fefellit, qua mundum contempsit opere, docens quod omnia quae in mundo sunt, floccipendenda sunt propter Deum, nihili facienda sunt, viliora stercoribus reputanda sunt, quoniam: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* [22] Sic nihili fecit Christus temporalia bona: nudus mori voluit; honorem mundi: ignominiam crucis elegit; voluptates corporis: flagella, spinas, clavos sustinuit; vitam corporalem pro consequenda aeterna vita libentissime dedit.

ars tanquam peritissimi medici,

In cruce Christus tanquam sapientissimus medicus pro salute humani generis saluberrimum optimumque et efficacissimum antidotum composuit divina quadam arte contra venenum serpentis antiqui. Luce clarius videbit si quis consideret Adamum in paradiso et Christum in Calvario, culpam illius et meritum huius, illius inobedientiam et obedientiam huius, superbiam illius, huius humili-

18) Io 3, 16. 19) Cf. Mt 27, 45-53; Mc 15, 33-38; Lc 23, 44-45. 20) Io 1, 17.
21) Cf. ibid. 11, 50. 22) Eccle 1, 2; 12, 8.

tatem, illius vitium, huius virtutem, peccatum illius in perniciem totius humani generis, gratiam huius in salutem; si quis consideret lignum *scientiae boni et mali* [23] et lignum crucis, lignum utique mali et boni, nam illud quidem prius fuit lignum vitae, honoris et voluptatis, postea lignum mortis, ignominiae et poenae; hoc autem lignum e contra. Sic P a u l u s Christum crucifixum dixit *Dei sapientiam.*

et bonitas;

Hic exaltata est Christi bonitas caritasque divina; mortuus est enim propter nimiam caritatem suam: *Ego sum pastor bonus ; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* [24] *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* [25] Hic Christus pro salute nostra in remissionem peccatorum instituit Sacramenta, thesauros divinae gratiae, deditque Ecclesiae. Hodie corpus et sanguinem suum nobis in cibum et potum dedit, [26] latroni poenitenti paradisum dedit, [27] moriens ipse mortuos ad vitam revocavit, [28] pepercit inimicis, pacem eis obtulit, pro eis Patrem exoravit, [29] pro salute inimicorum sanguinem fudit, sustinuit mortem: *Cum* adhuc *inimici essemus . . . Christus pro nobis mortuus est.* [30]

Christus ipse exaltatus, quia in cruce agnitus fuit Filius Dei,

Hic Christus exaltatus est, quoniam agnitus est Filius Dei. Nusquam mirabilior Christus apparuit quam in cruce: mirabilior quam in transfiguratione inter Moysen et Eliam, [31] mirabilior quam apud I s a i a m in medio Seraphim, [32] quam in coelo in medio Angelorum; hinc Cherubim mirantes divinum propitiatorium sanguine septies aspersum [33] contemplabantur cum stupore et extasi. [34] David in pugna contra Goliath [35] mirabilior apparuit quam in throno regni Israel; Samson in pugna contra exercitum Philisthinorum inermis pugnans et vincens. [36]

exaltata virtus animi Sanctissimae Matris

Hic exaltata est gloria paradisi, hic dignitas Ecclesiae dignitasque naturae humanae, animae rationalis; hic valor gratiae, hic poena inferni quanta sit, hic qualis satanae potestas, hic qualis quanta fuerit virtus animi Sanctissimae Virginis Matris Crucifixi, divina plane et mirabilis, nam: Stabat *iuxta crucem Iesu Mater eius.* [37]

23) Gn 2, 9. 24) Io 10, 11. 25) Ibid. 15, 13. Vulg.: *Maiorem hac dilectionem,* etc. Affert ex Breviario Rom., Com. Apost. 2 antiph. 1 Vesp. 26) Cf. Mt 26, 26-29; Mc 14, 22-25; Lc 22, 19-20; 1 Cor 11, 23-25. 27) Cf. Lc 23, 42-43. 28) Cf. Mt 27, 50-53. 29) Cf. Lc 23, 34. 30) Rom 5, 9-10. Ordine inverso affert hos vrr. 31) Cf. Mt 17, 1-3; Mc 9, 1-3; Lc 9, 28-30. 32) Cf. 6, 1-3. 33) Cf. Lv 4, 6. 17; 16, 14. 34) Cf. Ex 37, 7-9. 35) Cf. 1 Rg 17, 41-51. 36) Cf. Idc 14, 19; 15, 3-15. 37) Io 19, 25.

Stabat: O magnum miraculum! Quomodo afflictissima Mater plena infinito dolore – *Tuam ipsius animam pertransibit gladius,*[38] – transverberato corde stare poterat? Dolor nascitur ex amore; qualis est amor tenerae matris erga unicum filium, pulcherrimum, obedientissimum, virtutibus moribusque ornatissimum et matris amantissimum, qualis amor optimae matris erga optimum filium, talis erat Maria, talis Christus; et tamen *stabat.* O mirabilem virtutem animi! O divinam fortitudinem pectoris! O plane divinum cor Mariae!

Sed aliarum quoque sanctarum animarum virtus hic demonstratur, nam non sola Maria stabat, sed *stabant... iuxta crucem Iesu Mater eius et soror matris eius Maria Cleophae et Maria Magdalene*[39] cum aliis mulieribus *quae secutae eum erant a Galilaea;*[40] stabat et Ioannes: *Cum vidisset... Matrem et discipulum stantem, quem diligebat.*[41] O caritatem et fidem sanctarum animarum in Christum! Quales fundebant lacrimas dum hae fideles animae se mutuo aspiciebant! Aspectus illi quales sagittae erant, quam acuti gladii verba! Bene prophetavit Zacharias: *Aspicient* in eum *quem confixerunt et plangent eum planctu quasi super unigenitum et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem.*[42]

et aliarum animarum quae cum ea stabant iuxta crucem.

Sic Sancta Ecclesia plangit hodie passionem et mortem sui Sponsi, sui Creatoris et Redemptoris, unigeniti Filii Dei. Sicut olim synagoga per singulos annos celebrabat magno cum fletu lugubria funeralia pro morte sancti regis Iosiae, qui pro publica salute populi sui pugnans contra inimicos populi in bello mortuus fuerat,[43] sic nunc Ecclesia plangens quasi amantissima sponsa passionem et mortem dilectissimi sponsi, celebrans ipsius funeralia nos invitat ad lacrimas, ut sanctas illas animas imitemur, quae sub cruce stantes inconsolabiliter plangebant et lamentabantur, magnum sentiebant dolorem, quia magno Christum prosequebantur amore. Si nullum nos sentimus dolorem, signum est quod nullum habemus erga Christum amorem. Quis in morte carorum non plangit? Unde dolor? Ex amore. Christus autem ait: *Qui amat patrem vel matrem* vel filios vel fratres *plusquam me, non est me dignus,*[44] non est verus christianus, spiritum Christi

Plangit hodie Ecclesia ob mortem Christi

et nos quoque ad lacrimas invitat.

38) Lc 2, 35. 39) Io 19, 25. 40) Lc 23, 49. 41) Io 19, 26. 42) 12, 10-11.
43) Cf. 2 Par 35, 20-25. 44) Mt 10, 37. Vulg.: *Aut matrem*, etc.

non habet, caritate divina non est praeditus. Nos ergo insensati, absque ullo dolore, quid dicemus? O corda plus quam lapidea!

Declarat Christus quisnam sit qui patitur, idest Filius Dei et Filius hominis.

IV. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in illum.*[45] Declarat Christus quisnam est qui patitur, dicens quod mysticus serpens exaltatus fuit, et quisnam iste serpens: Filius hominis: *Ita exaltari oportet Filium hominis.* Sed num tantum Filius hominis? Subiungit: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Qui patitur ergo est Filius Dei et Filius hominis, verus homo et verus Deus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo,* etc.[46] Titulus crucis ostendit quisnam sit iste qui patitur: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*.[47]

Seipsum serpentem vocat, quia in similitudinem peccati apparuit

Sed quam ob causam Christus seipsum serpentem appellavit? Figura serpentis, noxii et venenati animalis, inimici hominis, satanae proprie convenit, qui in serpentis figura hominem decepit et perdidit,[48] peccati veneno letaliter infecit. Quid luci ad tenebras? Quid Christo ad Belial?[49] Quomodo ergo Christus figuram serpentis assumpsit? Utique quia venit *in similitudinem carnis peccati,*[50] idest apparuit similis hominibus peccatoribus; neque enim ille verus fuit serpens, sed similitudo serpentis absque veneno, sicut et Christus absque peccato, non verus fuit homo peccator.

et quia serpens ille singulare fuit ipsius hieroglyphicum.

Licet autem Christus dicere potuisset quod sicut Isaac immolatus fuit, sicut agnus paschalis occisus, sicut templum Dei a Chaldaeis destructum,[51] sicut Ionas in mare deiectus et a magno pisce devoratus fuit,[52] sic ipse passurus et moriturus erat. Tamen nec Isaacum aut Ionam voluit seipsum dicere, non agnum paschalem, non templum Dei, non petram in deserto percussam,[53] sed serpentem exaltatum, quoniam serpens ille singularissimum quoddam fuit Christi hieroglyphicum. Erat ex aere, validissimo metallo, et figuram serpentis habebat, quod est prudentiae symbolum: *Estote... prudentes sicut serpentes,*[54] quoniam Christus, ut Paulus ait, est Dei virtus et sapientia.

Ne existimes, homo, Christum vel non potuisse vel nescisse mor-

45) Io 3, 14-15. Vulg.: *Qui credit in ipsum.* 46) Phil 2, 6. 47) Io 19, 19.
48) Cf. Gn 3, 1-6. 49) Cf. 2 Cor 6, 14-15. 50) Rom 8, 3. 51) Cf. 4 Rg 25, 8-17.
52) Cf. Ion 2, 1. 53) Cf. Ex 17, 5-6; Nm 20, 8-11. 54) Mt 10, 16.

tem effugere, nam cum sit ipse Dei virtus et sapientia, sicut verus Deus, omnia potest, omnia novit; sed *oblatus est quia ipse voluit.* [55] Hinc serpens ille hebraice שָׂרָף [56] appellatur; vere seraph Christus, divina praeditus caritate, homo totus ignis apud Ezechielem. [57] Vide si poterat mortem effugere: uno tantum verbo prostravit militum cohortem omnesque Iudaeorum ministros et principes, qui ad eum comprehendendum abierunt, [58] et Petro dixit: *An... non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* [59] Sed *oblatus est quia ipse voluit,* ad ostendendam caritatem suam erga nos, nam *Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis;* [60] *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* [61]

Serpens ille appellatur *seraph* ad designandam Christi caritatem,

Vere seraph Christus, totus ignis, totus ardor amoris erga nos. Quis Christum reddidit impotentem, ut non valeret seipsum defendere, sed sineret se comprehendi, ligari, flagellari, crucifigi hodie, nisi amor? Angeli sunt multo potentiores hominibus; unus Angelus una nocte occidit omnia primogenita totius Aegypti, [62] unus Angelus una nocte interfecit exercitum Sennacherib centum octoginta millia militum. [63] Sic Angeli sunt multo potentiores hominibus, mali angeli malis hominibus; potentia satanae nota est ex libro et historia *Iob.*

quae ipsum impotentem reddidit ut non valeret se defendere;

Christus hodie potentissimus fuit contra omnes malos angelos, contra omnes daemones infernales; vicit satanam et spoliavit infernum, in cuius signum aperiuntur monumenta et resurgunt mortui: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt* omnia *quae possidet; si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet... et spolia... distribuet.* [64] Fuit hodie Christus leo fortissimus contra daemones et agnus mansuetissimus cum hominibus; serpens vivus contra serpentes infernales, sicut virga Moysi facta serpens vicit ac devoravit omnes serpentes magorum Pharaonis; [65] sed cum hominibus fuit serpens aeneus, inanimis, ac si insensatus lapis fuisset Christus, aut homo aeneus: flagellatus, percussus, spinis coronatus, crucifixus, nihil respondit, tacuit, patienter tulit, nunquam se defendit. Ser-

nam hodie potentissimum se ostendit contra omnes daemones, sed cum hominibus mansuetissimum,

55) Is 53, 7. 56) Nm 21, 8. Ms.: *Saraph.* 57) Cf. 1, 26 sqq.; 40, 3.
58) Cf. Io 17, 3-6. 59) Mt 26, 53. 60) Eph 5, 2. 61) Io 10, 11.
62) Cf. Ex 12, 29. 63) Cf. 4 Rg 19, 35. 64) Lc 11, 21-22. 65) Cf. Ex 7, 12.

pens aeneus potentissimus fuit contra omnes ignitos serpentes, ipse solus in ligno exaltatus pugnavit contra innumeros serpentes ignitos, venenatissimos, perniciosissimos, et omnes vicit ac profligavit; ab hominibus autem se in ligno suspendi permisit, neminem laesit, multos salvavit.

vere mysticus Samson, qui vitam suam tradidit pro salute nostra.

Ostendit Christus hodie quod non tantum suis commodis, sed etiam vitae propriae salutem nostram praetulit, sicut Samson pro salute populi sui in vindicta inimicorum suorum morti se obtulit.[66] Et quis nescit quod Samson in benedictione Dan a patriarcha Iacob dictus fuit *coluber in via, cerastes in semita*[67] ob damna quae illaturus erat Philisthaeis, populi sui capitalibus inimicis? Sic Christus mysticus Samson.

Non tantum vitam suam Christus propter nos prodegit, sed etiam honorem;

V. Sed parum est quod dixi, Christum vitae suae omnibusque suis commodis salutem nostram praetulisse, praetulit etiam honori quod rarum est, quod singulare est, quod sine exemplo est. Ut amicus verus pro salute amici exponat se mortis periculo vitamque suam prodigat, duello confligat cum hoste pro honore vel salute carissimi amici, rarum quidem est, sed tamen evenit aliquando; sed quod salutem amici quis non tantum vitae, sed etiam honori suo praeferat, hoc inauditum est. Ut homo velit pro amico subire carceres mortemque infamem, *quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile?*[68] ut homo crimen laesae maiestatis in suum principem admiserit, rebellis a suo principe ad inimicum defecerit, dilapidato principis thesauro, et amicus velit ad satisfaciendum aequitati et iustitiae principis indemnitati consulere, damna restaurare et criminis poenas meritas subire, etiam mortem ipsam latronum seditiosorum, rebellium turpissimam subire, inauditum est. Hoc egit Christus.

mortuus est enim morte infamissima ex infinita caritate sua,

Quomodo mortuus est Christus? Tanquam latro cum latronibus, in medio latronum.[69] Sed quis latrocinium commiserat? Non ipse, *qui peccatum non fecit,*[70] sed homo, sed Adam primus homo, in quo adhuc erat omnis homo. Sic ex caritate accepit figuram serpentis absque veneno, similitudinem hominis peccatoris sine peccato. Iacob pelles induit, pilosus similis Esau factus fuit,[71] cum vere pilosus non

66) Cf. Idc 16, 26-30. 67) Gn 49, 17. 68) Is 66, 8. 69) Cf. Mt 27, 38; Mc 15, 27-28; Lc 23, 32-33; Io 19, 18. 70) 1 Petr 2, 22. 71) Cf. Gn 27, 11-19.

esset; sic Christus non ad surripiendam benedictionem Patris, sed maledictionem, sed punitionem, quam nos omnes merebamur. O infinitam caritatem!

Similem se fecit Christus latroni malefactori, ut captus a iustitia pro malefactore satisfaceret, veluti si duo homines statura, vultu, habitu simillimi essent, unus autem eorum facinus aliquod perpetrasset et alter a iustitia comprehenderetur, et tanquam verus amicus volens pro amico pati et subire poenas quas ille merebatur, interrogatus a iudice an et quomodo facinus illud perpetrasset, de quo accusatus erat, taceret ille nihilque se excusaret. Sic Christus egit hodie; non se excusavit, non se defendit, tacebat coram iudice Pilato, *ita ut miraretur praeses vehementer.* [72]

et cum innocens esset, similem se fecit peccatoribus,

O summum amorem! O divinam caritatem! O inventionem amoris mirabilem! Iacob finxit se esse Esau, qui non erat; David aliquando insanum se finxit cum sapientissimus esset, [73] rex Israel, mutato habitu, legitur descendisse in proelium, fingens se privatum equitem, sicut etiam de Codro Atheniensium rege narrant historiae; [74] sed Christus pro nobis peccatorem se finxit, ut poenas nobis peccatoribus debitas a divina iustitia acciperet ac sustineret; rex, mutato habitu, serviles induit vestes, formam accipit servi ut servum salvet a morte; ut eum liberet de manibus iustitiae, ipse, forma servi accepta, seipsum tradit manibus iustitiae. Quis unquam talem vidit aut audivit caritatem?

ut poenas nobis debitas a divina iustitia sustineret;

Vere hic serpens appellari potuit *Seraph*, serpentis induit formam, hominis reipublicae perniciosi: *Si dimittimus eum sic... venient Romani et tollent nostrum locum et gentem.* [75] Perniciosiorem reipublicae aestimarunt scelestissimo Barabba, latrone, homicida, seditioso; traditus est morti Christus, ille autem salvatus, [76] nam aiunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram;* [77] *Seductor ille ait.* [78] Sic *venit in similitudinem carnis peccati*, sed absque peccato, agnus absque macula, *sol iustitiae;* [79] sed cupiens pro nobis mortem subire, adductus ad praesidem in multis accusatus nihil respondit, non fuit confessus pec-

ideo apparere voluit seditiosus, scelestissimus et accusatus non se defendit,

72) Mt 27, 14. 73) Cf. 1 Rg 21, 12 sqq. 74) Cf. not. 46 praec. hom., pag. 686.
75) Io 11, 48. 76) Cf. Mt 27, 16-21; Mc 15, 7-15; Lc 23, 18-25; Io 18, 40.
77) Lc 23, 2. 78) Mt 27, 63. Vulg.: *Dixit.* 79) Mal 4, 2.

catum aliquod, quoniam peccatum nullum commiserat, sed nec negare voluit, quoniam Adami peccatum induerat.

ut caritatem suam pro nobis moriendo patefaceret.

Potuisset venire Christus in mundum in gloria, sicut in transfiguratione apparuit, sicut venturus est ad iudicandum mundum; sed sic non potuisset divinam caritatem suam mundo manifestare: *Nam si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.*[80] Ad manifestandam igitur caritatem suam venit ut serpens aeneus, fortis, solidus, nam Ezechiel vidit Christum, cuius species erat sicut aspectus aeris candentis.[81]

Talem Christi caritatem considerare debemus,

Sed, bone Deus, quid in nobis operari deberet divina Christi haec caritas? Ionathas videns quod Saul occidere volebat Davidem, hac ratione extinxit in eo malam illam voluntatem dicens: *Non peccavit tibi et opera eius bona sunt... valde, et posuit animam suam in manibus suis percussitque philisthaeum.*[82] Pro te, inquit, exposuit se manifesto mortis discrimini, nunquam tibi nocuit, in multis iuvit; cur eum vis occidere? Homo autem peccans, ait Paulus quod iterum Christum crucifigit.[83]

ut a nobis expellamus malam voluntatem et peccandi libidinem.

Haec igitur meditatio non expellet a nobis malam voluntatem, non extinguet peccandi libidinem? Si pulcra mulier turpem aliquam maculam haberet in facie, uti maculam viri quam secum tulit a ventre matris, sciretque nullo modo posse auferri maculam vitiumque illud, nisi sanguine sponsi faciem abluat, quanto amore prosequeretur sponsum si ad maculam illam auferendam sanguinem suum prodigeret? Sic Christus egit, ut Paulus ait: *Christus dilexit Ecclesiam et tradidit... semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans* eam *lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse... gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam... sed ut sit sancta et immaculata.*[84] Hanc igitur ob causam patitur omnigena Filius Dei, *Rex regum et Dominus dominantium,* princeps paradisi, ut ita intraret in gloriam suam.[85] Quid igitur agendum nobis? *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.*[86] O utinam nos cum Uria ratiocinemur: *Arca Dei... et dominus meus Ioab,* etc.[87]

80) 1 Cor 2, 8. Vulg.: *Si enim cognovissent,* etc. 81) Cf. 40, 3. 82) 1 Rg 19, 4-5. Vulg.: *In manu sua et percussit philisthaeum.* 83) Cf. Hebr 6, 6. 84) Eph 5, 25-27. Vulg.: *Seipsum tradidit pro ea,* etc. 85) Cf. Lc 24, 26. 86) 1 Petr 2, 21. 87) 2 Rg 11, 11.

VI. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in illum non*, etc. Videndum est qualia et quanta pro nobis hodie passus est Dominus, serpens iste exaltatus, unigenitus Filius Dei. Exaltatus est in deserto: venit ex paradiso Angelorum in desertum mundi huius. Et quidem Christi passio hic *desertum* mystice appellatur, in quo Israel multa passus fuit, in quo Deus Moysi inter spinas et flammas ignis apparuit, [88] et populo visus fuit in caligine et in flamma ignis ardentissimi tanquam in fornace, [89] in quo habitare Deus ipse voluit sub pellibus mortuorum animalium. [90] Desertum aridum horridumque, quod nonnisi spinas et tribulos germinabat, nonnisi silvestres arbores infrugiferas producebat, habitatio ferarum truciumque bestiarum, in quo populus amarissimas reperit aquas in Mara. [91]

Passio Christi mystice desertum appellatur, ad significandas multas tribulationes.

Duo debemus Christo, tum quia multa bona reliquit in paradiso propter nos, tum quia multa mala passus est in deserto, veluti si princeps altae coronae sciens multos servorum suorum in dura servitute detineri a crudeli tyranno eosque disponat redimere et ad munus hoc peragendum, ut pro voto succedat, ipsemet velit, mutato habitu, assumat mercatoris formam et incognitus pergat ad tyranni provinciam pro servis redimendis, ita ut nullis parcat expensis multaque a barbaris illis patiatur incommoda, certe humanissimo huic principi et amantissimo patri subditorum suorum duo debent redempti omnes: et bona quae in suo regno, in sua civitate, in sua regia reliquit, et multa incommoda quae passus est tanquam hospes et peregrinus incognitus. Ita adamussim Christus egit: *Accipiens formam servi . . . habitu inventus ut homo.* [92] Venit in mundum ad redimendos homines a captivitate et durissima satanae servitute liberandos, sicut Moyses ad liberandos Hebraeos missus a Deo in Aegyptum fuit, quoniam Pharao crudelissimus tyrannus gravissimo servitutis iugo eos premebat [93] multaque Moyses in Aegypto incommoda passus fuit.

Duo Christo debemus, tum quia multa bona in paradiso reliquit, tum quia multa mala sustulit propter nos,

Sed quaenam lingua dicere aut quis intellectus capere in aeternum possit qualia et quanta bona propter nos Christus in paradiso reliquit, ubi *millia millium* Angelorum *ministrabant ei et decies millies*

quae nulla mens unquam capere potest,

88) Cf. Ex 3, 2. 89) Cf. ibid. 19, 16-18. 90) Cf. ibid. 39, 32-40; 40, 15 sqq.
91) Cf. ibid. 15, 22-23. 92) Phil 2, 7. Vulg.: *Formam servi accipiens*, etc.
93) Cf. Ex 3, 7-10.

centena millia assistebant ei? [94] Bona illa nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt. [95] Videamus saltem an dicere vel mente capere possimus qualia et quanta mala in hoc deserto passus sit.

Passio enim Christi vere fuit gravissimum et atrocissimum martyrium,

VII. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* O desertum aridissimum et horridissimum, in quo Aaron summus pontifex [96] et Moyses summus princeps mortui fuere, [97] Christum designantes! In deserto percussa fuit petra semel et iterum: [98] *Petra autem erat Christus;* [99] in deserto manna pinsebatur in mortario: [100] manna autem erat Christus: *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi.* [101] *Exaltavit serpentem in deserto.* Quid fuit hortus Christo nisi desertum? Quid domus Annae, domus Caiphae, domus Pilati, domus Herodis, atrium Pilati nisi desertum, habitatio truculentarum bestiarum? Quid locus Calvariae nisi desertum supramodum horribile? Multa passus fuit Christus in horto, multa in domo Annae, multa in domo Caiphae, multa in domo Pilati, multa in domo Herodis, in atrio Pilati, ac tandem in Calvario. Sed ut uno dicam verbo, passus est Christus hodie gravissimum atrocissimumque martyrium.

martyrium superans omnium martyrum,

Multos quidem legimus martyres in Sacris Litteris, sed quidam passi sunt martyrium externum tantum, absque ullo doloris sensu et absque ullo damno, sicut Isaac, [102] Daniel in lacu leonum [103] et tres pueri in fornace babylonica; [104] alii passi sunt martyrium externum cum sensu doloris carnis, sicut Abel, [105] sicut Zacharias sacerdos, [106] sicut Stephanus Protomartyr, [107] Iacobus apostolus frater Ioannis; [108] et alii tandem, martyrium externum cum gravissimo dolore et martyrium internum, sicut fuit Iob, qui a satana gravissimum martyrium passus fuit, cum maximo etiam cruciatu interno ob acerbissimum dolorem quem in animo sentiebat propter amissionem omnium bonorum et incursionem tot tantorumque malorum. [109]

Tale fuit hodie martyrium Christi, internum et externum et

94) Dn 7, 10. 95) Cf. 1 Cor 2, 9. 96) Cf. Nm 20, 26 sqq. 97) Cf. Dt 34, 5-6. 98) Cf. Nm 20, 8-11. 99) 1 Cor 10, 4. 100) Cf. Nm 11, 7-8. 101) Io 6, 51. 102) Cf. Gn 22, 1-12. 103) Cf. Dn 6, 16-22; 14, 29-40. 104) Cf. ibid. 3, 19-24. 105) Cf. Gn 4, 8. 106) Cf. 2 Par 24, 21-22. 107) Cf. Act 7, 56 sqq. 108) Cf. ibid. 12, 2. 109) Cf. Iob 1, 13-2, 1 sqq.

utrunque maximum, acerbissimum, atrocissimum. Martyrium internum patet in horto ubi ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem,*[110] ubi *coepit pavere et taedere,*[111] *contristari et moestus esse,*[112] ubi *factus* est *in agonia,* ubi prae acerbissimo animi dolore et cruciatu *factus est sudor eius velut guttae sanguinis decurrentis in terram.*[113] De hoc Christi martyrio verum illud est: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.*[114] Externum autem martyrium manifestum est in captura et vinculis, cum tanquam latro comprehensus fuit a cohorte et ministris Iudaeorum,[115] manifestum in domo Annae, Caiphae, Pilati, Herodis, in atrio Pilati et tandem in loco Calvariae gravissimum et acerbissimum.

Internum in spiritu, externum in corpore.

Nam duo sunt genera poenarum quibus a divina iustitia puniuntur rei: sunt poenae damni, ut exilia, publicationes bonorum, privatio honorum ac dignitatum ac huiuscemodi alia; et sunt poenae sensus, afflictiones, torturae cruciatus et tormenta corporalia. Utraque poenarum genera passus fuit Iob a satana, sic et Christus hodie, nam bonis omnibus expoliatus fuit, crucifixus nudus, quamvis non esset Christus dives ut Iob,[116] nam ait: *Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos, Filius autem,* etc.[117]

Duo sunt genera poenarum: damni et sensus;

Quod spectat ad mundum, tria tantum habebat Christus: corpus, honorem, erat enim magnae apud homines existimationis, magni nominis et celebratissimae famae, tandem discipulos quos tanquam filios carissimos diligebat. Ipsius corpus crudelissime tractatum, cruciatum, laceratum fuit, ita ut *a planta pedis usque ad verticem*[118] non fuerit in eo relicta sanitas. Sed quis nesciat quod homo nobilis, nobili animo praeditus et generoso corde, multo magis sentit vel minimam laesionem honoris quam magna vulnera et laesiones corporis? Quis autem nobilior Christo, qui Filius erat Dei et rex paradisi, Dominus Angelorum et secundum carnem ex regali stirpe et progenie David?[119] Quales autem laesiones honoris excogitari possunt maiores iis quas hodie passus est Christus?

utraque Christus passus est: maximam ignominiam

Comprehensus fuit et ligatus a cohorte et ministris Iudaeorum,

110) Mt 26, 38; Mc 14, 34. 111) Mc 14, 33. 112) Mt 26, 37. 113) Lc 22, 43-44. Vulg.: *Sicut guttae,* etc. 114) Thr 1, 12. 115) Cf. Mt 26, 55; Mc 14, 48; Lc 22, 52. 116) Cf. Iob 1, 3. 117) Mt 8, 20; Lc 9, 58. 118) Is 1, 6. 119) Cf. Mt 1, 16-23; Lc 1, 26-38.

et maximos corporis cruciatus;

ductusque ad tribunalia tanquam latro, accusatus et calumniatus tanquam seditiosus, publicae pacis perturbator, seductor, idest haeresiarcha et divinarum legum transgressor, tanquam reus criminis laesae maiestatis, delusus ab Herode tanquam insanus,[120] flagellatus a Pilato tanquam homo de plebe vilissimo, a militibus Pilati spinis coronatus et purpura indutus in derisum, tandem tanquam publicus latro cum latronibus morte turpissima damnatus, in infami patibulo suspensus et pendens etiam in cruce ab inimicis suis derisus illususque fuit multisque improperiis affectus.[121]

passus est maximum animi dolorem in horto praevidens dispersionem Apostolorum,

Tandem maximum animi dolorem sensit videns se a discipulis derelictum, quos tanquam filios carissimos diligebat, videns oves suas bonus pastor in faucibus lupi infernalis, in faucibus rugientis leonis, qui *circuit quaerens quem devoret.*[122] Nullum dolorem sensit maiorem sanctissimus Iob quam audita morte carissimorum filiorum;[123] sic Christus hodie videns dispersas oves suas: *Percutiam pastorem et dispergentur oves,*[124] videns in spiritu mortuos filios suos. Qualem dolorem sensit Iacob ob mortem, ut putabat, filii sui Ioseph![125] Et tamen undecim alios filios habebat; quid si omnes illi uno die mortui fuissent? Apostoli autem filii Christi erant, non carne, sed spiritu; hodie autem spiritu omnes mortui fuerunt. O dolorem immensum! O acerbissimum animi martyrium! Tanto maius et acerbius omni corporali martyrio, quanto animus suapte natura nobilior est corpore. Hinc non legimus tristatum Christum de martyrio corporali dum flagellaretur, dum coronaretur spinis, dum crucem portaret, dum crucifigeretur, et tantopere tristatum legimus de spirituali in horto: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Non quod non maximum summumque et acerbissimum dolorem senserit caro illa sanctissima, delicatissimum Christi corpus Spiritus Sancti opera formatum, sed quod dolor hic corporalis comparatione spiritualis, quem sentiebat in animo, nullus erat.

videns in spiritu horribilem deformitatem peccati

Quod si causam scire cupis cur Christus talem tantumque dolorem senserit in horto, cum nullum ibi externum pateretur in corpore cruciatum, aestimo hanc praecipuam fuisse causam, quoniam statim

120) Cf. Lc 23, 11. 121) Cf. Mt 27, 26-44; Mc 15, 15-32; Lc 23, 35-37; Io 19, 1-3.
122) 1 Petr 5, 8. 123) Cf. Iob 1, 18-20. 124) Zach 13, 7; Mt 26, 31; Mc 14, 27.
125) Cf. Gn 37, 31-35.

ingressus in hortum occurrit ei peccatum Adae, quod in horto commissum fuit. Monstrum horribile, supramodum horrendum et terribile supra quam excogitari possit peccatum est, quod Angelos pulcherrimos reddidit daemones horrendae deformitatis; ipsum autem omnibus daemoniis, omnibus infernalibus monstris, inferno ipso, mille infernis multo horrendius est. Non potuit Christus peccati aspectum ferre absque maximo terrore et horrore; nam ad aspectum unius peccati horrerent omnes Angeli paradisi, Christo autem occurrerunt omnia simul peccata totius mundi.

Gravissimum est peccati onus, unde ait ille: *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum et sicut onus grave gravatae sunt super me.* [126] Deus autem in horto posuit supra dorsum Christi omnia peccata mundi: *Posuit... in eo iniquitatem omnium nostrum;* [127] *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo.* [128] Christus autem, licet magnus esset gigas, non potuit sub tanta mole non gemere. Hinc veluti succumbens oneri, pronus iacebat in terra et prae nimio pondere sanguinem sudabat: *Factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.*

et sentiens se peccatis totius mundi oneratum,

Si homini in deserto horribilis draco occurreret ad eum devorandum, nec valeret effugere, quo invaderetur horrore! Christo occurrit draco peccati cum septem capitibus ad eum devorandum, nam nonnisi peccatum vere Christum occidit. Passione Christi delenda erant omnia peccata, sacrificium fuit pro peccatis; *sacrificium* autem *Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum,* [129] non enim nisi per poenitentiam deletur peccatum. Fuit Christi passio poenitentia pro peccato humani generis, poenitentia autem a contritione et dolore cordis incipit. Peccatum igitur fuit quod Christo maximum terrorem horroremque incussit, maximum dolorem inflixit: *Magna est... velut mare contritio tua:* [130] en mare Rubrum in horto, in quo omnia peccata erant demergenda. [131]

peccatum enim fuit vera causa passionis eius;

Hoc autem erat, fratres, quod animum Christi maxime excruciabat, quoniam praevidebat quod adhuc post passionem et mortem suam regnaturum erat peccatum in mundo, etiam in Ecclesia, in christianis. Ad quid talia tantaque passus est Christus, nisi ad destruen-

sed maxime excruciabatur praevidens peccatum regnaturum in mundo post passionem suam.

126) Ps 37, 5. 127) Is 53, 6. 128) 1 Petr 2, 24. 129) Ps 50, 19.
130) Thr 2, 13. 131) Cf. Ex 14, 27 sqq.

dum peccatum? Hic est omnis fructus, ut deleatur iniquitas, mundi malitia, superbia, avaritia, luxuria; et tamen adhuc regnat peccatum in mortali nostro corpore.[132]

Crux Christi mirabile lignum,

VIII. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in illum*, etc. Serpens ille mysticus exaltatus in ligno fuit, Christus autem, unigenitus Filius Dei, in ligno crucis positus, elevatus in altum fuit. Per lignum periit mundus, per lignum voluit Deus ut salvaretur mundus; per lignum vicit satanas, per lignum victus a Christo fuit; lignum vitae factum fuit causa mortis, lignum mortis factum est causa vitae, via salutis, scala coeli, porta paradisi, clavis thesaurorum Dei: *Baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum ... ubi crucifixerunt eum.*[133] In ligno exaltatus fuit serpens, ligno percussa fuit petra in deserto, supra arcam ligneam positum fuit divinum propitiatorium in sanctuario, supra mensam ligneam panis propositionis,[134] supra altare ligneum immolatus Isaac;[135] sic et Christus supra lignum exaltatus, supra lignum crucis positus pro salute mundi, nam in ligno salvatus fuit mundus, humanum genus ab aquis diluvii.[136] *Baiulans sibi crucem.* Haec enim baculus est Iacob, quo pertransivit Iordanem;[137] haec virga Moysi humilians Pharaonem et domans universam Aegyptum salvansque Hebraeos; haec Aaron virga quae miraculo floruit et fructus fecit;[138] haec altare sacrificiorum; haec baculus David quo perrexit ad percutiendum superbum gigantem Goliath philisthaeum.[139]

in quo mundus salvatus fuit.

Crux Christi exaltatio et tentatio fuit:

Crux hoc in loco dicitur *exaltatio*, altitudo: *Exaltavit serpentem ; Fac serpentem aeneum et pone eum pro signo,*[140] hebraice: אֶל־נֵס,[141] quasi עַל־נֵס, *sit supra lignum altum*, siquidem etiam malus navis hebraice dicitur נֵס, ut in Isaia legimus: *Donec relinquamini sicut malus navis supra verticem montium et quasi signum super collem ;*[142] vexillum etiam militare dicitur נֵס, eo quod in altum levetur, sicut Isaia 5 legimus: *Levabit signum in nationibus ;*[143] sic vexillifer

132) Cf. Rom 6, 12. 133) Io 19, 17. 134) Cf. Ex 37, 1 sqq. 135) Cf. Gn 22, 136) Cf. ibid. 7, 1 sqq. 137) Cf. ibid. 32, 10. 138) Cf. Nm 17, 6-8. 139) Cf. 1 Rg 17, 40-43. 140) Nm 21, 8. 141) Ms.: *Hel nes*, et infra: *Hal nes* et: *Nes*. 142) 30, 17. Vulg.: *Quasi malus navis in vertice*, etc. 143) Vr. 26. Vulg.: *Elevabit*, etc.

dicitur נֵסּ.[144] Significat igitur haec vox exaltationem et etiam tentationem, nam ponitur cum Deus tentavit Abraham,[145] tentare autem est experimentum, periculum facere.

O nobile mysterium! Crux Christo tentatio fuit, sicut Abrahamo sacrificium Isaac. Ibi Deus tentavit sanctissimum illum senem, ipsius erga Deum pietatem et caritatem, praecipiens ut sacrificaret unicum et dilectissimum filium; hic Deus tentavit Christum ut sacrificaret ei seipsum: *Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit.*[146] Nobis autem exaltatio fuit, vexillum militare, signum victoriae, malus navis Ecclesiae.

Christo tentatio fuit, nobis vero exaltatio.

Cum Moyses erexisset altare Domino, appellavit illud יְהוָה נִסִּי,[147] *Dominus exaltatio mea,*[148] sive *vexillum meum.* Isaias sic Christum appellat: *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.*[149] Alludit Isaias ad mysterium serpentis exaltati, qui erat in vexillum, in exaltationem populi, ipsum gentes requirent, in ipsum oculos figent. Et quidem crux Christo tentatio ac probatio fuit, sicut fornax auro; sic enim crux altare est holocausti de lignis settim,[150] lignum cui appensus fuit botrus terrae promissionis,[151] virga qua percussa petra fuit in deserto. Fuit etiam vexillum triumphale quod, parta victoria, in arce erigitur. Nobis vero exaltatio est; facta est enim nobis arca salutis, scala coeli, porta paradisi.

Ad hoc mysterium alludit etiam Isaias.

Accidit in cruce miraculum, quod in virga Aaron, quae quidem arida erat, sed divino miraculo tanquam arbor viva fronduit et fructus fecit;[152] facta fuit nobis crux sicut arbor illa mirabilis Nabuchodonosor, quae coelum tangebat ramisque totum mundum implebat suisque fructibus omnium animalium genus pascebat, quae sub illius umbra requiescebant;[153] facta est nobis arbor vitae, crux enim credentibus vitam largitur aeternam; arbor illa mirabilis ad ripam fluminis paradisi, faciens fructus per duodecim menses singulis mensibus, *et folia ligni ad sanitatem gentium;*[154] arbor *scientiae boni*

Mirabilis arbor crux Christi, quae nobis facta fuit arbor vitae

144) Is 10, 18. Ms.: *Noses.* 145) Cf. Gn 22, 1. 146) Hebr 9, 14. 147) Ms.: *Iehovah nissi.* 148) Ex 17, 15. 149) 11, 10. 150) Cf. Ex 27, 1; 38, 1. 151) Cf. Nm 13, 24-25. 152) Cf. ibid. 17, 6-8. 153) Cf. Dn 4, 7-9. 154) Apc 22, 2.

et vere arbor scientiae boni et mali,

et mali,[155] in cruce enim cognoscimus caritatem Christi, bonitatem Dei, malitiam satanae, poenas inferni, vanitatem mundi, perniciem peccati, valorem gratiae et pretium gloriae paradisi. Facta est nobis ipsa crux sicut lignum illud, quo Moyses dulcissimas reddidit aquas Mara amarissimas:[156] *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.*[157] Facta est nobis mensa panis propositionis, nam Christus est panis vitae; aureum candelabrum, quoniam Christus lucerna est *ardens et lucens,*[158] *lux mundi;*[159] facta est nobis arca Testamenti, in qua servabantur thesauri virtutis, sapientiae et bonitatis Dei.[160] Arbor Christi crucis ipsi quidem Christo amarissimos fructus produxit, nam in cruce fel et acetum gustavit,[161] nobis autem fructus dulcissimos ac suavissimos. Fuit crux Christo onus gravissimum, nobis autem onus leve et iugum suave.[162]

baculus peregrinationis nostrae.

Sed propter nos Christus libentissime crucem tulit, ut esset haec nobis baculus peregrinationis nostrae, nam Hebraei iter facturi ab Aegypto in terram promissionis baculos manibus tenebant;[163] ut esset nobis baculus Iacob ad transeundum sine periculo flumen Iordanis, quod interpretatur f l u v i u s i u d i c i i; Christi autem merita iuvabunt electos, omnes veros Christi fideles et crucis amatores in die iudicii.

Ligno Crucis vincitur diabolus,

IX. *Et baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum.* O felices qui cum Christo et post Christum crucem suam baiulant! *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me,*[164] nam: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.*[165] Per crucem enim vincitur diabolus, sicut per virgam Moyses superavit Pharaonem, David vicit Goliam.[166]

frangitur cordis durities,

Ligno crucis frangitur cordis durities, ita ut ex corde contrito erumpant lacrimae et fletus poenitentiae, sicut ligno Moyses de petra eduxit aquas. Si quis ferreum habeat cor, demersum in aquis volup-

155) Gn 2, 9. 156) Cf. Ex 15, 23-25. 157) Ps 22, 4. 158) Io 5, 35.
159) Ibid. 8, 12; 9, 5. 160) Idest vas mannae, cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4; virga Aaron cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4; tabulae legis, cf. Ex 25, 16; 21, 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4. 161) Cf. Mt 27, 34. 40; Mc 15, 36; Lc 23, 36; Io 19, 29-30.
162) Cf. Mt 11, 30. 163) Cf. Ex 12, 11. 164) Mt 16, 24; Lc 9, 23. Vulg.: *Si quis vult post me venire*, etc. Affert ex Breviario Rom., Com. unius Martyris, 2 Vesp. antiph. ad *Magnificat.* 165) Io 8, 12. 166) Cf. 1 Rg 17, 40.

tatum mundi huius, per crucem extrahet illud, sicut Eliseus fecit; [167] si quis cor habeat carneum, tangat illud ligno crucis et statim resolvetur in flammas divini amoris, sicut fecit Angelus Gedeonis virga tangens carnes sacrificii positas super petras. [168] Hoc ligno gustatur dulcedo coelestium consolationum, sicut Ionathas virga tulit et gustavit mel. [169]

Felices qui post Christum baiulant crucem! Nam haec signum est Dei vivi, signum *thau* in frontibus electorum Dei, [170] character ovium Christi, signum praedestinationis et electionis aeternae. Crux malus est navis Ecclesiae, nec tantum malus, sed etiam gubernaculum in manu Christi gubernatoris et ancora. **signantur electi.**

O felices et beatos qui virtutem crucis agnoscunt, sicut cognovit Christus, cognovit Andreas, [171] cognovit Paulus: *Mihi... absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi!* [172] Haec Christi thronus est, thronus Salomonis [173] et sceptrum regni: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga aequitatis,* idest *rectitudinis, virga regni tui;* [174] baculus mensorius quo [175] aedificium Ecclesiae mensurandum est ad perpendiculum in cruce. Nulla est concupiscentia carnis sed summa afflictio, nulla concupiscentia oculorum sed summa paupertas, nulla superbia vitae sed summa humilitas, nullum vitium sed omnis virtus, nullum peccatum sed omnis gratia. Crucis rectissima et iustissima regula dirigenda et regulanda vita nostra est: *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia.* [176] **Crux Christo thronus est, nobis autem regula vitae,**

Mirabile est quod operatus est Christus in cruce: erat prius infame patibulum; eam autem Christus adeo honestavit, ut ornamentum nunc sit regum et imperatorum, ut a regibus, imperatoribus, Pontificibus Summis, principibus et universo fere mundo tanquam divinum numen adoretur summoque sit in honore. Sic cum amara esset, Christus eam dulcem ac desiderabilem effecit; gravis erat, levem et suavem reddidit; instrumentum prius erat mortis et ignominiae, facta est instrumentum aeternae vitae et gloriae. Christo quidem instrumentum fuit cruciatus extremi, poenae et martyrii intolera- **nam infame patibulum Christo mutatum fuit in thronum gloriae, instrumentum mortis in instrumentum vitae**

167) Cf. 4 Rg 6, 5-7. 168) Cf. Idc 6, 21. 169) Cf. 1 Rg 14, 43. 170) Cf. Ez 9, 4-6. 171) Cf. Breviarium Rom., die 30 Nov. in Festo S. Andreae Ap. lect. 2 noct. 172) Gal 6, 14. 173) Cf. 3 Rg 10, 18-20; 2 Par 9, 17-19. 174) Ps 44 (hebr. 45), 7. 175) Ms.: *Quibus*. 176) Gal 6, 16.

bilis, instrumentum mortis et ignominiae in oculis mundi, sed in oculis Dei instrumentum gloriae, hasta Saul, hasta regia, qua Christus contra satanam, mundi huius principem, [177] pugnavit et vicit, gloriose triumphavit. Quare trophaeum est victoriae Christi, mandibula asini in manu Samsonis, quae victoriam ei praestitit contra exercitum Philisthinorum et postea fons aquae vivae ei facta fuit ad levandam explendamque sitim qua ad mortem usque laborabat. [178] Nobis autem facta est crux instrumentum vitae et gloriae, scala coeli, currus Eliae, [179] stemma divinae nobilitatis, gladius et hasta fatalis contra satanam et omnes daemones infernales, scutum in quo possimus *omnia tela nequissimi ignea extinguere*, [180] armatura Dei contra potestates tartareas et principes tenebrarum; [181] facta est insigne gentilitium, stemma summi regis et imperatoris Christi: *Et... apparebit signum Filii hominis in coelo*, [182] ita ut crux ab Angelis etiam summa veneratione adoretur; vexillum Christi regium, labarum imperiale; thronus effectus est gloriae Christi, in quo flexis genibus ab omnibus creaturis adoratur, coelestibus, terrestribus et infernalibus. Hinc eam Christus *exaltationem*, *gloriam suam* appellavit, fortitudinem et potentiam suam contra infernum, contra diabolum, contra mortem, contra peccatum, contra mundum, contra carnem spiritui inimicam.

et in armaturam Dei contra daemones;

hinc Christus exaltationem et gloriam suam eam appellavit;

Sed crux facta est etiam fortitudo fragilitatis nostrae, hoc est enim quod *stabant ... iuxta crucem ... Mater eius et soror Matris eius Maria Cleophae et Maria Magdalene;* et *cum ... vidisset Iesus Matrem et discipulum stantem quem diligebat.* [183] Quomodo stare poterant in tanta afflictione spiritus, in tanta consternatione animi? Sed virtus crucis sanctas illas animas sustentabat, crux illis baculus erat fortitudinis, firmissimus scipio. Crux divinam tribuit virtutem, quam a Crucifixo accepit, ad ferendas forti animo magnas tribulationes, cruciatus insupportabiles. Accepit a cruce Christus infirmitates, in cruce nanque mortalem passus est infirmitatem et mortem ipsam; sed cruci dedit divinam virtutem; a cruce dolorem tristitiamque accepit eique gaudium et laetitiam dedit.

sed nobis etiam facta est fortitudo fragilitatis nostrae.

177) Cf. Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. 178) Cf. Idc 15, 14-19. 179) Cf. 4 Rg 2, 11. 180) Eph 6, 16. 181) Cf. ibid. vrr. 11-13. 182) Mt 24, 30. Vulg.: *Parebit.* 183) Io 19, 25-26.

Non solum multa passus est Christus, sed etiam a multis.

X. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in illum*, etc. A Moyse exaltatus fuit serpens in deserto, Christus autem, mysticus serpens, ab iis qui super cathedram Moysi sederunt [184] crucifixus fuit. Non solum multa passus est Christus, sed a multis passus est. Abel occisus fuit a Caino fratre, Isaac immolatus a Patre, Iob flagellatus a satana; agni paschalis populus sanguinem fundebat; [185] Zacharias pontifex et sacerdos summus a furente populo fuit interfectus; [186] vitulus expiationis in die remissionis omnium peccatorum a principibus sacerdotum mactabatur, consentiente universo populo; [187] petra in deserto a Moyse et Aaron percussa fuit; templum a Babyloniis dirutum; [188] Ionas a nautis proiectus in mare fuit. [189]

nam passus est a Iudaeis et a satana.

Christus Dominus noster non tantum a Iudaeis, a principibus sacerdotum, scribis et Pharisaeis, ab Herode et Pilato passus est hodie, verum etiam passus a satana est et principibus tenebrarum, nam satanae opera traditus venditusque fuit a Iuda: *Post buccellam, introivit in eum satanas ;* [190] satanae opera negatus a Petro: *Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* [191] Passus ab omnibus furiis infernalibus est, qui Iudaeorum corda exagitabant: *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum,* [192] ideo, pendente Christo in cruce, *tenebrae factae sunt super universam terram,* [193] quia omnes principes tenebrarum, omnes tartareae potestates conspiraverant hodie contra Christum, venerunt contra eum sicut Philisthiim contra Samsonem, [194] magno exercitu comparato, omnibus collectis copiis. Hanc ob causam contra omnem naturalem pietatem omnemque humanitatem Christus flagellatus fuit, coronatus spinis, in cruce delusus, derisus, felle et aceto potatus, quia Iudaei ab infernalibus furiis exagitabantur. Hanc ob causam universus populus, qui a Christo magna et innumera beneficia acceperat, in morte ipsius conspiravit mortemque Christi tantopere desideravit, tantis clamoribus postulavit: *Tolle, tolle, crucifige eum,* [195] *crucifige, crucifige eum* [196] *et dimitte*

184) Cf. Mt 23, 2. 185) Cf. Ex 12, 1-13. 186) Cf. 2 Par 24, 20-21.
187) Cf. Lv 16, 1-30. 188) Cf. 4 Rg 25, 1-16; 2 Par 36, 17-19. 189) Cf. Ion 1, 15.
190) Io 13, 27. 191) Lc 22, 31-32. 192) Ibid. vr. 53. 193) Mt 27, 45.
194) Cf. Idc 15, 9. 195) Io 19, 15. 196) Lc 23, 21.

nobis Barabbam;[197] *Sanguis eius super nos et super filios nostros,*[198] quia daemones, cum ipsorum corda et animos possiderent, infernales flammas, tartareos ignes in eorum pectoribus accendebant, daemones per ipsorum ora venena spumabant, iratorum instar serpentum, ac per eorum linguas loquentes irarum flammas vomebant.

ab ipso quoque Patre suo.

Sed non tantum a daemonibus, a principibus populi, a Iudaeis, a suismet discipulis passus est Christus; passus est etiam a Patre, nam Paulus ait quod Deus *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,*[199] et Christus: *Sic . . . Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* cruci et morti; *Calicem, quem dedit mihi Pater, non* vis ut *bibam illum ?*[200] Hinc pendens in cruce de Patre veluti conquestus fuit dicens: *Deus meus, ut quid dereliquisti me ?*[201] Sic Isaac a patre immolatus fuit, ligatus super struem lignorum. Et an non Spiritus Sanctus fuit qui per os Caiphae contra Christum tulit mortis sententiam dicens: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat ? Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex . . . prophetavit,*[202] idest per ipsius linguam et os Spiritus Sanctus locutus fuit. Sententia haec a Spiritu Sancto, a Deo lata fuit.

Sed alio modo passus est a Deo, alio ab hominibus et a daemonibus.

XI. Sed alio modo Christus passus est a Deo, alio ab hominibus et daemonibus; convenerunt in volito, in modo volendi differentes fuerunt Deus et homines. Iussit Deus Moysi ut exaltaret serpentem: exaltavit et minime peccavit, meruit gratiam apud Deum et homines; praecepit eidem ut percuteret petram in deserto: percussit et peccavit, quia non secundum voluntatem Dei percussit, ex ira enim et indignatione magis quam ex fide et obedientia praecipientis Dei [percussit].

Ut Christus in cruce moreretur pro salute mundi voluntas Dei erat,

Ut Christus pro salute mundi moreretur in cruce, voluntas Dei erat, praeceptum Dei erat, sicut praeceptum Dei fuit ut percuteretur petra, ut exaltaretur serpens, ut occideretur agnus paschalis, ut mactaretur vitulus expiationis, ut in holocaustum immolaretur Isaac. Quomodo ergo peccaverunt Iudaei Christum crucifigentes, si Dei voluntas, Dei praeceptum erat? Quia non secundum voluntatem Dei hoc fecerunt. Si enim ea pietate qua Abraham unicum et dilec-

197) Ibid. vr. 18. 198) Mt 27, 25. 199) Rom 8, 32. 200) Io 18, 11. *Vis ut* lect. cod. 201) Mt 27, 46; Mc 15, 34. 202) Io 11, 50-51.

tissimum Filium suum Isaac voluit immolare, ut Deo obediret divinamque exequeretur voluntatem, ea pietate qua sacerdotes in templo munda et sancta animalia Deo sacrificabant, qua universus populus paschalem agnum occidebat, qua nautae sanctum Ionam in mare proiecerunt, cognoscentes talem esse voluntatem Dei; si, inquam, tali pietate Iudaei Christum occidissent, rem utique gratissimam Deoque supra modum acceptissimam fecissent, obtulissent enim sacrificium Deo suavissimum spirans odorem; etsi homines defuissent nec ferre valuissent in unigenitum Filium Dei manus immittere, Angeli paradisi hoc fecissent, sicut descendit Angelus de coelo ad confortandum Christum[203] ad ferendam acerbissimam passionem mortemque crucis, quoniam talis erat voluntas Dei.

Ita ut si homines defuissent, Angeli eum crucifixissent,

Imo, quid dico? ipsa Virgo Sanctissima hoc fecisset, cum multo maiori caritate in Deum, multis ac infinitis pene gradibus praedita esset quam Abraham. Quare si ille ex magna in Deum caritate, divino urgente imperio, unicum et dilectissimum filium Deo sacrificare voluit, multo magis Maria. Quam ob causam putatis ipsam astitisse iuxta crucem, pendente ac vidente Filio? An ignorabat quod sua praesentia supramodum augebat dolorem Filii et afflictissimum illius animum suis lacrimis exacerbabat? Stabat tamen iuxta crucem Filii, quoniam talem esse Dei voluntatem agnoscebat; per Spiritus Sancti afflatum ibi stabat ut Deo obediret, non curabat quod supramodum dolores animi et cordis martyrium in pectore crucifixi Filii augebat.

imo ipsa eius Mater Sanctissima hoc fecisset.

At vero, quia non sic Iudaei, non ex pietate, non ex obedientia Dei, non ex afflatu Spiritus Sancti ut divinam voluntatem implerent, sed ex diaboli suggestione, ex ira et odio Christum tanquam capitalem inimicum occidebant, sicut satanas sanctissimum Iob martyrizabat, sicut Cain fratrem suum iustum et sanctum Abelem acerrimo prosequens odio, tandem occidit,[204] sicut filii Iacob sanctissimum Ioseph fratrem suum odio habuerunt, occidere voluerunt, vilissimo pretio vendiderunt;[205] ideo gravissime peccaverunt magnamque iram Dei meruerunt.

Sed Iudaei peccaverunt quia non secundum voluntatem Dei hoc fecerunt.

Hoc est quod Christo summopere displicebat, quod sanctissimum illius animum mirum in modum excruciabat. Hic erat calix ori ipsius amarissimus, quem prae nimia amaritudine quodammodo bibere

Hoc autem excruciabat supra modum cor Christi,

203) Cf. Lc 22, 43. 204) Cf. Gn 4, 1-8. 205) Cf. ibid. 37, 4-28.

recusabat ac refugiebat: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.*[206]

cum videret quod per summam Patris iniuriam occidendus esset.

Non refugiebat passionem et mortem, quam divina caritate praeditus summopere pro gloria Dei et mundi salute desiderabat; sed modus passionis et mortis ei supra quam dici possit displicebat, modum horrebat, abominabatur, execrabatur impietatem inauditam, horrendam et execrandam Iudaeorum crudelitatem, peccatum eorum supra modum horrendissimum, quod nec coelum, nec terra, nec infernus quodammodo prae horrore ferre potuit. Sic non displicuit Deo factum, sed modus quo Moyses petram percussit. Displicebat Christo quod per summam Patris iniuriam occidendus, flagellandus, conspuendus, crucifigendus erat. Nihil est quod magis animum Christi laedat, quod magis displiceat, horreat, quod acrius oderit quam peccatum. Haec summa est Christi iniuria, laesio omnium maxima, peccatum, impietas, ingratitudo, crudelitas. Ab omnibus ergo peccatoribus patitur Christus.

Nil magis Christo displicet quam peccatum.

XII. Dicas nunc mihi tu, o christiane: si praesens tunc fuisses unus de populo, de turba, de principibus Iudaeorum, quid egisses? Num tu quoque in Christi mortem spirasses, procurasses necem ipsius? Num Barabbam potius quam Christum elegisses? clamasses: *Tolle, tolle, crucifige eum?* Absit! Ego Christi capitalis inimicus, ego sanguinis unigeniti Filii Dei impius effusor? Nunquam Christo vel minimam iniuriam intulissem, sed cum Maria et Ioanne iuxta crucem stare voluissem, cum sanctis illis animabus Christi fidelibus. Non ergo occidisses cum Iudaeis, non tradidisses cum Iuda,[207] non negasses cum Petro,[208] non reliquisses cum discipulis,[209] minime, nequaquam. Quam ob causam? Quia haec magnae sunt supramodum iniuriae et offensiones. Si ergo tibi displicent Christi iniuriae, cur, quaeso, vivis in peccatis, sciens quod nihil est quod magis Christo displiceat animumque ipsius offendat quam peccatum? Displicuit multo magis Christo peccatum Iudaeorum malaque illorum voluntas, animus impius, perversus, ingratus, quam propria mors. Cur igitur, si horruisses Christum occidere vel minima quavis iniuria afficere verboque laedere, non displicet tibi peccatum quod Christo multo magis di-

206) Mt 26, 39. 207) Cf. ibid. vrr. 47-48; Mc 14, 43-45; Lc 22, 47-48; Io 18, 2-3.
208) Cf. Mt 26, 69 sqq.; Lc 22, 55-62; Io 17, 17-27. 209) Cf. Mt 26, 36; Mc 14, 50.

splicet quam mors? Si Christum non Barabbam elegisses, cur nunc vitium magis eligis quam virtutem, peccatum quam gratiam, mundum quam Deum, satanam quam Christum? Cur magis satanae vis morem gerere et obedire peccando et in peccatis perseverando, quam Christo bene operando et de praeteritis malis condignam poenitentiam agendo?

hinc D. Paulus dicit Christum nonnisi passum a peccatoribus esse.

Vide ne teipsum decipias, nam *Deus non irridetur.*[210] Divus Paulus dicere videtur quod nonnisi a peccatoribus passus sit Dominus: *Recogitate . . . eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non deficiatis animis vestris,*[211] cum tamen etiam a Deo, a diabolo et daemonibus omnibus passus sit. Existimo enim quod sicut olim rex Syriae pugnans contra regem Israel, iussit exercitui et militibus suis ut nonnisi regem Israel quaererent, contra personam regis pugnarent,[212] sic hodie cum daemonibus egerit satanas. Tamen a peccatoribus passus dicitur Christus, quia nonnisi peccata quam maxime sentiebat.

In passione Christi multa legimus peccatorum genera.

In Christi passione multa peccatorum genera legimus: peccatum ignorantiae in turbis seductis a principibus, scribis et Pharisaeis, ut Christum ad mortem postularent; peccatum ex infirmitate in Petro, in Apostolis, in Pilato, qui cognovit innocentiam Christi sciens *quod per invidiam tradidissent eum,*[213] tamen timens calumniam Iudaeorum apud Caesarem, iniuste et contra conscientiam, nullo servato iuris ordine, Christum damnavit; peccatum ex malitia in Iuda proditore, in pontificibus, principibus sacerdotum, scribis et Pharisaeis; Iudas ex avaritia Christum vendidit tradiditque, Iudaei ex odio occiderunt, Pilatus ex iniustitia damnavit, quia hominem magis timebat et seipsum plus diligebat quam Deum; pontifices ex invidia et odio inveterato, pleni avaritia, ambitione et superbia.

Peccatores omnes rei sunt mortis Christi.

Quis autem non videat quod adhuc vivunt peccata haec in mundo? Vitium autem est sicut ignis qui naturam suam nunquam mutat, semper est ignis, semper urit et semper devorat, quandiu cibum invenit, *nunquam dicit: sufficit.*[214] Ex iisdem causis iidem oriuntur effectus.[215] Sic peccatores omnes rei sunt mortis Christi, quia si

210) Gal 6, 7. 211) Hebr 12, 3. Vulg.: *Ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.*
212) Cf. 3 Rg 22, 31-37. 213) Mt 27, 18; Mc 15, 10. 214) Prv 30, 16.
215) Axioma philosophicum, de quo cf. Aristot. *Analyt. Post.*, cp. 17, t. 1, pag. 108-109.

praesentes tunc fuissent, idem procul dubio egissent, sic Paulus ait: *Rursum Filium Dei crucifigentes et ostentui habentes.* [216]

Videndum est ad quid patitur Christus.

XIII. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in illum.* Tandem videndum nobis est ad quid passus sit Christus. Serpens ille exaltatus in ligno fuit ut omnes ab ignitis serpentibus morsi letalique veneno infecti in serpentem illum piis oculis intuentes curarentur, liberarentur a mortali veneno, salvarentur a certissima morte. Exaltatus fuit ut contra ignitos serpentes pugnaret illosque profligaret, ab illis populum Dei liberaret, salvaret a morte, vitam donaret. Sic, inquit, *exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.*

Mirabilis Dei virtus fuit serpentem in deserto exaltatum Hebraeos a morte, liberare potuisse,

Et quidem serpens ille potentissime et mirabiliter praestitit salutis beneficium universo populo contra, ut ita dicam, omnem naturae ordinem; nam sicut morsus a rabido cane, si vel imaginem canis videat, maxime laeditur, ita aiunt naturales [217] de homine a serpente morso. O mirabilem Dei virtutem et sapientiam! Naturaliter quidem tam aptus erat serpens ille ad curanda venena ignitorum serpentium, quam apta est aqua ad accendendum ignem, suapte natura aptissima ad extinguendum; et tamen magno miraculo sanavit Hebraeos, sicut Elias ad ostendendam divinitatis virtutem copiosa aquarum effusione coelitus magnum accendit ignem, [218] sicut Christus luti collyrio caecum a nativitate illuminavit. [219]

sed mirabilior mundum per fidem Christi salvatum fuisse:

Mirabilis fuit effectus, mirabile opus quod exaltatus ille serpens operatus fuit in salutem Hebraeorum contra serpentes ignitos; sed infinitis partibus multo mirabilior effectus mystici huius serpentis, Christi in ligno crucis exaltati. Consilium Dei fuit ut per Christi fidem salvaretur mundus: *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Hoc igitur erat salutare remedium humano generi paratum, hoc antidotum divina arte compositum contra venenum antiqui serpentis: fides in Christum: *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.*

216) Hebr 6, 6. Vulg.: *Crucifigentes... Filium Dei,* etc. 217) Cf. Plinius *Hist. Nat.*, lib. 28, cp. 3, pag. 315. 218) Cf. 3 Rg 18, 42-45. 219) Cf. Io 9, 1-7.

Et quidem si Christus venisset in mundum sicut venturus erat ad iudicium[220] vel sicut in transfiguratione apparuit in gloria et maiestate inter Moysen et Eliam,[221] facillimum procul dubio fuisset ut mundus in eum crederet; absque ullo negotio, visa tanta maiestate et gloria, credidissent homines Christum vere esse Filium Dei unigenitum, verum Deum. Sed quod in tali ac tanta paupertate, humilitate et ignominia, quod homo crucifixus turpissimam mortem cum latronibus in infami patibulo perpessus credatur verus Filius Dei, verus Deus factus homo, stultitia videbatur: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.*[222] Et tamen sic voluit Deus ut. repugnante quodammodo natura, serpens in ligno exaltatus curaret a mortali veneno omnes ab ignitis serpentibus morsos, ut ex eventu effectus mirabilis non possit causis naturalibus et humanis tribui, sed supernaturalibus et divinis. Non poterat naturali virtute Moysi virga aquas Aegypti in sanguinem commutare,[223] non Rubrum mare dividere et in glaciem solidissimam marinas aquas convertere,[224] non de petra durissima flumen aquarum educere;[225] non potuit naturali virtute arca Iordanis flumen siccare,[226] muros Iericho tubis clangentibus diruere,[227] Dagon deum Philisthaeorum in terram proicere capiteque et manibus truncare, multis plagis Philisthaeos afficere;[228] sed opera haec divinae erant virtutis effectus, nonnisi supernaturalibus causis poterant assignari. Ita profecto Christi crucifixi fides in humanis pectoribus, in humanis cordibus divinae virtutis est opus, supernaturalium causarum effectus.

nam si Christus venisset cum gloria, facillime mundus in eum credidisset;

sed quod homo crucifixus credatur verus Filius Dei, hoc sola divina virtus operari potuit.

XIV. Praestitit tamen verissime mysticus iste serpens in cruce exaltatus credentibus in se vitam et salutem in spiritu perpetuam, sicut serpens ille, huius figura et hieroglyphicum, contra corporales serpentes, corporale venenum, corporalem salutem vitamque. Quis autem non videt mirabiles passionis Christi effectus in cruce, in operibus quae Christus egit in cruce? Hora nona Christus moriens densissimas tenebras expulit, per Christi passionem et mortem illuminatus est mundus; terra mota est, victus est mundus; petrae scissae sunt,

In cruce apparent mirabiles passionis Christi effectus,

220) Cf. Mt 24, 30-31; 25, 31-32. 221) Cf. ibid. 17, 2-3; Mc 9, 1-3; Lc 9, 28-30.
222) 1 Cor 1, 23. 223) Cf. Ex 7, 17-21. 224) Cf. ibid. 14, 21. 225) Cf. ibid. 17, 6; Nm 20, 11. 226) Cf. Ios 3, 14-16. 227) Cf. ibid. 6, 6-20. 228) Cf. 1 Rg 5, 1 sqq.

victa sunt hominum corda saxis duriora magna peccatorum contritione ob Christi passionem et mortem; monumenta aperta sunt, victa est mors; multi surrexerunt, spoliatus est infernus, victus diabolus; velum templi scissum est, aperta est ianua paradisi, revelatum verum sanctum sanctorum; latro ad Christum conversus est, mundus ad Christum conversus,[229] centurio clamavit: *Vere Filius Dei erat iste.*[230] Ecce vera fides: *Corde... creditur ad iustitiam.*[231]

idest remissio peccatorum, fides in Crucifixum, filiorum adoptio.

Fructus igitur passionis Christi est primo quidem, ut compendio dicamus, remissio peccatorum, quoniam ait: *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt:*[232] hanc peccatorum remissionem latro consecutus fuit; fructus passionis est fides in Crucifixum, quam tum in latrone converso tum in centurione reperimus; fructus passionis et crucis est peccatorum remissio et poenitentia, patet in latrone multisque aliis, qui *viso terraemotu et his quae fiebant, revertebantur percutientes pectora sua;*[233] fructus passionis est filiorum adoptio: *Mulier, ecce filius tuus... ecce mater tua;*[234] fructus est gloria paradisi conversis peccatoribus promissa: *Hodie mecum eris in paradiso;* fructus crucis est donum Spiritus Sancti, nam: *Inclinato capite tradidit spiritum;*[235] *Dedit... Spiritum Filii sui in corda nostra;*[236] *Qui... non habet Spiritum Christi, hic non est eius;*[237] tandem gratia Sacramentorum omnium fructus est crucis et passionis Christi: *Lancea latus eius aperuit et... exivit sanguis et aqua.*[238]

Specialis fructus est gloria paradisi;

Sed non omnes percipiunt mirabiles hos ac divinos fructus crucis et passionis Christi. Duos tantum reperimus homines in Christi passione, qui suavissimos crucis fructus perceperunt: Ioannes et latro; Ioannes fidelis et iustus, latro fidelis per conversionem ad Christum: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum;*[239] verus poenitens: *Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus.*[240] Specialis fructus crucis est vita aeterna, gloria paradisi. Hanc nonnisi fideles qui ex corde in Christum credunt consequuntur: *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.*

229) Cf. Mt 27, 45-53; Mc 15, 33-38; Lc 23, 40-46. 230) Mt 27, 54. 231) Rom 10, 10. 232) Lc 23, 34. Vulg.: *Dimitte illis*, etc. 233) Mt 27, 54; Lc 23, 48. 234) Io 19, 26-27. 235) Ibid. vr. 30. 236) Gal 4, 6. Vulg.: *Misit... in corda vestra.* 237) Rom 8, 9. Vulg.: *Si quis... Spiritum Christi non habet*, etc. 238) Io 19, 34. 239) Lc 23, 42. Vulg.: *Domine, memento*, etc. 240) Ibid. vr. 41.

Nec tamen omnes qui in Christum credunt fructum hunc ligni vitae percipiunt: *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum.* [241] Ex fidelibus ergo illi tantum percipiunt fructum ligni vitae qui vel cum Ioanne, dilectissimo et amantissimo Christi discipulo, vitam semper innocentem sanctamque ducunt, omni virtutum genere et morum elegantia ornatam, vel qui post scelera et peccata ad Christum ex animo per veram poenitentiam convertuntur. Hanc ob causam Ioannes iustus et sanctus hic declaratus est frater Christi, filius Dei et per consequens heres Dei et coheres Christi. [242]

sed hanc non consequuntur nisi innocentes ut Ioannes; vel poenitentes ut latro.

Latroni autem converso promissus est paradisus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quisquis igitur nostrum, fratres, particeps esse vult gratiae et gloriae Christi, necesse est ut vel Ioannes sit iustus sanctusque, vel latro verus poenitens ex animo ad Christum conversus. Quis nostrum Ioannes? Ubi sunt viri sancti, veri Christi discipuli, perfecti imitatores? Imo, ubi sunt veri poenitentes? In Christi passione multos, imo innumeros legimus peccatores, sed paucissimos poenitentes; tres tantum legimus poenitentes: Petrum, latronem et Iudam, nam: *Poenitentia ductus, retulit triginta argenteos... dicens: Peccavi tradens sanguinem iustum.* [243] Sed nec omnes poenitentes salvati sunt; Iudas damnatus est, nam desperato animo manus sibi iniecit et *laqueo se suspendit,* [244] *suspensusque crepuit medius.* [245]

Sed valde pauci sunt hodie innocentes, et pauci etiam poenitentes;

Quid igitur dicemus, fratres? Christus quidem *pro omnibus mortuus est,* [246] pro totius mundi salute; et tamen nonnisi paucissimi salvantur, quia nonnisi vel iusti vel peccatores poenitentes; impoenitentes, licet in Christum credant, salutem tamen minime consequuntur: *An divitias bonitatis... et patientiae et longanimitatis* Dei *contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam te expectat ? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae.* [247] Omnes peccatores impoenitentes

hinc est quod paucissimi salvantur.


241) Mt 7, 21. Vulg.: *Sed qui facit voluntatem,* etc. 242) Cf. Rom 8, 16-17.
243) Mt 27, 3-4. 244) Ibid. vr. 5. 245) Act 1, 18. Vulg.: *Et suspensus,* etc.
246) 2 Cor 5, 15. 247) Rom 2, 4-5. *Ignorans* legitur in veteribus editionibus Vulg., cf. *Biblia Lovaniensis.* In posterioribus autem, iussu Clementis VIII recognitis, emendatum fuit: *Ignoras quoniam... te adducit.*

cum impoenitente latrone in die iudicii ad sinistram Christi cum satana et angelis eius statuentur et maledicentur: *Ite, maledicti, in ignem aeternum*;[248] *Maledicti qui declinant a mandatis tuis.*[249]

Felices iusti vel poenitentes qui percipiunt fructus passionis Christi.

Sed felices iusti, felices poenitentes, ipsi enim benedictionem consequentur: *Venite, benedicti Patris mei,*[250] ipsi percipient fructus passionis Christi. Non enim sibi Christus meruit aut aliquid acquisivit, sed nobis; omnes divitias suas, quas Paulus *impervestigabiles* dixit,[251] omnia bona pro nobis reliquit; propterea nudus mortuus est, propterea dictus est arbor bona: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* etc.[252] Arbor autem non sibi fructificat, non fruitur ipsa suis fructibus, nullam percipit ex suis fructibus utilitatem, sed tantum possessor. Christus quidem arbor est a Deo plantatus, sed nobis datus: *Sic . . . Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Nihil sibi Christus meruit, non gratiam, non gloriam, quia semper sanctus, semper beatus fuit; nobis omnia meruit.

248) Mt 25, 41. Vulg.: *Discedite a me, maledicti,* etc. 249) Ps 118, 21.
250) Mt 25, 34. 251) Cf. Eph 3, 8. 252) Ps 1, 3.



FACSIMILE SCRIPTURAE S. LAURENTII TERTIA PARTE DIMINUTAE

IN DIE SANCTO PASCHAE

Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent, etc. [1]

Ad annunciandum resurrectionis mysterium nonnisi angelica lingua requirebatur,

I. Nunciavit sanctis hisce mulieribus Angelus Christi resurrectionem, sicut Angelus nuntiavit pastoribus Christi nativitatem. [2] Et quidem ad manifestandum tale tantumque mysterium nonnisi angelica lingua requirebatur: *Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum : surrexit, non est hic ;* [3] sic etiam apud Matthaeum: *Scio... quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis: non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite et videte locum ubi positus erat Dominus.* [4] Audiamus angelicam hanc concionem: *Angelus... Domini descendit de coelo... erat autem aspectus eius sicut fulgur, vestimentum autem eius sicut nix.* [5] Sed quid est *Angelus Domini?* Num unum tantum habet Angelum Deus? An non *millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei?* [6] Annon propter multitudinem Angelorum Deus dictus est *Dominus exercituum?* Sed sicut legimus de Abraham quod misit servum suum ad quaerendam uxorem filio suo: [7] multos habebat servos, sed servum suum misisse dicitur, quoniam principalem misit, procuratorem domus suae; sic dicitur *Angelus Domini,* principalis inter Angelos, primus Angelorum. Hinc talis quodammodo apparuit qualis Christus, princeps Sanctorum omnium, in transfiguratione: *Erat... aspectus eius sicut fulgur, vestimentum autem eius sicut nix.*

et quidem principalis inter Angelos.

Angelus annuncians resurrectionem Christi

Annuncians autem Angelus Christi resurrectionem commemorat passionem: *Iesum quaeritis... crucifixum: surrexit, non est hic,* quia resurrectio passioni respondet sicut dies nocti, sicut ver hiemi, sicut

1) Pericope huius diei Mc 16, 1-7. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Lc 2, 9-14.
3) Mc 16, 6. 4) 28, 5-6. 5) Ibid. vr. 2-3. Vulg.: *Et vestimentum eius,* etc.
6) Dn 7, 10. 7) Cf. Gn 24, 1-4.

passionem eius commemorat, quia huic illa respondet,

tranquillitas tempestati, sicut merces labori, sicut praemium merito, sicut Moyses ad ostendendam divinam potentiam prius tenebras posuit, postea lucem: *Tenebrae erant super faciem abyssi . . ., et dixit Deus : Fiat lux. Et facta est lux.* [8] Respondet resurrectio passioni sicut ortus solis occasui. In Christi passione et morte *tenebrae factae sunt super universam terram,* [9] quoniam obscuratus fuit sol, in signum quod verus Sol occidebat; in Christi autem resurrectione nova lux oriri visa est. [10] Convertit Deus tenebras in lucem, sicut sol obscuram noctem in clarum diem. Dicere voluit Angelus: Vos *quaeritis . . . crucifixum: surrexit, non est hic;* quaeritis adhuc Noe in arca: non est hic; quaeritis adhuc cum filiis prophetarum Eliam in terra: non est hic; currus Eliae gloria Christi cum surrexit; quod sicut Isaac a monte Moria, amaritudinis Domini, [11] ubi iussus fuerat sacrificari, reversus fuit non tantum vivens sed etiam dives, multis benedictionibus Dei locupletatus; [12] sicut Abraham pauper in Aegyptum descendit et dives valde inde ascendit; [13] sicut Iacob cum baculo suo transivit Iordanem patiens persecutionem fratris Esau, [14] sed dives valde reversus fuit in Palaestinam; [15] sicut Ioseph eductus de carcere factus fuit princeps Aegypti; [16] sicut Moyses cum virga tantum in Aegyptum abiit, [17] sed princeps gloriosissimus [18] inde cum omnibus electis Dei exivit; [19] sicut Samson captus a Philisthaeis, illis superatis, victor et liber evasit; [20] sicut arca Domini ab Allophylis capta, cum Dagonem prostrasset in terram, infinita cum gloria sua reversa fuit in terram Israel; [21] sicut David cum vicisset Goliam, cum triumpho exceptus fuit in Ierusalem; [22] sicut Ionas a magno pisce devoratus in mari, vivus redditus fuit terrae; [23] sicut Daniel incolumis exivit de lacu leonum; [24] sicut Mardochaeus post mortis sententiam [25] ad summum honoris et gloriae gradum exaltatus ab Assuero fuit; [26] sicut templum dirutum a Chaldaeis, [27] iterum fuit reaedificatum. [28]

ut significaret per passionem Christum pervenisse ad gloriam.

8) Ibid. 1, 2-3. Vulg.: *Dixitque Deus,* etc. 9) Mt 27, 45. 10) Cf. Est 8, 16.
11) Sic enim latine enim *Moria* interpretatur. Cf. supra, Feria Sexta Post Cineres, pag. 54, not. 45. 12) Cf. Gn 22, 1-18. 13) Cf. ibid. 12, 10-13, 1-2. 14) Cf. ibid. 28, 1-4.
15) Cf. ibid. 31, 1-8. 16) Cf. ibid. 41, 14-45. 17) Cf. Ex 4, 17-20. 18) Ms.: *Glorio sissimum.* 19) Cf. Ex 12, 17 sqq. 20) Cf. Idc 15, 1-3. 21) Cf. 1 Rg 4, 10-11 5, 1-5; 6, 1-7, 1-2. 22) Cf. ibid. 18, 6-7. 23) Cf. Ion 2, 1 sqq. 24) Cf. Dn 6, 16-23; 14, 29-40. 25) Cf. Est 3, 8 sqq. 26) Cf. ibid. 6, 7-11. 27) Cf. 4 Rg 25, 8-16; 2 Par 36, 17-19. 28) Cf. 1 Esr 5, 1 sqq.

Typus Christi Isaac a monte reversus cum benedictionibus.

II. Sed contemplemur Isaac a monte Moria revertentem, vivum et benedictionibus Dei locupletatum: *Benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli . . . Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* [92] Benedictio in Sacris Litteris bonorum omnium abundantiam significat; tunc Deus benedicere dicitur cum beneficiis cumulat, sicut cum homo benedicit Deo, ipsum laudibus cumulat, et cum benedicit homini, bonorum abundantiam illi precatur. Benedictio Hebraeis dicitur בְּרָכָה, [30] quo nomine etiam piscina, in quam aquae defluunt, appellatur, [31] ad insinuandum quod benedictio Dei defluxus quidam est coelestium gratiarum. Tria autem promittit: *Multiplicabo semen . . . Possidebit semen tuum portas inimicorum ;* victoriam promittit contra inimicos, maxime vero Chananaeos, quorum terram ei iam promiserat; tertio, bonorum omnium coelestium abundantiam: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.*

Christus enim post passionem suam maxime glorificatus fuit.

Haec autem vere Christo promittuntur, cuius Isaac extitit typus et figura; hinc Paulus una cum Angelo simul complexus passionis et resurrectionis mysteria, ait: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens . . . Humiliavit semetipsum . . . usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium,* etc. [32] Sic et Isaias: *Factus est principatus super humerum eius,* [33] subiectus erit potestati, sicut fuit in passione subiectus potestati Pilati et principum Iudaeorum; sic tanquam subiectus potestati crucifixus fuit; sed *vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.* [34] Sic ait: *Surrexit, non est hic.*

Resurrectio Christi excedit omnia miracula et opera Dei.

III. O mirabilem Christi exaltationem! O divinum resurrectionis Christi miraculum! Magnum fuit miraculum resuscitatio Lazari, [35] sed infinitis gradibus maius resurrectio Christi, nam non surrexit

29) Gn 22, 17-18. 30) Ms.: *Berachah.* 31) Siquidem hebraice בְּרֵכָה piscinam significat. Cf. S. Pagnini *Thesaurus Linguae Sanctae*, sub radice: בָּרַךְ. 32) Phil 2, 7-10. Vulg.: *Semetipsum exinanivit*, etc. 33) 9, 6. 34) Ibid. 35) Cf. Io 11, 38-44.

sicut Lazarus ad vitam passibilem et mortalem, sed ad impassibilem, immortalem, aeternam: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors ei ultra non dominabitur ;* [36] *Fui mortuus et ecce sum vivens in saecula saeculorum.* [37] Magnum miraculum quod Deus ab initio saeculorum lucem eduxit de tenebris; sed hoc toto coelo maius, nam de tenebris mortis et ignominiae infinitam lucem vitae et gloriae sempiternae fecit splendescere. Crucifixum, quia surrexit, *Dominum suum* appellat Angelus, imo Angelorum princeps, dum ait: *Venite et videte locum ubi positus erat Dominus.*

Gloria Christi superat gloriam omnium Angelorum.

Erat autem aspectus eius sicut fulgur. In *Apocalypsi* legimus quod Ioannes vidit Angelum, cuius facies splendebat sicut sol, [38] et Christus de omnibus electis dicit: *Fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* [39] Anima igitur beata divina luce illustrata, corpus suum glorificans, illud solari claritate et luce donat. Quod si omnis beatus ut sol lucebit, etiam omnis Angelus; quanto magis Angelorum princeps? Quid ergo est quod facies eius non fulget sicut sol, sed *erat ... aspectus eius sicut fulgur?* Quia talis et tanta est gloria Christi, ut omnis gloria Sanctorum et Angelorum illius comparatione splendor sit fulguris aut minutarum stellarum respectu solis. Hinc ait quod coelestis Ierusalem, tota ex auro et gemmis aedificata, [40] non eget lumine solis aut lunae, quoniam *lucerna eius est Agnus.* [41] O lucem, o claritatem, o gloriam ineffabilem et incomprehensibilem, o divinam Christi exaltationem !

Hominum gloria in morte deficit, gloria Christi a morte incepit.

Omnium hominum, etiam principum, regum, imperatorum gloria in morte deficit, finem habet; Christi autem gloria in morte incepit. Ante mortem ait: *Ego... sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis ;* [42] post mortem vero adoratus est ut vivus et verus Deus. Sic ait: *Crucifixum quaeritis : surrexit, non est hic.* Post mortem vita, post poenas felicitas, post ignominiam gloria sempiterna.

A veritate huius mysterii

IV. Et quidem, ut diximus, ad praedicandum tale tantumque mysterium nonnisi angelica, imo cherubica et seraphica requirebatur lingua, nam ex veritate et fide huius mysterii pendet veritas omnium

36) Rom 6, 9. Vulg.: *Illi ultra*, etc. 37) Apc 1, 18. 38) Cf. 10, 1.
39) Mt 13, 43. 40) Cf. ibid. 21, 18-21. 41) Ibid. vr. 23. 42) Ps 21, 7

aliorum mysteriorum fidei, nam, ut Paulus ait: *Si... Christus non surrexit, inanis est... fides vestra, inanis est praedicatio nostra.* [43] Angelus igitur et princeps Angelorum praedicat quod Christus *resurrexit.* Non inquit: Suscitatus est, sed: *Resurrexit* ex seipso, veluti a somno expergefactus. Quod si potuit seipsum suscitare et revocare ad vitam, corpus suum vivificare, membra sua vita immortali et sempiterna gloria donare, ergo verus Deus est, nam mortuum suscitare et immortali aeternaque vita donare solius divinae est potestatis. Si igitur vere surrexit, vere Deus est, non tantum homo; Deus igitur homo passus et mortuus est; Deus incarnatus et humanatus est: *Vere,* ut ait, *Filius Dei erat.* [44] Si surrexit, ergo in coelum etiam ascendit, nam thronus Dei coelum est; [45] vere mundum iudicaturus est, nam si Deus est, rex mundi est; si rex, et iudex.

pendet veritas omnium mysteriorum fidei.

Ad testificandam autem talem tantamque veritatem optimo teste opus erat, in quem nulla caderet falsitatis vel mendacii suspicio. In teste autem duo requiruntur: integritas et veritas; integritas animi, puritas virginalis, ne ex animi pravitate falsum testificetur, ne mentiatur ut decipiat; quoniam vero etiam per ignorantiam errare potest, errore deceptus falsum deponere et testificari, veritas requiritur, certa rei cognitio quam testificatur.

Ad testificandam autem talem veritatem optimo teste opus est;

Hanc ob causam Angelus, imo Angelorum princeps testificatur divinam hanc resurrectionis Christi veritatem: Et *erat,* inquit, *aspectus eius sicut fulgur,* totus lucidus, splendidus, fulgidus: ecce cognitionis lux. *Scio... quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis: non est hic. Scio,* inquit: en certa cognitio. Sed non tantum *erat... aspectus eius sicut fulgur,* verum etiam *vestimentum eius sicut nix,* ad designandum animi candorem divinamque mentis probitatem sanctitatemque purissimam et candidissimam: *Iesum, qui crucifixus est, quaeritis: non est hic, surrexit.* Ad haec allusisse visus est Ioannes, dum in *Apocalypsi* ait se vidisse in throno Dei in medio seniorum et quattuor animalium agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, [46] adoratum ab omnibus Angelis paradisi.

hanc ob causam Angelorum princeps descendit.

43) 1 Cor 15, 14. Ordine inverso affert hunc vr. 44) Mt 27, 54. 45) Cf. ibid. 5, 34; 23, 22. 46) Cf. 5, 6.

Eum, qui fuerat occisus et mortuus, stantem vidit in throno Dei, super omnes angelicas hierarchias exaltatum.

Per has mulieres tres Ecclesiae status designantur: incipientium, proficientium, perfectorum.

V. *Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum*, etc. Sicut Adam a somno expergefactus invenit uxorem sponsamque dilectissimam a Deo sibi paratam et ex ipsius latere divinitus formatam,[47] ita et Christus; nam sicut per Evam, ita etiam per has mulieres Ecclesia designatur. Nam sicut Deus unus et trinus est: Pater, Filius et Spiritus Sanctus; sicut paradisus unus et trinus ob tres hierarchias; sicut mundus unus et trinus ob mundum elementalem, coelestem et angelicum; anima nostra una et trina ob tres potentias; templum Dei unum et trinum ob tres partes principales;[48] ita Ecclesia una et trina ob tres status: incipientium, proficientium et perfectorum; poenitentium, activorum, et contemplativorum. Erant hae mulieres sanctae, piae, devotae; sic Ecclesia sancta est.

Animae sanctae virtutibus placere et obsequi Christo student.

Emerunt aromata ut Christum ungerent. Sanctae animae virtutum odoramentis Christo placere et obsequi student, relinquunt civitatem ut ad Christum pergant ungendum devotionis unguentis; hoc munus est sanctarum animarum. Non terrentur difficultate: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?... Erat quippe magnus valde;*[49] hinc invenerunt revolutum lapidem ab Angelo. Spiritus Sanctus removet omnem virtutis difficultatem, et crucifixum resurrexisse nunciat, ut sicut Christus resurrexit, *ita et nos in novitate vitae ambulemus.*[50] Surrexit Christus ad vitam immortalem, ita et nos *in sanctitate et iustitia* serviamus Domino *omnibus diebus nostris.*[51]

Resurrectio Christi figura est spiritualis resurrectionis nostrae.

Ad novam vitam surrexit Christus, stola candida coelestis vitae indutus divinaque luce perfusus, sicut in transfiguratione apparuit[52] et sicut Angelus eum hodie repraesentat. Surrexit cum quattuor dotibus corporis; nam sicut sol est lucidus in substantia, impassibilis in natura, subtilis in radiis, agilissimus in motu,[53] similiter fulgur has qualitates habet, sic resurrexit Christus corpore glorificato

47) Cf. Gn 2, 21-23. 48) Cf. 3 Rg 6, 1-8. 49) Mc 16, 3-4. 50) Rom 6, 4. 51) Lc 1, 75. 52) Cf. Mt 17, 2; Mc 9, 1-2; Lc 9, 28-29. 53) Ms.: *Lucidum... impassibile... subtile... agilissimum.*

et sic oportet ut spiritualiter sit nostra vita lucida, exemplaris: *Luceat lux vestra coram hominibus ;* [54] clara sit per simplicitatem et puritatem cordis, per verum animi candorem; impassibilis per divinam animi fortitudinem, per patientiam adamantinam; subtilis, tota spiritualis, tota coelestis et divina; tandem agilis per fervorem spiritus, nam: « nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia ». [55] Sit vita nostra tota *sicut fulgur* et *sicut nix ;* fulgur ignis coruscatio est: splendeat in nobis ignis divinae caritatis et candor nivalis divinae innocentiae et puritatis.

54) Mt 5, 16. 55) S. Ambrosius *Exposit. Evang. secundum Lucam*, lib. 2, (P. L. 15, 1560)

FERIA SECUNDA PASCHAE

Tu solus peregrinus es in Ierusalem et non cognovisti ... quae facta sunt in ea his diebus? [1]

Saepe Deus habitum peregrini assumpsit;

I. Sacram peregrinationem, felices peregrinos ostendit nobis hodiernum Evangelium; nam cum resurrexisset Dominus tanquam peregrinus iturus ex hoc mundo ad Patrem, ascensurus in coelum, hodie duobus discipulis peregrinantibus in peregrini forma apparuit et una cum eis peregrinari voluit, sicut olim Deus in peregrini forma duobus Angelis comitatus apparuit Abrahamo in domo illius, panem manducavit eique mysteria divina revelavit; [2] et in columna nubis et ignis quadraginta annis Deus una cum populo suo voluit peregrinari. [3] Saepe etiam Deus habitum peregrinum assumpsit apparens in variis formis olim Sanctis Patriarchis et Prophetis; [4] Angelos etiam legimus peregrinos [5] et homines Dei electos. [6]

Christus autem peregrinus est supra modum admirabilis.

Christus autem peregrinus est supra modum mirabilis, ut ostendunt peregrinationes ipsius, quarum prima extitit de coelo in terram: *Exivi a Patre et veni in mundum;* [7] *A summo coelo egressio eius.* [8] In mundo autem variis peregrinatus est modis: nunc peditando, [9] nunc navigando, [10] nunc equitando [11] et tandem volando instar aquilae de terra in coelum. [12] Semper autem mirabilis, nam peditando sanabat

1) Pericope huius diei Lc 24, 13-35. Cf. Missale Rom. 2) Cf. Gn 18, 1 sqq. 3) Cf. Ex 13, 21 sq. 4) Cf. Gn 32, 24-30; Ex 33, 11; 3 Rg 22, 19; Is 6, 1-6; Ez 10, 8 sqq.; Dn 7, 13 sqq. 5) Cf. Tob 5, 1 sqq. 6) Cf. Gn 28, 1-5; 19, 1; Ex 2, 15-22. 7) Io 16, 28. 8) Ps 18, 7. 9) Cf. Mt 9, 35; 11, 1; 12, 1; Mc 6, 6. 10) Cf. Mt 8, 23 sqq.; Mc 4, 1; 5, 2; 8, 10. 13; Lc 5, 2-3; 8, 22-23. 37; Io 6, 17-21. 11) Cf. Mt 21, 6-7; Mc 11, 7; Lc 19, 32-36; Io 12, 14-15. 12) Cf. Mc 16, 19; Lc 24, 51; Act 1, 9-10.

infirmos,[13] illuminabat caecos,[14] suscitabat mortuos;[15] navigando imperabat ventis et mari: *Qualis est hic, quia ventis et mari imperat et obediunt ei?*[16] Equitando in die Palmarum: *Commota est universa civitas dicens: Quis est hic?*[17] Volando in coelum: *Quis est iste qui venit de Edom?*[18] *Quis est iste rex gloriae?*[19]

Hodie dicitur *solus peregrinus*, quia in mundo solus homo Deus.

II. Hodiernum Evangelium ostendit quam mirabilis sit divinus hic peregrinus: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem? Solus peregrinus* in mundo, quia homo et verus Deus, auctor naturae; *solus peregrinus* in Ecclesia, quia solus *Sanctus Sanctorum*,[20] *Sol iustitiae*,[21] fons gratiae; *solus peregrinus* in paradiso, quia solus ipse thesaurus et sol est gloriae; *Solus peregrinus* in mundo deitatis ter maximo, quia solus ipse Deus et homo, creator et creatura; *solus peregrinus*, quia *fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo;*[22] propheta mirabilis doctrina et miraculorum operatione sicut Moyses,[23] sicut Elias, sicut Eliseus;[24] sed *plus quam* Moyses *hic, plus quam* Elias *hic, plus quam* Eliseus *hic.*[25] Peregrinus mirabilis sicut Ioseph in Aegypto qui, cum non agnosceretur a fratribus, in convivio manifestavit eis seipsum;[26] sic Christus hodie: *Cognoverunt eum in fractione panis.*[27] Obstupuerunt fratres Ioseph videntes eum principem Aegypti quem mortuum existimabant; sic hodie discipuli dum Christum agnoverunt *in fractione panis* et dum mirabili quadam virtute et miraculo evanuit ex oculis eorum.[28]

Non tantum peregrinus mirabilis ostenditur hodie Christus, sed etiam mirabilis propheta.

III. Sed, ut verum fatear, ostendit sacrosanctum hodiernum Evangelium Christum non tam mirabilem peregrinum quam mirabilem prophetam divinumque praedicatorem. Cum enim habuerimus heri concionem angelicam de Christi resurrectione, hodie eandem praedicat *magni consilii Angelus*,[29] de quo etiam angelicus propheta Malachias ait: *Veniet ad templum suum Dominator,*

13) Cf. Mt 8, 17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12, 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10. 14) Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7. 15) Cf. Mt 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11, 1-44. 16) Mt 8, 27; Lc 8, 25. 17) Mt 21, 10. 18) Is 63, 1. 19) Ps 23, 8. 10. 20) Dn 9, 24. 21) Mal 4, 2. 22) Lc 24, 19. 23) Cf. Eccli 45, 1-6. 24) Cf. ibid. 48, 1-15. 25) Mt 12, 41-42; Lc 11, 31-32. 26) Cf. Gn 45, 1-5. 27) Lc 24, 35. 28) Ibid. vr. 31. 29) Is 9, 6. Ex Translat. Septuaginta.

quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis; [30] magnus praedicator: *Qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo;* magna concio: *Incipiens,* nanque ait, *a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant,* [31] magna cum energia, emphasi et efficacia: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas?* [32] magno cum fructu, nam: *Eadem hora regressi sunt in Ierusalem* [33] ad Apostolos. Magnus concionator Salomon dictus fuit קֹהֶלֶת, [34] idest c o n c i o n a t o r, sed *ecce plus quam Salomon hic;* [35] propheta et plus quam propheta: [36] *Fuit vir propheta;* imo propheta Prophetarum: *Requiescet super eum Spiritus Domini,* non duplex spiritus Eliae, [37] sed septuplex I s a i a e: *Spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini.* [38] Propheta sapientissimus, divina utique et supernaturali sapientia, Agnus qui aperuit librum quem nemo aperire potuit in coelo vel in terra vel sub terra, [39] nec Angelus, nec homo, nec daemon; neque enim sapientia et intellectus in aliis creaturis reperiri potest. Liber videbatur Christus clausus, signatus sigillis septem indissolubilibus. Impossibile videbatur Christum Deum esse, sic enim aiebant Iudaei: *Quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* [40] Deus cum suapte natura spiritus sit purissimus, simplicissimus, invisibilis, Christus homo corporalis et visibilis videbatur; Deus cum natura sit infinitus, Christus homo videbatur finitus; Deus natura aeternus, Christus homo videbatur natus ex tempore; Deus suapte natura primum ens independens, principium rerum omnium, prima causa, creator omnium, Christus filius Virginis habebatur. [41]

30) 3, 1. 31) Lc 24, 27. 32) Ibid. vr. 32. 33) Ibid. vr. 33.
34) Ms.: *Coheleth.* 35) Mt 12, 42; Lc 11, 31. 36) Cf. Mt 11, 9.
37) Cf. 4 Rg 2, 9. 38) 11, 2-3. 39) Cf. Apc 5, 1-5. 40) Io 10, 33.
41) Cf. Mt 13, 35; Io 6, 42.

INDEX

SYNTHETICO - ANALYTICUS

INDEX SYNTHETICO - ANALYTICUS
QUADRAGESIMALIS TERTII

FERIA QUARTA CINERUM

I. Requirit Dominus ieiunium sanctum cum laetitia. — II. Christus odit hypocrisin et veram virtutem quaerit. — III. Ieiunium sanctum est si cum perfecta iustitia coniungatur, — IV. et vera caritate; tunc est honorabile, utile et iucundum. — V. Coniunctum esse oportet etiam cum quattuor virtutibus cardinalibus . . . . Pag. 1-7

II. Alia homilia

I. Praedicatur hodie sanctum ieiunium, — II. corporale et spirituale. — III. Caro mortificanda est et vitia comprimenda ut ieiunium sit vere sanctum. — IV. Deo gratum est ieiunium si coniungatur cum virtutibus. — V. Ieiunandum est cum laetitia, cum afflictione spiritus et cum spe aeterni praemii. — VI. Corporis maceratione Deum laudare debemus. — VII. Vera nobilitas est vitam instituere secundum virtutem. — VIII. Christus abstinentiam commendans medicum agit, agricolam et aedificatorem. — IX. S. Ecclesia mortis memoriam hodie inculcat, ut nos ad poenitentiam et ad humilitatem excitet. — X. Ieiunandum est a vitiis, in expiationem peccatorum et ad divinas gratias promerendas . . . . Pag. 7-22

III. Alia homilia

I. Duplex ieiunium praecipit hodie Christus: spirituale et corporale. — II. Docet etiam qualem oporteat esse praedicatorem et quid praedicare. — III. Dat insuper regulam ieiunandi. — IV. Ieiunium sanctum est si cum oratione et eleemosyna coniungatur et cum intentione sancta Deo placendi fiat. — V. In sanctis operationibus et affectibus consistit vita spiritualis . . . . Pag. 22-28

FERIA QUINTA POST CINERES

I. Nobilitas centurionis admiranda nobis in hodierno Evangelio proponitur. — II. Centurio vere nobilis ostenditur nobilitate naturae et virtutis. — III. Nobilitas hominis ostenditur ab origine, quoad corpus et quoad animam. — IV. Homo est totius Trinitatis opus mirabile. — V. Vitium hominem in brutum convertit, virtus vero hominem deificat, quam solam Christus in centurione miratur. — VI. Iusti fratres Christi sunt, quia ipse est primogenitus omnis creaturae etiam in praedestinatione. — VII. Homo est princeps mundi, finis creationis, redemptionis, gratiae et gloriae. Pag .29-39

II. Alia homilia

I. Centurio vere nobilis ostenditur nobilitate naturae, sed magis nobilitate virtutis. — II. Multis virtutibus fulgens ostenditur, sed maxime pietate, modestia et benignitate. — III. Vera nobilitas e sola virtute oritur, quae cum vitiis convenire nequit. — IV. Non est verus homo nisi qui oratione et virtute vitam moderatur. Fides est certissima vivendi norma . . . . . . Pag. 39-44

III. Alia homilia

I. Depingitur in S. Scriptura nobilitas hominis quoad corpus et animam, sed in hodierno Evangelio quoad gratiam et virtutes. — II. Fides, quam maxime Christus in centurione commendat, est fundamentum vitae christianae, — III. radix et mater omnium virtutum. — IV. Centurio perfecta imago ostenditur hominis iusti, cuius multae figurae exhibentur in S. Scriptura. — V. Servus eius paralyticus figura peccatoris, sanatus hominis iustificati . . . Pag. 44-50

FERIA SEXTA POST CINERES

I. In S. Scriptura Deus ignis appellatur quia caritas est; — II. sic et lex evangelica ignea dicitur, quia tota caritas est et caritatem praecipit. — III. Lex evangelica monti comparatur, quia ardua valde proponit. — IV. Dilectio inimicorum signum est electorum Dei. — V. Observantia huius praecepti maximam affert utilitatem et iucunditatem. — VI. Praemium caritatis non est sola paradisi gloria, sed etiam in hoc saeculo paternus Dei amor, providentia et protectio. — VII. Odientibus proximum acerba nimis S. Litterae comminantur . . . . Pag. 51-61

II. Alia Homilia

I. Perfecta caritas est quae inimicum diligit quamvis difficile videatur hoc praeceptum. — II. Talis caritas est unica via ad aeternam beatitudinem. — III-IV. Exponuntur rationes quibus praeceptum hoc servare debemus. — V. Lex evangelica tota caritas est, quae probatur dilectione inimicorum. — VI. Tolerantia malorum vera caritas comprobatur. Christus docuit quinam sint inimici odio habendi. — VII. Qui inimico non dimittit, iussa Christi detrectat, morem satanae gerit, damnationem sibi acquirit. — VIII. Difficiles sumus ad inimicos diligendos, quia nec Deum nec nos ipsos vere diligimus . . . . Pag. 61-72

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE

I. Christus exemplar proponitur vitae christianae. — II. Per Baptismum homo constituitur filius et heres Dei, templum Spiritus S. — III. Spiritus S. magister et paedagogus est, qui dulciter christianum allicit ad virtutem. — IV. Christus ostendit hodie animum vere nobilem. — V. Dignitas christiani hominis ostenditur etiam ex fine, qui est gloria aeterna. — VI. Christum in deserto sequi debemus. In tentatione probantur electi . . . . Pag. 73-79

II. Alia homilia

I. Diabolus invidia motus tentat fideles quosque multis modis et sub variis formis. — II. Tentavit primo Christum de diffidentia erga Deum, sic tentat etiam fideles. — III. Deinde tentavit de praesumptione et tandem de idololatria; sed Christus docuit quomodo de satana triumphare possumus. — IV. Finis tentationis diaboli est ne consequamur coronam aeternam quam ipse amisit. — V. Magis tentat quos novit non amore sed formidine divina praecepta servare. — VI. Satanas suadere potest tentando, sed non cogere. — VII. Deus tentationem permittit ad probandam et coronandam virtutem electorum . . . . Pag. 79-88

III. Alia homilia

I. Quilibet fidelis imitari debet Christum vita et virtutibus. — II. Docet Christus vitam nostram in mundo tempus belli esse contra mundum, carnem et diabolum. — III. Tria sunt tentationum genera: divina, diabolica et humana. — IV. Gratia Spiritus S. vita spiritualis suavis redditur et facile in hoc mundo dirigitur. — V. Spectaculum admirandum exhibet hodie Christus cum satana pugnans eumque superans. — VI. Diabolo resistendum est scuto fidei et timoris Dei . . Pag. 89-97

FERIA SECUNDA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Agitur hodie de iudicio extremo quo nil terribilius. — II. Deus est absolutus mundi iudex, sed omne iudicium dedit Christo rectissimo, clementissimo et hominum amantissimo. — III. In extremo iudicio manifesta erit uniuscuiusque virtus, Dei maiestas, sanctitas et infinita sapientia. — IV. Divinum iudicium erit opus non tantum iustitiae, sed etiam misericordiae, — V. sicut in multis locis S. Scripturae demonstratur. — VI. Finis mundi similis erit eius initio. — VII. Dies iudicii comparatur igni ardentissimo, cui vasa aurea et argentea tantum resistent, idest homines iusti. — VIII. Regius Vates saepe canit quae in divino iudicio ventura sunt, ostendens iustos tantum salvos evasuros. — IX. Si salvari volumus per viam sanctitatis nobis incedendum est et bonis operibus incumbendum. — X. In iudicio apparebit Christi benignitas, caritas, patientia, iustitia et sapientia. — XI. In die iudicii primo omnes congregabuntur et postea dividentur et ad dexteram vel ad sinistram collocabuntur. — XII. Divinum iudicium nobis causa esse debet infiniti timoris. Sancte vivamus, si salvari volumus . . . . Pag. 98-115

FERIA TERTIA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur hodie Christus mirabilis, terribilis et amabilis. — II. Mirabilis operibus iustitiae, — III. et operibus misericordiae. — IV. Quamvis propensior sit ad salvandum, electi paucissimi erunt comparatione reproborum. — V. Hoc pluries significatur in S. Scriptura. — VI. Reprobati fuerunt Iudaei ob contemptum religionis, ob avaritiam et defectum bonorum operum. — VII. Christus nonnisi fideles iudicabit, et iustus iudex iuste iudicabit . . . . . . Pag. 116-124

II. Alia homilia

I. Non ad aliud videtur Christus in mundum venisse nisi ad praedicandum iudicium. — II. Hoc confirmatur etiam facto hodierno. — III. Divinus iudex ipsis Sanctis terribilis apparebit. — IV. Infinita eius iustitia describitur ab Amos propheta. Maior pars fidelium in die iudicii peribit. Pag. 125-129

III. Alia homilia

I. Magno desiderio commovetur hodie Ierusalem cognoscendi Christum. — II. Nunc Deus cognosci potest per naturam et per Scripturam, ab operibus et a nominibus; sic et Christus. — III. Ostenditur hodie Christus rex supremus, iudex universalis, sapientissimus et clementissimus. — IV. Ex ignoratione Dei et Christi omnia oriuntur mala, ex cognitione autem omnia bona. — V. Ex cognitione misericordiae et iustitiae Dei oritur vera sanctitas. Magnam de Deo cognitionem nobis exhibet natura, sed maiorem Divina Scriptura et sacra theologia . . . . . Pag. 129-136

FERIA QUARTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE.

I. Deus mittens Christum in mundum dedit illi plenitudinem divinitatis, sapientiae et potestatis. — II. Iudaei naturali ingenio increduli Christo multa signa operanti, aliud signum tentantes petunt. — III. Christus hodie semel et iterum de futuro iudicio vaticinatur. — IV. Saepissime Divina Scriptura de finali iudicio loquitur. — V. Multae assignantur causae damnationis reproborum. —

VI. Christus caput est omnium fidelium, — VII. Angelorum etiam et omnium creaturarum, ideo celebrabitur universale iudicium ut iudex ab omnibus cognoscatur. — VIII. Multi contemnunt Christum et legem eius, sicut Pharisaei contemnebant eius vitam, miracula et sapientiam. — IX. Praedicatores suos habent Christus et satanas . . . . Pag. 137-147

II. Alia homilia

I. Christus arguens Pharisaeos signa vana ab eo petentes, semel et iterum de futuro iudicio vaticinatur. — II. Ad curandum mundum Christus poenitentiam praedicavit; ita cum peccatoribus praedicator agere debet. — III. Peccatum a Christo adulterium vocatur, ideo Pharisaei *generatio mala et adultera* . . . . Pag. 147-151

III. Alia homilia

I. Ad probandam veritatem fidei christianae multa signa habemus: — II. Prophetias, — III. miracula, et maximum omnium resurrectionem Christi et conversionem mundi ad fidem; — IV. sanctitatem doctrinae evangelicae. — V. Explicari nequit sine miraculo quod homo crucifixus ad se mundum traxerit. — VI. Multi articuli fidei reperiuntur in hodierno Evangelio . . . Pag. 151-158

FERIA QUINTA DOMINICAE PRIMAE QUADRAGESIMAE

I. Ostenditur hodie magna fides chananaeae. — II. Fides est vera animi fortitudo, quam laudavit Salomon in *Proverbiis*, — III. et in *Canticis*. His laudibus Christus hodie exornat chananaeam. — IV. Chananaea exemplar est mulieris christianae, venit enim ad Christum quem novit esse fontem misericordiae. — V. Deus magis misericordiam quam iustitiam semper ostendit, — VI. et patet etiam in hodierno Evangelio et in aliis Christi parabolis. — VII. Pro salute etiam unius animae Christus tulisset quae passus est pro salute mundi. — VIII. In chananaea ostenduntur effectus divinae misericordiae in anima peccatrice. — IX. Longanimis valde est divina misericordia, sed non dimittit peccatum in mala voluntate fundatum. — X. Ostenditur hodie etiam utilitas tribulationum et efficacia orationis humilis et perseverantis. — XI. Chananaea imaginem exhibet triplicis status in Ecclesia: incipientium, proficientium et electorum . . . . Pag. 159-173

II. Alia homilia

I. Christus magnus fluvius est gratiae et misericordiae. — II. Etiam tribulationes effectus sunt misericordiae Dei, quia valde utiles animae et magni pretii in coelo.—III. Oratio expellit satanam et multis virtutibus animam exornat. — IV. Ut oratio exaudiatur, requiritur conscientia pura et humilis perseverantia . . . . Pag. 173-178

FERIA SEXTA POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMAE

I. Homo a Deo constitutus totius mundi monarcha, per peccatum in extremam miseriam devenit. Hoc significat languidus hodiernus. — II. Duplex poena peccato statuta est: temporalis et aeterna. — III. S. Scriptura exaltat hominis excellentiam prae omnibus creaturis, quam homo amisit quoadusque Christus venit. — IV. Solus Christus potuit hominem pristinae saluti restituere, — V. solus enim Christus sine peccato venit in mundum. — VI. Ostenditur hodie magna misericordia Christi, de qua etiam Divina Scriptura mirifice loquitur. — VII. Quamvis praevisa fuerit ruina hominis, Deus tamen statuit eum creare et postea reparare, quod fecit Christus virtute et sanctitate sua . . . . Pag. 179-188

II. Alia homilia

I. Deus ut hominem salvet, solum desiderium salutis ab eo requirit. — II. Facillime via paratur nobis ad salutem, idest peccatorum confessio, sed bona voluntas requiritur, efficax et cupiens salutem. — III. Deus accendit in nobis sancta desideria, satanas autem ea extinguere conatur. — IV. Vita christiana in tribus consistit: in mortificatione, in legis observatione et pietate. Pag. 189-193

III. ALIA HOMILIA

I. Christus ad languidum sanandum hodie Ierosolymam ascendit. — II. Per peccatum homo amisit summam felicitatem et innocentiam, sed non naturam. — III. Ob peccatum humana natura propensissima facta est ad malum, ad supernaturalia vero tardissima, nisi adiuvetur a gratia. — IV. Ad salutem consequendam requiritur liberum arbitrium et concursus gratiae Dei. Pag. 193-199

SABBATO POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMAE

I. Datur hodie libamentum gloriae paradisi. — II. Christus venit in mundum ut homines perduceret ad duplicem paradisum. — III. Solus Deus est locus proprius cordis nostri, quia omnia nostra desideria explet. — IV. Ad consequendum paradisum prius montem virtutis ascendere oportet. — V. Proponitur hodie praemium virtutis, idest gloria Dei, — VI. ad quam praedicandam Christus venit in mundum . . . . Pag. 200-204

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE

I. Manifestatur hodie Christus in maxima gloria veluti exemplar futurae gloriae nostrae. — II. Ineffabilis et incomprehensibilis est gloria paradisi, ideo multis nominibus et hieroglyphicis describitur. — III. Gloria paradisi consistit in perfecta possessione et visione Dei, unde omne bonum oritur. — IV. Sicut Christus in transfiguratione, sic nos in resurrectione glorificabimur vitae immortalitate, omnia gloria et felicitate donati, visione divinae naturae deificati. Maius quid coelesti gloria excogitari nequit. — V. Declaratur nobis hodie paradisi gloria per sensus. — VI. Quattuor sunt dotes corporis glorificati. Gloria non destruet naturam, sed omnibus perfectionibus eam donabit. — VII. Maximum est praemium virtutis in coelo et in terra . . . . . . Pag. 205-214

II. ALIA HOMILIA

I. Duplex praemium servis Dei proponitur: in futuro saeculo et in praesenti. — II. Nil suavius virtute et gratia Dei, nam ubi Deus, ibi omne bonum. — III. Servis suis Deus nonnisi beneficia praestare novit. — IV. Triplex est via qua patet iter in coelestem Ierusalem. — V. Gloria paradisi est collectio omnium bonorum desiderabilium . . . . Pag. 215-220

III. ALIA HOMILIA

I. Gloria paradisi est felicitas quam homo naturaliter desiderat. — II. Gloria paradisi ineffabilis est, est enim collectio omnium bonorum ad maximam perfectionem evectorum. — III. Gloria paradisi explet omne desiderium, quod nullum terrenum bonum facere potest. — IV. Vere felix in mundo nemo est, nisi qui Christum sequitur. — V. Ad gloriam paradisi consequendam opus est Christum audire . . . . Pag. 220-226

FERIA SECUNDA POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. Comminatur Christus se discessurum a Iudaeis propter eorum peccata. — II. Peccatum fons est omnium malorum. — III. Peccatum est vera iniquitas, quia est transgressio mandatorum Dei, crimen laesae maiestatis divinae. — IV. Duplex poena statuta est peccato in hoc mundo et in futuro: poena sensus et damni, quia peccatum continet infinitam malitiam. — V. Peccatum Deum discedere facit ab anima, hinc omne malum . . . . Pag. 227-233

II. ALIA HOMILIA

I. Agit hodie Dominus de gravitate peccati, quod maximum malorum est. — II. Nihil magis homo timere debet quam peccatum; adeo abominabile est, ut Deus illud nullatenus ferre possit. — III. Pec-

catum crimen est laesae maiestatis divinae, contemptus et odium Dei et summa ingratitudo. — IV. Peccati gravitas cognoscitur a poenis et a remediis adhibitis ad illud expiandum. — V. Peccatum Deum ab homine discedere facit. — VI. Peccatum est dissimilitudo Dei, imago satanae, magna vilitas animi, ignobilissima servitus. — VII. Peccatum est mors animae et mortem meretur Pag. 233-241

III. Alia homilia

I. Ostendit hodiernum Evangelium quantum Deo peccatum displiceat. — II. Peccatum est aversio a Deo, abusus donorum Dei, causa mortis Christi, odium in Deum. — III. Deus maxime odit peccatum, quia causa est omnium malorum. — IV. Per peccatum homo ex filio Dei servus satanae constituitur . . . . Pag. 241-246

FERIA TERTIA POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. Duplex est potestas in mundo: regia et sacerdotalis. — II. Principes boni audiendi et imitandi sunt, mali vero non imitandi sed audiendi, sicut Christus hodie docet. — III. Christus venit in mundum ut esset doctor et magister visibilis. — IV. In hodierno Evangelio docet qualiter quisque se gerere debeat erga superiores, aequales et inferiores. — V. Magna cum maiestate sacerdotium introducitur in S. Scriptura, est enim dignitas omnium excellentissima. — VI. Deus in Ecclesia duas constituit potestates: regiam et ecclesiasticam, utranque supremam, sed ecclesiastica longe nobilior est . . . . Pag. 247-255

II. Alia homilia

I. Requirit hodie Dominus obedientiam integram et perfectam, quae oritur ex caritate et humilitate. — II. Proponit etiam praemium obedientiae et poenam inobedientiae. — III. Non damnat hodie Dominus sacerdotium, sed vitia malorum sacerdotum. — IV. Dignitas sacerdotalis omnium suprema est, quia supernaturalis et divina. — V. Moyses divina maiestate donatus figurat divinam sacerdotis dignitatem in ecclesiastica hierarchia. — VI. Ostendit Christus dignitatem sacerdotalem venerandam esse etiam in malis sacerdotibus; — VII. sed purgat et sanctificat hodie sacerdotium, quod est radix omnium bonorum in Ecclesia. — VIII. Dignitas sacerdotalis multas requirit virtutes . . . . Pag. 256-263

FERIA QUARTA POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. Beatitudo hominis duplex est pro duplici substantia qua ipse constat. — II. Noluit Christus terrena bona, imo mala mundi elegit. — III. Bona mundi huius vana, mendacia et fallacia sunt; solus Deus est pars electorum. — IV. Hoc non intelligentes Apostoli hodie petunt corporis commoda et mundi honores supremos; — V. sed merito Christus eos arguit, bona enim huius mundi spinae et venena sunt . . . . Pag. 264-270

II. Alia homilia

I. Duplex est bonorum genus pro duplici substantia qua homo constat. — II. Ostendit Christus bona mundana vana esse, quae nunquam satisfacere possunt desideria cordis, — III. et maximo impedimento sunt virtuti. — IV. Exemplo suo Christus ostendit Apostolis quaenam sint vera bona appetenda, — V. dirigens eos in veram felicitatem viamque ostendens, idest humilitatem et patientiam. — VI. Hoc docuit verbis et exemplis. — VII. Repellit Dominus petitionem Apostolorum eos arguens de imprudentia et ignorantia, — VIII. bona enim terrena multorum malorum in causa sunt, et ideo spernenda, — IX. nec vult Deus ut illi serviamus intuitu felicitatis praesentis, sed futurae. — X. In mundo nemo vere beatus est, quia bona mundana spinae sunt et fomenta vitiorum. Pag. 270-282

FERIA QUINTA POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. Indicantur hodie causae salutis et perditionis et duplex vitae status proponitur, temporalis et aeternus, in Lazaro et in epulone. — II. Multi divinam providentiam accusant ob differentem bonorum distributionem, sed finis inspiciendus est iustorum et iniquorum. — III. Bona terrena indigna sunt quae dentur pro corona virtutis, quia inania et vilissima; mala autem terrena sequitur aeterna felicitas. — IV. Ex perditione Doeg ostendit Regius Vates timendam esse divinam iustitiam. — V. Scopus hodierni Evangelii est ostendere viam salutis et perditionis, praemium virtutis et poenam vitii. — VI. Poena vitii consideratur in damnatione epulonis. — VII. In hodierno Evangelio agitur de poenitentia, de gloria coelesti et de poena infernali. Epulo periit quia in deliciis vitam duxit et bonis operibus non incubuit, — VIII. et luxuriose vivens pauperibus eleemosynam negabat. Sic accidet omnibus qui similes ei erunt . . . . Pag. 283-295

II. Alia homilia

I. Ostenditur in hodierno Evangelio mysterium praedestinationis et reprobationis, quid sit infernus et quid paradisus, — II. immortalitas animae, dignitas naturae humanae, sapientissima Dei providentia et causa damnationis, — III. mundus locus bonorum et malorum, paradisi felicitas et inferni infelicitas . . . . Pag. 295-301

FERIA SEXTA POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMAE

I. Proponitur in hodierno Evangelio Deus veluti agricola et Ecclesia eius vinea. — II. Scopus hodierni Evangelii est ostendere infinitam Dei bonitatem erga homines et hominum ingratitudinem erga Deum et severam Dei iram contra ingratos. — III. Tria haec declarantur ab Isaia, Davide et ab ipsomet Christo. — IV. Quisque nostrum vinea Domini est optime instructa. — V. Scopus hodierni Evangelii est etiam ostendere reprobationem synagogae et electionem Ecclesiae, — VI. Dei misericordiam et longanimitatem et tandem divinae irae severitatem, — VII. Deus pater piissimus est, sed simul lapis durissimus . . . . Pag. 302-312

II. Alia homilia

I. Deus hodie agricola dicitur et Ecclesia eius vinea. — II. Quilibet fidelis vinea Domini est. — III. Cavendum nobis est a peccatis et recognoscenda divina beneficia ne in manus Domini incidamus. — IV. Similem parabolam proposuit Isaias ferens sententiam contra vineam. — V. Vinea haec dicitur vinea deliciarum Dei, quia Deus maxime delectatur virtutibus, odit autem peccatum. Pag. 312-317

III. Alia homilia

I. Exhibetur hodie Dei bonitas certans cum humana perversitate; — II. et vere maxima ostenditur humana perversitas . . . . Pag. 317-319

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE

I. Maximam virtutem habuit Christus contra principes tenebrarum. — II. Christus veluti cithara mirabilis fuit pulsata a Spiritu S. — III. David citharam pulsans figura Christi, in quo sunt omnes thesauri pulcritudinis et bonitatis divinae . . . . Pag. 320-324

II. Alia homilia

I. Christus arca viva Dei omnipotentis hodie daemonium expellit. — II. Potens et sapiens satanas est, sed eo sapientior et potentior Christus, — III. qui venit ut satanam de mundo eiceret. — IV. Sapientissimis rationibus Christus Pharisaeos confutat. — V. Triumphus arcae in deserto ob partas victorias figura triumphi Christi, qui liberavit hominem de potestate diaboli . . Pag. 325-330

III. Alia homilia

I. Satanas de coelo a Christo pulsus, etiam de terra ab eo eiectus fuit. — II. Satanas omnium Angelorum fortissimus eiectus a Christo de mundo fuit per fidem et Baptismum. — III. Homo liberatus a satana potest iterum in manus eius cadere et in peiorem servitutem redigi. — IV. Signa traduntur servorum Dei et satanae; cavendum autem est ne in potestatem diaboli incidamus. — V. Requirit a nobis Dominus fidem, bona opera et caritatem, ut omne vitium fugiamus . Pag. 331-337

IV. Alia homilia

I. Satanas omnium spirituum potentissimus est. Multi negant daemones esse. — II. Homo semel liberatus a daemonio per Baptismum, potest iterum gratiam amittere, sed in peiorem servitutem redigitur. Pag. 337-340

FERIA SECUNDA POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Deus Filium suum misit in mundum ut pro salute omnium Ecclesiam institueret. — II. Deus vult omnium salutem, vult tamen ut in Ecclesia et in mundo varii ordinum gradus sint. — III. Deus omnibus necessaria et sufficientia providit ad salutem, — IV. paratus dare etiam efficacia, si abusi non fuerint. Ideo divina operatio in aliquibus effectum sortitur, in aliis vero minime. — V. Licet Deus omnium velit salutem, pauci tamen salvantur . . . . . Pag. 341-349

II. Alia homilia

I. Deus omnes vult salvari, ideo duplex tribunal instituit ad compescenda peccata: iustitiae et misericordiae. — II. Saepe loquuntur S. Litterae de iustitia Dei, sed saepius de eius misericordia, ad cuius tribunal appellandum est per veram poenitentiam. — III. Christus vere est Salvator mundi, quia venit ad omnes salvandos, et omnibus dat media necessaria. — IV. Non tamen omnes salvantur ob abusum naturalium effectuum qui animum facile perturbant et obnubilant. Pag. 349-357

FERIA TERTIA POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Praecipit Christus ut fratrem cum caritate corripiamus, quia et Deus totus caritas est, maxime erga peccatores. — II. Ad salvandos peccatores Christus venit in mundum et pluris fecit animarum salutem quam vitam propriam; ideo nil gratius Deo correptione fraterna qua anima fratris potest salvari. — III. Duplici de causa praecipit Christus ut fiat correptio fraterna — IV. et paucis verbis proponit omnes utilitates huius maximi operis caritatis. — V. Multi carnali affectione detenti non corripiunt quos diligere dicunt, multi etiam magis adulationem quam correptionem quaerunt. Pag. 358-365

II. Alia homilia

I. Multis modis in S. Litteris pretiositas animae ostenditur. — II. Animam immortalem esse docent divina theologia et humana philosophia. Sola Epicuri schola hoc impugnat. — III. Triplici ex capite ostendit Moyses animae immortalitatem. — IV. Animae immortalitas ostenditur etiam ex eius operationibus. — V. Vult Deus ut animus noster fervens sit caritate quae similes ei nos reddit, — VI. et lingua nostra gladius sit in destructionem vitiorum. — VII. Non semper necessaria est fraterna correptio, aliquando tamen requiritur et quidem acris . . . . Pag. 366-374

FERIA QUARTA POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Veri servi Dei similes Angelis sunt, hypocritae similes sunt scribis et Pharisaeis; — II. illi in humilitate et summa cordis puritate Deo serviunt, hi vero tumidi sunt et nonnisi cultum externum respiciunt. — III. Accedenti ad Deum intuendi sunt affectus animi; Pharisaei autem solam externam pietatem profitebantur. — IV. Hos alloquitur Regius Vates vaticinans Dei iram contra illos; severe etiam eos arguit Christus. — V. Duae leges proponuntur hodie: divina, quae scala coeli est et perfectissima et humana, quae est contra legem Dei et saepe gravissima et iniqua. — VI. Lex divina a suprema Dei auctoritate, sapientia et iustitia est, ideo servanda et humanae praeferenda. — VII. Multa praemia promittuntur honorantibus parentes. — VIII. A parentibus tria accepimus, ideo tria illis debemus . . . . Pag. 375-386

II. Alia homilia

I. Duae leges proponuntur hodie: divina et humana. Leges necessariae sunt reipublicae ob defectum caritatis. — II. Regius Vates quattuor affert munera legis divinae. — III. Lex divina excellentissima et perfectissima est, lex vero humana imperfecta. — IV. Lex divina veram requirit sanctitatem vitae, non fictam . . . . Pag. 386-391

FERIA QUINTA POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Mystice transit hodie Christus a synagoga ad Ecclesiam, et medicum agit. — II. Deus saepe medicum egit, sic et Christus tanquam medicus missus fuit infinita sapientia et potentia praeditus. — III. In curandis infirmis Christus maxime ostendit divinitatem suam, ideo appellari voluit *Salvator*. — IV. Mulier sanata humanam naturam figurat peccato infectam, sed a Christo liberatam. — V. Solus Deus potest animae conferre sanctitatem, quae omnes virtutes complectitur. — VI. Curat Christus peccatum originale per Baptismum, peccata actualia per Poenitentiam . Pag. 392-398

II. Alia Homilia

I. Ad curandam humanam naturam peccato infectam Deus tria remedia adhibuit: — II. primum, dedit fidem; — III. secundum, dedit intercessionem Sanctorum, — IV. quam haeretici negant, — V. tertium, misit Christum pro salute mundi medicum divinum . . . . Pag. 399-402.

III. Alia homilia

I. Mystice Christus omnia bona a synagoga transfert in Ecclesiam, medicum et evangelistam hodie agens. — II. In curatione socrus Simonis ostenduntur effectus gratiae Christi contra morbos vitiorum. — III. Elucet in hodierno Evangelio discrimen inter hominem spiritualem et carnalem et efficacia intercessionis Sanctorum . . . . Pag. 403-406

IV. Alia homilia

I. Saepe Deus medicum egit et Christum tanquam medicum misit in mundum, — II. et quidem medicum optimum. — III. Solus Christus curare potuit humanam naturam vitiis laborantem, quia naturae dominus. — IV. Christus medicus et medicina est, quod significatur proprio nomine *Salvatoris*, — V. ipse enim universalis est medicus contra omnes infirmitates . . . . Pag. 406-410

FERIA SEXTA POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAGESIMAE

I. Christus aquam petit a samaritana ad levandam sitim non tantum corporalem, sed principaliter spiritualem. — II. Figurae Christi Isaac et Eliezer. — III. Saepe Christus appellatur *Salvator mundi*, quia venit ut salutem mundo conferret, — IV. et cupidissimus est salutis nostrae. — V. Dicitur

fons aquae vivae, quia accepit omnem plenitudinem gratiae. — VI. Salus a cognitione incipit, nam qui Christum non agnoscit, in eum non credit. — VII. Bona mundi vana sunt et vilia; solus Deus replere potest cor humanum. — VIII. Mulier samaritana figura animae prius perversae et postea sanctificatae . . . . Pag. 411-421

II. Alia homilia

I. Repraesentatur hodie mundi redemptio veluti quaedam sacra comoedia. — II. Christus fons est omnium bonorum naturae, gratiae et gloriae. — III. Mundus et Christus duo fontes sunt, sed maximum discrimen est inter utriusque aquas . . . . Pag. 421-425

III. Alia homilia

I. De gratia Spiritus S. agitur hodie, — II. quae a Christo dicitur *donum Dei*, a Moyse *similitudo divina*. — III. Dignoscitur doni huius magnitudo ab effectibus, — IV. qui ostenduntur in muliere samaritana spiritualiter renovata et omnibus virtutibus ornata. — V. Gratia donum est ineffabile et vera vita animae . . . . Pag. 425-431

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE

I. Tria egit hodie Christus panes multiplicando — II. et pastorem se exhibet diligentem et pium pascendo populum corpore et spiritu. — III. Agitur hodie de divina providentia quam saepe canit Regius Vates, — IV. docens specialem curam Deo esse de iustis. — V. Hanc fidem hodie Dominus a nobis requirit . . . . Pag. 432-438

II. Alia homilia

I. Hodie S. Ecclesia divinam providentiam praedicat, quam stulte et ingrate aliqui negant. — II. Quod naturae impossibile est, possibile est potentiae infinitae Christi. — III. Multa habentur divinae providentiae symbola in Sacris Litteris. — IV. Ostendit Christus Deum patrem esse suorum fidelium, qui solus replere potest omne desiderium. — V. Primo fidendum est divinae providentiae, Deus enim praecipue curam gerit servorum suorum. — VI. Deus mundum totum regit atque gubernat nihil inde recipiens, — VII. sed specialiter super Ecclesiam suam vigilat. — VIII. Fides in bonitate et providentia Dei basis est totius religionis. — IX. Multi divinam providentiam negant, sed hoc summa impietas est et seminarium omnis iniquitatis. — X. Hodiernum miraculum Christus operatus est, quia a nobis requirit puram et integram fidem divinae providentiae. Pag. 438-450

FERIA SECUNDA POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Christus hodie purgat templum ex zelo divini honoris. Mundus, Ecclesia, paradisus, Christus ipse templa sunt Dei. — II. Templum Salomonis Christum praefigurabat. — III. Omnis homo vel templum Dei est, vel satanae habitaculum. — IV. Eicit Christus mercatores de templo quia magnam irreverentiam Deo irrogabant et avaritiae causa illuc convenerant. — V. Duo vel maxime christianos dehonestant: vita animalis et avaritia. — VI. Inordinatus divitiarum amor nobis interdicitur quia Deum iubemur super omnia diligere. — VII. Promisit Deus se omnes exauditurum in templo orantes. — VIII. Deus dicitur habitare in domo orationis quia multa operatur in anima orationi intenta. Oratio vita est sanctorum in terra et Beatorum in coelo. Pag. 451-464

II. Alia homilia

I. Orationem Deus maximi facit. — II. Oratio elevatio est mentis in Deum et constat plurimarum virtutum actibus. — III. Deus vult et potest exaudire orationes nostras quia infinita potentia et caritas est. — IV. Oratio fieri debet corde purificato et viva fide de meritis Christi. — V. Vera bona petenda sunt cum humilitate et perseverantia . . . . . . Pag. 464-469

FERIA TERTIA POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Christus est ipsamet sapientia Dei, fons indeficiens omnis sapientiae. — II. Divina sapientia omnia cognoscit in genere, in specie, in particulari, ipsas quoque mentis cogitationes. — III. Talis est scientia Christi, adeo magna ut maior intelligi nequeat, omnia enim perfectissime cognoscebat, naturalia et divina, — IV. bene figuratus per candelabrum aureum in templo . Pag. 470-476

II. Alia homilia

I. Miratur hodie synagoga sapientiam Christi, qui sapientia Dei est, — II. quia rex et iudex universalis futurus erat. — III. Venit Christus in mundum ad depellendas ignorantiae tenebras praedicatione sua. — IV. Ostenditur Christus mirabilis praedicator in omni genere dicendi, quia divina doctrina et sanctitate praeditus. — V. Venit Christus ut homines doceret veram sapientiam, idest veram fidem et cognitionem Dei et suiipsius, multa enim ignorantia adhuc regnat in mundo . . . . Pag. 476-484

FERIA QUARTA POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Christus hodie caecum illuminat prius corpore et postea anima. — II. Miraculum hoc operatus est ad ostendendam divinitatem suam. — III. In hoc miraculo elucent omnia opera Dei, — VI. praecipue autem designatur conversio mundi ad fidem . . . . Pag. 485-490

II. Alia homilia

I. Magno miraculo Christus hodie caecum illuminat. — II. Repraesentatur in illuminatione caeci veluti comoedia septem actibus distincta. — III. Multa significat hodiernum miraculum, vere magnum opere, maius mysterio. — IV. Mirabilis est humani oculi structura, in quo consistit magna pars humanae felicitatis. — V. In septem actibus huius sacrae comoediae multae personae introducuntur. — VI. Lux symbolum est bonitatis Dei, qui solus vera lux est; caecus est autem qui Deum vere non novit . . . . Pag. 490-497

FERIA QUINTA POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Proponitur hodie mortis imperium et victoria Christi in ipsam. — II. Mors nec bona nec mala per se est. — III. Mors universalis est et potentissima, — IV. crudelissima, horribilis et amarissima. — V. Vita humana fragilissima est, brevissima et fallax. — VI. Mors capitalis inimica est humanae naturae, sed tamen utilissima . . . . Pag. 498-505

II. Alia homilia

I. Proponuntur hodie vita et mors. — II. Mors peccatorum amara est et terribilis, iustorum vero desiderabilis et suavissima. — III. Opera satanae homines mortem non timent, non enim facile peccat qui mortem meditatur. — IV. Vita nostra brevissima est. — V. Quisque secundum spiritum vivit vel mortuus est. — VI. Mors potentissima est, sed ea potentior Christus. In morte dignoscitur verus christianus et homo carnalis. — VII. Ostenditur hodie Christus verus mortis triumphator . . . . Pag. 505-513

FERIA SEXTA POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMAE

I. Christus solo amore motus suscitat hodie Lazarum. — II. Deus hominem in suam amicitiam quaesivit etiam post peccatum. — III. Christus hominis amicus verus hodie ostenditur. — IV. Amor Christi erga Lazarum symbolum est divinae caritatis erga genus humanum . . . Pag. 514-520

II. Alia homilia

I. Multis ostenditur hodie Christi divinitas. — II. Magnitudo huius miraculi elucet ab auctore, — III. a materia, — IV. a modo et fine . . . . Pag. 520-528

DOMINICA IN PASSIONE

I. Deus proprietate naturali sanctissimus est. — II. Talis est etiam Christus, Deus et homo, — III. qui hodie se exhibet verum prophetam sanctitate vitae et puritate doctrinae. — IV. Triplex est origo peccati: fragilitas, ignorantia, malitia . . . . Pag. 529-533

II. Alia homilia

I. Christi passio verum sacrificium fuit, — II. sacrificiis Antiquae Legis figuratum. Christus in sanctitate omnes Sanctos excedit. — III. Sanctitas Christi divina est, ideo nec quatenus homo ipse peccare potest. — IV. In Christo reperitur divina potentia, sapientia et plenitudo gratiae. — V. Deus voluit Christum plenum sanctitatis creatae et increatae, ut totum mundum sanctificare posset. — VI. Mysteria hodierni Evangelii iam ostensa fuerunt Ieremiae et Ezechieli. — VII. Signa veri prophetae sunt vita sancta et doctrina vera. Talem hodie inimicis suis se Christus exhibet. — VIII. Christus hodie omnes homines dividit in filios Dei et in filios satanae. Pag. 533-544

III. Alia homilia

I. Sanctitas Christi praedicata fuit a Deo, ab Angelis, a Prophetis, ab ipsomet Christo. — II. Nullo modo Christus peccare poterat, quia divina erat eius sanctitas. — III. Tali tantaque sanctitate Christus donatus fuit, ut posset mundum sanctificare . . . . Pag. 545-548

FERIA SECUNDA POST DOMINICAM PASSIONIS

I. Christus ab incredulis Pharisaeis aggressus viscera pietatis suae aperuit. — II. Christus thesaurus est omnium bonorum naturalium, spiritualium, coelestium. — III. Christus fons vitae, satanas fons mortis, uterque invitat ad suum fontem. — IV. Christus unicus fons est gratiarum omnibus sufficientissimus. — V. Gratia Spiritus S. participatio quaedam est divinae naturae. — VI. Christus Spiritum S. fidelibus promittit ut reddantur securi et impavidi . Pag. 549-558

II. Alia homilia

I. Multis hieroglyphicis Deus designatur in S. Scriptura, sed praecipue per fontem aquae vivae. — II. Gratia Spiritus S. utilis et necessaria nobis est. — III. Christus vere magnus fons est, a quo omnis gratiarum copia promanat in mundo. — IV. Christus Deus et homo est, ideo vere fons omnium bonorum desiderabilium. — V. Bonitate Dei abutentes male habebunt in novissimo. Pag. 558-565

FERIA TERTIA POST DOMINICAM PASSIONIS

I. Mundus regnum est satanae, ideo Christum semper implacabili odio persecutus fuit. — II. Christus docet passiones mundi viam esse ad coelum. — III. Deus in hoc mundo electos suos malis afficit ut facilius ab amore mundi eos avertat, — IV. ut eorum virtutem probet, — V. ut eos purget ac perficiat, — VI. et tandem magis exaltet. — VII. Christus exemplo suo fugere nos docet mundum, qui regnum satanae est, — VIII. et omnia mala mundi accipere de manu Dei. Pag. 566-574

FERIA QUARTA POST DOMINICAM PASSIONIS

I. Festum encaeniorum mystice significat dedicationem hominis Deo factam per Baptismum. — II. Triplex est dedicatio templi spiritualis. — III. In hodierno Evangelio habemus tum vetustatem peccati tum novitatem virtutis et gratiae. — IV. Tangit hodie Christus imperscrutabile mysterium praedestinationis divinae, — V. ostendens principium, finem et media praedestinationis. — VI. Praedestinatio est actus divini intellectus et divinae voluntatis, sed magis voluntatis quam intellectus. — VII. Finis praedestinationis est gloria aeterna, media fides et caritas. Deus omnibus dat media salutis . . . . Pag. 575-584

II. Alia homilia

I. Agit hodie Christus de mysterio praedestinationis, — II. docens principium, finem et media. — III. Praedestinatio est actus divinae voluntatis. In vero fideli requiritur fides, obedientia et imitatio Christi. — IV. Deus a nobis requirit renovationem vitae et sanctificationem. Pag. 584-589

FERIA QUINTA POST DOMINICAM PASSIONIS

I. Promptior est Christus ad dimittenda peccata quam esuriens ad comedendum. — II. Proponitur hodie vivum exemplar verae poenitentiae, qua facile Deus placatur. — III. Vera poenitentia, consistit in contritione cordis, in confessione oris et in operibus satisfactionis. — IV. Vera poenitentia possibilis est. — V. Gratior quodammodo Deo est poenitentia peccatoris quam iusti innocentia. — VI. In poenitentia maxime elucet divina misericordia. — VII. Poenitentia oritur ex cognitione Dei, turpitudinis peccati et damnationis aeternae. — VIII. Hoc cernitur hodie in Magdalena poenitente. — IX. Magnum miraculum est conversio, tamen possibilis, Deo gratissima et nobis delectabilis . . . . Pag. 590-600

II. Alia homilia

I. Exhibetur imago pulcherrima poenitentiae perfectae. — II. Maximum miraculum est poenitentia sed possibilis est et Deo gratissima, facilis et iucundissima. — III. In poenitentia Magdalenae reperitur fides, humilitas, caritas, ideo tantopere laudatur a Christo. — IV. Ostenditur duplex aspectus Magdalenae: unus turpissimus, alter pulcherrimus . . . . . . Pag. 601-606

FERIA SEXTA POST DOMINICAM PASSIONIS

I. Colligunt pontifices concilium contra Iesum. — II. Concilium hoc satanicum praevidit Ezechiel in spiritu. — III. Multa coacta fuerunt concilia in Ecclesia, quibus interfuit Spiritus S. — IV. Hodiernum concilium ex parte Dei sanctissimum est, ex parte diaboli pessimum. — V. Iniquum hoc concilium praevidit in spiritu etiam Regius Vates . . . . Pag. 607-613

II. Alia homilia

I. Concilium hoc simile est concilio filiorum Iacob contra Ioseph. — II. Principes necessarii sunt reipublicae, quorum prudentia et consilio populus regatur et gubernetur. — III. Principes qui avaritia et ambitione ducuntur, in causa sunt ruinarum. — IV. Depravatus affectus mentem excaecat et imprudentem reddit, sicut hodie cernitur. — V. Concilium hoc, quatenus divinum, ostendit sapientiam et bonitatem Dei, quatenus humanum, plenum est ignorantiae et iniquitatis. — VI. Caiphas locutus fuit ex afflatu Spiritus S. et ex suggestione satanae; sententia eius causa extitit vitae et mortis . . . . Pag. 614-620

DOMINICA PALMARUM

I. In hodierno triumpho Christi meditanda sunt historia et mysterium. — II. Christus rex est infinitae maiestatis, sapientissimus, aeternus; — III. ipsa eius humilitas hodie ostendit divinam suam gloriam, sapientiam et virtutem; — IV. et eius paupertas infinitas divitias suas manifestat. — V. Hodiernus triumphus ostendit Christum regem esse hominum et Angelorum. — VI. Praecipue ostenditur hodie infinita Christi caritas, — VII. quae ex effectibus demonstratur. — VIII. Proponitur hodie Christus rex noster ut eum diligamus et imitemur . . . . Pag. 621-629

II. Alia homilia

I. Hodie Christus tanquam imperator pergit ad bellum contra satanam. — II. Christus rex mirabilis est, quia Deus et homo; — III. rex universalis, infinitae maiestatis, caritatis et humilitatis; — IV. rex mundi, Ecclesiae, paradisi, inferni et mortis; rex infinitae potentiae et sapientiae. — V. Christi gloria intrinseca est et vera. Pergit hodie ad debellandum satanam et mundum redimendum . . . . Pag. 630-635

FERIA SECUNDA MAIORIS HEBDOMADAE

I. Eleemosyna Deo gratissima est. — II. Optima quaeque Deo offerenda sunt cum ardenti caritate. — III. Imitanda est devotio huius mulieris et populi in deserto. — IV. Magnum praemium promittitur eleemosynae in hoc mundo et in futuro; — V. in praesenti facultates non minuit, sed auget; in futuro invenire facit misericordiam . . . . Pag. 636-642

II. Alia homilia

I. Gratia semper cum iustitia est, iustitia autem omnes complectitur virtutes. — II. Hodiernum Evangelium ostendit quantopere Deo placeat vera virtus et mortificatio . . . Pag. 643-645

FERIA TERTIA MAIORIS HEBDOMADAE

I. Poenitentia donum divinum est et gratissima Deo; — II. restituit hominem in pristinum gradum dignitatis, peccatorem iustificando. — III. Vera poenitentia constat contritione, confessione et satisfactione. — IV. Confessione peccatum expellitur ab anima. — V. Magna cautela procedendum est sacerdotibus cum dubitant de vera poenitentia. — VI. Christus ipse sacerdotibus contulit hanc divinam potestatem dimittendi peccata, sed ut ipsi absolvant, cognoscere debent peccata. — VII. Hoc designabatur caeremoniis quae observandae erant in sacrificio pro peccato. — VIII. Vera poenitentia immensum Dei beneficium est, quia reparat omnia mala peccati. — IX. Semper fuit poenitentia in Ecclesia: sub lege ut virtus, nunc autem etiam ut Sacramentum. Pag. 646-658

FERIA QUARTA MAIORIS HEBDOMADAE

I. SS. Eucharistia convivium mirabile est, sed multis incredibile. — II. Verba Christi non figurate sed litteraliter accipienda sunt. — III. Credendum est hoc ineffabile mysterium, Deus enim maiora potest facere quam mens nostra capere possit. — IV. In coena Dominus instituit sacerdotium et sacrificium, utraque perpetuo mansura in Ecclesia. — V. Pascha iudaicum figura fuit huius Sacramenti, — VI. quod est maximum miraculum amoris Christi erga Ecclesiam. — VII. Infinita est huius cibi pretiositas, suavitas et virtus, confert enim nobis ipsam divinitatem. — VIII. In hoc Sacramento Christus vere se contraxit ut hominem mortuum suscitaret. — IX. De venerabili hoc Sacramento multa vaticinati sunt Prophetae, sed praecipue Regius Vates. — X. Eucharistia Sacramentum est adorandum et sumendum, — XI. quia in eo verus Deus continetur, sicut semper docuit Ecclesia. — XII. et omnes Sancti Patres tradiderunt. — XIII. Credendum est Christo vero Deo loquenti et ad hanc sacram mensam summa cum aviditate accedendum. — XIV. Multa et magna et incomprehensibilia miracula in hoc divinissimo Sacramento continentur. — XV. Haec est maxima gloria Ecclesiae, Deum in ipsa inhabitare. — XVI. Eucharistia vere coena est ditissima et mysteriosissima, quae hominem deificat . . . . . . Pag. 659-679

FERIA QUINTA IN COENA DOMINI

I. Ioannes fundamenta ponit institutionis Eucharistiae, idest Christi caritatem et omnipotentiam, — II. nam Sacramentum hoc adaequat divinam caritatem et potentiam. — III. Ad hoc divinum Sacramentum magna cum animi puritate accedendum est . . . . . Pag. 680-683

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

I. Proponitur hodie passio Christi figurata in sacrificio Isaac. — II. Patitur mysticus Isaac, Filius Dei, ex infinita caritate sua; — III. patitur a Patre, ab hominibus, a Matre, ab Angelis, a daemonibus, ab Apostolis, a principibus, a populo, a toto mundo. — IV. Patitur intrinsecus in anima et extrinsecus in corpore omnes poenas sensus et spiritus, supra omnes martyres. — V. Supra modum cor Christi affligebat aspectus afflictissimae Matris stantis iuxta crucem. — VI. Sacrificio suo Christus magnam apud Deum coronam meruit. — VII. Isaias praedixit et enumeravit fructus passionis Christi. Omnia instrumenta passionis facta sunt instrumenta gloriae . Pag. 684-696

II. Alia homilia

I. Passio Christi, quatenus remedium salutis, specialiter figurata fuit per serpentis aenei exaltationem in deserto. — II. Passio Christi exaltatio fuit in oculis Dei, humiliatio in oculis mundi. — III. Exaltatio fuit quoad Deum, quoad Christum, quoad SS. Virginem. — IV. Seipsum Christus serpentem appellat, quia ex infinita caritate sua apparere voluit in similitudinem carnis peccati et tradere vitam suam pro salute nostra. — V. Non tantum vitam suam, sed etiam honorem pro nobis prodegit. — VI. Passio Christi desertum appellatur ad significandas multas tribulationes quae pro nobis passus est. — VII. Passio Christi fuit atrocissimum martyrium, internum et externum, superans martyrium omnium martyrum. — VIII. Crux Christo tentatio fuit, nobis vero exaltatio; — IX. Christo thronus, nobis regula vitae et armatura Dei contra daemones. — X. Christus passus est a Patre, ab hominibus et a satana. — XI. Voluntas Dei erat ut Christus moreretur in cruce, sed Iudaei peccaverunt, quia male eum crucifixerunt. — XII. Nihil magis Christo displicet quam peccatum; peccatores omnes rei sunt mortis Christi. — XIII. Maximum miraculum est mundum salvatum fuisse per fidem Crucifixi. — XIV. In cruce apparent mirabiles effectus passionis Christi, quorum praecipuus est gloria paradisi, quam mereri non possunt nisi innocentes vel poenitentes . . . . Pag. 696-726

IN DIE SANCTO PASCHAE

I. Angelus annuncians resurrectionem Christi, passionem eius commemorat, quia huic illa respondet. — II. Christus passione sua maximam gloriam adeptus est. — III. Resurrectio Christi excedit omnia miracula Dei. — IV. A veritate huius mysterii pendet veritas omnium mysteriorum fidei. — V. Resurrectio Christi figura est spiritualis resurrectionis nostrae . . . Pag. 727-733

FERIA SECUNDA PASCHAE

I. Christus peregrinus fuit supra modum mirabilis, — II. *solus peregrinus* in mundo, quia solus homo Deus. — III. Ostenditur etiam mirabilis propheta . . . . Pag. 734-736

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

A

א apud Hebraeos divinitatis hieroglyphicum 562.

Aaron summus pontifex constitutus 247. 595. 682; sorte electus 426; consecratus oleo et sanguine 31. 119; murmuravit contra Moysen 227; eius virga miraculo floruit et fructus fecit 712; mortuus in deserto 708.

Abel vanitas interpretatur 272; iustus et sanctus 48. 183. 219. 686, humilis et in Deum devotus 49, obtulit sacrificium Deo gratum 14. 263 de primogenitis gregis 637; a Cain persecutus et occisus 566. 717.

Abimelech precibus Abrahae sanatus 393.

Abiron ambitione motus obtulit incensum Domino 12. 261.

Abiu super alienum ignem incensum Deo obtulit 12. 468.

Abraham prius Abram appellatus 558, pater magnae posteritatis 682; sanctus 33. 184, exemplum virtutis 48; vera caritate erga Deum praeditus 68; amicus Dei appellatus 515; Deum vidit 523; exaltatus quia humilis 258; obtulit sacrificium Deo gratum 263; offerens sacrificium abigebat aves 11; petiit a Deo signum certitudinis promissionis 138; exiit de Ur Chaldaeorum 90; dedit Loth optionem eligendi terram inhabitandam 279; quattuor reges in fugam vertit 523; tribus Angelis convivium paravit 296. 675; peregrinis pedes lavabat 377; saepe a Deo tentatus 91-92; Deum appellat iudicem universae terrae 141. 447; humiliter orabat 469; rogavit pro Abimelech et exauditus fuit 400.

Diligebat Agar et Ismaelem 342; iussus fuit a Deo ut eos domo eicerit 135. 567; celebravit festum cum ablactavit Isaac 172; separavit Isaac a filiis concubinarum et heredem eum instituit 268; misit servum ad quaerendam uxorem Isaac 277; iussus immolare filium 490. 684, promptissime obedivit 55. 64 et supra montem Moria ascendit 466. 634; celavit Sarae iussionem Dei 688, et etiam filio 691; obedientia sua magnam gloriam meruit apud Deum et homines 694. Melchisedech sacerdotem honoravit 255. 260.

Absalom pulcherrimus 33. 540, stratagemate usus cum Ioab 570; insurrexit contra patrem 243. 532. 607; interfecit Amnon et interfectus fuit a Ioab 570.

Achab falsos prophetas audiebat et Michaeam vera praedicentem contemnebat 147. 365; humiliatus poenituit 5. 19.

Achan accepit de anathemate Iericho et periit 294. 651.

Achimelech sacerdos delatus a Doeg apud Saulem 289.

Achitophel consiliarius sapientissimus David 116.

Adam formatus fuit virili aetate et in paradisum ductus 78-79. 221; conditus sanctus et spiritu prophetiae donatus 33. 370. 534; ex eius latere Deus formavit Evam 732; immortalitate donatus et monarcha mundi constitutus 219. 221-222. 633. 682, voluit adhuc ascendere 273. 278-279; a diabolo tentatus 79, gloriam in hoc mundo appetiit 17 et peccavit 246. 419. 666 comedens fructum vetitum 294, et infelicitatem invenit 266. 565; peccavit ex fragilitate 532; excusavit peccatum suum 87 et in Deum quodammodo

reiecit 583; pulsus a paradiso fuit 520; omne genus humanum in se continebat velut in radice 184. 689. 704, ideo omnes in eo peccaverunt 337.

Genuit filium cum esset aetate centum triginta annorum 33; docuit filios suos sacrificia Deo offerre 252. Figura Christi 633.

Adonias Abisag uxorem petiit et mortem invenit 268.

Aegyptus alluitur aquis Nili 202; designat mundum hunc et regnum satanae 10. Aegyptii animalia domestica adorabant 9; hieroglyphice mundum per navim designabant 446; tot visis miraculis non crediderunt 347.

Aesculapius medicinae inventor, cui gallus, corvus et serpens ab antiquis dedicati fuerunt 407. 410.

Affectus inordinatus rationi et virtuti difficile obedit 355, hominem imprudentem reddit 616.

Agar concubina et ancilla Abrahae e domo eiecta 386, in deserto flebat videns morientem filium 596.

Aggaeus propheta de templo reaedificato vaticinatur 185; refert promissa Dei aedificantibus templum 639.

Agnus paschalis immaculatus cum amaritudinibus et azymis comedebatur 20; figura Eucharistiae 675.

Ahias propheta scidit pallium suum in duodecim partes 118.

Alexander peripateticus negavit animae immortalitatem 369.

Altare sacrificiorum ex lapidibus impolitis erat 27. 451. 455.

— incensi in medio templi collocatum 432. 455. 602 coram propitiatorio 645.

Ambrosius S. de veneratione sacerdotibus debita loquitur 672; dicit sacerdotes dimittere posse peccata 653; locum *Ps 98, 5* de Eucharistia interpretatur 672 et confirmat fidem in hoc Sacramento ex opere et miraculo creationis mundi 674.

Amicus fidelis thesaurus incomparabilis 64; amicitia paritatem requirit 514; non ineunda utilitatis causa 517.

Amnon nimio amore dilexit Thamar et postea maiore odio eam habuit 404; ab Absalom occisus 364.

Amor bonitatem et pulcritudinem pro obiecto habet 530; natura facit quicquid potest pro amato 681. Ab antiquis sagittis armatus pingebatur 146 et caecus 355.

Amos propheta loquitur contra odientes proximum 60; divinum iudicium praedicat 148; declinandum a malo docet et diligendum bonum 112; invehitur contra odientes proximum 60 et contra capita populi 295. Deum vidit in templo 128 et canistrum pomorum 286.

Angelus sanctus creatus 534; peccavit irreparabiliter 593; apparuit Moysi in rubo 445; occidit primogenita Aegypti 119. 332; in columna nubis populum ducebat in deserto 444; potentissimus 703; destruxit exercitum Sennacherib 332. 703; apparuit Gedeoni 53 et parentibus Samsonis 116, et combussit eorum sacrificia 63. 715 et cum flamma holocausti ascendit in coelum 667; nunciavit Christi nativitatem et resurrectionem 727. 731; sanavit Tobiam 406; descendebat in piscinam ad sanandum infirmum 188. 394, 406; confortavit Christum agonizantem in horto 688.

Angeli dicuntur ignis ob caritatem 52; visi ascendentes et descendentes per scalam Iacob 130; scientia, potentia et sanctitate incomprehensibili donati 131. 532; nunciaverunt Christi nativitatem laudantes Deum 551. In coelo intercedunt pro nobis 401.

Anima spiritualis est 510, educta a spiritu Dei 32. 368, libera 370, rationalis 367, immortalis 368-370; totum corpus regit, vivificat et conservat 444; triplex eius vis: rationalis, concupiscibilis, irascibilis 371; tribus nominibus hebraice dicitur 367-368; est infinitae capacitatis 370; thesaurus est scientiarum 367; pretiosior est omnibus mundi thesauris 77. 366.

Animal quale mundum secundum legem 508, quod solum admittebatur in sacrificiis 533.

Anna mater Samuelis, contempta et collaudata ab Heli 171; flebat quia sterilis 596; orabat tacens 467 et oratione filium a Deo obtinuit 177; Deum iudicem appellat 141.

Annus iubilaei celebrabatur post septem annorum hebdomadas 125.

Apollo medicinae inventor 407, cum lyra et sagittis pingebatur 322. 324. 353.

Apostoli orta tempestate, clamaverunt ad Christum 570; orantes et ieiunantes acceperunt Spiritum S. 13. 365. 464; repleti fuerunt divina sapientia, potestate et magna sanctitate 563; cum gaudio patiebantur pro Christo 68; per universum orbem Evangelium disseminaverunt 55. 557; constituerunt presbyteros per singulas ecclesias 263.

Aqua valde laudata in S. Scriptura 555. 559-560; summe necessaria 560; symbolum gratiae 173 et Spiritus S. 555, divinae misericordiae et divinarum consolationum 174.

— Amelitae nullo vase contineri poterat 223.

Aquila verba *Genesis 1, 2.* interpretatur 278.

Arbitrium liberum requiritur ad vitam aeternam consequendam 199, una cum gratia 197.

Arbor vitae in medio paradisi 366. 386, quae vitam perpetuam conferebat 368. 416. 427; et arbor mortis 618.

Arca Noe interius exteriusque bituminata 27, in qua salvatum est genus humanum et animalia 349. 618. Figura poenitentiae 648.

— Dei, gloria Domini dicta 325; interius exteriusque deaurata 27. 143. 212. 222, in sacratissimo loco posita 28. 223; in ea servabantur vas manna, tabulae legis et virga Aaron 24. 61. 216. 223. 325. 366. 466. 470. 563; thesaurus divinae virtutis 320; continuit aquas Iordanis 106. 723; capta a Philisthaeis et restituta 648, 686. 728; manere noluit simul cum Dagone eumque deiecit in terram 320. 325. 328. 451. 459. 723; translata in templum Salomonis 392. 406. Figura Christi et hominis glorificati 223. 325.

Arcus coelestis, quo viso, placatur ira Dei. Figura poenitentiae 646.

Argumentum continet breviter totius libri tractatum 47.

Argus centoculus 197.

Aristoteles dixit Deum non curare mundana 438; nihil egit de daemonibus 339.

Arius damnatus in concilio Nicaeno 609.

Asinus animal ignobile et immundum secundum legem 131. 631. 634; hebraice dicitur materia 634.

Aspis dolo et veneno perdit quem aggreditur 84.

Assuerus rex instruxit decantatissimum convivium 200. 295 anno tertio regni sui 666; iratus valde contra Aman 542.

Astraea iustitiae dea 617. 632.

Augustinus S. nobilissimis tractatibus agit de gratia et libero arbitrio 194; dicit maius miraculum esse conversionem peccatoris quam creationem mundi 601; docet sacerdotes dimittere posse peccata 653 eosque iudices esse affirmat 654; mysterium Eucharistiae dicit non aperiendum catechumenis 669; de veneratione erga Eucharistiam loquitur 672-673 et locos *Ps 21, 26-27* et *Ps 98, 5* de hoc Sacramento interpretatur 671.

Aurum probatur ad ignem et incudem et lapidem lydium 63. 97; nulla vi consumitur 67. 368; symbolum sapientiae 474.

B

Baal possessio interpretatur 451. 611; symbolum avaritiae 123.

Babylon hieroglyphicum voluptatis 290; ibi coepit mundi regnum 383.

Balaam magus vocatus a Balac ad perdendum Hebraeos 617. 632; mortem desiderabat iustorum 507; de Christo vaticinatus 622.

Balthassar rex Babylonis, divina sententia damnatus 114. 293, 508; periit quia non poenituit 352.

Baptismus dicitur lavacrum 34. 74. 194. 576. 654; delet originale peccatum 337; curat ab omnibus peccatis 398; liberat a potestate diaboli 339 per infusionem Spiritus S. 398; facit hominem filium Dei 575 et animam sponsam Christi 413.

Basiliscus solo aspectu occidit 234, si tamen prius videat, non si prius videatur 513.

Basilius S. agit de peccatorum confessione 651-652 et de Eucharistia 672.

Beatitudo quies est desiderii 23; constat septem dotibus 322; in S. Litteris tribuitur spei et timori Dei 198. Vide *Felicitas, Paradisus.*

Beda S. dicit sacerdotium iudaicum figuram fuisse sacerdotii christiani 654.

Bernardus S. docet quo ordine, quo studio, quo fine discendum est 483.

Beseleel divina sapientia praeditus 371.

Bethania domus cantici interpretatur 126, et domus afflictionis ac humiliationis 518.

Booz uxorem duxit Ruth 160.

— nomen columnae in templo Salomonis 254. 455.

Briareus centimanus fingebatur 197.

Bucephalus Alexandri nullum alium admittebat sessorem 77.

Bonitas triplicem gradum habet 628.

Bonum est diffusivum sui 444; bona visibilia et invisibilia propter hominem creata sunt 270; bona mundi non explent cordis nostri desideria 272; ipsissima vanitas sunt 568, umbrae bonorum 273, spinae 267, fomenta vitiorum 280. Vide *Mundus*

C

Cacochymia replet corpus noxiis humoribus 17. 78. 190.

Cain possessio interpretatur 272; negabat divinam providentiam 448; eius munera Deo ingrata 230. 637, quia vilia 638; occidit fratrem suum 387. 719; desperavit de misericordia Dei 352; filii eius invenerunt artes fabriles 464.

Caiphas concilium coegit contra Christum 610-611; locutus fuit ex afflatu Spiritus S. et ex suggestione diaboli 619.

Candelabrum aureum positum cum septem lucernis in sanctuario 47. 342. 470. 474. 478. 602, versus austrum 432, a dextris, iuxta altare incensi 468; hieroglyphicum sapientiae Christi 473. Decem candelabra posita fuerunt in templo Salomonis 478.

Caprea dictamo sua vulnera curat 646.

Caput influit in omnia membra sensum et motum 184.

Cardinalatus maxima dignitas quam conferre potest Summus Pontifex 64.

Caritas oritur ex cognitione Dei et proximi 252; est primum praeceptum in Lege 644; simul est cum ceteris virtutibus 372; nequit cum cupiditate consistere 71; comparatur igni 69, et monti altissimo 54; unica est scala coeli, 62, signum electorum 56. 68, signum Christi 113; primum eius obiectum Deus est, secundum proximus 644; Deo nos similes facit 372; vera caritas comprobatur dilectione inimicorum 72; difficillima proponit 55; insuperabilis est 63. 67; non potest esse diminuta vel divisa 53.

Multa sunt bona caritatis 57. 69; multa a Deo meretur 58; praemium eius regnum coelorum 59. 65.

Carmelus mons fertilissimus 162.

Caro gallinacea venenum est liquescentis auri 235.

Centaurus ex parte homo et ex parte equus fingebatur 418. 439.

Cervus dictamo sua vulnera curat 646.

Cham maledictus a patre 386.

Cherubim plenitudo scientiae interpretatur 624; positi ad custodiendum paradisum 49. 52. 371-372. 510.

— in templo 49 divino propitiatorio astabant 254 et illud contemplabantur 116. 471.

Christianus maxima eius nobilitas 34. 75-76; frater est Christi 80; fruitur paradiso etiam in hoc mundo 202; vita christiani oratio et ieiunium 76.

Christus natura verus Deus 530, verus unigenitus Filius Dei et Deus omnipotens 205. 685; fons Spiritus S. 423; Deus et homo 631; primogenitus Dei etiam ratione humanitatis 37; secundum humanam naturam filius Spiritus Sancti 416; fons omnium bonorum 552. 563; in eo reperitur quicquid bonitatis est in Sanctis 219. Christi humanitas verus paradisus erat 322; naturam, gratiam et gloriam perfectissime continebat 322; Christus visus Isaiae in medio duorum Seraphim 120.

Dicitur Filius et servus Dei et homo coelestis 402; sacerdos est et victima 523; eius merita basis sunt orationum nostrarum 468; iudex mundi constitutus 120. 126 et rex universi et pontifex 126. 247. 255. 260. 623. 633, et magister 249.

Caput est omnium creaturarum 143-144; excedit omnes creaturas 143; maior Angelis 634; caput Ecclesiae 184, et electorum 534; exemplar nostrum quoad naturam, gratiam, gloriam et praedestinationem 37. 73. 78; causa nostrae praedestinationis 581; dux noster 89, archetypum gloriae nostrae 205; gratiam confert et praebet exemplum 218.

Filius Virginis ex progenie David 709. 736; venit in mundum ad homines salvandos 200. 204 et sanctificandos 541, ad delenda peccata 397, et satanam de mundo eiciendum 326. 331; venit circiter anno ter millesimo octingentesimo 183; venit tanquam medicus et medicina 407-409; multa beneficia praestitit hominibus 682. Veniret etiam si homo non peccasset 519; venit pauper, quamvis verus Deus esset 551; adoratus ab Angelis in nativitate 144. 551; egenus factus propter nos 636. Voluit malis huius mundi affici quam bonis 265. 274. 280. 572; exulare cogitur a Iudaea 519. 648; subditus erat parentibus 192; quadraginta diebus mansit in deserto absque fame et siti 79; tentatus a satana 73. 97. 99, diabolum vicit et de mundo eicit 328.

Descendit super eum Spiritus S. 463. 481; declaratur Filius Dei 73. 79. 93. 117; de turba elegit Apostolos et discipulos 261; transfiguratus apparuit 200. 206. 530; indigne tulit petitionem filiorum Zebedaei 277. 281. Ascendit Ierosolymam in templum ad diem festum 193; increpuit incredulitatem discipulorum 578.

581. 585; coelum gaudere dicit de peccatore converso 594; magis dilexit Magdalenam quam Martham 595; reddit se invisibilem Iudaeis quaerentibus eum occidere 538; equitans super asinam Ierusalem ingreditur 131 et excipitur cum triumpho 621. 627. 635; mercatores eiecit de templo 626.

Omnia eius miracula opera fuerunt misericordiae et gratiae 353; sanavit infirmos, illuminavit caecos, liberavit daemoniacos, mortuos suscitavit 147. 188. 409. 689. 735, semel et iterum panes multiplicavit 295. 432. 441; solo imperio daemones expellebat et mortuos revocabat ad vitam 633; primo miraculo convertit aquam in vinum et ultimo panem in carnem suam et vinum in sanguinem suum 676. 680. 683.

Humilis et patientissimus 275; omnia nobis, non sibi meruit 726; semper omnibus beneficia praestitit 689; verum amicum hominis se ostendit 517-519. 523-524; flevit Lazarum mortuum 526-527 eumque suscitavit 621. 730; flevit super Ierusalem 122. 634.

Infinita potentia est 439, solo nutu voluntatis omnia potest 63; sapientia eius infinita 474-476, omnia novit mysteria Dei 580; est ipsa Dei sapientia 582. 624.

Sanctissimus, peccare nequit etiam ut homo 537-539; sanctitas eius praedicata fuit a Deo, ab Angelis, ab hominibus 545; multis symbolis praefigurata 548; excedit sanctitatem omnium simul Sanctorum 540.

Suavissimis rebus comparatur in S. Scriptura 186, et multis modis figuratus fuit 326, per serpentem aeneum 342, per Eliam et Eliseum 353; apparuit Moysi in flamma rubi 537.

Verum prophetam se ostendit 152-153, et verum Messiam 156 et Deum 516. 520. 588, maxime curando infirmos 394, et verum hominem 523. 540. Praedicator mirabilis 480; missus a Deo ad praedicandum 23; ostendit qualis esse debeat verus praedicator 23; maxime odit ignorationem Dei 544; praedicavit Evangelium et instituit Sacramenta 198; vaticinium Isaiae interpretatur 352. 355; docet fugienda pericula 573; septem beatitudines nunciavit 322; peccati malitiam adulterium appellat 150; ostendit quam malum execrabile peccatum sit 235; requirit humilem confessionem peccati 417, ieiunium sanctum 5. 17-18. 27, purum ab omni vitio 11. 22, virtutibus ornatum 12. 25; leges Dei dicit praeferendas esse legibus mundi 381; patientiam commendat 568, poenitentiam et ieiunium 5. 26; mandat sanctam obedientiam praestare potestatibus 256; requirit humilitatem 19; divitias fallaces appellat 266 et spinas 282; docet eleemosynam pauperibus praeferendam esse aliquando ipsi sacrificio quod Deo fit 640; exigit magnam fidem in divina providentia 437; gratiam salutem appellat 427 et aquam 557; agit de altissimo praedestinationis mysterio 579. 581. 585; praemium virtutis exaltationem vocat 258.

Saepe scribas et Pharisaeos arguit 147. 323. 373 et confutat 328, eosque hypocritas appellat 376 et sepulcra dealbata 27; exprobrat incredulitatem Iudaeorum 139; fidem vocat mysterium regni Dei 46; fidem requirit et bona opera 336; saepe fidei tribuit salutem 47; requirit ardentissimam caritatem 67; mandat inimicos diligere 54. 61; vult ut cum caritate fratrem corripiamus 358; praedicat divinum iudicium verbis et factis 101. 125-126. 140-142. 148; dicit paucos esse electos 120-121; dedit resurrectionem suam signum divinitatis suae 139.

In passione maxime ostendit caritatem suam 628; cupidissimus est salutis nostrae, 360-361. 416; carior illi fuit salus nostra quam vita propria 687; in coena instituit sacerdotium et sacrificium 662-663; lavit pedes discipulorum 377; confortatus ab Angelo in horto 463; sanguineum sudorem effudit 688. 711 ex horrore peccati 711; prostravit cohortem quae venerat ad apprehendendum eum 703; coram Pilato non se defendit 705; moriens multa mirabilia operatus est 633. 723-724; ex latere eius exivit sanguis et aqua 120.

Vere resurrexit 147; suscitavit seipsum 139-140. 730-731; per passionem pervenit ad gloriam 260. Christum imitari debemus 89.

Chrysostomus S. Io. dicit sacerdotes dimittere posse peccata 652; de Eucharistia loquitur 673-674; docet hoc mysterium non aperiendum esse paganis 669; locum *Ps 21, 26-30* de Eucharistia interpretatur 671; dicit sacerdoti celebranti Angelos assistere 672; Iudam fuisse ducem haereticorum 659.

Cicero M. T. refert historiam Damoclis 281-282.

Circumcisio delebat peccatum originale 338.

Claudianus citatus 78.

Codrus rex Atheniensium pro salute populi mortuus 686. 705.

Columna nubis et ignis populo ducatum praebebat 106. 247. 254. 588; in ea erat Angelus Dei 78. 445. 683, imo ipse Christus 89. 276; divisit Hebraeos ab Aegyptiis 101; illis lucida, istis obscura 618; ad nutum illius populus stabat vel movebatur 445; incubabat super tabernaculum, symbolum divinae providentiae 445.

Concilium cogere bonum est pro regimine reipublicae 608; multa coacta fuerunt concilia in Ecclesia 609. 615.

Consultatio fit in rebus maximi momenti 187; oritur ex prudentia posita inter timorem et spem 615; bona est pro optimo regimine et aliquando necessaria 608.

Cor prius a nobis Deus requirit 14; gestat imaginem Dei 7; nulla re mundi huius satiari potest 223; eius locus proprius Deus est 202; quattuor sunt praecipuae eius passiones 15; fucina caloris 540.

Core ambitione motus obtulit incensum Domino 12. 261.

Corpus vacuum ieiunio aptius est ad Deum laudandum 16; cura corporis servis Dei magno est oneri 193.

Corvus acuti visus, vim quandam habet praesagiendi futura, Aesculapio dicatus 407.

Cupiditas radix est omnium malorum 365.

Cygnus cum laetitia pergit ad mortem 512.

Cyrillus Alexandrinus S. dicit sacerdotes dimittere posse peccata 653; Eucharistiam continere carnem vivificam Christi 668.

— **Ierosolymitanus S.** de Eucharistia agit 674.

Cyrus eius palatium inter septem mundi miracula 454.

D

Daemon dicitur princeps tenebrarum 322. Vide *Diabolus*.

Dagon deus Philisthinorum, deiectus in terram ab arca Dei 320. 325. 328. 451. 459.

Dalila blanditiis prodidit Samsonem 26. 90. 282. 558. 692.

Damascenus S. Io. de Eucharistia loquitur 673.

Daniel propheta ter in die orabat 469; ieiunavit 22; iudicium divinum praedicavit 148; mirabilis eius sapientia 116; statuae metallis compositae et arboris pulcherrimae, quas Nabuchodonosor vidit, mysterium explicavit 179. 623; cognovit iudicium Dei contra Nabuchodonosor 98, et eum monuit ut poeniteret 352 et eleemosynis peccata redimeret 641. A Nabuchodonosor exaltatus 515.

Deum vidit sedentem super thronum igneo curru tractum 3. 51. 127, et fluvium igneum de subtus egredientem 427, et Angelos circa thronum ministrantes 375; vidit Christum venientem in nubibus coeli 623. 633. 685. Revelatum ei fuit universale iudicium 98-99; multos libros apertos in iudicio vidit 129. In medio leonum illaesus 235. 558. 686. 728; Christum appellat Sanctum Sanctorum 534. 546.

Darius rex, viso miraculo Danielis illaesi in lacu leonum, in Deum credidit 153.

Dathan ambitione motus incensum obtulit Domino 12. 261.

David in litteris quibus hoc nomen componitur, continetur nomen Dei 322; sanctus 184; pulcher aspectu 324; homo secundun cor Dei 193; fortissimus 212. 630, contra Goliath pugnavit eumque vicit 22. 25. 70. 94. 97. 322. 327. 511; inde incepit gloriam suam 520, et cum triumpho exceptus fuit 350. 621; citharam pulsans malum spiritum expellebat a Saul 176. 321-323.

Per multas tribulationes pervenit ad regnum 572-586; rex Israel constitutus 441. 633 et oleo sancto ter unctus 57. 633; bellicosus 30. 117, Moabitas superavit 352; otio torpens in peccatum lapsus est 90. 246 adulterii et homicidii 229. 359. 567. 632; vere poenitens 25. 593. 594. 602. 647, acceptavit correptionem prophetae 365 et ieiunavit 121 et gratiam consecutus est 350. Peccatum suum iniquitatem appellat 229 et instantissime mundari petebat 391.

A multis inimicis evasit incolumis 59; persecutus a Saule, exul confugit apud Philisthaeos 566; fugit a facie Absalom 59. et flevit eius mortem et Saulis 60. 526; amicus Ionathae 546. Desideravit aquam Bethel 560; salutem et libertatem dedit viro aegyptio semivivo invento 193; valde honoravit Miphiboseth 30. 665; amicus regis Tyri 515.

Vespere et mane orabat 469; humiliavit se coram arca 258; voluit templum aedificare 640 et a Deo accepit formas archetypas 453, et multa millia talentorum obtulit pro illius aedificatione 38; omnes filii eius sacerdotes

dicuntur 253. Vidit Angelum evaginato gladio contra Ierusalem 496; mortem desiderabat 506; dedit Salomoni regnum 623.

Tribus nominibus Deum appellat 434-435; mirabatur Deum, mundum et hominem 29. 117. 179; divinam sapientiam celebrat 472-473 et formationem corporis humani 45. 493; naturam humanam terram sitientem appellat 395. Dicit Deum sedere super Cherubim 624, illustrare lumine suo mentes nostras 1-2. 344-345; Deum exorabat ut eum doceret 250; divinam cognitionem expetebat 134. 404; dicit ex ignoratione Dei omnia mala originem habere 134; Deum fortem appellat 559; timendam monet eius iustitiam 133; Deum iudicem canit 141, qui reddet omnibus iuxta opera eorum 142; saepe canit scientiam divinam quae omnia novit 449, et misericordiam 165. 167. 170. 174-175. 351, et providentiam 434. 436, quae omnium creaturarum curam gerit 341. 443.

Mirabatur Deum tanti hominem fecisse 519. Saepe Deum petram appellat 550 et medicum 393, cuius est salutem facere 521 et caecos illuminare 486; monet ut Deum laudemus musicis instrumentis 15-16. 176; arcam appellat potentiam et gloriam Domini 325; in visione vultus Dei omnem beatitudinem consistere dicit 202. 205. 207-208; magnam retributionem expectabat pro observantia divinae legis 215-216; parum abfuit ne scandalizaretur de divina providentia 284; de paterno amore Dei erga electos loquitur 210; Deum dicit humiles salvare 258; monet ut offerantur Deo munera pretiosa 638. 640.

Celebrat sanctitatem Christi 534-535. 545. 547. 612, eumque appellat fontem salutis 554-555; Christum describit principem iustissimum 2-3, praecinctum ad proelium contra satanam 327, et regem gloria coronatum 622-623, et iudicem 100. 103; describit ea quae in iudicio evenient 108, et timebat 113-114; Christum appellat lapidem reprobatum, sed tamen salvatorem 627; invehitur contra hypocritas calumniatores Christi eorumque ruinam praedicit 379-380.

Docet quid sit tentatio 82-83; quattuor nominibus tentatorem appellat 84; vanitates mundi fallaces dicit 266-267; invehitur contra Doeg 288. 290, et contra insipientes 471, quos asinis comparat 478; omnem hominem mendacem dicit 272; brevitatem vitae deflet 503-504; ad tria capita reducit omnes virtutes 251; monet non apponere cor divitiis 273, quas idola appellat 461; indigna dicit bona mundi quae dentur pro corona iustitiae 286-287.

Depingit imaginem iusti et peccatoris 49-50; recenset multas viri iusti notas 14, quem arborem fructuosam appellat 607; monet declinare a malo et bonum facere 226; describit qualis sit vera poenitentia 649-650; praedicat beatum hominem a peccato immunem 228-229 et pium Dei cultorem 482; nil timendum esse nisi peccatum 233-234, quod hominem in bestiam transmutat 235.

Orationem incensum et sacrificium vocat 465-466; paucos esse dicit homines qui videntur felices 224; pacem et concordiam animorum celebrat 57; quattuor affert munera legis 387-388. De effectibus gratiae loquitur 556; impios dicit a Deo repelli 135; finem impii exaltati praedicit 294. De Eucharistia vaticinatur 668-670. Figura Christi 633.

Debora cecinit victoriam Barach contra Sisaram 330.

Democritus multos mundos somniavit 371.

Desertum haebraice significat: absque verbo 78.

Deus aeternus est, sanctissimus, beatissimus 183, immutabilis et infinitae bonitatis 444, unus et trinus 370. 752, spiritus purissimus 370. 634. 736, invisibilis 249, potentia, sapientia, veritas, sanctitas infinita 388-389. 461; omnes gradus perfectionis in se continet 32; est totus in toto mundo et in qualibet parte 627; omnia operatur 65; nihil impossibile apud illum 63; nihil facit frustra 221. 377. Duplici via cognosci potest: per naturam et per Scripturam 130; dicitur coelos et Angelos inequitare 126. 131. 631.

Hebraice appellatur plurali numero 681; decem nominibus appellatur in Scriptura 130; dicitur Optimus Maximus 467. 680, mundus ter maximus 29, Deus exercituum 321, sibi sufficiens 320-321. 370. 433. 460. 625, Deus vitae et vitarum 460, *Sanctus Sanctorum* 529. 538, pastor et pater 442, fons aquarum 551-552. 558, sol et lux 558, ignis 51. 538. 558, petra 550, medicus 393. 406. 410.

Mundum creavit ex mera bonitate 582, bonum, sed non perfectum 278; in creatione semper ad meliora processit 182. Creavit hominem immediate 33, immortalem 32, innocentem 545, ad aeternam beatitudinem 68; dedit primo homini praeceptum ieiunii 6. 17. 22.

Omnia quae creavit, diligit 342. 354 et moderatur 70; curam gerit de omnibus, maxime de fidelibus 444-445; voluit ut in mundo et in Ecclesia essent personarum gradus et status 344. Dedit Noe arcum foederis 138; auxit nomen Abrahae et diminuit Sarae 558; dedit Abrahae legem circumcisionis 25; iussit illi ut filium suum Deo sacrificaret 64, ut domo eiceret Ismaelem cum matre 10.

Misit Moysen contra Pharaonem cum virga virtutis divinae 88 et constituit eum principem populi 615, tribuit ei potestatem patrandi miracula 248 et divinam quandam maiestatem 248; mandavit Hebraeis ut de Aegypto asportarent pretiosa quaeque 600, et nihil ibi relinquerent 458; ab eis de Aegypto egressis primo requisivit sacrificium 7. 25; multis annis eos retinuit in deserto 385. 444; dedit eis carnes de coelo 434, et pavit eos manna 78. 215-216. 354. 604; vetuit ne manna servaretur in crastinum 437; dedit legem 76. 79 supra montem Sinai 69, de medio caliginis 249, in duabus tabulis 61; legem daturus voluit ut omnes prius sanctificarentur 683; dedit Moysi exemplar tabernaculi 89; voluit ut tabernaculum construeretur eleemosynis populi pretiosissimis 637; iussit ut celebrarentur quattuor festa in septimo mense 8, ut offerretur quotidie thymiama 469, ut ignis semper arderet in templo 51; noluit ut levitae haberent partem in terra 268; docuit sacerdotes quomodo cognoscerent et curarent lepram 406; vetuit ne mel adhiberetur in sacrificiis 653; praecepit ut Hebraei abstinerent a quibusdam carnibus 393. 406, ut pro quolibet peccato hostia offerretur 240, ut iumentum inimici iuvaretur 54. 364; mandavit Moysi ut exaltaret serpentem aeneum 393. 406; vetuit populo ne quid tolleret de spoliis Iericho 265; noluit disperdere Chananaeos ne Israelitae otio torperent 570; dedit populo duces 614.

Voluit habere templum 165; summopere delectatur orationibus fidelium 176: laudavit petitionem Salomonis 269-279. Differt aliquando concedere petita 177, aliquando signa petita concessit 149; negat propitius quod concedit iratus 177; exigit promptissimam obedientiam 21. 172 et fidem 25 et poenitentiam 652, et super omnia caritatem 363. Adorandus in spiritu et veritate 16; dat virtutem exequendi quod praecipit 61.

Apparuit Patriarchis et Prophetis in humana forma 132. 165. 409. 536. 734, et Labano persequenti Iacob 65. 337; saepe in igne 51. 529; apparuit Moysi in flamma rubi 137. 377. 496. 683. 707 eique revelavit nomen suum ineffabile 433 et proprietates suas 105; apparuit Iosue 577, Eliae in sibilo aurae lenis 160.

Cupidissimus est salutis nostrae 592; vult omnes salvos fieri 124. 344. 349; non vult mortem peccatoris 171; omnibus providet necessaria ad salutem 344. 347. 354, dat etiam efficacia, si abusi non fuerint 346-347; dedit Ninivitis quadraginta dies ad poenitendum 20; modis omnibus salutem omnium procuravit 352. 360-362; tandem misit Christum 342. 360.

Infinite odit peccatum 25. 229. 239; terribilia fuerunt iudicia eius in punitionem peccati 99. 237-238. 244; non pepercit Angelis 337. 350, et eiecit eos de coelo et hominem de paradiso terrestri 214; poenituit eum hominem fecisse 187, misit diluvium 150. 341; saepe legimus armatum ad flagellandum mundum 456; voluit ut Christus solveret pro homine iustitiae divinae debita 691; in principio egit iudicium Angelorum, in fine aget iudicium hominum 106.

Nequit esse testis falsitatis 156; summopere hypocrisin abominatur 380; naturali proprietate sanctissimus 530. 548; de potentia absoluta peccare nequit 232. Iudex omnium omnia novit 338.

Misericordiam magis quam iustitiam ostendit 165; misericordia eius excedit omnia opera 170. 174; amicus hominis appellatur in Scripturis 515; pater et mater est omnium 167; promptus ad dimittenda peccata 590; proprium ipsius est reddere bonum pro malo 564; tardus ad iram 171. 353.

Infinito amore hominem diligit 244; eum corripuit cum misericordia 358-359. 373; corripuit Cainum et Davidem 359; semper valde honoravit poenitentiam 595. Regnat in homine per gratiam 333; requirit a christiano animum nobilem 76.

Electos probat 172, ut magis eos exaltet 527. 571; tentavit Abraham et Iob 62. 88. 168. 569; cultoribus suis prius dat laborem et postea mercedem 203; non punit omnia mala nec praemiat omnia bona in hoc mundo 298; magna promittit et maiora dat 215; in praemium virtutis creavit aeterna bona 291.

Non deserit nisi prius deseratur 232; finis supremus omnium 122. 378, bonum supremum

omnia bona continens 224, fons felicitatis 229. 562-563, ipsissima dulcedo 216; solus ipse explere potest omnia desideria cordis humani 202. 563. Dei cognitio hominem Deo similem reddit 134; cognoscenti Deum omnia vilescunt 134. In visione Dei consistit omnis beatitudo paradisi 209. Ubi Deus, ibi paradisus 201.

Diabolus in paradiso princeps Angelorum 331. 338; superbia peccavit 257; invidit unionem hypostaticam et pulsus fuit de paradiso 331. 339. 530, factus inimicus Dei capitalissimus 242; pulsus etiam de paradiso terrestri et de mundo 321, factus hominis hostis crudelissimus 79. 573.

Multis nominibus appellatur 79-80. 321. 326. 332-333. 532; mente perspicacissimus, voluntate pessimus 338; ars eius est tentare omnes fideles 80-81. 87. 91. 93; tentat multis modis 96; potentissimus est, sed etiam debilis 87. 332; suadere potest, non cogere 87; ita tentat ut legem ipsam ob oculos ponat 85-86; tentavit Adam et Evam invidia motus 80-81. 85. 88. 257; a Deo maledictus ob peccatum hominis 85; flagellavit Iob 66. 83. 92. 292. 332. 618; semper Christum persecutus fuit 567 eumque tentavit 73. 97. 149. 619, apparens ei sub forma eremitae 80; immisit in cor Iudae ut Christum traderet 65.

Regnat in homine per peccatum 333-334; maiores daturus est poenas ob peccata hominum 85; regnum eius paradisus videtur, sed verus infernus est 201; pluris facit unam animam quam mundum universum 360. Multi negant daemones esse 339.

Diana Ephesia eius templum inter septem mundi miracula 454.

Dies in Scripturis ponitur aliquando pro anno 183.

Dignitas humana duplex: naturalis et acquisita 30-31. Vide *Nobilitas.*

Diluvium in quo genus humanum periit 102. 120. 170. 500. 506. 603, symbolum universalis iudicii 5.

Diogenes Cynicus accensa lucerna in meridie per plateam civitatis hominem quaerebat 42. 482.

Dionysius S. de Eucharistia agit 673.

— **Cato** citatus 356.

Dives difficile intrabit in regnum coelorum 273; dives avarus nunquam est satur 438; vere dives est qui cupiditatibus est pauper 225.

Divitiae donum Dei sunt 459, sed earum amor inordinatus interdicitur 460. Ex divitiis multae oriuntur molestiae 279. 282.

Doeg detulit Achimelech apud Saulem 288-289.

Dolor magnus innodat cor 603.

Dominicus S. Patriarcha Praedicatorum 346.

Draco flatu hominem interimit 82.

E

Ecclesia instituta ab initio mundi 399; domus Dei est fundata a Sapientia 151, supra fidem et doctrinam Apostolorum 254; figurata per domum Petri 398; extra Ecclesiam non est vera poenitentia 647; maiorem copiam gratiarum habet quam synagoga 562; tres status personarum complectitur: incipientium, proficientium et perfectorum 732; omnes mundi dignitates excedit 260; dicitur hortus florum 219, paradisus Dei 201. Errare nequit 610.

— aedificium, habitatio Dei est 542, maxima eam decet sanctitudo 458.

Electi paucissimi sunt 120-121. 586; eorum pars Deus est non mundus 268; si homo non peccasset, electi tantum nati fuissent 181. Vide *Iustus.*

Eleemosyna cibus Christi est 636; gratissima Deo 640; optima Deo offerenda sunt 637-638,

— erga pauperes, urgente necessitate, praeferenda est sacrificio quod Deo fit 640; magna praemia eleemosynae promittuntur 641.

Elias propheta sanctus 184, potens Deus interpretatur 351. 353. 513; Deus videbatur non homo 117; currus Israel appellatus 625. 631; exemplo suo multos traxit in desertum 78; ardentissimus zelator divini honoris 351, descendere fecit ignem de coelo super sacrificium 63. 67. 153. 384. 722, et super quinquagenarios 351; occidit omnes prophetas Baal 351; coelum clausit et aperuit 351. 354; septies oravit petens a Deo pluviam 469, quam regi Achab praedixit 4; ex parva nubecula magnam aquarum copiam eduxit 444; iussus secedere in partes Tyri et Sidonis 159, acceptus hospitio fuit in Sarepta a vidua 411, cui filium mortuum suscitavit et farinam multiplicavit 139. 159. 352. 498. 521. 597. 641; persecutus a Iezabele et exulare coactus 566, mortem desideravit 506; ab Angelo pane coelesti sustentatus 660. 675, fugit in montem et Deum vidit 5. 13. 90. 507; orans raptus fuit in coelum igneo curru 15. 24. 53. 62. 77. 367. 463.

Eliezer procurator domus Abrahae 411, divinus adiutor interpretatur 412; missus ad quaerendam uxorem Isaac 411, oravit et exauditus fuit 177. 199. Figura Christi 413.

Eliseus propheta sanctus 184, divinus seu potens salvator interpretatur 351. 353. 521; deus videbatur non homo 177; multos traxit ad eremum 78; duplici spiritu Eliae donatus 514; ferrum natare fecit super aquas 715; sanavit aquas Iericho 354. 394. 407. 470. 477-478; farina infusa, abstulit amaritudinem pulmento 505; oleum multiplicavit 27. 641; mortuum filium viduae suscitavit super illum se contrahens 139. 407. 514. 520-521. 594. 596. 603. 668. 682, ad quem suscitandum frustra miserat Giezi cum baculo 668; mundavit lepram Naaman syri 354. 393. 407; cognovit peccatum Giezi 402; ab Angelis defensus contra Syros 84, exercitum Syrorum in fugam vertit 353; praedixit regi Israel victoriam contra Syros 95. 118; mortuus occisum suscitavit 139.

Enoch dedicatio interpretatur 585; sanctus patriarcha 48. 184. 219. 263; de divino iudicio vaticinatur 141; ambulavit cum Deo 464. 515. 584. 589.

— filius Cain, cui pater civitatem aedificavit 589.

Epicurei negant animae immortalitatem, divinam providentiam et finale iudicium 109. 369.

Esau Edom appellatus, idest rufus 53, venator 169; figura reprobatorum 296. 580. 586; concupivit paternam benedictionem 214; persequebatur Iacob 85 et nunquam deposuit odium suum 61.

Esdras divinus auxiliator interpretatur 185; templum reparavit 185. 498. 521.

Esther regina, sponsa Assueri 38. 430, exaltata quia humilis 256; ieiunavit 21; ad Assuerum accessit mundo muliebri ornata 177. 469, et Aman ad convivium invitavit 665.

Eucharistia continet Christum verum Deum 678, qui Deo offertur et totus noster fit 677; est Sacramentum et sacrificium institutum a Christo in ultima coena 662. 671. 678; dicitur mysterium fidei 678; mysterium ineffabile 661; maximum miraculum 679-680, infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis 664. 682, compendium omnium beneficiorum Dei 676; figurata fuit per agnum paschalem 664, per iuge sacrificium 677-678; a Christo adumbrata per coenam magnam 659. De hoc divinissimo mysterio multa dicunt SS. Patres 673. Error Sacramentariorum confutatur a D. Paulo 660 et ab ipsomet Christo 661-662.

Eucritus desiderabat vitam Croesi et mortem Socratis 507.

Eusebius Emesenus de Eucharistia agit 674.

Eva mulier in aetate perfecta formata 172 ab ipso Deo 409; peccavit ex ignorantia 532; post peccatum sic vocata 558.

Euthyches damnatus in concilio Chalcedonensi 609.

Exploratores terrae promissionis regressi fructus portantes 222; peccaverunt explorantes terram quadraginta diebus 297.

Ezechias rex piissimus 279. 631, templum Dei mundavit 451; amarissime flevit accipiens nuncium mortis et ab Isaia curatus fuit 186. 350-351. 502. 604. 688.

Ezechiel propheta Deum vidit vectum igneo curru animalibus alatis tracto 23-24. 27. 51. 104. 111. 211. 467. 543; iussus a Deo comedere volumen 61. 147. 164. 292. 481; praedicit eversionem Ierusalem 118-119. 121-122; diem ponit pro anno 183; de Christo vaticinatur 622; Christum vidit instar ignis splendentem 52. 265. 703. 706 et velut hominem cum quattuor faciebus 539, sex Angelis comitatum 536. Dicit Deum non exaudire orantes versa facie ad orientem 281; vidit electos signatos *Thau* 122, et septuaginta seniores cum thuribulis idola adorantes 608; templum vidit 253. 453 gloria Domini repletum 224. 227. 539. 648; magnum fluvium de templo egredientem 561. 580 et secus fluvium arborem 395. 424. Iudicium Dei gladium appellat 114. Contra odientes proximum invehitur 60.

F

Facere in Scripturis accipitur pro offerre 663.

Felicitas status omnium bonorum cumulatione perfectus 210; innatum desiderium in humano corde 221. 274, quia finis est ad quem conditi sumus 264. — duplex: vera et fallax 274; mundana nihil penditur a Deo 299; infelicitatem affert 268, et in oblivionem Dei inducit 274.

Festa quattuor praecipua celebrabantur sub Lege 8-9. In festis Paschae, Pentecostes et scenopegiae Hebraei tenebantur Ierusalem adire 219.

Fides difficillima proponit ad credendum 47. 55; certior est cognitione sensibili 43; dat homini cognitionem Dei et sui ipsius 47; fides vera una tantum 152; sola non salvat 43, sine operibus mortua est 158; fides viva complectitur omnes virtutes et dona Spiritus S. 162; facit hominem filium Dei et templum Spiritus S. 575; est radix et mater omnium virtutum 47-48 et vera via salutis 156.

Fontes quattuor singulares leguntur in Scripturis 551. 561; alii quattuor in terra promissionis 563.

Franciscus S. Patriarcha Minorum 346.

Furiae filiae Plutonis et Proserpinae 279. 282.

G

Gad felicitas interpretatur 271. 281; — tribus elegit terram Galaad inhabitandam 271.

Gallus vigilantiae hieroglyphicum, Aesculapio dicatus 407.

Gedeon sanctus 184, evertit aram Baal 451, ideo Ierobaal dictus 451. 457-458; Angelum vidit 567, qui ascendit in coelum cum flamma holocausti 667; duxit bellatores suos contra Madianitas 89; stratagemate usus exercitum fudit 83. 265. 631, et gladio armatus omnes perdidit 373. 500. 666.

Gloria paradisi est ineffabilis 221; est copia omnium bonorum 211. 219-220; non destruit sed perficit naturam 212; gloria mundi vana, mendax et fallax 266-267. 282. Vide *Paradisus*.

Goliath fortissimus gigas a Davide prostratus 332.

Gratia donum ineffabile 430, pretiosius omnibus thesauris 77. 91; est forma hominis christiani 198; non est ex meritis 428; est adoptio filiorum Dei 428-430, sponsalitium inter Deum et hominem 430; est quaedam regia unctio 96; hominem regenerat et renovat 428, animam vivificat 430 et deificat 39; datur cum virtutibus et donis Spiritus S. 191. 322. 643, imo cum ipso Spiritu S. 91. 557; est vera sanitas spiritus 399; etiam partem sensibilem consolatione replet 427. Aliquando maior gratia minorem sortitur effectum 348. Amittitur per peccatum 91.

Gregorius Magnus S. exaltat virtutem ieiunii 6.

— **Nazianzenus** dicit agnum paschalem figuram fuisse Eucharistiae 674; miraculum refert ob preces Gorgoniae ad Sacramentum fusas 672.

H

Haeretici negant intercessionem Sanctorum 400; dicunt inanem esse cultum et ornatum ecclesiarum 6398.

Hebraei multa passi in Aegypto 202; vilissimis operibus occupati 7. 95. 572, dura servitute pressi 172, clamaverunt ad Dominum 575; visis miraculis, crediderunt Moysi 153 et educti fuerunt de Aegypto 1-2, divites valde 330; legem Dei susceperunt in deserto 568; ducatum columnae sequebantur 78. 573. 600; pugnaverunt contra Amalec et Chananaeos 76; panem de coelo receperunt et aquam de petra 202. 215. 285. 295. 554; mirati sunt manna videntes 116. 129; saepe tentaverunt Deum 92. 139; multi perierunt ob concupiscentiam carnium 25. 267-268. 433; omnes qui de Aegypto egressi fuerunt, in deserto perierunt 120; in idololatriam lapsi 219, adoraverunt vitulum aureum 326. 592; a multis inimicis persecuti 566; post multa bella possederunt terram promissionis 90. 586; natura increduli 137. 139; arcam comitabantur velut ducem invictissimum 330; omnia necessaria obtulerunt pro erigendo tabernaculo 638-639; offerre iubebantur in sacrificium oves et boves 9; ter in anno ascendebant in templum 218; multa ieiunia servabant 20-21; peccata sacerdoti confitebantur 650; valde fidebant in meritis templi et sacrificiorum 123; Prophetas contemnebant 357.

Dubitabant de miraculis Christi 139; signa petebant ab eo 150; noluerunt Christum recipere 239; praetulerunt ei Barabbam 705 et Christum occiderunt 718; peccaverunt quia male eum occiderunt 719-721. Synagoga periit quia Christum respuit 143; funditus eversa 564. 613. 619-620.

Duobus et tribus nominibus hominem appellant 36. 265; dicunt currum Ezechielis legem significare 24, solum sacrificium laudis permansurum in diebus Messiae 670; tota eorum theologia innititur decem numerationibus 131-132; cedebant iuri suo pedes discalceando 378.

Heli dure egit cum Anna 160; noscens arcam a Philisthaeis captam fuisse, mortuus est 597.

Hercules fortissimus monstrorum domitor 290.

Herodes Ascalonita Christum infantem occidere volebat 365. 648; infantes Bethlehem occidit 367.

— **Antipas** Ioannem Baptistam occidit et Christum illusit 365. 710.

Herodias Ioannem Baptistam occidere fecit 26. 90. 558.

Hessaei secta religiosa 46.

Hieronymus S. dicit sacerdotes Christi corpus sacro ore conficere 672; Paulum noluisse verbis prodere sacramentum Eucharistiae Iudaeis 669.

Hilarius S. de Eucharistia agit 673.

Hirundo caecatos filios chelidonia oculat 646.

Homerus rerum generationem Oceano tribuit 559.

Homo animal rationale 42; duplici substantia constat 270; anima rationali differt a brutis 46; tredecim sunt eius praerogativae 183; est veluti quaedam cithara septicordis 323; maxima eius nobilitas ex natura, origine et fine 38; mirabilis est structura corporis 493; summa cum maiestate Divina Scriptura eum introducit in mundum 252; a Deo formatus 323 ex luto 488. 643, consilio Trinitatis 182. 187, et flatu Dei vivificatus 687; creatus unus tantum 32, post mundi opificium 31, ut esset in mundo sicut sacerdos in templo 252 et veluti tabernaculum Dei 31; factus ad imaginem Christi 37. 73. 180; parvus mundus et Dei imago 29. 32-33, compendium universi, microcosmos 32. 35 et veluti quaedam respublica 43; magnum miraculum 35, excellentissimus inter omnes creaturas 143; omnibus perfectionibus donatus 33, immortalitate et gratia 182. 298. 339, maxima scientia et dono prophetiae 182; accepit revelationem mysterii Ss. Trinitatis et Incarnationis 182-183; secundum rationem vivere debet 42.

Quattuor sunt genera hominum in mundo 16. — animalis qui ducitur sensu carnis 16.

Voluit deificari 265; peccavit a muliere impulsus 359. Conditus ad felicitatem 221, nonnisi felicitatem desiderat 419, scientiam universalem et potestatem magnam 563; capax est virtutis 46, in qua consistit summa eius dignitas 299; in statu gratiae possidebat perfectam sanitatem corporis et sanctitatem animae 194; per peccatum in maximam miseriam lapsus 184; in puris naturalibus absque speciali gratia potest aliqua bona agere 196; in Baptismo renascitur filius Dei 74; habet naturale desiderium scientiae et virtutis 196. Natura valde timidus est 114.

In mundo nullus sua sorte contentus 221. Omnis homo vel de regno Christi est vel de regno satanae 334. 339.. 390.

Honor nil carius in mundo 61.

Horatius Flaccus citatus 218. 460.. 501.

Humilitas oritur ex vera sui ipsius cognitione 252; est radix obedientiae 257; unica via ad gloriam 275; paradisus nonnisi humilibus aperitur 257.

Hypocrisis furtum est divinae gloriae 4; Deo summopere abominabilis 380; pestis occulta, ideo periculosior 381.

Hypocritae larvam tantum gestant virtutis 11. 102. 376. 390; externum cultum solum profitentur 377; sunt sacerdotes Baal 14. 27.

I

Iacob sanctus 184, calcaneus interpretatur 256; tertius patriarcha, figura Spiritus S. 416; in utero matris cum Esau collidebatur 112; a Deo dilectus 296. 580. 586; praelatus Esau 256; finxit se esse primogenitum 704-705; a fratre persecutus exulare cogitur 566; baculo transivit Iordanem 728; Deum vidit in summitate scalae coelum tangentis 77. 99. 253. 367. 634; diligebat Liam et Rachelem 343; ponebat ante oves virgas diversicolores 629; divisit oves suas ab ovibus Laban 112. 578. 586; cum angelo pugnavit 94 et eum vicit et Israel vocatus fuit 256. 265; emit fontem 431, symbolum Baptismi 428; septies oravit 469; flevit Ioseph quem mortuum putabat 498. 526. 688; Simeon et Levi vasa iniquitatis appellavit 611; exemplar viri iusti 48, figura electorum 584.

Iacobus S. apostolus de oratione loquitur 177; vineam Domini synagogam appellat 241, et bona mundi somnia 272; diversas esse dicit cogitationes Dei a cogitationibus hominum 276; beatum dicit virum tentatione probatum 287; seipsum salvare qui peccatorem converterit 366; linguam appellat ignem modicum magnam silvam incendentem 365.

Ieiunium multis de causis necessarium 21; praeceptum fuit homini in paradiso 6. 13; a Sanctis Patribus ab initio servatum 27; non quodcunque ieiunium Deo placet 25; virtutibus coniunctum esse oportet 6; cum

laetitia faciendum est 1. 15 et ex caritate 5; prius a vitiis ieiunandum 9; illustrat mentem 3. 6, vitia comprimit et praemia largitur 12; tale ieiunium coeleste est thesaurum 5 et Deo sacrificium gratissimum 13. 27.

Ieremias propheta missus a Deo ad praedicandum 148; vidit virgam vigilantem et ollam succensam 165. 522. 542, et duo canistra ficuum 292; de nova lege evangelica loquitur 66; Christum appellat germen iustum 539. 546 et regem 622, et Deum fontem 551. 559; imaginem depingit viri iusti 36. 49 et peccatoris 50; Deum medicum suum appellat 393; de misericordia et clementia Dei loquitur 351. 592; malum et amarum esse dicit Deum derelinquere 232. 656-657; de malitia Ierusalem arguit 227; optimates et plebem deseruisse iustitiam dicit 618; minitatur mala extrema Iudaeis nisi resipiscant 140; deflet vecordiam populi 19. 42. 122, et ruinam synagogae 378. 693; praedicit destructionem Ierusalem et templi 118. 123; Deum iudicem venturum describit 144, et paucos salvari dicit 121. Terram vacuam appellat 278; regnum Iudaeorum Ingenae comparat 623.

Iericho divino miraculo eversa 9. 154. 589. 723, una tantum familia salvata 120; renovator Iericho maledictus 589; figura huius mundi 265. 271.

Ieroboam electus rex Israel 212, accepit partem regni Roboam 403; regnandi causa a Deo defecit ad idola 565; eius uxor mutato habitu prophetam adiit 376.

Ierusalem figura huius mundi 119 et coelestis paradisi 205. 297.

Iethro sacerdos Madian 253, consilium dedit Moysi ut constitueret principes populi 614.

Iesus salvator interpretatur 185; — pontifex templum reparavit 185.

Iezabel Eliam persequebatur 26. 558.

Ignis summa est eius potentia, pulchritudo, utilitas 52. 69; omnia consumit 63. 235; hieroglyphicum amoris 52. 66, iustitiae 105 et puritatis 4. 529. 537-538. 545.

Infernus in centro terrae situs 106. 165. 368; locus animarum iniquarum 368; est privatio omnium bonorum 291 et locus omnium malorum 300; tormenta inferni ineffabilia sunt 291-292. 297; peccatum linguae specialiter punitur in inferno 289.

Ingratitudo fontem divinae gratiae exiccat 386.

Inimicus diligendus est 54-55; dilectio inimici signum est verae caritatis 62. 67, cui maximum praemium promittitur 59-60. 65; qui inimicum odit, veniam a Deo non meretur 70, filius est satanae 57 et acerba nimis incurret 60.

Invidia oritur ex cupiditate 354; perturbat et obscurat animum 356.

Ioab sub specie amicitiae Abner prodidit 380.

Ioachim rex Iudae captus a rege Chaldaeorum 180.

Ioannes S. apostolus et evangelista, de Deo aeterna luce loquitur 134, et de divinitate Verbi 136. 682, et de excellentia Christi 236. 493; Christum dicit plenum gratiae 541, et lucem mundi appellat 342. 474; narrat historiam mulieris samaritanae 421-422; illuminationem caeci nati describit 491-492, et ingressum triumphalem Christi in Ierusalem 621; Christum affert loquentem de templo corporis sui 453, et mercatores de templo eicientem 126; de festo scenopegiae loquitur 554; gratiam aquam appellat 556-557; dicit Caipham prophetasse 614; non agit de institutione Eucharistiae, sed fundamenta ponit, idest caritatem et omnipotentiam Christi 680-681. Peccatum iniquitatem vocat 229 et orationem incensum 465; ponit caritatem signum electorum 56.

Deum vidit super thronum candidum 3. 145, pro tribunali sedentem 124, et omnes electos amictos stolis candidis 3, et multos libros apertos 129; vidit coelestem Ierusalem 210. 223. 473. 677. 730; musicam citharoedorum audivit in paradiso 176; vidit fluvium magnum egredientem de throno Dei 164, cuius aquae clarae tanquam crystallum 430, et secus fluvium arborem fructibus onustam 394. 524, et mare magnum ante thronum Dei 174, et aureum altare et seniores cum phialis 401, et Angelum splendentem 730 et incensa adolentem 467.

Christum vidit super equum album 145. 390. 630, sub specie Angeli 103. 105, et tanquam agnum occisum in throno Dei 731, in medio candelabrorum 105. 536, et quattuor animalia ante thronum 546. Vidit coelestem mulierem 35. 49, et Michaelem de coelo eicientem draconem 94. Vidit diabolum sedentem super equum nigrum 146. Solus ex discipulis stetit iuxta crucem Iesu 693.

— **Baptista** ieiunabat 15; orabat 464; poenitentiam praedicabat 26 et Christi sanctitatem 546; severe Pharisaeos et Herodem arguebat

374; dictus a Christo lucerna ardens et lucens 537.

Iob vir rectus, tamen confitebatur peccata sua 658; tentatus a satana 97, traditus potestati illius 651. 717, a Sabaeis et Chaldaeis spoliatus 66, plagis toto corpore affectus 181. 566. 710. 748, in sterquilinio se recepit 195; patientissime omnia tulit 48. 68. 287, ostendens virtutem suam 698.

Fugacitatem felicitatis suae lamentatur 288; Dei potentiam et sapientiam praedicat 325; divinum iudicium gladium appellat 114; mortem cum inferno coniungit 548; malum animum a Deo non exaudiri dicit 178; equum bellatorem describit 146.

Pristino statu restitutus 527, pro amicis rogavit 400; post tentationem duplicata bona recepit 649.

Ioel propheta praedicat sanctum ieiunium 9. 21, et divinum iudicium 148; de vera poenitentia et de benignitate Dei loquitur 591, et de copia gratiarum Ecclesiae 503; Christum fontem appellat 552.

Ionas propheta columba interpretatur 146. 155. 522; missus a Deo ad praedicandum Ninivitis 146, mersus in mari a pisce devoratur et inde egreditur 147. 153. 521. 686. 717. 728; divinum iudicium praedicavit 148; Ninivem convertit 140. 146. 155-156. Nullum miraculum fecit 153. Mortem desideravit 56.

Ionathas mortis periculum incurrit 95. 248-249; David maxime diligebat 515.

Iordanis fluvius iudicii interpretatur 146. 714; ad ingressum arcae in eius alveum aquae steterunt 444. 723; in eo Naaman se lavans a lepra mundatur 426. 557. 603. 648; in mare Mortuum influit 509.

Ioseph patriarcha sanctus 184; duplici visione cognovit futuram gloriam suam 140; persecutus a fratribus 566. 610. 719, invidia motis 339, ne eorum dominus fieret 612. 614; a muliere tentatus 92, constanter restitit 246. 345; multa passus 572; interpretatur somnia eunuchorum 283. Mirabilis sapientiae manifestatur coram Pharaone 116; eductus de carcere factus fuit princeps Aegypti a Pharaone 515. 572. 613. 633. 678. 728, qui salvatorem mundi eum appellavit 342. 353. 449. Omnibus frumenta vendebat 342, sed sacerdotibus donabat 353-354. Dure egit cum fratribus, licet valde eos diligeret 159; in convivio se eis manifestavit 678. Figura Christi 633.

Iosephus Flavius citatus 655.

Iosue divinus salvator interpretatur 415; sanctus 184; cum Amalec pugnavit 94; populum introduxit in terram promissionis 415, et, transito Iordane, eum circumcidit 11. 26; stare fecit solem 139. 154; vir mirabilis bellica virtute 117; divisit populum in duas partes ad benedicendum et maledicendum 112.

Isaac patriarcha sanctus 184. 684, unicus filius Abrahae 685; persecutus ab Ismael 566; quattuor fontes fodit 553; ductus a patre ad sacrificium 687. 695. 717, ligna holocausti ignorans portavit 691; rogavit pro uxore sua sterili et exauditus fuit 400. Multa passus a fratre et a Philisthaeis 689; Iacob benedixit 214, eum non cognoscens 550; cum cognovit, obstupuit vehementer 586. Imago viri iusti 48. Ligatus super struem lignorum figura Christi 718. 729.

Isaias propheta, divinus salvator interpretatur 186. 394; de regia stirpe David 392; Deum vidit supra templum 445. 534, et supra thronum excelsum 127. 224, et Seraphim circa thronum 49. 52. 254, stantes et volantes 375, caput et pedes suos alis operientes 105, trisagium canentes 540. 545; purgatus seraphico ministerio 52. 127. 148. 365. 372. 404. 410. 481. 538. 649. 658, missus fuit ad praedicandum mortem certam 509 et divinum iudicium 127.

De bonitate Dei loquitur 442, praesertim erga orantes in templo 461; domum Dei domum orationis vocat 465; Deum fontem gratiae appellat 559, ad quem omnes invitat 555; arguit hypocritas 378, ingratos erga Deum 243, et insipientes 482, et eos qui humana prudentia tantum reguntur 343 et legem divinam abiiciunt 438; mala enunciat quae oriuntur ex ignoratione Dei 134; iussus a Deo fuit ut fere nudus iret per civitatem 377; carnem foenum appellat et gloriam vanam florem agri 288. 294; docet quale sit sanctum ieiunium 5. 13; veram poenitentiam expressit 592; eleemosynae praemia ostendit 642; illusos dicit qui non se cogitant morituros 508.

Principes populi vocat cor et caput 541; per montes et colles eos designat 254; malos principes causam dicit ruinae populi 616.

Fidem dicit librum signatum 47; Abraham appellat amicum Dei 515. De lege evangelica loquitur 66; de Christo vaticinatur 141. 323. 541 infirmos sanante 394-395, mundum illu-

minante 470; illuminationem caecorum signum ponit veri Messiae 394. 486; sapientiam Christi decantat 476-477. 736, et divinam sanctitatem 546, et misericordiam 169. 176. Tragice cantat Christi passionem 684-685. 687-690; Christum vocat miraculum et consiliarium 116, Emmanuelem 186, servum Dei 412, salvatorem 414, praeceptorem 249; Christum dicit positum in signum populorum 713; gloriam Christi vidit 210. 700, et timuit 127.

De excellentia Ecclesiae vaticinatur 677; de effectibus gratiae loquitur 556, de oratione et de fructu passionis Christi 695, de laetitia iustorum 2. 203. 206; animam iustam sponsae comparat 177; dicit quemlibet accepturum iuxta opera sua 146; vanum esse quod non consequitur finem suum 278; ineffabilem dicit gloriam paradisi 206.

Iussit ut Achaz signum peteret 279 eique recusanti obtulit 149; dedit Ezechiae nuncium mortis 140. 688; oravit pro eo 400, eumque sanavit cataplasmate usus 186. 392. 407. Oratione liberavit Ierusalem a Sennacherib 400.

Ismael peritissimus sagittarius 82; Isaac persequebatur 10. 85; ab eo divisus fuit 112.

Iudas S. apostolus Enoch affert de divino iudicio vaticinantem 141; peccatores vocat nubes vento exagitatas 543.

— **Iscariotes** haereticorum patriarcha, murmuravit contra Magdalenam 637-638; introivit in eum satanas 566; peccavit ex malitia 532; sub amici persona Christum prodidit 380. 687. 689, avaritia ductus 721. Falsus poenitens 602.

Iudicium divinum etiam sanctis timorem incutit 124. 127; celebrabitur ad gloriam Christi exaltandam 144.

Iupiter deus vitiis omnibus notatissimus 239.

Iustificatio tribuitur gratiae et libero arbitrio 198; est conversio hominis ad Deum 629.

Iustitia moralis requirit ut unicuique quod suum est tribuatur 4; — legalis oritur ex cognitione virtutum et vitiorum 252; — temporalis non damnat ad supplicia nisi ob gravia delicta, divina etiam sine malefactis 110. 231.

Vera iustitia dari nequit sine fide 151.

Iustus qui odit malum et diligit bonum 112; ex fide vivit 152; — quilibet filius Dei est et frater Christi 36; appellatur *triticum*, *vitis* et *oliva* 569; non admodum affligitur penuria rerum temporalium 287. Iusti cum Christo mundum iudicabunt 102.

L

Laetitia cordis signum electorum 1.

Lazarus ad auxilium interpretatur 518; Christi amicus et familiaris 527; suscitatus a Christo 646. 654. 730; post resurrectionem suam cum Christo convivatus 591. 639.

— mendicus portatus ab Angelis in sinum Abrahae 77.

Leo ignem et gallum metuit 235.

Lex regula vitae est 429, et via Domini dicitur 53; Deum vehit ad mentes nostras 24; vetus data cum sonitu tubarum 9, scripta in duabus tabulis lapideis et in arca reposita 53. 61. 479.

— de redemptione domus venditae 297; de stupris et adulterio 421; filium iniquum obrui lapidibus praecipiebat 386.

— divina purissima et perfectissima docet 155; veram requirit virtutem 394; evangelica ignea dicitur, quia lex caritatis 53. 56. 66; humana externa tantum opera requirit et saepe iniqua est 389-390, et multo plura praecipit quam divina 388. Necessariae sunt leges reipublicae 587.

Lignum vide *Arbor*.

Loth regio Pentapolis paradisus sibi visa fuit 201. 279, sed multa ibi passus est 267 et infernum reperiit 419; vi ab Angelo inde eductus 95. 189, salvatur in monte 90. 190. 604; uxor eius in statuam salis transmutata fuit 235.

Lucanus citatus 39.

Lucas S. evangelista agit de Christo in deserto 94; tradit exordium praedicationisChristi ab iudicio 125; affert Pharisaeos Christum tentantes 145, et Christum loquentem de regno Dei 432; refert historiam centurionis 502, et tres parabolas de poenitentia 593; describit ingressum triumphalem Christi in Ierusalem 621; refert Christum exultasse cum audisset fructum praedicationis Apostolorum 695.

Lucifer spiritus supremus superbia cecidit 324. Vide *Angelus, Diabolus*.

Luna ex terra maculas contrahit 4; viginti quattuor horis totam coeli peripheriam agit 197.

Lupus nocet si prius videt, non si prius videatur 513.

Lux qualitas et effectus ignis 51; gratissima oculis 612; hieroglyphicum sapientiae, virtutis, et bonitatis 209. 446. 496, et sanctitatis 536.

M

Macedonius damnatus in concilio Constantinopolitano 609.

Magi Pharaonis signa faciebant signis Moysi similia 12. 391; in pulvere defecerunt 513.

Magi ducatu stellae venerunt ad Christum adorandum 346. 661, et munera ei obtulerunt 26-27. 640.

Malachias propheta iudicium universale praedicavit 101-102, comparans illud igni ardentissimo 107; damnat vitia sacerdotum 259; sacerdotem Angelum Domini appellat 253; de paterno Dei amore erga electos loquitur 209; refert querelas mundanorum contra Deum 441. 456; de sacrificio Eucharistiae vaticinatur 670; Christum Angelum testamenti et ignem appellat 52. 262. 736, et solem 393; agilitatem et laetitiam Beatorum describit 212.

Malum Vide *Tribulatio*.

Manna pluit in deserto 76. 260, consumpta farina Aegypti 13; suavissima 58. 666; famem et sitim levabat 139. 427; vitam ac sanitatem conservabat 58; excepta illa pro die sabbati asservata, computrescebat 28; servata in arca 120. 165. 223. 285.

Marcus S. evangelista agit de Christo in deserto 94; dicit Christum non potuisse in Nazareth miracula facere 347; Christum affert multa docentem 432, de turba miserantem 433, pietatem Magdalenae commendantem 629, a qua septem daemonia eiecerat 600.

Mardochaeus ieiunavit 21; ab Assuero exaltatus 515, post sententiam mortis in eum latam 728.

Mare Rubrum Hebraeis causa salutis, Aegyptiis perditionis 101. 106. 170. 431. 500. 505-506. 603.

— aeneum in templo 120. 455. 555, symbolum misericordiae Dei 170.

Maria Virgo SS. stabat iuxta crucem Iesu 693, mirabilem virtutem animi ostendens 700-701; si homines defuissent, ipsa Christum crucifixisset ut Deo obediret 710; magno miraculo viva remansit cum Filius in cruce mortuus est 688.

— **Magdalena** turris interpretatur 600; a septem daemonibus possessa 598. 600; a Christo sanctificata 47; unguentum effudit super caput Christi 47. 637. 639; flevit ad pedes Christi ob mortem Lazari 594. 644, et ad sepulcrum Christi 577; exemplar verae poenitentiae 591. 601. 603, figura vitae contemplativae 160. 432, imago animae vere piae 643.

— soror Moysi, demerso Pharaone in mari, canticum cecinit 1. 329; murmuravit contra Moysen 227; a lepra percussa et extra castra relegata 652, precibus Moysi liberata fuit 393. 594. 602.

Maranus christianum cum christianis, hebraeum cum hebraeis se gerebat 418.

Martha soror Lazari, nimis sollicita et turbata 405; ministravit Christo 639; figura vitae activae 160.

Materia prima apta ad omnes formas, semper novas desiderat 224.

Matthaeus S. apostolus et evangelista refert sanationem socrus Simonis 502; utitur figuris solis et nivis ad explicandam gloriam paradisi 221; vaticinium Zachariae adducit 622; Christum refert pietatem Magdalenae commendantem 369.

Mathias S. apostolus sorte electus 426, successit Iudae in apostolatum 403.

Medea herbis infirmos curabat et mortuos etiam suscitabat 408-409.

Medicus minister est naturae 394. 408; officium exercet pietatis 409; multa scientia opus habet 407; olim chirurgum et pharmacopolam agebat 408. Medicina magnum Dei donum 407.

Melchisedech rex Salem, Abraham benedixit 104. 255. 523; rex et pontifex 247. 476; sacrificium obtulit 253. 263; divinam providentiam praedicavit 446. Figura Christi 260.

Mercurius eloquentiae, furum et mercatorum deus, pingebatur cum caduceo 408.

— **Trismegistus** hominem appellat 'magnum miraculum 35; docet animae humanae immortalitatem 368.

Michaeas Deum vidit super solium in medio Angelorum 127.

— propheta divinum iudicium praedicavit 148; docet quid Dominus requirat 22, quomodo ambulandum cum Deo 251; Deum introducit conquerentem de populo 217. 444; 540; principes appellat montes et colles 254, et Deum salvatorem 414.

Midas petiit ut quicquid tangeret aurum fieret 281.

Miraculum est opus supra naturae vires 154; non necessarium ad fidem 153. 347, sed valde movet ad credendum 153.

Moria amaritudo interpretatur 54 686. 690. 728; mons sacrificii Isaac 54. 686. 728; ibi aedificatum fuit templum Salomonis 634.

Mors maxima miseria 527; poena est peccati 499; universalis, crudelissima, horribilis 500-502; omnia bona mundi aufert 694; ultimum terribilium 512; omnes naturae vires vincit 511; via mortis multiplex et lata 120; per se nec bona nec mala est 499; inimica vitae, sed utilissima 504; meditatio mortis est philosophia vitae 513, stimulus ad poenitentiam 508. Hebraeis aliquando silentium significat 235.

Moyses pastor in terra Madian 248. 259. 433. 515. 683; vidit Deum in rubo ardenti 129. 137. 425, hiemali tempore 378; vocatus a Deo ad liberandum populum 7. 204. 346. 707, excusavit se ab hoc onere 137; constitutus deus Pharaonis 139, et princeps populi 633. 682, perrexit in Aegyptum super asinum equitans 635; occidit aegyptium persequentem hebraeum 11. 525, et sepelivit eum in sabulo 25; persecutus a Pharaone 566; constitutus rex et pontifex 247. 254, quasi divinitate donatus 259. 683, Spiritu S. praeditus 248, virga humiliavit Pharaonem et Aegyptum percussit 320. 500. 513. 631. 693. 712; mirabilis potentia miraculorum 116. 153; eduxit Hebraeos de Aegypto 154. 260. 693; cecinit canticum, demerso Pharaone in mari 1; dulces fecit aquas Mara 505. 714; virga populo sitienti aquas eduxit de petra bis percussa 62. 71. 416. 419. 469. 527. 648. 714, ideo peccavit 549. 720; ascendit in montem ad Deum 467; ieiunavit quadraginta diebus 3. 78-79. 90. 93, et accepit legem 13, in duabus tabulis lapideis 66; vidit sub pedibus Dei opus quasi ex lateribus sapphirinis 572. 696; descendit de monte facie splendida 3. 248. 260. 263, quam velo operiebat 481; fregit duas tabulas 53, idolum comminuit 451 et proiecit in aquam 459; petiit divinam cognitionem 134; Deum vidit a tergo 170; exaudiebatur cum manus elevatas teneret 468; vidit in dextera Dei igneam legem 66; cum moveretur arca canticum Domino cantabat 327; exaltavit serpentem in deserto iussu Dei 718; arguit rubenitas et gaditas petentes terram Galaad 279.

Vir sanctus 184, mitissimus et humillimus 258, potentissimus apud Deum 260; deleri petiit de libro vitae 582; oravit pro populo et veniam obtinuit 400-401. 592; conversabatur cum Deo veluti cum amico 515; brachiis extensis in monte orans vicit Amalec 694; a Deo accepit formam archetypam tabernaculi 453; duos cherubim fecit et posuit in tabernaculo 375-376. 390.

Sapientum alpha et coryphaeus 264. 270; creationi mundi praemittit aeternitatem et omnipotentiam Dei 681; opera creationis in septem dies distinguit 421, et veluti quandam comoediam repraesentat 491; refert creationem hominis 264 et tunc nomen Dei tetragrammaton primo introducit 370; duobus nominibus hominem appellat 52-53. 264; ostendit hominis nobilitatem 31-32. 45. 182, innuens quod homo conditus sit filius Dei 74; triplici ex capite ostendit immortalitatem animae 369-370; fontem in paradiso terrestri ponit 562. Magna cum maiestate introducit sacerdotalem potestatem 252-253; legem Dei servantibus, promittit possessionem terrae promissionis 203; proponit benedictionem et maledictionem 290; peccatores stultos appellat 483; invehitur contra ingratitudinem populi erga Deum 295; gratiam appellat divinam similitudinem 426; solum Deum dicit auferre peccata 530 et solum esse sine peccato 547; maximam gloriam populi dicit Deum in medio eius inhabitare 665. 677. Mortuus in deserto 708. Figura Christi 633.

Mulier a Deo sancta creata, satanae opera peccatrix facta 606; facilis ad lacrimas est 565; saepe multorum malorum causa 420.

— fortis a Salomone mirifice laudatur 160-163.

Mos erat mulieres choris et canticis principum victorias celebrare 329-330.

Mundus graece Κόσμος appellatur 500; duplex: corporalis et spiritualis 491; triplex: elementalis, coelestis, empyreus 143; factus et conservatus propter hominem 38; veluti Dei mappa et imago est 29. 491, et templum 31. 452; lyra quaedam in manu Dei 322; ad nobiliora semper conscendit 143; natura superior continet inferiora 224.

Locus voluptatum et poenarum 300; bona mundi morte finiuntur 420, cisternae fractae sunt 419. 424; omnia in mundo corrumpuntur 577; regnum est mortis 506; in mundo nemo sua sorte contentus 202. 272; nunquam satisfacere potest cor humanum 217; videtur paradisus, sed verus infernus est 201. Secundum spiritum dividitur in regnum Dei et satanae 329. 567; inimicus est virtutis 573, totus in maligno positus 541.

N

Naaman syrus magnus princeps, sed leprosus 252. 391; in aquis Iordanis curatus a lepra 417, credidit in Deum 153.

Nabal ditissimus sed insipiens 283, negavit panem Davidi 295; audiens iram Davidis contra ipsum prae timore mortuus est 113.

Nabuchodonosor rex cepit Ierosolymam et templum destruxit 576; captivos duxit Iudaeos 611; pueros hebraeos de semine regio nutriri praecepit de mensa regis 666; viso miraculo trium puerorum, credidit in Deum 153; statuam in somnis vidit ex metallis constantem 32. 38. 143. 343. 368, varias monarchias designantem 328; vidit arborem immensam 32. 102. 343. 612. 713; in bestiam mutatus 16. 34. 169. 196. 235. 648, et omni dignitate privatus 180, poenituit 602 et misericordiam consecutus est 348, et in pristinum statum restitutus fuit 648. 657.

Nadab super ignem alienum obtulit incensum Domino et igne consumptus fuit 12. 468.

Nahum propheta de indignatione Dei loquitur 135.

Naim pulcritudo interpretatur 500; figura mundi 513.

Nathan David corripuit et poenitere fecit 359.

Nazaraeus non poterat crines tondere, iubebatur abstinere a vino, lavare corpus et in loco sancto sistere 28; habebat vota et iuramenta perpetua 14.

Nazareni iniuste conquerebantur de Christo 342 eumque contemnebant 348; pleni ira et invidia quaesierunt illum occidere 352-354. 357.

Nehemias divinus consolator interpretatur 185; ieiunavit 22, templum reparavit 185.

Ninive civitas carnalis, sine lege vivebat 150. Ninivitae Ionam receperunt 145; sine miraculis conversi sunt 140. 150. 158. 347. 509. 571; sancto ieiunio placaverunt iram Dei 12. 21. 25, et salvi fuerunt 351. 594. 603-604.

Nobilitas naturalis et aquisita 30; naturalis dependet a virtute 31. 40, et sine virtute nequit consistere 42; maxima nobilitas hominis filium Dei esse 34; triplici ex capite nobilitas christiani ostenditur 74-75. Naturae humanae nobilitas maxime in incarnatione Verbi cernitur 38.

Noe iustus atque perfectus 48. 184. 219. 515. 640, ideo liberatus a diluvio 604. 640, et cum eo mundus salvus factus est 151. Obtulit sacrificium Deo gratum 14. Ab eo omne genus humanum propagatum fuit 399.

Numerus quaternarius denarium virtute continet 321.

O

Obedientia in humilitate radicatur 257; arcus coelestis est 6 et via salutis 249, dummodo sancta sit et humilis 256; debetur etiam principi iniquo, modo iusta praecipiat 248.

Oculus mirabilis eius structura; magna pars humanae felicitatis in oculis consistit 494.

Ooliab spiritu Dei repletus ad construendum tabernaculum 452.

Origenes agit de peccatorum confessione 651 et de sacramento Eucharistiae 672; docet aperiendum non esse paganis hoc mysterium 669.

Oratio est elevatio mentis in Deum 465-466, vita sanctorum in terra 464; devota et humilis omnia a Deo obtinet 172, et multa operatur in anima 463.

Oseas propheta divinum iudicium praedicavit 148; describit mala orta ex ignoratione Dei 134; Ephraim appellat vitulam 271; velociter transisse gloriam regis Israel dicit 288-294; Christum vocat Deum Salvatorem 415; eleemosynam commendat 640; dicit Deum suaviter decipere animam 75-76.

Ovidius Naso citatus 149.

P

Panes propositionis duodecim erant, singuli ponderis octo librarum 638; conficiebantur ex simila 637; mensa panum posita erat iuxta altare incensi 286. 455. 468. 590. 602. 645, a sinistro templi latere 432; singulis sabbatis parabatur 636.

Paradisus duplex: coelestis et terrestris 201. 215. 264; coelestis supra coelum collocatus 106. 165. 258. 368; locus Angelorum 278 et sanctarum animarum cum Deo 368; bonum est explens omne desiderium 207. 221; locus omnium gaudiorum sensus et spiritus 297. 300; maius quid Deus dare nequit 215; gloria paradisi ineffabilis et incomprehensibilis est 206. 226 et aeterna 294; multis nominibus describitur 206-207; designatur per civitatem Ierusalem 218; datur in coronam virtutis 213. 276. Triplex est via ad paradisum 219.

— terrestris locus primi hominis 278, in eo arbor vitae 366 et scientiae 386.

Ubi Deus, ibi paradisus 201.

Pardus si tribus saltibus feram non capit, confusus abit 84.

Passio inordinata difficile rationi et virtuti obedit 355-356.

— Christi sacrificium fuit in ara crucis 533, exaltatio et humiliatio 697; duo complectitur: summum dolorem et summum vituperium 275; per sacrificium Isaac figurata 684, multis aliis figuris et oraculis praesignata 696. Passio Christi describitur 684-726. Multi sunt fructus passionis Christi 724.

Patriarchae sanctificati fuerunt deleto peccato originali 400; virtute facti principes coeli 36; mirabiles in filiorum procreatione 117.

Paulus S. apostolus a Christo prostratus et conversus 71. 602 et vas electionis appellatus 23. 490, ab Anania baptizatus 654, peccavit ex ignorantia 532; missus ad Gentiles evangelizandos 346. 490; raptus usque ad tertium coelum vidit gloriam paradisi 206. 221; a satana flagellatus 66, dissolvi cupiebat 506. Affligebat corpus suum 14; in cruce Domini tantum gloriabatur 715.

Dicit hominem disputare non posse cum Deo 343; docet Deum cognosci posse per creaturas 130, quae praedicant gloriam Dei 345; Deum patrem misericordiarum appellat 169, solum sapientem 471; Deum dicit velle salutem omnium 341-342, diligere hilarem datorem 1, non tentare supra vires 92, sed dare et perficere pro bona voluntate 189; requiri a nobis caritatem et fugam vitiorum 336.

Enumerat opera Dei circa electos 495; incomprehensibilem dicit Dei scientiam 580; docet tribulationes gloriam operari 176; patientiam necessariam esse ad consequendam salutem 568. 644; coniungit patientiam malorum et aeternum gaudium 2. 287, imaginem hominis coelestis et terreni 50; dicit legem naturalem scriptam esse in cordibus Gentilium 345; Iudaeos Christum crucifixisse quia eum non cognoverant 634.

Vitam mundi figuram praetereuntem vocat 270. 272; terrena omnia vilissima stercora appellat 7. 286, et tentationes laqueos diaboli 82, insidias et tela nequissimi 96; avaritiam et gulam idololatriam 576.

Veram poenitentiam expressit 593; seipsum vocat agricolam, hortulanum, architectum 18 et genitorem fidelium 557.

Dicit hypocritas virtutem pietatis abnegare 376, malum christianum deteriorem esse infideli 334; deflebat multos fideles factos inimicos Christi 458; docet mortificare corpus 10. 25; multas virtutes requiri contra diabolum 96; non esse Christi qui spiritum Christi non habet 334; ex veritate resurrectionis Christi pendere veritatem aliorum mysteriorum 731; monet bonis operibus vere divites fieri 25; ad tria reducit vitam christianam 22. 192; per fermentum interpretatur nequitiam, per azyma veritatem 20; mulieres docet caritatem, operositatem et modestiam 162; omnem potestatem dicit a Deo esse 247.

Christum vocat principium et finem legis 122, caput omnium creaturarum 144, fundamentum Ecclesiae 107. 261, hominem coelestem 212. 265, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis 37, Dei sapientiam et Dei virtutem 697. 700. 702; efficaciorem dicit fuisse gratiam Christi ad salvandum quam peccatum Adae ad nocendum 184; de oratione et de fructu passionis Christi loquitur 695; Christi gratiam dicit liberare ab omnibus peccatis 398 de Christo iudice loquitur 119, sapientiam eius decantat 473. 477; et imperverstigabiles eius divitias 726; Christum dicit exaltatum quia prius humiliatum 729; factum sapientiam et iustitiam et redemptionem 537. 546; per peccatum Christum iterum crucifigi 706; Christum nonnisi a peccatoribus passum 721.

Baptismum appellat lavacrum regenerationis Spiritus S. 74; de effectu Baptismi loquitur 575, de renovatione vitae 577; gratiam appellat pacem et sortem 426, legem spiritus 429; originem gratiae dicit esse misericordiam Dei 428; gratiam donum esse quodammodo maius ipsa gloria aeterna 430.

Christianos vocat filios et heredes Dei et coheredes Christi 74, lapides vivos et templa Domini 203. 467. 584, Dei adiutores 412, signatos in Spiritu S. 122; fidem appellat aenigma et speculum et argumentum 47, et armaturam Dei 84; legem dicit iusto positam non esse 387.

De ditissima paupertate Christi loquitur 626, et de infinita eius erga nos caritate. Caritatem ponit signum electorum 56. 62, docens ipsam esse unicam viam salutis 53 et sine ea neminem salvari 72; qualitates caritatis

enumerat 67; eam vocat plenitudinem legis 387.

Iustos comparat vasis aureis et argenteis in domo 107; cupiebat ut fideles magis ac magis Deum et Christum cognoscerent 132-133. De mysterio praedestinationis agit 579. 587; dicit praedestinatos esse qui conformes fuerint imaginis Christi 89.

Requirit in episcopo omnem virtutem 263; errorem Sacramentariorum confutat 660-661; *Ps 109, 3* de Christo interpretatur 668. De sanctitate Ecclesiae loquitur 458; necessarios dicit varios personarum gradus in Ecclesia 344; asserit ipsos Angelos multa ab Apostolis didicisse 471; linguam dicit instrumentum potentissimum Spiritus S. 221; refert verba Christi: beatius esse magis dare quam accipere 590; de duplici homine agit, interiori et exteriori 491; ineffabilem dicit gloriam paradisi 206.

Matrimonium appellat sacramentum magnum 182; Saram et Agar dicit significare duo Testamenta 386.

Peccatum non est nisi voluntarium 70. 87; summe Deo displicet 157. 230. 241; est aversio a Deo ad creaturas 242. 396. 598, morbus pestilentissimus 228, transgressio divinae legis 229. 350, crimen laesae maiestatis divinae 230. 350; est vivere velle sine Deo 239, contemptus et odium Dei, summa ingratitudo 230. 243, maximum omnium malorum 234, malum infinitum 238. 244, imago et character diaboli 242, monstrum supra modum horrendum 711. Ad cognitionem peccati necesse esset cognoscere divinam maiestatem et bonitatem 236.

— originale unicum est et veluti naturae peccatum 397; non destruxit naturam sed vulneravit 181. 196; ex eo triplex concupiscentia orta est 398-399.

Causae peccati impotentia, ignorantia, malitia, incredulitas 237. 529. 546; committitur corde, ore, opere 547. 578; effectus peccati infirmitas in corpore, malitia in anima, infelicitas in mundo 195; fons omnium malorum 228. 241. 245. 648; privat habitu gratiae 181, in servitutem satanae redigit 240. 245; perpetuam meretur poenam 183. 231; incurrit iram Dei 229-230. 241; peccator non est dignus gratia Dei 169, filius est satanae 544, eius opera Deo placere nequeunt 230. 239; multiplex poena peccati: sensus et damni, temporalis et aeterna, in hoc mundo et in inferno 181. 231; nec ignis inferni purgare potest peccatum 322.

Ad remissionem peccati requiritur confessio 655; peccatum non dimittitur quandiu in mala voluntate fundatur 171. Solus Deus sine peccato 537.

Pentapolis regio deliciarum 168. 267; decem iusti in ea inventi non fuerunt 151; ignis consumpta ob iniquitates 102. 120. 500. 506.

Petra in deserto percussa aquas dedit 154. 174. 202. 260. 444. 549. 553. 561.

Petrus S. apostolus princeps Apostolorum et hierarcha Ecclesiae 261. 595. 647; praedestinatus praefectus regni coelorum et Vicarius Christi 405; Christum negavit sed poenituit 602. 646. 689; peccavit ex impotentia 532. 721.

Coegit varia concilia 608-609. 615; morti tradendus, inclusus in carcere, liberatur ab Angelo 647.

Christum appellat Agnum immaculatum 546, fideles lapides vivos domus Dei 584-585; dicit impossibile fuisse Christum detineri a morte 647; Deum non acceptare personam 342 et nolle aliquem perire 348, fideles per gratiam effici divinae consortes naturae 556; fidem dicit certiorem cognitione sensus 43 et admirabile lumen Dei eam appellat 47, incredulos caecos 492, peccatores nubes vento exagitatas 543; malum christianum damnabiliorem esse dicit pagano 334; vix iustum salvari 107. 112. Multas adducit causas laetitiae in tribulationibus 68-69; mulieres docet subiectionem et modestiam 162; subiectionem principibus praecipit 247; corpus vocat tabernaculum animae 371.

Pharao duplici somnio accepit revelationem futurae abundantiae et caritatis Aegypti 140; Ioseph principem regni constituit 226, et ad eum frumenta petentes mittebat 226.

— concilium coegit contra Hebraeos 610; ad opera vilissima eos destinavit 240. 707; necari praecepit eorum infantes 192. 297; volebat ut Hebraei Deo sacrificarent in Aegypto 10; divinis plagis flagellatus ficte poenituit 596. 602. 652. 657; post tot miracula obduratus 348, noluit Moysen audire 365 et in mari Rubro periit 1. 217. 297. 348. 365. 652.

Pharisaei viri religiosi habebantur 46; frequenter ieiunabant 21, sed Deo non placebant 25; specie erant servi Dei, vere autem Dei inimici 380; falso interpretabantur praecepta legis 54. 61; Christi personam et sapientiam contemnebant 145, eius miracula calumniabantur 326. 338; saepe eum tentaverunt 92. 145.

Philo Iudaeus citatus 655.

Philosophi antiqui docebant astra flammas ignis esse 51; nonnisi naturalia considerabant 439.

Philosophia moralis oritur a philosophia naturali 42.

— pythagorica docet palingenesiam 368.

— peripatetica perplexa loquitur de immortalitate 369 ; ignorat universa philosophia in quonam consistat visiva potentia 494.

Pilatus populo Christum ostendit flagellatum, purpura indutum et spinis coronatum 687, putans sic placare posse iram Iudaeorum 667; sed postea tradidit eum voluntati eorum 691; peccavit ex infirmitate iniuste Christum damnando 721.

Plato docet immortalitatem animae humanae 368; refert sententiam Pindari de aquae utilitate 555. 560.

Plinius dicit specula fieri ex aere et etiam argento 639.

Plutarchus disputat ignis an aqua utilius sit elementum 556.

Pluto divitiarum deus 279, fingebatur insidens currum cum tribus rotis tractum equis nigris 4.

Poena multiplex inflicta peccato 244; dari nequit infinita secundum intensionem 232.

Poenitentia est conversio ad Deum 598, a cognitione incipit 418 et a contritione 645; possibilis est 599. 602; requiritur concursus Dei simul et hominis 593; debet esse humilis 599; scala coeli est 6, necessaria ad salutem 158. 294; renovat animam 577; remedium divinum 646; Deo gratissima 591. 599. 602. 643. 647, magis quam innocentia iusti 594; in nostra poenitentia elucet misericordia Dei 595. Summopere laudatur in Divinis Litteris 646 et multis figuris designatur 658; sub lege erat tanquam virtus, nunc est etiam Sacramentum 658; magnum miraculum 601, maxima gratia hominibus tantum concessa 189. 593. 646. 656; delet peccata 352. 398. 604; reddit hominem pristinae dignitati 648, tria continet: contritionem, confessionem et satisfactionem 593. 649. — finalis paucis admodum prodest 349.

Pontifex summus dum initiaretur, sacro oleo consecrabatur et sanguine aspergebatur 104. 263. 504, duplici veste induebatur 534; gerebat supra cor nomina duodecim tribuum Israel 124, supra caput laminam auream 38. 474 et mitram cum tribus coronis 260.

— Summus Ecclesiae, Christi Vicarius, rex et sacerdos 260; potest errare quatenus privata persona, non quatenus caput Ecclesiae 610. Vide *Sacerdos*.

Praedestinatio est opus divini intellectus et divinae voluntatis 487. 583. 585; non est ex praevisis meritis 588; nobis mysterium imperscrutabile 580.

Praedicator a Deo mitti debet ad praedicandam veritatem 23; Dei adiutor est 412; quattuor praecipue praedicare debet 8-9, praesertim poenitentiam 149. Praedicatori necessaria est vita sancta, doctrina coelestis, eloquentia divina et Spiritus S. 481.

Princeps clemens et severus esse debet 120; requiritur in eo sapientia, iustitia et integritas 384. 615. Multa timenda sunt principibus 233-234; dantur ipsis claves civitatum in signum dominii 405; saepe ferunt leges iniqua 382.

— malus causa est ruinae reipublicae 616. Obediendum est etiam principi iniquo, modo iniqua non praecipiat 249.

Prometheus infelicissimi hominis figura 64.

Propheta missus a Deo praedicabat 23, Spiritu S. afflatus 524; characteres veri prophetae: vitae sanctitas et doctrinae puritas 531; audiendus erat 544. Omnes Prophetae divinum iudicium praedicaverunt 141. 148 verbis et factis 126; non potuerunt de mundo satanam eicere 328, neque curare naturam peccato infectam 408; quodammodo medicinam exercuerunt 407.

Prophetia triplicis generis: absoluta, conditionata, comminatoria 152.

Propitiatorium totum auro fulgebat 471, in templo collocatum sub velo 466, in medio duorum cherubim 120; in propitiatorio condonabantur peccata 590.

Providentia divina difficilis cognitu 439; eam negare summa impietas est 448; fides in divina providentia basis est totius religionis 146-147; multis symbolis designatur 440. 445. Sine divina providentia nihi fit in mundo 573; in mundi regimine Deus utitur causis secundis 488.

Pythagoras palingenesiam docuit 34.

R

Rahab liberata a ruina Iericho 604.

Rachel iuxta fontem facta sponsa Iacob 425; aemula Liae 349-350; cruciabatur pariens

simulque gaudebat 68; figura vitae contemplativae 160.

Ratio rationes status iniquae 383.

Rationale in pectore summi sacerdotis gemmis ornatum 367, symbolum divinae providentiae 440.

Rebecca virgo pulcherrima 412, iuxta fontem ab Eliezer inventa, facta sponsa Isaac 413. 425; domo relicta, ad eum ducta fuit 177. 414; sterilis 197; cruciabatur pariens et simul gaudebat 68; procuravit benedictionem pro Iacob 274. 296.

Rechabitae viri religiosi habebantur 46.

Regulus aspectu hominem interimit 82.

Ruben filius Iacob, filius visionis interpretatur 271. 281; omni dignitate privatus 180; tribus Ruben elegit terram Galaad inhabitandam 271.

S

Saba regina sapientissima et potentissima 156, maxime obstupuit, visa gloria Salomonis 220. 344. 470. 476; tentavit eum aenigmatibus 92 eiusque sapientiam magnificavit 145. 634.

Sabbatum finis creationis, dies quietis et benedictionis 344; dies sacratissimus in Scriptura 8.

Sacerdos sacer dux, sacra dicens, sacra docens, sacra dans 253; divina eius dignitas 259, summa eius potestas 255, omnibus supereminet 263; Angelus Domini appellatur 263. Eligebatur ex stirpe Aaron et absque macula 534; debebat prius sacris initiari et Deo consecrari 261; vetabatur crines attondere 28; solus offerebat incensum indutus veste candida 3. 467-469. 534, et nonnisi aqua lotus poterat accedere ad Deum 658; solus cognoscere poterat causam leprae 652; in die expiationis ponebat super caput hirci peccata totius populi 696.

Pro populo alter Moyses quoad beneficia 261; mediator Deum inter et homines 253; multis virtutibus ornatum esse oportet 263; vicarius Christi 654, potest dimittere peccata 653; in sacerdote indigno magis resplendet sacerdotalis dignitas 262.

Sacerdotium institutum ab initio mundi 400; summa cum maiestate introducitur in S. Scriptura 252; in Ecclesia est sicut sol in mundo 263; institutum a Christo in ultima coena 662.

Sacrificium variae species sacrificii in Lege et varius sacrificandi modus 655-656; uno tantum in loco fieri poterat 12. 27, ex animalibus mundis 13. 27. 686 et a solis sacerdotibus 27.

Sal hieroglyphicum sapientiae 394. 470.

Salomon pacificus interpretatur 90. 155; natus ex adulterio, constitutus rex, 647, oleo sancto unctus 57. 634; nonnisi sapientiam a Deo petiit 134. 477-478 et accepit 177. 475. 584. 631; mirabilis sapientia, gloria atque fortuna 33. 116-117. 156. 452. 581. 622. 682; templum aedificavit 155-156. 452. 462, in cuius dedicatione oravit ad Deum 406. 465, et maiestas Dei illud implevit 445. Celeberrimus eius thronus 366; voluit habere palatium in saltu 89. 187; indigne tulit petitionem Adoniae 277. Peccavit 666. Petiit ne sibi divitiae darentur 274. Praedicatorem egit in *Ecclesiaste* 481. 736; saepissime Deum iudicem appellat 141; omnia vanitatem esse dicit 266. 271. 279; omnia pecuniae obedire 460; divitias addere amicos 514; multos divites vere pauperes esse et multos pauperes vere divites 225; neminem esse qui non peccet 359. 531, sed misericordiam invenire qui confitetur peccatum suum 650; peccatum abominationem appellat 230, et legem fontem sapientiae 553; semitam iustorum diei lucenti comparat 176, caritatem igni ardentissimo 57-58, risum stulti sonitui spinarum ardentium 380. Iustum dicit fundamentum mundi 151; verum amicum describit 517; suadet cavere a seductoribus 620; difficile dicit reperiri mulierem fortem, quam laudat alphabetario carmine 160-163; eleemosynam commendat, cui multa bona promittit 640-641; mala imprecatur filio qui patrem subsannat 386; mortem cum inferno coniungit 508; triplicem Ecclesiae statum describit 561. Figura Christi 326. 633.

Salus aeterna a cognitione incipit 418; ad salutem requiritur bona voluntas 189-190 et fides simul cum operibus 198 et cum caritate 349; est effectus gratiae et liberi arbitrii 198; nemo salvatur nisi ex gratia Dei et ex meritis Christi 106; in omni statu possibilis est perditio 349; pauci salvantur 120-121. 128. 226, etiam ex iustis 348. Salus perfecta aeterna felicitas est 415.

Salustius Crispus citatus 328.

Samaritani Deum et idola simul colebant 44, legem Moysi recipiebant sed Prophetas renuebant 418; falsi poenitentes 603.

Samson sol interpretatur 322. 625; dictus coluber in via 704; fortissimus ieiunio factus 13. 33.

117. 212; in capillis sita erat fortitudo eius 28; leonem occidit et postea in eius ore mel invenit 11. 26. 94. 604; captus a Philisthaeis eos vicit inermis cum esset 700. 728; maxilla asini eos in fugam vertit et postea ex ea aquam hausit 430. 716; Allophylos debellavit 320. 631; tentatus a Dalila 96, captus a Philisthaeis, excaecatus et in pistrino positus 195. 578. 666, ut de inimicis vindictam sumeret seipsum morti tradidit 58. Figura Christi 326. 625.

Samuel sanctus 184, a Deo vocatus 376; populi iudicium et syndicatum quaesivit 546; oravit pro populo eumque a Philisthaeis liberavit 400; cognovit peccatum Saul 402 eique nunciavit abiectum a Deo fuisse 118. 141.

Sanctitas triplex: humana, angelica, divina 538; consistit in sanctis cogitationibus et regulatis affectibus 28. 356; est veluti chorus omnium virtutum 397.

Sanctus graece ἅγιος dicitur, idest sine terra 548. Sancti in coelo pro nobis intercedunt 538. Sanctum sanctorum totum auro splendebat 222.

Sanitas consistit in temperie et harmonia primarum qualitatum et humorum in corpore 356; inaestimabilis thesaurus est 199.

Sara uxor Abraham, sterilis 197; prius Sarai vocata 558; voluit ut domo expelleretur Imael cum matre 688.

Saul statura procerrimus 622. 634; ex pastore rex factus 273, sorte electus 426; unctus rex insiliit in eum Spiritus Domini 248. 428; exaltatus cum humilis esset, in superbiam elatus, abiectus fuit 258; noluit audire Samuelem 365, pepercit Amalecitarum regi et optimis quibuscunque 620; ob inobedientiam a Deo reprobatus 95 et a regno abiectus 140, statim discessit ab eo Spiritus Domini et invasit eum spiritus malus 238. 248. 455; persequebatur Davidem 85. 566; tentavit satanam abiens ad pythonissam 92. 178; non vere poenituit, ideo periit 25. 352. 596. 602. 652. 657-658.

Scriptura Sacra sapientia dicitur 482; quae tradit verissima sunt 24: est sicut turris David 84; refert creationem hominis, ruinam et reparationem 185; quattuor modis exhibet cognitionem Dei et Christi 131; saepe dicit Deum equitare super Cherubim 131; saepissimae loquitur de iustitia Dei 351 et de finali iudicio 141, de bonitate Dei 446-447 de eius omnipotentia et caritate 681; supramodum misericordiam Dei celebrat 96. 164. 351; summa cum maiestate hominem et sacerdotium introducit in mundum 252; non aliud praedicat nisi Dei iram contra peccatum 229-230; refert aliquos singulares sanctos de tempore in tempus in mundum apparuisse 183; praedestinationem electionem vocat 583; iustos deos appellat 36; praedicat nonnisi iustos salvari 109; cum virtute praemium proponit 366; ostendit signatos servos Dei et satanae 334; potentiam Dei et satanae praedicat 320-321; saepe Deum fontem appellat 552, et Christum salvatorem 414; saepe mortem cum inferno coniungit 508; saepissime de aquis verba facit 555. 559.

Phrasi: *de plenitudine terrae*, significat rerum omnium abundantiam 211; rem magnam et mirabilem divinam appellat 414. 691; per benedictionem intelligit omnium bonorum abundantiam 729.

Sedecias rex a Nabuchodonosor captus 196, oculis filiisque orbatus fuit 509.

Seniores a Deo instituti coadiutores Moysi eiusque spiritu donati 248. 607. 614.

— in *Apocalypsi* citharis Deum laudabant 322

Sententiae: Ab effectibus cognoscitur causa 329
Amor mensura doloris 287.
Caecior talpa 197.
Componitur orbis regis ad exemplum 78.
Conscientia laesa facit hominem timidum 507.
Contraria contrariis curantur 41.
Convivium in Apolline 200.
Crassa Minerva 41.
Deus et natura nihil faciunt frustra 540.
Dum caput dolet, omnia membra languent 41.
Invidia serra animorum 279.
Legite rosas, relinquite spinas 248.
Nodus gordianus 35. 47.
Non bene pro toto libertas venditur auro 77.
Si quid agas, prudenter agas et respice finem 620.
Tardior testudine 197.
Veritas odium parit 365.

Serpens Aesculapio dicatus 407; hieroglyphicum prudentiae 407. 504.

— aeneus antidotum contra ignitos serpentes 237. 342. 409. 646. 722, figura Christi 696-697. 723. Serpentes magorum Pharaonis devorati a virga Moysi in serpentem versa 320. Homo a serpente morsus, viso serpente, laeditur 722.

Seth sanctus 184; coepit invocare nomen Domini 464.

Siloe natatoria ubi caecus illuminatus fuit a Christo 426. 557. 603, figura Sacramentorum 489.

Simon Magus falsus poenitens 602.

Socrates hilariter venenum sumpsit 368.

Sol dicitur filius aurorae 338; splendidissimus et potentissimus 326; causa universalis omnia producens 610; generat aurum, argentum, petras pretiosas 208-209; sua luce astra illuminat 210; virtualiter continet splendorem omnium astrorum 219; fons est omnium bonorum in mundo 209. Hebraeis lucidus, Aegyptiis obscurissimus 101; in morte Christi eclipsatus 153. Symbolum divinitatis 209; hieroglyphicum gloriae paradisi 206. 208-209.

Sophonias propheta de Christo rege et salvatore vaticinatur 622. 627-628; peccatores caecos appellat 492.

Sphaerae habent duplicem motum: proprium valde tardum, communem cum primo mobili velocissimum 196.

Spiritus S. unctio etiam appellatur 643; a Patre Filioque procedit 561; in columbae specie super Christum descendit 575; per aquam designatur 560; promissus in aqua, datus in igne 427. 556; descendit in flamma ignis super Apostolos 51. 53. Magister est et paedagogus christiani 75; confert homini filiationem divinam 75; facit ut Christus diligatur 246; est veluti anima animae nostrae 75. Saepe depinxit imaginem hominis iusti 48; interest omnibus sacris conciliis 610; locutus est per linguam Caiphae 609.

Peccare in Spiritum S. est tribuere satanae Christi opera 323.

Struthiocamelus ferrum digerit 63.

Superbia originem duxit ex principe Angelorum 532.

Synagoga in tres ordines distincta: saecularium levitarum, sacerdotum 143; fundata super principatum regium et potestatem sacerdotalem 616. Vide *Hebraei*.

T

ת ultima littera alphabeti hebraici, qua signantur electi 56. 122.

Tabernaculum a Moyse constructum 260, pellibus animalium coopertum 285; tribus partibus constabat 538; positum fuit in medio populi 343; in die dedicationis descendit super illud columna nubis et ignis 584; cum populus peccavit, positum fuit extra castra 238; figura Christi 453.

Tabulae Legis in arca repositae 61. 120. 223. 367.

Talentum Hebraeorum differt ab aliis talentis 474.

Templum aedificatum a Salomone in monte Moria 466. 684, multa pecunia 459 et ex lapidibus pretiosis et elaboratis 454. 465. 586, malleus et securis non sunt audita in eius constructione 203; quattuor portas habebat 584 et tribus partibus constabat 173. 462. 530. 538. 732; in atrio erat altare sacrificiorum et mare aeneum 26. 175; intus totum auro opertum erat 465; ab eo arcebantur immundi 468. 538; in dedicatione descendit in illud maiestas Domini 224. 575. 584; a Chaldaeis destructum, a Zorobabele et Esdra reaedificatum 184-185. 602. 686. 702. 717. 728. Triplex legitur templi dedicatio 576. Appellatur domus sanctitatis 463, sanctuarium 454. Figura Christi 425. 538. 553 et Ecclesiae 119, 575. 584. Deus multa promittit orantibus in templo 461-462, et valde delectatur templorum ornatu 640.

Tentatio est instigatio ad peccatum 80. 85; triplicis generis: divina, diabolica, humana 91-92. Omnes Sancti tentati fuerunt 95. Sunt qui tentant diabolum abeuntes ad astrologos 93.

Terentius citatus 365.

Terra locus impuritatis 4 et tenebrarum 548; ob peccatum maledicta 395; nisi a coelo adiuvetur, nequit aliquid producere 197; terra bona aliquando agnoscitur a spinis 421.

Thales Milesius aquam posuit naturalium rerum principium 559.

Theodotion verba *Genesis 1, 2* interpretatur 378.

Theologia quattuor praecipue tradit de Deo 136; agit de quattuor statibus naturae humanae 194; docet animae immortalitatem 368.

Theophylactus verba D. Pauli *Rom 8, 28* interpretatur 587.

Tribulatio utilissima 172. 568. 570-571, est ex misericordia Dei 175; iustis torcular et prelum est 570, ostendit an homo habeat veram in Deum caritatem 68; ad Deum nos ire compellit 345. 574; in tribulatione etiam impii Deum agnoscunt 571.

Trismegistus Vide *Mercurius*.

V

Vasthi regina spernens regis imperium regno privatur 256.

Venetiis cisternae aquae dulcis, inundante mari, replentur aqua salsa 196.

Ver tempus quo natura renovatur 20. 577. 588, quo medici curare corpora solent 20.

Virga Moysis in terram proiecta et in serpentem commutata, devoravit serpentes magorum Pharaonis 326. 703; iterum accepta, reversa est in virgam 62; commutavit aquas in sanguinem 225. 723; divisit mare Rubrum 723; ex petra eduxit aquas 202. 225. 713. 723.

— Aaron arida floruit et statim fructus produxit 173. 504. 620. 712-713; servata in arca 120. 165. 223.

Virgilius Maro citatus 195. 399; docet animae humanae immortalitatem 368.

Virtus regula actionum erga Deum, proximum et nos ipsos 48; summopere Deo placet 645; via virtutis difficilis est, sed facilis redditur gratia Dei et exemplo Christi 218; laetitiam secum affert 1. 216; sola digna honore 2; est verus ornatus animi 177, hominem reddit coelestem et filium Dei 34-36; cum vitiis consistere nequit 41. Per templum Virtutis ad templum Honoris patebat aditus 40.

Visus praecipuum scientiarum instrumentum 210; cognitio per visum certior est cognitione per auditum 170; visus debilis adiuvatur conspicillis 130.

Vita vitro fragilior est 50; fulgur est et coruscatio momentanea 509; via vitae una est, mortis multiplex 123; vita humana est veluti cithara septichordis 322; vita christiana ad tria reducitur 22; iucundior est vita carnali 191.

Vitium omne est contra rationem 42; Angelos in daemones convertit et homines in brutos 34.

Voluntas mala causa damnationis 142.

Votum nullo modo violandum 14.

X

Xenophon refert virtutis via Herculem inter divos locum in coelo invenisse 290.

Z

Zacharias propheta vidit satanam adversantem Iesum sacerdotem 94, candelabrum et duos ramos olivae oleum infundentes 255. 475, et lapidem cum septem oculis in figura Christi 475; vidit volumen quo iniqui iudicabuntur, et amphoram iniquitatis 382-383 et quattuor quadrigas 17. Arguit Iudaeos male ieiunantes 5. 20; Christum regem appellat iustum et salvatorem 126. 414. 546. 627, et fontem 552, et praedicatores equos gloriae Dei 146. De Eucharistia vaticinatur 665; dicit Angelum pro populo intercessisse 401.

— filius Ioiadae, sacerdos, a Iudaeis occisus 579. 717.

— pater Ioannis Baptistae, oratione filium a Deo obtinuit 177.

Zorobabel alienus a confusione interpretatur, templum reparavit 185. 188.

CORRIGENDA

Pag.	37	Linea	11	loco	בּכְוֹר — בְּכוֹר
»	80	»	13	»	aperti sunt — aperti fuerunt
»	»	»	24	»	assumpsit — assumit
»	»	»	26	»	invitat — incitat
»	»	»	32	»	mihi complacui — mihi bene complacui
»	441	»	15	»	costituere — constituere
»	502	»	27	»	diruet — diruat

Finito di stampare il 7 Agosto 1941 - XIX